

de Collegio de la Compañia de Jesus de Granada.

Libreria
N. 8180
R. 19.955

Rerum
HISPANICARVM
SCRIPTORES ALIQVOT,
quorum nomina versa pa-
gina indicabit.

*Ex Bibliotheca clarissimi viri Dn. ROBERTI
BELI Angli.*

NUNC ACCVRATIVS EMENDATIVSQUE
recusi, & in duos tomos digesti, adiecto in fine
INDICE copiosissimo.

Tomus prior.



FRANCOFVRTI,
Ex officina typographica Andreae Wecheli,
M D LXXIX.



2 400 40 *Stahler*
MADE IN GERMANY

del Colegio de la Compañía de Jesús de Granada.

Libreria
N. 8190
R. 19.955

Rerum
HISPANICARVM
SCRIPTORES ALIQVOT,
quorum nomina versa pa-
gina indicabit.

Ex Bibliotheca clarissimi viri Dn. ROBERTI
BELI Angli.

NVNC ACCVRATIVS EMENDATIVSQVE
recusi, & in duos tomos digesti, adiecto in fine
INDICE copiosissimo.

Tomus prior.



FRANCOFVRTI,
Ex officina typographica Andreæ Wecheli,
M D LXXIX.


Vtriusque tomi scriptores & materiae.

Tomi I.

- | | | |
|---|--|---|
| 1 | Marii Aretij, Patricij Syracufani, Hispaniae chorographia. | de regibus Hispaniae libri III. 664. |
| 2 | Ioannis Gerundensis episcopi paralipomenon Hispaniae lib. X. pag. 1. | 8 Francisci Taraphae Canonici Barcinonensis de origine ac rebus gestis regum Hispaniae lib. I. 676. |
| 3 | Roderici archiepiscopi Toletani Ostrogorthorum historia, 135.
Eiusdem Hunnorum, Vandalorum, Sueuorum & Silinguorum historia, 138.
Eiusdem Roderici Toletani praefulis de rebus Hispaniae lib. IX. 148. | Breuis rerum a Philippo I. Hispaniae rege gestarum descriptio, 735. |
| 4 | Roderici Santii episcopi Palentini historiae Hispanicae partes III. 290. | 9 Lucii Marinei Siculi, regii historiographi, de rebus Hispaniae memorabilibus libri XXII. 738. |
| 5 | Ioannis Vasae Brugensis Hispaniae Chronicon, 437. | 10 Laurentii Vallae, patricii Romani, de rebus a Ferdinando Aragoniae rege gestis libri III. 1005. |

Tomi II.

- | | | |
|---|---|---|
| 6 | Alfonsia Carthagenae, episcopi Burgenfis, regum Hispaniae anacephalaeosis, 611. | 11 Aelii Antonii Nebriffensis rerum a Ferdinando V. & Elissabe Hispaniarum regibus gestarum Decades II. 1073.
Eiusdem de bello Nauariensi lib. II. 1211. |
| 7 | Michaelis Ritii Neapolitani | 12 Damiani a Goes Equitis Lusitani Hispania Genealogia regum Hispaniae recens ex Italico translata: & diuerforum principum ac ducum catalogi 1251. |



TYPOGRAPHVS BENE-
uolo Lectori S.



AM in lucem producimus rerum Hispanicarum scriptores aliquot, qui licet antea typis expressi fuerint, sunt tamen ex iis nonnulli, quos vitae nos reddidisse quodammodo dicere possumus, cum in bibliothecis ita neglecti iacerent, ut vulgò ne quidem satis notum esset eorum nomen, nec apud bibliopolas prostant exemplaria, aut si forte aliqua supererant, ab iis qui eiusmodi scriptorum lectione delectantur, ignorabatur ubinam ea delitescerent. Porro adeò ineleganter & mendosè fuerant expressi, ut vel ea res lectorem non avidissimum ab eorum lectione deterrere potuerit. Qui veterum scriptorum lectioni assueuerunt, vel etiam eorum qui ad veterum imitationem nostra etate se composuerunt, fastidient fortè hos quos iam exhibemus, tãquam incultos & nimis horridos, nec nostrum consilium de iis edendis probabunt: apud quos nulla alia excusatione utemur, quàm nobis non defuisse voluntatem exhibendi cultiores, si suppetiuisent. Prodierunt recens ex nostra officina aliquot rerum Germanicarum & Gallicarum scriptores, quorum pleriq; his nostris non sunt multo cultiores: nihilominus tamen non pauci viri docti significauerunt nobis, se probare istud nostrum consilium de recudendis eiusmodi scriptoribus, & hortati sunt nos, ut etiam in lucem reuocarem eos, qui res gestas aliarum gentium qua sunt celebres in orbe Christiano, collegerunt, & vulgò non reperiuntur. Si gentis alicuius celebritatem rerum gestarum amplitudine & opibus metiamur, nemo sanè negabit Hispanos à centum annis res maximas gessisse & imperium constituisse, quod eò potentia excreuit, ut iam vicinis omnibus sit formidabile. Huic imperio initium dedit Ferdinãdus, Philippi qui iam regnat proauus, collectis in unum variis principatibus, in quos à multis

annis distincta fuerat Hispania. Nunc satis fuit ipsi totā Hispaniam prater Lusitaniam sui iuris fecisse. Suae enim arma in Italiā protulit, & pulsus ex regno Neapolitano Gallis & posteritate regis Alfonsi, illud sub suum imperiū rededit. Ad qua accessit, quod eius auspiciis suscepta fuerunt prima illa navigationes in Nouum orbem, ex qua re immortalē gloriam cum tota gēte Hispanica, ad posteritatem consequetur. Successit Ferdinando Carolus ex filia nepos, ad imperium Germania postea euectus, qui Hispanorum opibus adiūxit inferiorem Germaniam, omnium Europa provinciarum tunc temporis florētissimam, & postea, Gallis frustra repugnantibus, Mediolanensem principatum. Deposito imperio, senex vitam priuatam sibi elegit, & in Hispaniam secessit, ubi nō diu fuit superstes. Successorem habuit Philippum filium qui iam rerum potitur, natura quidem quietis cupidissimum, sed qui initio regni prouocatus ab Henrico Gallorum rege, eo successu bellum gessit, ut cum magna sua gloria, Ducem Sabaudia ex sua ditione pulsū, restituerit, quod parens eius Carolus aliquoties frustra conatus fuerat. Postea Mauros in Batia tumultuantes compescuit, ac tandem parta de Turcis insigni illa victoria nauali, feliciter dici potuisset, nisi Albanus ab eo missus in Belgium nimia sua asperitate illarum gentium animos exacerbasset, ac praeuisset causam motibus quibus concussa illa provincia ab alto felicitatis culmine iam ruunt: nec facile est adhuc iudicare, quae sit futura istius Tragedia catastrophe. Cum enim vicinarum gentium inter sit ne provincia illa prorsus in seruitutē redigantur, sint q̄ ipsi suspecti successus Hispanorum, facile fieri poterit, ut eorum conatibus impedimenti aliquid obiciant. Sed de his nimis multa. Mirum est (ut ad institutum nostrum redeamus) cum gens Hispanica ingenio plurimum valeat & sit laudis auidissima, nullum haecenus in ea extitisse scriptorem, qui dederit operā, ut Principum quorum iam mentionem fecimus, res gestas pro dignitate ad posteritatem transmitteret. Scripserunt plures, sed sua lingua, de ijs rebus quae in Nouo orbe acciderunt, quorum aliqui maxime digni sunt qui legantur. Nequaquam enim ad assentationem, aut ad ineptē decantandas suae gentis laudes (ut solent pleriq̄ nostra aetatis scriptores) se comparauerūt, fuerūtq̄ adeo studiosi veritatis, ut in suorum gratiam reticere noluerint quae ab ipsis iniquē aut crudeliter perpetrata esse compertum habebant. Si Osorium inter Hispanicos scriptores reponamus, illum ingenio & eloquentia reliquos longē superare, haud dubiē fatendum erit. Verum cum Lu-

sitani

sitani haecenus habuerint rempub. distinctam ab ea quam Hispanicam nominamus, & Osorius res Lusitanicas tantum persequatur, inter Hispanicarum rerum scriptores non esse reponendum iudicauimus. Optandum esset Vasium seriem rerum quas scribendas susceperat, usq̄ ad haec nostra tempora pertexuisse: ipsi enim diligentia non defuit, & ita scripsit ut orationis eius perspicuitas lectori sit grata, & laudem mereatur. Reliqui quos iam exhibemus, vixerunt antē quam in Hispania elegantiorum litterarum studiis restitutus esset suus splendor, & propterea ab aequo lectore orationis elegantia in ipsis non erit morosius requirenda, modò in explicandis rebus fidem & diligentiam praestiterint. Si quid autem hac nostra editione praestitisse videbimur, quod sit iucundum aut utile, iis qui historiarum lectione delectantur, eius rei gratia debebitur clarissimo viro Dn. ROBERTO BELO, Serenissima Regina Anglia Secretario, qui iactatus sauis illis tepestatibus quae in Anglia regis Edoardi mortem subsequuta sunt, & factus exul cum vix primos adolescentiae annos attigisset, nequaquam despondit animum, sed labore & industria sibi aduersus saeuientem fortunam certandum esse ratus, omnes ferē Germania, Gallia & Italiae scholas, quae alicuius sunt nominis, perlustrauit, indefatigatoq̄ studio & consuetudine multorum virorum qui prudentia & eruditione valebant, animum ita excoluit iis artibus quae accessuro ad rempub. sunt maxime utiles ac etiam necessariae, ut ij quibus cum eo intercedit familiaritas, paucissimos reperiri posse dicant, qui in hac parte sint cum eo conferendi. Nec satis fuit ipsi animum bonis artibus excoluisse, nisi etiam secum domum referret scriptores, quorum lectione perpetuò aliquid ad ingenij cultum adijceret, quos quocunq̄ peruenit diligenter conquisiuit, & praesertim eos qui non ubiq̄ sunt obuii, a quibus coemendis nulla precii magnitudine deterreri potuit, & tandem sibi instruxit bibliothecam optimis scriptoribus, & praesertim historiographis, refertissimam: ex qua prodeunt plerique eorum scriptorum quos iam tibi exhibemus.

)(ij

HISPANIAE SITVS, A MA-
RIO ARETIO PATRICIO SYRA-
CVSANO, IN DIALOGI MODVM
CONSCRIPTVS.

LDOVICVS, PRVDENTIA, CALIPHO.



Vis nam mihi tantam adferet lætitiã, vt hæc me derelinquant
tristes, quibus torqueor, cogitationes? causa, cur sim mœstus,
non quidem deest. ratio homines qua gubernantur, illam vin-
cere perquam studet. Sum quamobrem in ærumnosa positus
controuersia. PRVDENTIA. Certe nullam intueor mi vir
causã, quare diutius tu istis incumbas cogitationibus pern-
ciosis. prudentium enim est (vt ipse habetis) fortunã in rebus
peractis cedere, in agendis vero, in quibus ab ipsa valde timendum, vel virtute,
vel nouis repugnare inuentionibus. Sed quãso quid id est? LDOVICVS. Ne-
scis mea cõiunx me magistratum gerere? nescis inter Cæsaris primores ad Italiam
petiisse? rursus valetudine coactum perquam infirma illico remeasse? quid ergo
grauius, quidue mihi iniucundius euenire poterat vnquam? Nempe huius ab in-
eunte ætate seruiui auo, etiam in Celsensi bello, vbi vulnera accepi plura: & huic
etiam multum, vt tibi compertum est. Quid plura? quum illa dies, quam diu o-
ptaram, adfuit, seruire non licuit. ægrotus sum reuersus, quid molestius? PRVD.
Quid faceres? nemo est qui tuum non inspexerit animum: liberes ergo te, obse-
cro, istis tuis curis. Sed Caliphonem ecum, lætor quidem, erit tibi fortasse leua-
men aliquod. LOD. Opportune, dic tu illi aliquid. PRVD. Salue Calipho,
sunt ne aliqua, vel de cercopitheco, epigrammata? CAL. Ex Italia redeo cum
Cæsare adeo exanimatus, vt mihi haud vnquam erit curam faciendis verbis na-
uandum posthac. PRVD. Macilentus es, & raucus. CAL. Mos est illis qui in
aliquam eunt expeditionem, interrogantibus quo properent, hilari cum fronte
ac voce elata se ad bellum gerendum proficisci respondere: at vero hi, si viui e ca-
stris remeant, vnde veniant rursus interrogati, tenui voce vultuque dimisso, vno
verbo e militia se venire aiunt. Porro etsi res gestas mea potius intersit scribere,
quam arma gerere, nihil tamen superest mihi præterquam vita. omnium namque
rerum iacturam feci. PRVD. Malo me Hercule impræsentiarum, mi Calipho,
sermone quibus alacriores fiant adstantes, habeantur, quam locus sit aliquis tri-
stitiæ: sic di te adiuuent, missa ista faciamus. CAL. Quid iubes? PRVD. Dic
meo viro historiam, vel fabellam duntaxat, quæ sit ei voluptati. CAL. Vnde ex-
ordiar? dicam Cæsaris Bononiam ingressum, ad diem solemnem, qua fuit diade-
mate coronatus, cum Hispani proceres aurum & gemmas induti diuitias ostenta-
runt suas? LOD. De his omnibus binis me literis certiore tum fecere: potius
Hispaniã situm abste, ac recentiora, quæ ad prisca faciunt, nomina enodata vel-
lem audire. CAL. Onerosam prouinciam. LOD. Quid onerosam? nonne
tibi illius diei venit in mentem, qua Toletum versus iter facientes nos, ad Solorij
montis ac Carpetanorum iuga cum venimus, & labentia hinc in-
de flumina admodum suimus scrutati? Verum te plurima audiui tũ nunciãtem.
itaque si me amas, fac quod ipse rogo. CAL. Quam libentissime obtemperabo
tibi, vt semper. Sed quum vel Mauritanorum qui Hispaniam occuparunt, barba-
ries, vel temporis longioris immanissima rabies, non modo nomina, sed & rerum
faciem quoque permutassent, difficile erit quod iubes obseruare: nihilominus ta-
men capessam iussa, tametsi meo repugnaturus iudicio videam quam plurimos,
præsertim si meis forum spargetur nugis. PRVD. Eia rumpe moram, mutis qui-
dem veluti qui loquuntur, non tamen surdis recitare videberis.

CALI-

HISPANIÆ CHOROGRAPHIA.

CALIPHO, LDOVICVS.

Hispania montibus Pyrenæis, ac mari nostro, Atlantico denique Oceano, &
sinu Cantabrico perstricta, primam partem Europæ efficit ab occidente. Py-
renæi hi sunt montes qui adhuc prisco gaudent nomine, quibus ab interiori mari
ad ipsum Ibericum pelagus protentis Hispania a Gallia separatur. Quæ in duas pri-
mum diuiditur partes, citeriorem, & vltiorem. Et vt valeat quisque melius eius
percipere figuram, hoc in totius Hispaniæ descriptione ordine vtẽdum nobis du-
ximus, quo hætenus nemo vsus. In Oretania igitur, quæ regio maritimum attingit
litus, in quo Carthago noua, nunc Carthagera, promontorium est, Scombra-
ria, a nostris Caput Depalis nuncupatum. Hinc mons Solorius paulatim sepre-
ntrionem versus oritur, qui modo accliuus, modo infimus & apertus (vt Ptolemæus
& Plinius ostendunt) per Carpetanos, Vaccæos, Vectones, & Celtiberos, ad Can-
tabros vsque procedit. Hi montes ea complectuntur oppida, quæ in præsentia
Cuenca & Siguenca (Concia & Serguntia olim) indigenis dicuntur, ad montem
vsque producti quem Moncaium vocant, & hinc ad squam declinantes Catabriæ
iugis eunt obuiam. Moncaium, an a Caco nomen deductum sit, quasi montem
Caci, ad stipulari non audeo. Et Siguenca vrbs, non Seguntum quidem olim,
sicut multi prædicant, sed Serguntia, per cuius agrum Durius perlabitur. Strabo,
Durius, inquit, præter Numantiam oramque Serguntiam currit. Ergo quicquid
terrarum ad orientem hæc iuga relinquunt, citeriorem: ad occidentem vero vlti-
riorem esse Hispaniam, antiqui voluere, Nempe Oretanos maxime ad meridiem
vergere, ad mare vsque peruenientes, & mox Carpetanos ad Aquilonem decli-
nantes, nouissimos Callacios autumat idem Strabo. Ac Hispaniam hoc distin-
ctam modo, in quatuor rursus partes, Bæticam, Lusitaniam, Callaciam, & Tarra-
conensem distribuendam omnino nobis videtur. Romani nanque in tres vltio-
rem Hispaniam, vt ius facilius diceretur, diuisere, antiquissimi licet in duas per lon-
gitudinem. Ne labor quidem erit alicui Tarraconensem ipsam agnoscere prouin-
ciam, quum non sit minor quam ipsa citerior Hispania est. Nam hæc vnã partem
facit, vltiore in tres diuisa prouincias, in Bæticã, Lusitaniam, & Callaciam: quæ
& Ana & Durio fluminibus discretæ, Oretanis Carpetanisq; adhærent, dum ten-
dunt in occasum. Et vt res longe sit vobis notissima, ea qua potero facilitate expli-
care nitar. Ana, qui Bæticam a Lusitania disternat, in Laninitano agro, circa
oppidum quod Cagnamares Hispanis dicitur, ex vastis oritur stagnis: & triginta
M. pass. decurrens obtusis totum se propere cõdit cuniculis, rursumque stadiorum
sexaginta quatuor subterraneo peracto cursu, ad oppidum, Villarta quod nuncu-
patur, totus renasci cõspicitur: qui Emeritam fama antiquissimam urbem (quæ suo
lætatur nomine, vna dempta, alteraue tantum mutata litera: Meridam nanque di-
cunt) abluit, & in Oceanum erumpit. Guadianam Mauritanii Hispanis dominãtes
hunc nominarunt amnem: quod flumen Anæ sonat. Guad siquidem illi, nos flu-
men dicimus. Ora autem quam ad meridiem ipse detrudit amnis, quæ mari per-
cutitur, quæue diuini cultu ac fertilitate cæteris omnibus antecellit, Bætica, a Bæti
fluuiio eam mediam refecãte, fuit olim cognominata, cuius pars ab nostræ tempe-
statis hominibus Andalusia adpellatur, quasi, vt auguro, ante Lusitaniam, muta-
tis literis. partem inquam, quoniam non tota, cui Bætica tunc nomen, nũc Anda-
lusia est: propterea quod ea quæ Mariano monte ad meridiẽ stringitur terra, dun-
taxat Andalusia est: reliqua vero inter ipsum mõtem & Anam fluuium posita, vel
inter vtrunque flumen. Bæturia erat pars tamen Bæticæ, in duas a Plinio distincta
partes, totidemq; gentes, in Celticos, qui Lusitaniã attingunt, & Turdulos, qui &
Lusitaniam & Tarraconensem: illi Hispalis conuentus (in conuentus tum Hispa-
niam diuidebant) hi quidem Cordubẽsis. Quos ipse sic interpretor, primos regio-
ni quam Extremaduram, alteros quam Manchiam vocant iuniores, tribuo, qui o-
mnes tum Bæti. Et id quoq; videtur de Turditanis sentire Strabo, qui confessim
in Romanorũ ritum, Latiali penitus utentes sermone, ante alios mutati sunt. Ma-
rianus autem mons cuius Ptolemæus & Plinius mentionem faciunt, ab Hispanis

(iiii)

Setra

M. ARETII SYRACVSANI

Serra Murena nuncupatur. Cæterum Bætis fluuius (a quo Bætica, vt dictum est) in præfens Guadalchebir, quod est flumen magnum, a Pœnis inditū nomen, Tygenfi saltu in monte Argento, circa oppidum Castaonem exoritur. Nostri Castaonem Alcarras, Argentum vero montem, Serram Alcarras vocant. Hic ergo & mediam Bætiam influit, Cordubam tot claris viris insignem, atq; Hispalim, illius oræ caput, modo Siuiglam, tangens, & in Atlaticum Oceanum effunditur. Tartessus huc vocitarunt nonnulli, a Carteia ciuitate, quæ Tartessos a Græcis dicta, ad Bætis ostium, vnde Tartessus ager. Carteiam ab Hânibale fuisse deretrâ, scripsit Lilius. Bætis in super Salsum admittit fluuium, qui ab eo, quo ipse Bætis, erumpit monte, nunc Guadelemar dictus: apud quem cum Pompeio Pompeij filio, manus Cæsar cõseruit. Bæticiæ latus maritimum ab Herculeo freta, ad eos quos diximus Oretanos, & nouam Carthaginem, Bafterani obtinebât, a quibus Bæza & Baza oppida nomen sortita sunt. Hi rursus Bafterani ab occasu Bæream regionem, Mauitaneâ, mox Deitaniam, & deinde Contestaniam complectebantur, autor est Plinius. Oppida vero retrogredientibus sese offerunt, post Scombrariam promontoriū quod supra nominauimus, ipsa Carthago, ab Hasdrubale edificata, vbi Scipio Africanus virginem vnam inter captiuos adductam (quæ forma erat insignis) Luceio sponso reperto intactâ restituit. Hic item in ludis ab ipso Scipione factis, duo Hispani principes, Corbis & Orfua patruelles, de regno dissidentes alterius in alterum facto impetu ambo periere. Promontorium deinde, cui modo caput Guatten nomen, olim Charidemum: & mox portus magnus, vbi Almeria sita est, Salabina, Selbrehia accolis vocata, Malacha, & Salduba: de quibus talem facio coniecturam Ptolemæo autore. Malachâ tunc fuisse mihi persuadeo, vbi nunc Caput Maducæ: at vero vbi Malacham in præfens reponunt, Saldubam tunc, cum flumine Fcederatorum, cui Salduba nomen. Et mox Bessulam fluuiū ad oppidum Marbellam in mare erumpere puto. Vbi Hasdrubal Barchinus primū, Mago deinde, & Hasdrubal Gisconis a Scipione fugati, vt narrat Plutarchus. Mons Calpe, quem montem Gibelzar vocitant, iuxta fretum, Abilam Africæ montem spectans: quos Herculis columnas esse, quasi ærumnarum metas, in fabulis traditum est. Et iuxta, oppida quibus Sola & Barbe nomen, Alcafram & Tariffam quæ a nostris cognominari auguror, licet alii aliter sentiant. Post hæc Iunonis templum ad Oceanum, in oppido Belon, & id in præfentia Trafalgar, & flumen Belona. Gadis itē, seu Gadira insula paulo a continente seposita, Bæticiæ proxima. Hunc demum ad Sacrum promontoriū, a nautis nostri seculi Caput Sancti Vincentii vocitatum, ager omni vberitate felix distēditur. Ex mediterraneis autem, præter quas diximus, Hispalim & Cordubam, Carmona & Nebrissa, nunc eiusdem nominis. Ac nonnulla quidem nouissimis oportet oppida interpretari nominibus, Orospeda, quod Oropefam esse credimus: & Abdera non longe a Malaca oppidū in mediterraneo, vel quod Plinio placet, Eburæ. Ipse Vbidam quem admodū dicere auderē, sic & Eguam, Efigam fuisse existimo. Munda vrbs, quam Mundecaram nunc vocant: apud quam Pompeium Pompeij filium Cæsar in fugam vertit: autor est Hircius. Plinius tamen duas fuisseundas, in Lusitania alteram inter Durium & Tagum, alterā vero in Bætica, scriptum reliquit. Item vrbs opulentissima in hac erat regione, Oringis, quam ad expugnandam, quia Pœnis studebat, Scipio fratrem misit. Et ea quæ in nominibus nullam habet cum præfens similitudinem: Granata imprimis vrbs populosa, quæ victis Pœnis a Ferrando Aragonio rege Christiano ritui vëdicata, omnibus Hispanis multo est oppidis feracior. Singiliam oppidum in Bætica reponit Plinius. Et fluuius qui Granatam abluit, nūc Xinil vocatur, possumus propterea Granatâ Singiliam vocare, si licet. Vrsaonem ab Hircio in Commētariis citatum oppidum, nos Vssunam vocamus, præsertim quod non longe ab Hispali illud ostendit. Et Tuccis, quod Tucinum fortasse: Carbulum, Carpium. Et Murgis vrbs, quam Mursiam esse puto. Iaceni que, Xeres, ciuitas regalis, Anduiar, Antichera, sunt hæc ciuitates, quæ vigent his a recentioribus adpellata nominibus, quas interpretari non audeo. Ac satis quidem de hac parte dictum est, nunc ad reliquas: breuiter enim omnia explicare volui.

HISPANIÆ CHOROGRAPHIA.

volui. LODOV. Credo profecto de Murgi: nam in Bætica illam Plinium collocare memini me legere.

CALIPHON, PRVDENTIA.

AB Ana ad Durium quæ clauditur ora, Lusitania est, a Lusu Liberi patris dicta: autor Varro. Ne his quidem incōgruum mihi videtur pauca Plinii inferere verba: Vniuersa autem quæ de Hercule, ac Pyrene, vel de Saturno traduntur, fabulosa imprimis vt arbitror. Hæc ille de Hispania. Durius igitur qui Duero ab Hispanis, stadiis centum ab Numantia illa quæ vna tot strenuos, totque duos, veluti Hispaniæ totius robur, milites sola peperit, ortum habere cernitur. Numantini igitur post decimum quartum annum obsidionis, quum amplius se tutari non possent, in rabiem conuersi, duces suos, seque, patriamque, ferro, & veneno, subiectoque vndique igne peremerunt, adeo vt triumphus fuerit Romanis tantum de nomine, modo vero non Numantia, sed Soria exiguum oppidum. Terra autem quam Durius ad læuam ad Anam vsque, in Oceanū properans relinquit, Lusitania est, Tago auriferis arenis celeberrimo amne per longitudinem refecata. Tagum, qui non alio ac suo gaudet nomine, ad Carpetanos in montis radicibus, stadiis quinquaginta ab oppido paruo cui Tragacer nomen, quod non multū abest ab vrbe Concia (quam Cuencam, vt ante dictum est, adpellant) nasci non dubium est. Qui vbi Toletum, nostra tempestate regalem vrberem, oppidaque infundit plurima, fluuiorum etiam admittit multos, Olisipponenses, nunc Lisbonenses, muros influit, & in mare vasto facto ostio demum se proicit. Nec cum illis quidem sentio, qui Toletanos Carpetanos esse dicunt: quando quidem hos distinctos esse, alteros ad Tagi ortum, alteros illis proximis, haud vereor, nam & Plinius illos distinxit. Carpetani (ait) & Toletani Tago flumini impositi. Et in Oceano Barbarum promontorium, quod nostri Caput Spiches, & mox Olisippo ab Vlysse cõdita, si Solino credimus, vrbs, quam Lisbonam vocant, in extremis Lusitaniæ oris ad Tagi ostium sita: quæ hac tempestate nobilis, & Africano diues cõmercio, cuius nancq; ciues mercaturæ gratia Æthiopicum per Atlanticum nauigant mare, Africæ sinus penetrantes. Nec illius quidem regionem (vt multi delusi credunt) tantummodo fuisse Lusitaniam adfirmo: quoniam ea Lusitaniæ pars quæ mari adfixa, esse Portugallense regnum certum habeo tantum, ita quod pars erat, & non tota Lusitania. Erat enim tum hæc non parua regio, quum Ana, & Durio, ac iugis etiam Carpetanis fuisset terminata. Et nūc quidem de huius regionis oppidis. Nam præter Toletum (de qua supra scripsimus) Segouia vrbs diues, ac cunctis fere Hispanis nota, sub nemore posita, & in ea aqueductus maximus, qui pons ab Hercule constructus peruerse vulgo creditur. Sunt & qui iuga quibus hæc sita est ciuitas, Carpetana esse volunt, in quorum ire sententiam omnino non placet. Porro quum Carpetana iuga Oretanis omnes scribentes adiungant, quumque Ptolemæus nullum in Lusitania esse montem asserat, rem non aliter, ac scripsi, in animum induco meum. At Ptolemæi forte sententia alicui si non satisfacit, eo quia montes, vbi ipsa Segouia, & illis proximi quos Guadaramæ nunc vocant, alique etiam in ipsa visuntur Lusitania: ego de illis qui digni erant quorum mentio fieret, Ptolemæum esse locutū respondeo. Et item Obila quæ Abila, & Salmantica famosissima academia, Moro denique, & Talabrica, modo Mora, & Talauera. Sunt oppida nonnulla quæ viuunt, & nihil cum antiquis faciūt in nominibus, tum quia id quod habebant antiquitatis, penitus amiserunt, tum quia fortasse deinde condita. Vallisletum oppidum magnificum, & rebus necessariis maxime refertum. A quo haud longe abest Methina de campo (vt ipsi) omnium rerum, propter hyemales nundinas, menses tres, tandemq; æstiuales ibi celebratas, nobile emporiū. Emporia quæ Empudia, Toro, Camora, Metina Rossoci, Illesca, Vccagna, & tandem Madrid oppidum, viuis vndique silicibus cõstructum, & hoc nulla vnquam est victus penuria fatigatum, nec cœli grauitate oppressum. Alcalá Definari (sic ipsi aiūt) a flumine Finari, quod Tago aborbetur, vbi artium floridum gymnasium, & hoc Complutum esse ab Ptolemæo demonstratum oppidum, Hispani pro certo habent, sicq; illud in publicis adpellant rationibus. Et non longe aliud, Guadalaia a Mauritanis nominatū, quod flumen lapidum

M. ARETII SYRACVSANI

lapidum significat, vbi Iacobus Médocius Infantaciorum dux habitat, vir, præter nobilitatem, munificentissimus. **PRVD.** De illustribus viris ac de domorum pariter nobilitate si facienda verba, Toleranam domum quoque, aliasq; etiam antiquissimas merito memorare fas est. **CAL.** Per id tempus præter duas, Mendociam & Toleranam, quas nominavi domos, Cerdeã, Cardoneã, Larẽsem, Velasceam, Pimentellam, Stunicam, Henriticam, Orosiam, Cordubẽsem, Limẽsem, Gufmaneam, Mondragoneã, & quæ antiquissima, Patiecam, scio quidẽ esse clarissimas, attamen nolo de his nunc agere. **PRVD.** Quid Patiecam domum antiquissimam ais? **CAL.** Quendam Lucium Iunium Patiecum Cæsaris in Hispania bella aduersus Pompeii filios gerentis socium reperio. **PRVD.** Operæ precium est audire. **CAL.** Hircius in Commentariis de Corduba loquens, Cæsar, ait, eam ciuitatem omni tempore optime de populo Romano meritam esse sciebat. Sex cohortes secunda vigilia iubet proficisci, pariq; equites numero, quibus præfecit hominem eius prouinciæ notum, & non parum scientem, L. Iunium Patiecum. Hæc ille.

CALIPHO, LODOVICVS.

DVabus vltioris Hispaniæ partibus absolutis, ad Gallaciam describendam ipso cogimur ordine. Et hanc non solum eam quam Galiciã vocant, esse volumus, quæ vt memoribus, montibus, ac aquis etiam abundat, ita messibus nuda penitus: sed & omne quoq; vltiori Hispaniæ quod superest, Bætica & Lusitania exceptis. Est in hac prouincia in Oceanum protendens promontorium magnum, quod Artabrũ nominant, nunc Caput finis terræ: veruntamen his qui de hoc aliter sentiunt, Strabonem adduco testimonio, nullum aliud memorabile promontorium inter ipsum Artabrum & Pyrenes promontoria reponentem. Minus amnis hanc infundit oram, & in Durium se recipit. Cæterum Asturi, nunc quoq; Asturi, huius regionis partem habitabant. Et his proximi Cantabri, partim montium cacumina, partim loca maritima in septentriones spectantia incolentes, & eam regionem quam Biscaiam dicimus, & montes etiam Liconitiurgis ciuitatis ad Iberi vsq; amnis ortum obtinebant: siquidem Iberum ipsum qui ex illis videtur montibus erumpere, in Cantabria nasci & Plinius & cæteri omnes sunt testes. Callaciorum oppida quæ vltra Durium ad Aquilonem: Asturica vrbs olim magna, nunc Astorga: & Liconitiurgis copiosa mercatura, compluribusque etiam equitibus & nobilibus clara vrbs, quæ Burgos incolis dicitur: Arunda siue Arandis, quam ab amne Arandum Durii adpellant: & in eodem fluuio Pallantia, quæ Palentia: & nomina recentiora præterea. Leonem vocant Hispani ciuitatem quãdam quæ haud multum distat ab Astureca. Est & Compostella, vbi Diui Iacobi templum, quæ eiusdem tantum miraculo memorabilis. Homines præterea olim duri, & omni expugnatu difficiles, nullum tunc colentes deum, tantum Lunæ peracto orbe noctu ante fores saltus agitabant. Ac de vltiori Hispania quidem satis dictum videtur, deinceps ad citeriorem, vel Tarraconensem prouinciam transeamus. **L.O.D.** Sum omnino exutus illis quibus eram obsessus curis, perge oro, vt magis lætus euadam.

CALIPHO, PRVDENTIA, LODOVICVS.

Tarraconensis prouincia a Pyrenæis montibus qui Hispanias Galliasq; distinguunt, duobus promontoriis diuersis insurgit: angusta primo, paulatim deinde se pandens, vltiorem iam latior facta contingit Hispaniam. Promontorium alterum interiori mari percussum, Veneris templum, nunc portum Veneris nominant: alterum in Iberico pelago OEaso tunc, quod illud esse arbitror cui modo caput Berton nomen. Hæc rursus Balearico a meridie, ab septentrione ipso Iberico mari adstricta, adfixaque Pyrenæo currit in occasum, & Oretanis, monte Solorio, Carpetanisq; iugis ab aliis Hispaniæ oris distinguitur. Plinius in Tarraconensi Cantabriam recondere videtur prouincia. Huius oppida nonnulla quanquam nõ illis a iunioribus cognominantur nominibus (prisca enim temporum varietate nomina defecere) nos tamen nouissimis quo ad fieri poterit, adaptare conabimur. Principio a læua Pyrenæi montis ad mare nostrum Gerundenses populi Galliæ fines colunt,

HISPANIÆ CHOROGRAPHIA.

colunt, & hi Gerondam tenent urbem, quam Gerundam quondam dicebant. Cæterum ab hoc mari Ibericum sinum versus, per Celsenses & Iaccitanos, ad Nauarræ (vt Hispani aiunt) vsque limites, Ausetani, Itani, Lactani, ac per Pyrenæi radices, Ceretani discurrebant: autor est Plinius. Et post eos Vascones ad mare Ibericum, & Pampeloneses, quos Nauarros esse auguror Plinii verbis persuasus: ait enim quod Vasconum saltus proximus est Pyrenæo per Oceanum. Et Strabo item ad septentriones supra Iaccam, vbi Pompeion a Pompeio dicta, Vascones reponit. Iaccitanæ gentes olim nobilissimæ, quæ a Pyrenæi radicibus ad Ilerdam vsque latius extendebantur, vbi Sertorius bellageffit extrema: itaque hinc expulsus, apud Saguntinos fuit ab suis dolo interfectus militibus. Victoria oppidum idem tenens nomen prope Cantabros: in quorum motibus Iberi amnis ortus inspicitur, quem nostræ ætatis mortales Hebrũ, Thraciæ Hebrũ nomine decepti, nuncupant. Iberus ab Ibera olim vrbe opulentissima dictus: a qua non procul Scipio Pænos vicit, & Hispaniam vniuersam populo Romano adiunxit, vt Titus Lilius testimonio est. Ergo Cantabriæ iugis prouincia de Campo (sic ipsi dicunt) duobus ex fontibus e rupe scaturientibus, haud procul oppido Iuliobrica dilapsus per Celtiberos, & Dertolam conflens, mare subit Balearicum. De quo sic: Iberus amnis nauigabili commercio diues, ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobrica. Hæc Plinius. Celtiberi quos nominauimus, a Celtis Galliæ populis illuc profectis ripasq; colentibus Iberi, & Iberis indigenis, ex duobus vno facto nomine, Celtiberi sunt dicti, spaciosam tenentes prouinciam qua Segorbienses & Numantini clauderantur. Segorbienses hi sunt, quorum vrbs Segorbia, in Valentino regno. In Celtiberia Cæsaraugusta Romanorum colonia, Ibero adfusa, vbi pons lapideus memorabilis, nobilissimis ciuibus ornata, quam ab Cæsare Augusto propagatam, Cæsaraugustam dixerunt, quum antea Salduba nuncuparetur. Zaragozam turbato vocabulo, ac mutatis literis nunc vocant: tamen si in tabulis publicis prisca ipso nõ fraudat nomine. Ac ad Bæticiæ fines reuertor. Satabis fluuius per Contestaniam, nunc Consentaniam, labens, ab eo monte, quo Bætis, egreditur, & in mare nostrum ad oppidum modo Guardamar, effunditur, quem Hispani Seguram vocant. Nec huc quidem admodum effugit Sucron, nunc Xuccar, apud quem Pompeio & Sertorio congressis, æquo fuisse Marte pugnatum, nisi Pompeius vulnus adcepisset. Oritur circa Carpetanorum oppidum cui in præsentia Tragacet nomen, per urbem Conciã & pontem qui Talaiolæ dicitur, dilapsus, Algiram oppidum haud procul a Valentia cingit, & alteri se adiungens fluuio quem Gabrielem vocant, mari nostro sese immiscere visus est. Satabis vrbs, quam Xantinam esse arbitror. At nunc Valentiam, quæ suo illustrata nomine viuunt amenissima ciuitas, adcedimus. Est itaque equitibus nobilissimis insignis, ac in totius Hispaniæ prouinciis nitore, splendore insuper nulli secunda, cum flumine Turia, modo Guadalabara a Mauritanis inditum nomen, quod flumen album sonat, cuius ortus apud Celtiberos. Non longe a Valentia per occasum stagnum abest, memoratu dignum, piscosum, & immanissimum, de quo nusquam legi factam mentionem, nisi apud Plinium. Contestaniæ, inquit, sinus regio Ederania amæno prætendente stagno, ad Celtiberos recedens. Et post hæc de Valentia agit, quod nunc Albuferam adpellant. A Valentia autem Saguntum haud procul a mari, ciuium Romanorum oppidum, nunc Moluedro, vbi theatrum cum scena, cui nihil deest, ac plura etiam antiquitatis vestigia, quæ imaginem quandam vetustatis ostendunt. Saguntini ab Hannibale obsessi, quum de salute desperassent, argentum aurumque omne ex publico priuatoq; in forum collatum, in ignem ad id raptim factum conicientes, eodem plerique semetipfos præcipitarunt. Dertofani mox celeberrimi quodam populi, quibus Dertosa (quam Tortosam vocamus) ad Iberi ostium colebatur. Et hinc non procul Tenebrũ promontorium, & Tenebris portus ad occasum. Vnde recedentes per ortum vetus nos aduocat Tarraco, a qua nomen tota est sortita prouincia, quæ littori imposita totius est regionis vetustatis caput. Tarraconam hanc adpellamus, vbi Scipionum interitus. Ab ea sexaginta sex M. pass. solem orientem versus, per maritimum litustendenti Barcinum olim paruum oppidum, Barcellona impræsentiarum clara ciuitas,

M. ARETII HISP. CHOROG.

ciuitas, prudentissimis imprimis ornata ciuibus, est obuia. Et inde Lunarium promontorium, a nostris Caput de Vallis: circa quod Blanda oppidum, nunc Blanes. Gerunda item, quæ Gerona nunc ciuitas, de qua fecimus mentionem, & Emporia, modo Empuriam vocant, cum flumine Clodiano. Roda oppidum iuxta Veneris templum, nunc Rosas dictum. In mediterraneo autem Ilerdenses, vetustissimi populi, ad Sicorim fluuium Ilerdam ciuitatem, quam Leridam vocitamus, vbi publica gymnasia, incoluerunt. Sicoris ergo fluuius, qui Segre impræsentiarum dicitur, a Pyrenæo monte per illius muros & pontem, quem diximus, ciuitatis discurrens, Ibero non multum peragrado absorbetur. Et a Sicori Siculos ipsos habere nomē, memoriæ proditum est. Populos namque illuc transfretasse, ac eam Sicilia partem quæ ad occidentem vergit, incoluisse adfert Thucydides. Cinga huic vicinus fluuius, qui Singa modo, pontem & oppidum quod Fragam recentiores nuncupant, abluens, Iberum rapido petit cursu. Et inter hos fluuios Monsion oppidum. Cæterum ab Ilerdensibus ad Pyrenæum Oicenses, quorum nos ciuitatem Huescam vocamus. Acalia oppida quæ haud sunt priscis similia in nominibus: in Celtiberia Taragona, Balbastrum, Teruel, Boria, & denique Calataiut, quod an sit Calatagurium oppidum a Strabone citatum, penitus ignoro, a quo distabat ad occasum P. M. circiter fedecim Bilbilis in quodam tumulo, cuius ruinæ visentibus adhuc fidem faciunt. Ac quicquid referam amplius superest nihil, plura dixisse videor, quibus etsi vobis non satisfeci, obtemperauit tamen. **PRVD.** Gratias, quia nobis gestisti morem, agimus mi Calipho. **LOD.** Omnia, quemadmodum pollicitus es, breuiter dixisti. At quia rem fecisti gratam nimis, me perinde ac te vttere, paratum me inuenies procul dubio.

HISPANIÆ SITVS EX PAVLI OROSII

LIB. I. CAP. II.

HISPANIA vniuersa terrarum situ trigona est, & circumfusione Oceani Tyrrhenique pelagi peninsula efficitur. Huius angulus prior spectans ad orientem, a dextris Aquitania prouincia, a sinistris Balearico mari coartatus, Narbonensium sinibus inseritur. Secundus angulus eius Circium intendit, vbi Brigantia Gallecie ciuitas sita, altissimam pharum, & inter pauca memorandi operis ad speculam Britannia erigit. Tertius eius angulus est, qua Gades insule intenta in Africum, Atlantem montem interiecto sinu Oceani prospiciunt. Hispaniam citriorem ab oriente incipientem, Pyrenæi saltus a parte septentrionis vsque ad Cantabros Asturesque deducit, atque inde per Vaccaeos & Oretanos, quos ab occasu habet, posita in nostri maris littore Carthago determinat. Hispania vltior habet ab oriente Vaccaeos, Celtiberos, & Oretanos, a septentrione Oceanum, ab occasu Oceanum, a meridie Gaditanum Oceani fretum, vnde mare nostrum quod Tyrrhenum vocatur, immittitur.

IOANNIS

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ LIBRI DECEM.

AUTORIS PROEPIUM, IN QVO FER-
NANDO ET ELISABÆ, CASTELLÆ
& Aragoniæ Regibus, præfens
opus consecrat.




Cuius descripsissem libris decem oblitterata Hispania, quibus illa dignius consecrare potui, quam vobis serenissimis Ferdinando & Elisabetha Regi & Reginae Castellæ & Aragonum? quibus succedentes paternis & auitis regnis, ipsa coniugali copula, vtriusque Hispaniæ citrioris & vltioris vniorem fecistis: quæ a Romanorum & Gothorum temporibus semper diuisa, nunquam sub eodem imperio perstituerunt. Accedit ad hoc non modo auctoris deuotio in eius benemeritos Reges & Dominos, sed & virtutis laus & omnium præconium de suscepto bello aduersus illum Beticum ac Machometicum Regem, qui per multa tempora ipsius Hispaniæ partem occupatâ tenuerat, in magnam Regum Hispaniæ non minus opprobrium quam iacturam. Quoniam si ab ipsa pellatur Hispania, ipsius prouinciæ pene omne imperium apud nos sit necesse est, & Christiani nominis religio in tota ipsa colatur Hispania. Ex qua re consecuturi estis æterna viua præmiū, immortalē gloriā & honorē, ut constituamini supra omnes Christiani nominis Reges & Principes seculi nostri decus & gloria. Quum videamus huius ætatis nostra Principes non modo ad dilatandam Catholicam fidem non elaborare, verum etiā vim quam continue Turcus Christiani nominis hostis in Christianos infert, propulsare recusent ac negligant, alii secum paciscentes, alii tributa illi pendentes, alii somno & desidie vacantes. Ex quo factum est, ut etate nostra Turcus ipse transactō Helleponto Byzantium primum illiusque imperium, inde vniuersam Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Epirum, aliasque plures prouincias, magnam insuper Europe partem a veri Dei religione cultus, auerterit & occupauerit. Adeo creuit eius audacia, ut Rhodum vnicum Christiana religionis propugnaculum obsidere, & fines Italiæ inuadere ac vastare non dubitaret, nobilemque Hydruntinam urbem in Apulia expugnare ac diripere, incolis trucidatis. Vos autem serenissimi Reges huic cladi velocissime occurristis inuictissima ac opulentissima classe, ceterisque dormiantibus Pontificem maximum ceterosque potentatus Italiæ vestris legationibus sollicitastis ad vindicandum tantam Christiana religionis offensam. At vbi omnium torpentes animos comperistis, animum erexistis ad eliminandam ab Hispania Machometicam sectam, omnium antecessorum vestrorum irreligionem ac negligentiam emendando. Suscipite igitur serenissimi Reges opus oblitorum Hispaniæ, cuius præclara antiquitas nulli prouinciarum non modo Europe, verum nec totius orbis cedit. Cuius exordia siluisse vsque ad nostra secula, Hispaniæ, tanquam in sine mundi iacentibus, obscuritatem tribuit: arguitque priscorum aut ignorantiam, aut negligentiam. Eo quod potissimum gloriosum visum est huius operis sumpsisse laborem, quoniam per illum video prouinciæ afferri splendorem. Et illud gloriosius consideratum est, quod ipsa oblitterata in restaurari contigerint temporibus vite vestre, quorum etate & imperio non dubito nobilissima primordia præclarissimis vestris operationibus illustrari.



M inter rerum maximas Hispaniæ vbertates, illius præcipua a scriptoribus gesta accuratissime perscrutaret, tantam huiusce rei ariditas exhibuit admirationem, quod non leuem attulerit, si quo modo fieri potuit, ut inde tot viri clarissimi procedentes, Hispaniæ tam grandia clarissimaque gesta scripturis tradere sint obliti. Et quoniam inter omnes quos memoria hætenus celebrauit, quatuor recoluntur, quorum tres laudabiles, quartus vero tolerabilis iudicantur. Laudabilis enim Trogus Pompeius Hispanus, quem Iustinus mirabili eloquentia abbreviauit, Paulus Orosius Tarracoenfis, & Isidorus Hispalensis: tolerabilis, Rodericus Toletanus. Cæteri vero ignorantium, cetera plurima, qui diuinationes & somnia contexuerunt. Quia tamen superiores tres, singuli sua historia delectati, nobilissima maximaque Hispaniæ gesta prætermiserunt: quum Trogus Pompeius, quem Iustinus abbreviauit, licet Hispanus, Græcorum ac Asiaticorum gesta potius quam propriae prouinciæ describere delectatus, in eius opere ex quatuor & quadraginta libris vltimum Hispanis concedere est dignatus. Orosius in super, cum rogatu Augustini Romanorum historia, seu verius cunctarum gentium clades descripsisset (ex cuius scriptis Augustinus factus in structor librum de ciuitate Dei in medium protulit) quæ maxime ad Hispanos pertinebant omisit, nisi quatenus ad Romanorum tempora pertinuerunt. Isidorus vero sacram historiam insecutus ab Adam principium sumens, tempora cum illorum calendariis breuissima compressione notauit vsque ad Iustiniani iunioris tempora, in quibus aliqua & non multa de Gotthorum successibus inuenit. Cuius opus institutionemque profecuti Ildephonsus, Toletanus, & Sulpitius, aliqua etiam de Gotthorum successibus addiderunt. Quartus vero Rodericus etiam ab aduentu Herculis in Hispaniam historiam exorsus sit, inde tamen tanquam super prunas gradens, neque in ea historia diutius immoratur, quoniam & aliqua minus vera interferens maiora ac potiora dimisit: & tantum in Gotthorum prosecutione, & in iis quæ recentissimis temporibus occurrerunt, versatus est. Quum vero compererim inter omnes mundi prouincias maximam nobilissimamque Hispaniæ antiquitatem maximis laudibus extollendam, & exterarum gentium commentariis ac variis libris atque descriptionibus labore maximo comprobata, non potui calamum continere, quin, licet stylo rudi in compositoque sermone scripturus, eandem antiquitati consecrarem, oblitam que atque oblitteratam futuris hominibus instaurarem, memor quantum ab hominibus rerum scriptoribus debeat: quoniam nihil adeo ad cognitionem veritatis pertinet, quam gestarum rerum habere notitiam. Quod ipse Deus omnipotens contemplatus, non prius legem Moyfi tradere dignatus est, quam earum rerum quæ præteritis temporibus occurrerunt, plenam notitiam concessisset (spiritu quodam siue prophetico siue euangelico, ut meruerit describere celi & terræ cæterarumque rerum creationem vsque ad sua tempora. Ex qua re factus instructor ad humanam vitam peragendam, legem digne recipere, & populi gubernacula meruit. Quis enim futuram agere vitam excogitat, qui diem suæ natiuitatis ignorat? aut quis quo tendat scire potest, qui vnde venit nesciat? His igitur circumspectis librum de Hispanorum gestis, maxime antiquorum, sum exorsus: quem in libros decem illum partitum, PARALIPOMENON HISPANIÆ appellari iustitui, id est, librum obliorum: quoniam etiam quæ in eis inserui, descripta comperiantur, non tamen apud maiores nostros Hispaniæ scriptores, sed illa omnia conquisiui ex cæteris commentariis tam Græcis quam Latinis. Finemque operi facturus sum ad Gotthorū in Hispaniā ingressum, qui contigit temporibus Honorii & Arcadii Augustorum. Quorum progressum resque in Hispania gestas Orosius, Isidorus, Ildephonsus, ac Rodericus Toletanus sunt profecuti. Nostri autē propositi est oblitterata tantummodo instaurare. Distinxi enim opus nostrum in libros decem. Primus continet veterum Hispanorum exitum, descriptionem & originem vsque ad Græcorum aduentum, mutationesque nominum prouinciarum, urbium, montium, fluminum, & sylvarum. Secundus liber habet gesta Græcorum ab aduentu Herculis in Hispaniam, discretionemque Herculum, ipsorumque gesta vsque ad Pœnos. Tertius continet gesta Pœnorum vsque ad primum Punicum bellum. Quartus per Pœnos gesta temporibus prioris belli Punicus vsque ad secundum. Quintus habet Pœnorum & Romanorum progressum in secundo bello Punico, captionemque Saguntis, ac Hannibalis transitum in Italiam. Sextus describit gesta in Hispania post Pœnos expulsos vsque ad tertium Punicum bellum. Septimus bellum aduersus Numantinos, euerisionemque Carthaginis & Numantiæ, gesta que in Hispania a Romanis vsque ad tempora ciuilibus belli. Octauus ciuile bellum inter Mariū & Syllam. Nonus ciuile bellum inter Cæsarem & Pompeium. Decimus gesta Imperatorum in Hispania ab Augusto vsque ad Theodosium Seniore patrem Honorii & Arcadii, quorum temporibus Gotthi in Hispaniam intrauerunt. Vtarque præter antiquorum morem testimonio scriptorum maxime circa antiquiora, ne legentes me deliberasse, aut confinxisse vetustiora, opinentur. Sequarque ve plurimum autores antiquissimos, tam Philosophos, quam Geographos, Hipparchum, Eudorū, Eratothenem, Hippiam, Sebosum, Bionem, Xenophontem, Beronem, Themaum, Dionysium, & totius artis splendorem & constantem artificem Claudiū Prolenqum, Plitium, in super Pomponium Melam, Polybium, Artemidorum, Posidonium, ac Strabonem Cretensem, Diodorum, Titum Liuium, Trogum Pompeium, aliosque plurimos.

IOAN-



IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ

LIBER PRIMVS.

Europa diuisio.



EUROPA prouincia est quæ primo a filiis Iaphet & filio eius Tubale dicitur incolatum habuisse, quoniam secundum librum Geneseos insulæ maris Iaphet deputatæ sunt, inter quas insulæ Europa dinumerata est: quoniam terminatur ab Asia Mæoti palude siue Getico mari vsque ad Oceanum per medias duas Sarmatias diuidente fluuio Tanai. Sunt autem tres orbis partes, Asia, Aphrica, Europa: quæ tres orbis partes tribus Noe filiis assignatæ sunt. Asia enim primogenito Noe Sem sacerdoti: secundo vero Cham terra Chanaan & Aphrica: Iaphet vero minori insulæ maris: inter quas Europa nuncupatur, quia modico sinu insula fieret, & id multi Imperatores efficere cogitarunt: sed tantum ex eo prohibiti sunt, quia visum est, Oceanum ipsam Europæ insulam ex eius altitudine esse suffocaturum. Diuiditur autem orbis (vt diximus) in partes tres, Asiam, Aphricam, & Europam. Quarum trium partium Asia respectu magnitudinis media est, & quæ terminatur ad Orientem mari Arabico, Persico, & terra incognita: a Septentrione Oceano & flumine Tanai, quo quidem flumine ab Europa diuiditur. Asia ad partem Austri Arabico mari terminatur, ad illud promontorium vbi ciuitas Heroum sita est, & Mediterraneo mari, ad eum locum vbi Palæstina Iudæa ab Ægypto seiungitur: & (velut quidam referunt) ne diuidatur Nilus, ipse amnis Nilus Asiam ab Aphrica diuidit. Vt autem Asiam & Aphricam omitteremus, de quibus nobis ad præsens sermo non est, Europa secundum Claudium Ptolemæum orbis accuratissimum descriptorem habet prouincias sedecim, quæ sequuntur. Prima ad Oceanum & Septentrionem Hibernia insula Britannica, secunda insula Albion Britannica, Hispania Bætica, Hispania Lusitania, Hispania Tarracoenfis, Celtogallatia Aquitanica, Celtogallatia Lugdunensis, Celtogallatia Belgica, Celtogallatia Narbonensis, Germania magna & Germania parua, Rhætia & Vindelicia, Noricū, Pannonia superior, Pannonia inferior, Illyris aut Liburnia, Dalmatia: quæ simul iunctæ sedecim numero sunt. Dicitur autem Europa ab Europa filia Agenoris Libyæ Regis ac sororis Phantias, quam Iupiter Saturni filius ac Rex Cretæ rapuit, & prouinciam ab ea cognominauit: ad quam recuperandam Cadmus præfati Agenoris filius & Europæ frater missus est, statuto a patre vt sine sorore non rediret in regnū. Ipse vero cum non reperisset sororem, Apollinis Delphici oraculo Euboiam prouinciam atque Thebanorum urbem in prouincia construxit.

a ij

Hispania terminatio.

HISPANIA autē terminatur ab occidente Oceano mari & insula Gades, ad quam veniens Hercules fortissimas turres construxit, quas Gades Herculis appellavit. Terminatur autem ab Austro, Mediterraneo mari & freto Herculeo & Balearico pelago; a Septentrione vero & Oriente, Pyrenæo monte, qui mons protenditur ab Oceano promontorio Easo iuxta civitatem Easo (quæ hodie Baiona vulgo appellatur) vsq; ad montem Canum (qui hodie Canigo mons a modernis nuncupatur) & influit in Mediterraneum ad eum portum ubi portus Veneris situs est, ubi erat olim Veneris templum: vel (vt placet Pomponio Melæ) ad oppidum Ceruaria, quod modico intervallo distat ab ipso Veneris templo. qui montes ab Oceano mari vsq; ad Mediterraneum continent spacia sexcentorum milliariorum, vt placuit Iustino post Trogum Pompeium vltimo libro sui Epitomatis. Et Pyrenæo monti medio Gallia adheret, cæteris vero partibus vndiq; mari Oceano & Mediterraneo cingitur. Et est ipsa provincia quasi quadrata, cuius anguli sunt ad Orientem ad Veneris templū, in Pyrenæo ad Oceanum, ubi est ecclesia de finibus terræ sita, quæ quondam Solisara dicebatur, ad Austrum ad fretum Herculeum & Iunonis promontorium seu montem Gibeltarif, ad Septentrionem ad promontorium & civitatem Easo, quæ nunc Baiona dicitur: ipsa enim terra quasi quadrata est, vt placet Iustino. Continet autem in longitudine secundum Appianum clarissimum historiographum a Gadibus vsq; ad Oceanum septentrionalem decem milia stadiorum. Latitudo vero a portu Veneris vsq; in Compostellam totidem. Vel verius secundum Strabonem lib. 3. quod ipsi probauimus cum charta nauigabili, habet in longitudine stadia circiter sex milia, & in latitudine etiam circiter quinq; milia, alicubi tamen arctior est, maxime circa Pyrenæum. est autem stadium centum vigintiquinq; passus, & per consequens octaua pars vnus miliarium, & octo stadia faciunt vnum miliarium. & (vt placet Straboni, & Pomponio Melæ, & Claudio Ptolemæo) illius figura ad modum corii pecudis est. Collum ipsius pellis est, quantum protenditur mons Pyrenæus a Mediterraneo mari ad Oceanum Britannicum. Inde dilatatur ad brachia a noua Carthagine vsq; ad Cantabros seu Bardulos. Ipsius corii crura a freto Herculeo vsq; in Compostellam & Oceanum Britannicum. Vltimum corii ad modum caudæ promontorium sacrum, quod nos hodie caput sancti Vincentii appellamus, quod præeminet & extenditur in Oceanum Atlanticum longe vltra omnem Hispaniam. Continet autem per magna flumina, Iberum, Tagum, Bætium, Anam, Dorium, Minium, minoratq; plurima intermedia, & quæ superioribus immiscetur.

Diuisio Hispanie.

DIVIDITVR autem Hispania in provincias tres secundum descriptiones Claudii Ptolemæi, Pomponii Melæ, Plinii, & Strabonis, & aliorum plurimum, scilicet Tarraconensem, Bætiam, & Lusitaniam. Sciendum tamē est Hispaniam temporibus Romanorum Consulium in duas esse diuisam præfecturas & provincias, citeriorem & vltiorem. Citerior continebat a noua Carthagine per Castulonem vsq; in Cantabriam spatio trecenta septem miliaria, & a Pyrenæo vsq; in Carthaginem & Castulonem totidē, de quibus late disseruit Plinius lib. 3. natur. histor. Postea vero Augustus superatis Vaccæis, Illiturgibus, & Cantabris, illam in vnam redegit provinciam, vt Iustinus in vlt. lib. sui Epitomatis voluit. Fuerat tamen ab initio Hispania diuisa in tres, Tarraconensem, Bætiam, ac Lusitaniam, vt placet omnibus historicis. Bætica provincia continet quicquid amnis Bætis (nunc Guadalquivir vocitatus) claudita montibus altis nouæ Carthaginis vsq; in Hispalim inclusive per Castulonem & Cordubam: vocitaturq; Bætica ab ipso amne Bæti, provincia interfecante Lusitania quicquid interiacet inter duo flumina Bætium & Tagum interfluente medio Anasumine. A quo Ana provincia denominata est, tanquam apud eundem amnem Liber pater ac Lyfas cum eo bacchante iuserint, propterea cognomen dedisse provincie, vt Plinio placet lib. 3. Ad Tarraconensem vero provinciam pertinebat omnis citerior Hispania, & quic-

quicquid vltra Tagum est, inducens Compostellam, Gallatiā, & Asturias per medium Toletanum agrum vsq; in Oceanum Atlanticum, & vsq; in oram fluminis Dorii. Postea vero ad tempora Constantini Pii diuisa est ipsa Hispania in provincias quinq; secundum Appium, Tarraconensem, Carthaginensem, Bætiam, Lusitaniam, Gallatiā: & singulis provinciis assignatæ sunt metropoles & Archiepiscopi in concilio Illiberitano, videlicet citeriori Hispaniæ Tarraconensis, Carpentaniæ Carthaginensis, Bæticiæ Hispalensis, Emeritensis Lusitanicæ, & Bracarensis Gallaciæ. Postea vero ad tempora Gotthorum addita est sexta provincia Tingitana trans fretum in Libya. Deinde vero modernis temporibus, videlicet sub Iohanne xxii. Pontifice summo superscriptis quinq; provinciis, semota Tingitana quæ a Mauris & Machumetensibus possidetur, adiunctæ duæ aliæ metropoles, Cæsaraugustana, quæ detracta est ex Tarraconensi, Vlisbonensis vero ex Hispalensi Bætica. Dicitur autem Hispania citerior & vltior. Citerior autem a septentrionali plaga monteq; Pyrenæo vsq; ad nouam Carthaginem Cantabriq; vltior vero a Celtiberis vsq; ad Oceanum Gadesq; insulam protenditur, tanquā citra & vltra. Sed citra quasi circa terram, vel vltra, quia vltima, vel quia post hanc non sit alia terra. Hæc Strabo & Plinius.

Hispania descriptio & terminatio per maritime littora & Pyrenæum.

HISPANIA (vt diximus) terminatur Pyrenæis montibus, quibus Gallia diuiditur ab Hispania. Hos autem montes quidam dixerunt incipere a fonte Salsulæ propinquo promontorio Leocatæ. Quidam vero a Veneris portu, in quo Veneris templum locatum fuerat, non longe a capite Illibero, seu ab oppido Ceruaria, quod ab eodem loco modico distat intervallo. Protenduntur autē iidem montes ab Iberico & Mediterraneo mari vsq; in Oceanum Britannicum ciuitate Baiona, quæ quondam Easo dicebatur, spacio trecentorum quinquaginta miliariorum, quanquam Trogus Pompeius & alii plures dixerunt multo plura continere. Nostra autem mensuratio experimento numerata est ex charta nauigantium. Curuatur ipse mons paululum ex Mediterraneo in Oceanum, vrbemq; Baionam. A Salsulæ itaq; fonte vsq; in Barchinonam miliaria cxx. A Veneris vero portu siue templo, seu oppido capite Illibero miliaria c. A Barchinona vero vsq; in Tarraconam vrbem miliaria lxx. A Tarracona vsq; ad ostia Iberi vsq; in vrbem Valentiam miliaria cxx. A Valentia vero vsq; ad promontoriū Artemisium Demamq; oppidum (quod Martini caput modernitas vulgi appellat) miliaria lxx. erat in eodem promontorio Dianæ Ephesinæ sacellū. A Dema vero in Alecanthum miliaria lxx. Ab Alecantho vero in nouā Carthaginem, hodie Carthaginē appellatam, etiā miliaria lxx. ibiq; celeberrimus portus est. A noua vero Carthagine vsq; in Verā, quæ quondam Abdera dicebatur, etiā miliaria lxx. ibiq; principium regni Granatæ est & Maurorum qui partem in Hispania possident, & Castulos, & Itanos. A Vera vero quæ Abdera quondam, ad Almeriam quæ quondam Illiberis dicebatur, miliaria l. Hæc enim vrbs differt ab altera Illibera, altera vero Elibera, duosq; episcopi Illiberitani comperiuntur in conciliis Hispaniæ. Ad eius distinctionem cum Hieronymus in lib. de viris illustribus meminisset de quodam Gorgonio episcopo Illibero, adiecit Bætico ad differentiā alterius Tarraconensis. Ibiq; promontorium est ab antiquis descriptoribus non descriptum, & quod moderni Caput Gactæ appellant. Ab Illiberi vero ad Granatæ portum, quam moderni Malacam Secanguam dicunt, miliaria lxxx. Granata enim vrbs ex opposito est, ad quam mercatoria a maris littore & ab ipso portu deducuntur. Hanc autem Strabo Exitanorum vrbem appellari dicit antiquitus. Alii autem Maenacen, vt Strabo refert, ibiq; promontorium est ab antiquis omisum, caput Capfa a modernis vocitatum. Ab ipsa vero Malaca ad Gibeltarem seu Calpen montem iterum miliaria nonaginta. A Calpe autem monte (qui hodierno die Gibeltar appellatur) miliaria sexaginta ad Gades insulam. A Gadibus vero siue Bætis ostio vsq; ad Anam fluium (qui hodierno idiomate Guadiana dicitur, & a quo Lusitania denominationem habet propterea, quia apud illum amnem Liber pater cum Lyfa iuserit, vt Plinius voluit lib. 3. naturalis historiæ) miliaria cent-

Gregorio.

tum. Ab Ana vero flumine vsq; ad Sacrum promontorium, quod antiqui Hieron appellabant, quod hodie Caput sancti Vincentii appellamus, miliaria lxx. A Sacro vero promontorio vsq; ad amnem Tagum, vbi Vlisbo seu Vlisbona vrbs in Portugallia sita est, miliaria centum quinquaginta. Ibiq; promontorium est ab antiquis prætermisum, distans ab ostio Tagi miliaris xl. vbi Castellum Castar & Suctres oppida sunt. Ab ostio vero Tagi vsq; ad Mundam fluium, supra quem Colimbria vrbs est sita, quam antiquitus Mundam aliqui dixerunt, alii oppidum esse eiusdem nominis Mundeago dictum, miliaria centum. A Munda vero flumine vsq; ad ostium Dorii amnis, qui ad Porrum urbem fluit in Portugallia, etiam miliaria centum. Et est sciendum quod prouincia Gallecia a Tago flumine incipit, quam Ptolemæus velit incipiata Dorio, qui influit in Porrum. Incipit enim Gallecia Bracarensis a Tago flumine: Bracara enim vrbs inter Tagum & Iberum amnes est: ipseq; Dorius & Porrum per fluxum & refluxum Oceani commodissimus portus sit ad navigationes rerum omnium Galleciæ. Ex quo fit, vt Porrum Galleciæ etiam ipsa vrbs appelletur, a quo nomen recipit Portugalliæ Rex. Cuius metropolis Bracarum est, ex qua Gallecia Bracaria dicta est, & protenditur vsq; ad flumen Liminum. post sequuntur Artabri, & inde Gallecia Lucentia vsq; ad Pyrenæum. A flumine vero Dorio vsq; ad promontorium quod antiqui Onerium appellabant, moderni vero Caput Panisarii seu sancti Martini, vbi nunc Baiona oppidum est, & Pontuedra, magnusq; portus, miliaria lxx. Ab ipso vero promontorio vsq; in promontorium, vbi ecclesia de finibus terræ constructa est, quæ quondam Ara Solis dicebatur, etiam miliaria lxx. A cuius promontorio vsq; in Compostellam miliaria sunt xli. De istis vero Galleciis refert Strabo de situ orbis lib. 3. quod Deum non haberent, sed Solem & Lunam adorarent. Videntes autem quod apud eos Sol occumberet, illi eo in loco tanquam in vltima terræ parte aram constituerunt. Huic autem promontorio oppositæ sunt insulæ Cassiterides ad Austrum in pelagus, quamquam Strabo dixerit ad Aquilonem, quod satis charta navigationis ostendit, & color incolarum, qui sunt fusci coloris. A promontorio vero de finibus terræ vsq; ad sequens promontorium, quod Prioris appellant, & antiquitus Lapacianorum Scutrilentum vt Ptolemæo placet, seu (vt dicit Strabo) Ierna, miliaria xc. Intraq; hoc promontorium magnus portus Artabrorum est, vbi Clunia oppidum est. Ab ipso vero promontorio vsq; in oppida sancta Martha & Nincrium, miliaria quinquaginta: ab ipso vero oppido sancta Martha ad sequens promontorium, vbi Hyaneo est, & caput dictum Stationes, cxx. miliaria. Hicque omnes a magno portu, vbi Clunia oppidum est, vsq; huc Gallecii Lucentii sunt: & quamquam proterantur vsq; in Pyrenæum, habent tamen Bastulos seu Bardulos, quos Biscaynos appellamus, qui maximos intermedios montes inhabitant. illorum principium ab hoc promontorio est. Ab isto vero promontorio vsq; ad oppidum Pancander itidem centum viginti miliaria. Ab ipso vero Santander vsq; in Pyrenæum Baionamq; urbem, centum quinquaginta miliaria, videlicet vsq; ad oppidum Bilbao, quod metropolis Biscayæ est, miliaria xx. Ab oppido vero Brenico ad oppidum Mophrygo, miliaria x. A Mophrygo vero vsq; ad sanctum Sebastianum, in quo Biscayæ finis est, miliaria xx. A sancto itaq; Sebastiano ad Pyrenæum, miliaria xxx. Sicq; circuit Hispania per Pyrenæum ab eius principio ex Mediterraneo mari vsque in Oceanum Britannicum, & per ipsius montis iuga vsq; ad principium ipsius montis, miliaria duo milia quingenta octoginta.

Descriptio Hispania per Mediterranea.

DESCRIPSIMVS enim vniuersam Hispaniam per marina littora, nunc autem describenda est per Mediterranea. Habet enim (vt diximus) Hispania figuram ad modum pecudæ pellis, habetq; in longitudine stadia circiter sex milia, & in latitudine quinq;. faciunt ad numerum miliariorum per longitudinem septingenta quinquaginta, per latitudinem circiter quingenta quindecim, ut placet Straboni. Et a promontorio Pyrenæi vbi

næi vbi Veneris templum est, in Iberico mari, quod antiqui Aphrodisium appellabant (vt Straboni placuit libro quarto) vsque ad Oceanum Britannicum, miliaria trecenta & quinquaginta. Partitur autem Hispania in duas partes, citeriorem & vltiorem. Citerior terminatur ad nouam Carthaginem, & per Castulonem protenditur per Iberum vsque ad Cantabros, includens regnum Nauarræ, quæ ab antiquis omnis Hispania citerior Celtiberia dicta est. Suntque in ea prouinciæ quinque: Cathalonia a Pyrenæo vsque ad vltimum Iberum, Valentia & Murtia regna per oram maritimam, inde regna Aragonia & Nauarra, quæ clauditur excelsum motibus & Ibero amne vsque in Calagoram & Tirasonom. Vltior Hispania in duas diuisa est partes, discreta altissimis montibus, quæ a Pyrenæo procedentes vsque ad Oceanum Atlanticum dilabuntur, distinguentes Castellæ regnū: vna quæ ad Oceanum Britannicum spectat, altera quæ ad nostrum Ibericum mare. Quæ autem ad Oceanum, frigida, sterilis, inculta est, magnis refulta montibus: quæ vero ad nostrum mare spectat, maximeque citra columnas, ferax, irrigua, omnibus abundans bonis, grano, vino & oleo, fructibus, piscibus non paucis. In ea vero quæ ad nostrum mare spectat, Granatæ regnum esse constat, quod Mauri Machumetenfes obtinēt in Hispania, quod clauditur Bæti flumine (quod hodie no idiomate Guadalquebir Arabica lingua vocāt) & per maritimam oram a Vera vrbe vsque ad Malacam. Extra flumen in Mediterraneo Andalusii sunt, ibiq; sunt vrbes & regna Hispalis, Murtia, Gehen, Cordubæ, Gibelterra, quæ omnia excepto Granatæ regno possidet Rex Castellæ. Post Andalusios Toletum est vsque in Celtiberiam, citerioremque Hispaniam per oram fluminis Tagi vsque ad Dorium. In quib; terminis sunt amplissima ciuitates, & omnis hæc regio Lusitania dicitur: fluuntque per medium eius Tagus & Dorius amplissima flumina (quamquam regio Lusitania ab Ana flumine (qui Godiana dicitur) nomen receperit, ibiq; in maritimis confinia regni Portugallia sunt vsque ad vltra Dorium amnem. Vltra fines Portugallia est Zamora vrbs, oppidum Trusillū, Magistratus, & Militia sancti Iacobi de Spata, Calathraua & Alcantara, Ercualum oppidum. In alia vero parte vltra montes Alaua prouincia est, & caput regionis oppidum Victoria, inde Burgens vrbs, Legio, Biscaya, Asturia, Galleciæ vsque in Oceanum Britannicum ac Atlanticum. Omnia autem citeriori Hispania & Celtiberis, excepto Natiarra regno, solitus erat imperare Aragonia Rex: Vltiori vero, Castellæ, Portugallia, & Granatæ reges. Hac autem nostra ætate coniuncta sunt hæc duo regna Castellæ & Aragonum per copulam matrimonii inter serenissimos Ferdinandum Ioannis Aragonum Regis dignissimum, qui patri successit in Regnis, & Elisabeth alterius Ioannis Castellæ Regis filiam, & quæ vltimo Henrico Regi fratri & sine filiis mortuo successit in Regnis Castellæ. Hæc est enim generalis Hispaniæ descriptio, quo ad temporale dominium prouinciasque nostri tēporis. quo ad spiritualitatem potest & alio describi ordine. Habet enim ipsa Hispania quo ad religionem spiritualitatemque prouincias & metropoles septem, vt supra diximus, quinque antiquas & duas modernas: quib; singuli Archiepiscopi metropolitani assignati sunt: quatuorque & quadraginta ecclesias cathedrales. Quarū metropolium Aragoniæ regnum duas obtinet, Tarraconensem & Casaraugustanam: Castellæ regnū tres, Toletum, Hispalim, & Compostellam: Portugallia duas, Bracarum & Vlisbonam. Et est sciendum, quod duæ ex his ex prioribus institutione mutatae sunt, quoniam Toletana & Compostellana recentibus temporibus a cathedralibus erectæ sunt in metropolitanas, sicut & modernissimis temporibus, Casaraugustana & Vlisbonensis. Quoniam post Nicenam generalem synodum in Bithynia celebratam trecentorum & decem octo Episcoporum, sub Constantino Proimperatore & beatissimo Syluestro Pontifice, in primo Hispaniæ concilio quod in Illiberitana vrbe celebratum est, sancta Helena Constantini matre præsentem, quinque tantum metropolitanos Episcopos designati sunt: Tarraconensis qui Celtiberis præesset, Carthaginensis qui Carpetanis, Hispalensis qui & Bæticis, Emeritenfis qui Lusitanis, Bracarenfis qui & Galleciis. Aucta vero & ampliata Toletana vrbe, Gothorum temporibus metropolis Carpetaniæ de Cathagine in Toletum translata est, reman-

nente exempta e Carthaginensi sub nomine metropolitano. Postea vero successu temporum, post occupatam Hispaniam per Mauros Machumetes, ab octingentis circiter annis, Emeritensis metropolis translata est in Ouetum, & de Oucto successu temporis in Compostellam, remanente etiam exempta ecclesia Ouetensi. Cæsaraugustana vero & Vlisbonensis modernis temporibus, scilicet a ducētis annis citra, de cathedralibus erecte sunt in metropoles temporibus Ioannis xxii. Papæ. Quarum Cæsaraugustana detracta est a Tarraconensi, Vlisbonensis ab Hispalensi. Habet autem Hispania ultra hos metropolitanos, catholicas sedes cathedrales Episcoporum xliiii. Quarum Aragoniæ regnum habet xii. Nauarræ vnam, Portugalliæ septem, Castellæ quatuor & viginti. Cathedrales Aragoniæ, Helna siue Helena, Gerundenfis, Barchinonenfis, Maioricenfis, Dertusenfis, Vicenfis, Vrgellenfis, Ilerdenfis, Valentina, Segobricenfis, Tiraſonenfis, Oſcenfis. Vna Nauarræ, Pampelonenfis. Castellæ cathedrales, Carthaginensis, Cauriensis, Saguntina, Viennensis, Cordubensis, Zamorensis, Salamantina, Palentina, Pacensis (quæ & Badaioz) Conchenfis, Oxomenfis, Calagurritana, Burgenfis, Legionensis, Abulensis, Segouienfis, Ouetensis, Mindonienfis, Palentina, Ciuitatensis, Tudenfis, Lucensis, Astoricenfis, Gadicensis. Regni Portugalliæ cathedrales sunt, Colimbrienfis, Portugallenfis, Eborenfis, Syluensis, Egitanienfis, Vicenfis, Lamacenfis. Braçarenfis subiiciuntur Portugallenfis, Colimbrienfis, Egitanienfis, Vicenfis. Subiiciuntur autem iure metropolitico Tarraconensis, Barchinonenfis, Gerundenfis, Vicenfis, Ilerdenfis, Vrgellenfis, Dertusenfis, Valentina. Cæsaraugustanæ metropoli subiiciuntur Oſcenfis, Tiraſonenfis, Pampilonensis, Calagurritana, Segobricenfis. Toletanenſi subiiciuntur Saguntina, Oxomenfis, Burgenfis, Segobricenfis, Conchenfis, Cordubensis. Compostellanæ subiiciuntur Abulensis, Pacensis, Salamanticensis, Chaurgenfis, Zamorensis, Ciuitatensis, Placentinensis, Cauriensis, Tudenfis, Lucensis, Astoricenfis, Mindonienfis. Vlisbonensis subiiciuntur Eborenfis, Syluensis, Lamacenfis Hispalensi subiiciuntur Viennensis, Gadicensis. Ecclesiæ exemptæ in Hispania Maioricenfis, Carthaginensis, Legionensis, Ouetensis. Et hæc est generalis descriptio Hispaniæ quo ad vtrumque dominium spirituale & temporale.

De terra Ruscilionis, an sit in Hispania.

VVM multi ex antiquis scriptoribus terminent Hispaniam Pyrenæo monte, ad eum locum ubi fons Salsulæ manat (hoc habebat communis omnium vulgariū opinio: veterum vero scriptorum assertio habebat, quod terminetur a Pyrenæum ad Veneris templum oppido Caput Illiberæ) inconueniens satis videtur prouinciam Ruscilionis silentio præterire: quippe cui ego debitor sum, tāquam qui ei præfuerim cathedra Episcopali annis octo. Igitur de illa disseramus. Est mons in Ruscilionis prouincia altissimus in vertice Pyrenæi, a canicie Canus appellatus, quoniam æstate & hyeme semper inibi niues inhabitent. A cuius vertice duo montium iuga emanant: quorum alterum ad Veneris templum mare pertingit, alterum vero per multa oppida peruenit ad Salsulæ fontem. Inter hos terminos prouincia Ruscilionis est, habens duo flumina quæ influunt in Mediterraneum, & totidem opulentissimas quondam vrbes, quæ corruerunt, de quibus etiam aliquid dicendum est. Est enim ea in prouincia flumen, quod veteres Ruscion appellauerunt, quod quidem prouinciæ & metropoli vrbi regionis nomen indidit secundum Claudium Ptolemæum, prout ab antiquis fieri solitum est, vt maxime a fluminibus nominentur prouinciæ. sic Indi ab Indo flumine, Alamanni ab Alamanno amne, Iberi ab Ibero, a Bæti Bærici, ab Ana Lusitania. Hic itaque amnis vrbes habuit prouinciæ metropolim sui nominis, quam Ruscium dixerunt priores, non longe a Perpiniāno oppido, cuius hæcenus vestigia patent, & ex quorum fluminis & vrbis vetustate prouinciæ in hodiernum emanat nomen, vt a Ruscion Ruscilion appelletur. Flumini autem Romani nomen mutauerunt, nam a fluminis vbertate Thetim appellauerunt. Est enim fluuius ad irrigandum aptissimus vbertissimusque, quoscunque enim agros irrigat, hos & quā maxime alit atque fecundat: quod ab aliis prouinciæ præfatæ fluminibus est alienum.

Ab ista

Ab ista enim vbertate, tanquam qui materno vbere patriam fecundaret, Thetis appellatus est. Thetis enim fuit Oceani vxor, mater Nympharum, quæ aquarum Deæ a poetis dictæ sunt. Thetis enim amnis totam pene per longum regionem irrigat vbertissimo lacte atque fecunditate. Erat præterea & aliud flumen Illeris dictum, ab eodem monte manans per quandam Illiberam vrbes ad radicem montis, & per Helnam vrbes influens in Mediterraneū: quod a Romanis Tetrum est appellatum: quia per diuersas metallorum venas, maximeque ferri scaturiens, nigrum colorem gestat, & propterea ad irrigandum maxime nocet. Quod vulgus vocabulum corrumpens, etymologiæ ignarus Techum appellat. Sciendum est enim duas esse Illiberas vrbes, vnam in Bætica, quæ nostra tempestate a Mauris possidetur, & Almaria dicitur. Altera in Ruscilione ad radices Pyrenæi territorio Volusto, in quo Volonum oppidum situm habet, cuius termini intra Hispaniam distribuuntur. In ea enim vrbe est celebratum primum Hispaniæ Christianorum cōcilium, prout in libro conciliorum legitur. Eodem siquidem synodus congregata est post Nicenam generalem synodum tricesima xviii. Episcoporum, temporibus Constantini Cæsaris. in qua etiam synodo Illiberina interuenit, & præfens affuit Helena Constantini mater cum Constante nepote, qui denuo Helenam condidit vrbes. Quoniam fide Christi per orbem terrarum proclamata, & in Nicena synodo explanata, erroribusque maxime Ariani purgata, Constantinus tribus filiis imperium partitus est Constantino priori, Constanti, & Constantio. Cessit autem Gallia, & Hispania, plurimæque Libyæ partes Constanti. Decretus est autem in suam prouinciam Constans sub tutela sanctæ auis Helenæ, quæ cupiens Hispaniam & Galliam, sicut cæteras prouincias, ad Christi fidem ordinare, ordinauit synodum in Illibera vrbe. In qua Hispaniæ metropolitane atque cathedrales ecclesiæ ordinatæ sunt, & distinctæ metropoles dicecesesque pro more gentilium, secundum decreta per sanctos viros Clementem & Anacletum successores Petri Apostolice diti. Eisdem temporibus Helena ciuitas (quæ a modernis Helna dicitur) condita est, siue ab ipsa Helena, siue a Constante nepote in sanctæ auis Helenæ honorem, apud eam etenim Cōstans decessit, prout de eius obitu meminit Eutropius lib. ix.

30 & Paulus Orosius lib. vii. Quorum verba ista sunt: Obiit autem Constans Constantini filius vico vocato Helena, non longe ab Hispania distante. quia necdum duabus leucis iuxta morem regionis distet a Pyrenæo. Vocata est autem ipsa Helna ciuitas Helena ab antiquioribus vsque ad circiter annos centum, ex quibus recentiores Helenam abbreviarunt in Helnam, vt satis liquide constare potest ex antiquis libris & codicibus ecclesiæ iam dictæ, cui in episcopali (vt retulimus) cathedra præfimus annis octo. Ipsa enim Illibera vrbes Pyrenæo admodum coniuncta erat ultra amnem Illerim siue Tetrum, oppido vero Coquo libro. sic enim vulgus propter diuersas mutationes linguarum corripit. Quod non longe a promontorio Pyrenæi & Veneris templo distat, quoniam ab ipsa vrbe Illibera caput Illiberæ dicebatur. Perpiniāni etiam oppidum a recentissimis etiam temporibus dicitur: Stabulum enim antiquitus vocabant. Sic namque reperitur in Itinerario Antonii Pii, de quo mentionem per hæc verba, ubi iter faceret ab Italia in Hispaniam, facit: In Beterras Narbone, Salsulis ad Stabulum, ad Pyrenæum Iuncaria, Gerunda, &c. Quod autem Ruscilionis prouincia sit intra Hispaniæ fines, sequentibus testimoniis comprobatur. Primo ex libro cōciliorum, ex quo patet, quod primum catholicorum concilium in Hispania congregatum fuit in Illiberitana vrbe, quæ fuit intra fines Ruscilionis in radice Pyrenæi ad Galliæ partem, prout de deletis vrbebus in sequentibus dicemus, fuitque congregatum post Nicenam synodum temporibus Constantini Pii, vt supra dictum est. Constat insuper ex dicto libro, quod ipsi Illiberitani conuenerunt pene omnibus Hispaniæ conciliis sub metropoli Tarraconensi. Secundo probatur ex dictis Strabonis lib. iiii. de situ orbis, cuius verba interferam. Quum enim Galliam transalpinam describeret & prouinciam Narbonensem, adiecit: Hoc igitur litus vsque ad Pyrenææ Veneris templum extēditur. hic est & huius prouinciæ & Hispaniæ terminus. quia vero hunc tractum in quo Pompeii tropheæ sunt, Hispaniæ & Galliæ confinia declarauit. Ex quo patet tropheæ

Pompeii ultra Veneris templum posita esse ad eum Pyrenæi locum, quo altera ex Pyrenæi radicibus a monte Cano, quod est ad Pyrenæum, prominet ad promontorium Leocate, ad Salsulique fontem desleatitur. Quod etiam sequens Strabonis miliariorum computatio declarat.

Hispania quot nominibus ab antiquioribus appellata sit.



HISPANIA Europæ terminos claudit. hanc veteres ab Ibero ante Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominauerunt. Ab initio autem Iglete dicti sunt, ut placet Straboni lib. 3. ubi de Iberia loquens ait: Nostris seculi homines ipsius confinia Pyrenæos montes ponunt, eandemque Iberiam & Hispaniam nominant, quæ intra Iberum continetur. Vetusiores autem, eos Igletas nominant. Hæc Strabo. Hæc inter Aphricam & Galliam posita, Oceanifreto & Pyrenæis montibus clauditur: ac sicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior. nam neque ut Africa violento sole torretur, neque ut Gallia assiduis ventis fatigatur: sed media inter vtranque, hinc temperato calore, inde scelicibus & tempestiuis imbribus in omni frugum genere fecunda est, adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiæ, vrbique Romanæ cunctarum rerum abundantia sufficiat. Huic enim non frumenti tantum magna copia est, verum & vini, mellis, oleique: nec ferri solum materia præcipua, sed & equorum pernices greges. sed nec summa tantum terræ laudanda bona, verum etiam abstrusorum scelicis diuitiæ. Iam lini ei spartique vis inges, minii quoque nulla feracior terra. In hac cursus amnium sunt, non torrentes rapidique ut noceant, sed lenes & vineis campisque irrigui. Plærique etiam ditantur auro, quod in paludes vehit. auris quoque Oceani afflata vni tantum Pyrenæi montis dorso adheret & Galliæ, reliquis partibus nuda in orbem mari cingitur. Forma terræ prope quadrata, nisi quod arcibus freti littoribus in Pyrenæum coit. Porro Pyrenæi montis spacium treceta quinquaginta milia passuum amplectitur. Salubritas cæli per omnem Hispaniam æqualis, quia aeris species nulla paludum graui nebula inficitur. Huc accedunt & marine auræ circum vndique assidui status, quibus omnem prouinciam penetrantibus, euentu lato terrestri spiritu, præcipua hominibus sanitas redditur. Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mortem parati, dura & astricta parsimonia, bellum quam ocium malunt. Si extraneus deest, domi hostem quærunt. Quorum plurimi sepe in tormentis ob silentium rerum creditarum expirauerunt, adeo illis potior taciturnitatis cura quam vita celebratur. Hinc est etiam bello Punico serui illius patientia, qui vultus hominum inter tormenta risu profecutus est, serenaque læticia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas est gæti pernix & inquietus animus. Plurimi ibi militares equi & arma sanguine ipsorum chariora, nullus ibi festus dies, nec apparatus epularum. Aqua calida lauari post secundum bellum Punicum a Romanis didicere. In Lusitanis iuxta fluuium Tagum vento equas concipere multi autores prodidere, quæ fabula ex equarum fecunditate & gregum multitudine nata est, qui tanti in Gallecia & Lusitania, ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento ipso concepti videantur. Nec minora adiecerunt ad Hispaniæ laudes Plinius de naturali historia, & Strabo de situ orbis.

Quot nationes & populi usque ad nostra tempora Hispaniam obtinuerunt.

NCESSARIUM quidem existimamus ad nostrorum originem indagandum, non ignorare, quot nationes gentiumque populi hanc nostræ Hispaniæ prouinciam obtinuerunt usque ad nostra tempora. res quidem admodum difficilis, maxime propter oblitteratam maiorum antiquitatem. quo fit, ut ipsius antiquitatis inuestigatio nobis admodum reddatur difficilis, & legentibus quæ scribimus fabulæ videantur. Ideo contra morem cæterorum scriptorum, testimonia illorum ex quibus difficilia detraxero, in medium afferam, ne me oblitterata recensentem existiment delirare. Primi omnium fuere Cætibales, ut quidam dixerunt, a Tubale Iaphet filio: quorum ad nos pauca & admodum nulla

nulla saltém authentica perueniunt. Secundi omnium fuere Iglete, ut voluit Strabo libro tertio de situ orbis. Tertii Sicani. Quarti Iberi. Græci quinti. Pæni sexti. Romani septimi. Gotthi octavi. Mauri noni. Et quoniam nobis intentio est istorum successus discutere usque ad Gotthos, quia Isidorus, Orofius, & Rodericus Tolecanus sunt Gotthorum gesta plenissime profecuti, non ultra progrediar. Quidam vero quos scriptores fabulosos existimo, scripsere, quod post Hispanum (a cuius nomine Hispania dicta est) qui Herculi successerat, gentem quam Almoniphides appellat, venisse in Hispaniam, ac illam possedisse annis 40. quam gentem aiunt ex Chaldæis ortam. Vnde quia neque verisimilia sunt, neque a probatis scribuntur, illa prætereo. Primum Hispaniam priores appellauere Hesperiam, omissis Cætibalis & Iglete, de quibus supra diximus. Sunt autem (ut antiqui tradunt) Hesperia duæ, Italia, & Hispania, quarum quælibet Hesperia dicta est. Est autem Hesperia Italia ab Hespero Rege fratre Atlantis Regis Ethiopiæ, qui regnavit in Italia. Vbi autem additur vltima Hesperia, de Hispania intelligendum est: ubi vero magna, Italiam significat. vnde Vergilius in principio septimi libri Æneidos:

Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat.

Sed Hispania dicitur vera Hesperia. Dicta est autem Hispania Hesperia ab Hespero stella, quæ post solis occasum primum in Hispania apparet, & ortum habere videtur. Vel secundum aliquos dicitur vtraque Hesperia, Italia & Hispania, quia ab Oriente in Occidentem Hespero stella nauigatur. Sic enim loquebatur magister in historia tripartita, quum Valentinianus Imperator ad oras Hesperias nauigaret, vtramque Hesperiam per ipsius nauigationem intelligens. Secundo Hispania ab Iberis Iberia dicta est ante Herculis aduentum, secundum Claudium Ptolemæum, & Plinium de naturali historia libro tertio, & Iustinum post Trogum Pompeium vltimo libro sui Epitomatis, & alios plures scriptores. Tertio vero Hispania nominata est ab Hispano Rege successore Herculis, qui in ea diutius summa pietate regnavit secundum Iustinum loco superiori, siue ab Hispali vrbe, ut placet Appiani no historico satis claro.

De primis Hispaniæ incolis.

30



RIORES Hispaniæ incolæ Cætibales appellati sunt, ut plurimis antiquis scriptoribus placuit. Sunt autem dicti Cætibales a Tubale filio Iaphet, quorum filii primi dicti sunt Hispaniam incoluisse. Quanquam Iosephus libro 1. antiquitatum incolarum filiorum Iaphet sic dixerit. Item filiorum Iaphet Medeus & Ianus fuerunt. Et ex Medeo sunt gentes quæ a Græcis Medi vocantur. De Iano vero omnes Ionii, qui & Græci, vnde & mare Ionicum appellatur. Cædidit autem Iobel Iobelos, qui nostris temporibus Iberes nuncupantur, qui & Hispani, a quibus postea Celtiberi appellati sunt. Hæc Iosephus. Post hos, quorum vetustas nobis obliuionem relinquit, primi fuere Iglete, ut voluit Strabo de situ orbis lib. 3. Deinde Sicanos eam incoluisse authentica multa referunt, quoniam ab illis Italia omnis, vrbisque Roma, & originem & incrementum habuisse constat. Iam ad eos veniamus. Sicanagens Hispaniæ antiquissima fuit, quæ Iberum amnem ab initio incolebat, ut refert Diodor. Sicul. qui lingua Græca suam prisicæ antiquitatis fabricauit historiam, de insula Sicilia agens. Idem etiam describere multi ex Italiæ scriptoribus, inter quos fuit Solinus de mirabilibus mundi. Idem hoc etiam meminit Aulus Gell. lib. 1. noctium Atticarum. Idem etiam Leonardus Arret. nostræ ætatis historiographorum princeps in descriptione Siciliae, in lib. quæ edidit de primo bello Pun. Hoc idem etiam censuit Zozomenus presbyter Pistoriensis, dicentes quod insula Sicilia primū Sicania dicta est a Sicaniis, qui eam primum incoluerunt. Dicti sunt autem Sicani, quia prodierunt ex Sicore amne Hispaniæ. Est autem Sicoris flu. per Ilerdam decurrens, & miscetur Ibero flu. nõ lotige ab ipsa Ilerda: de quo Cæsar meminit in Com. cum apud Ilerdam pugnaret. Habitabat autem gens Sicana oram ipsius flu. Sicoris, ab ipso nomen recipiens: & inde magna Hispanorum manu congregata nauigauit in insulam Siciliae, quam ex

suo nomine Sicaniam appellauit, & hoc ante Troiana bella, ut dicit Solinus: instruxeruntque in ea vetustissimam urbem Syracusas, ab ipsa quoque urbe Syracusis prodixisse Italum illum, nemo dubitat. qui quum diu Syracusis regnasset, transfretans in Italiam, primus in ea regnauit, nomenque genti ac regioni dedit, ut refert Vergilius in septimo Æneidos:

--- Italusque paterque Sabinus,
Vitiator curuam seruans sub imagine falcem.

De Iberis & Celtis, unde Celtiberi.

HISPANIA primum (ut supra diximus) ante aduentum Herculis Iberia dicebatur, ut scribit Trogius Pompeius ultimo libro, & Claudius Ptolemæus de Hispania agens, & Plinius de Naturali historia, Strabo denique, & alii multi: & deinde ab Hispano qui Herculi successit, Hispania est dicta. Est autem Iberia dicta ab Ibero amne Hispaniæ. Huic autem fluuiio nomen dedit gens quæ oram fluminis ante incoluerat. Processerat enim hæc gens a prouincia Iberia, quæ in Asia situm habet, media inter Armeniam & Colchos, secundum Claudium Ptolemæum. De qua etiam & eius situ meminit Paulus Orosius lib. 6. per hæc verba: Iberia regio est Asiæ prope Pontum, Armeniæ iuncta. Hanc itaque gentem vetustissimo tempore refert Priscianus lib. 6. ab eius prouincia prodixisse, & peruenisse in Scythiam, & inde in Oceani oram, & ab ipsa ora nauigasse in insulam quam ex suo nomine atque aduentu Hiberniam appellarunt: quæ insula est in Oceano Britannico. Altera nauigatione peruenisse tradunt in Hispaniã, quæ oram amnis incolens, flumini & regioni tradidit nomen, ut Ibero amnis, & Iberia prouincia appellata sit. Iberis vero post multa secula admixti sunt Celte, qui unde prodierunt, videamus. Celte Galli sunt. Scribit enim Diodorus Siculus lib. 4. Celtas appellari Gallos qui habitant a Pyrenæis montibus usque ad Alpes ad Mediterraneum, quumque diutius cum Iberis cõterendissent, & decertassent pro agris conterminis, ad vltimum pace composita simul inhabitauere, & mutuis inter se iniuriis coniugis Celtiberi dicti. Hoc idem contestatur Titus Liuius lib. 5. dicens tertiam Galliarum partem Celtas appellari, qui venientes ad Iberum fluum Hispanorum, ibique confidentes, retenta primi nominis parte, & assumpto fluminis nomine iuxta quod cõfederant, Celtiberi dicti sunt. Quod Lucanus meminit lib. 4. dicens:

--- Profugique a gente vetusta

Gallorum Celte miscentes nomen Iberis.

Adiecit etiam Diodorus superiori loco: Gallos qui ad Oceanum sunt, a Pyrenæis montibus usque ad Danubium amnem Gallatas appellari. Inde Claudius Ptolemæus Ægyptius, Galliam omnem in quatuor Celtogallias diuidit: Belgicam, Lugdunensem, Aquitanicam, & Narbonensem. Ex quibus euidenter colligitur, Celtas qui admixti sunt Iberis, Celtiberos appellari. Admixti vero Gallatis, Celtogallatas vocari. Ex his vero Celtis fuere, qui terra peruagati sine nauigatione in vltiorem peruenerunt Hispaniam, ibique confidentes Celticam regionem apud amnem Tagum effecerunt: idemque Ptolemæus, Strabo, & Plinius ibi recolunt Celtarum regionem. Galli vero Gallatæ aliam Gallaciam prouinciam in Græcia effecerunt hoc modo. Quoniam aduocati Gallatæ a Rege Bithyniæ in eius auxilium, quum tulissent, dimidium cum eo regnum partiti sunt, & primum Gallogræci, inde Gallatæ cognominati sunt. Ab his enim etiam prouincia Gallacia Hispanica processit, prout late dicitur infra in Græcorum progressibus. Dicti sunt autem Galli a galaete, id est candore. gala enim candidum significat, quia humido educati celo corpora alba habeant. De quibus Iustinus libro 15.

Herodorus autem Græcorum historicorum maximus de Celtis lib. 2. ita meminit: Celtes autem sunt extra cippos Herculis, Cynesis finitimi, omnium in Europa habitantium vltimi.

De urbi.

De uribus Hispania ante Herculis aduentum.

REFERIT Iustinus post Trogi Pompeium (quoniam superiori loco commemorauimus) Abium, qui secundo loco regnauit. Hispanis ad oram Oceani, populos in septem vrbes reduxisse: illas tamen non nominat. quas non stare credo ad præsens præter duas, ceteræ autem aut mutauerunt nomina, vel terræ motu, vel succedentibus cladibus bellorum deletæ sunt. Verius tamen putandum est eas corruisse, quum omnium urbium Hispaniæ autoribus circumspicis, præter has duas, nulla ipsius ab his temporibus scribenda comperitur. Prima siquidem e duabus Scalabius est, quæ hodie Vlybna nuncupatur: vrbs siquidem admodum vetustissima, per cuius fimbriam Tagus amnis decurrit in Oceanum. Hæc vrbs omnium vetustissima, autorem Abium secundum Regem habuit. Et dicta est Scalabius, quam postmodum moderni breuitatem sequentes dixerunt Scalabum, proscititque sub eo nomine usque ad tempora Romanorum secundum Claudium Ptolemæum: & dicta est Scalabius, quoniam in eo loco Abius primum cepit cibum, ac sequens ceruorum greges inibi nutritus sit. Cuius denovo loca aeris salubritate ei conferente prospecta, urbem statuit ex suo nomine appellandam, quanquam reperiam Pomponium Melam lib. 3. appellasse hæc urbem Elisopum. Aliam enim & tertiam urbem comperio, quæ ad Iberos incolas pertinet, Iberiam nomine, demolitam tempore Romanorum. Illius enim situs fuerat ad ostia fluminis Iberi Occidentem versus, apud quam Gneus Scipio, patruus illius qui primo cognominatus est Africanus, Hasdrubalem Pœnorum Ducem, fratremque Hannibalis vicit nauali certamine. Hæc quidem ad primarios incolas pertinere, duæ ad tempora Abii secundi Regis, tertia ad tempora Iberorum. Sunt & aliæ vrbes quæ non adeo vetustam habuere originem, fuerunt tamen ante tempora Herculis. Et quoniam Isidorus atque Toleranus nullam in Hispaniam urbem nominant, nisi ab Herculis aduentu, per necessarium nobis visum est, antiquitatem recensentes, illas illarumque autores in medium producere. Inter has igitur quæ ad recentiora tempora ante Herculis aduentum pertinent, primum urbem nostram Gerundam connumerabo. Hanc etenim urbem condidit Geryon Chrysauro filius Hispaniæ Rex, quem idem Hercules interfecit, & dicitur Gerunda a Geryone, & Vnda flumine, quod per vrbes medium fluit. Certum est enim quod vrbes siue ab autoribus, siue a fluminibus inundantibus nomina receperunt. Vnde a Belo Babilonia, a Nino Niniue, a Romulo Roma, a Constantino Constantinopolis, & plurimæ orbis vrbes. Et si quæ sunt quæ ab autoribus, siue fluminibus, nomen ad præsens non retinuerint, huius rei causa sunt Græci, ut meminit Iosephus libro 1. antiquitatum, qui præsumpserunt nominibus ornare Rempub. tanquam a se constitutam. Huic testimonio accedit nomen maioris amnis, qui ad oram ipsius vrbes decurrens, ab ipsa vrbe & illius conditore nomen recepit. Ipse enim Geryon triceps vir, siue triagestans capita describitur a poetis secundum Iustinum lib. vltimo. Vnde Vergilius octauo Æneid. agens de Hercule & morte Geryonis, ait:

Tergemini nece Geryonis, spoliisque superbus
Alcides aderat.

Cui fabulæ Trogi Pompei Hispanus reddit ratione: quod essent tres fratres, adeo vnus animi & effigiei, quod non facile discernentur. Cui sententiæ tribuit argumentum ipsius vrbes fabrica triangularis, quæ singulis angulis arcem habet, singulis fratribus (ut a pluribus creditur) pertinentem. Huic accedit & Osca ciuitas, cuius initium a Caco Hispano est, quem Hercules ab Hispania rediens apud Tiberim Italiæ anem interemit: de quo Vergilius meminit in octauo libro Æneidos:

Hic spelunca fuit vasto submotu recessu
Semihominis Caci, facies quem dira tegebat.

& denuo subdit sequentibus versibus:

Hic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Hunc itaque Cacus finxerunt poetæ semiuirum, & appellarunt eum Vulcani filium, pro eo quod ignes fumiferos ore euomeret. Hic enim Cacus iuxta historiam prin-

ceps in Hispania fuerat, Carpetanis regnans. Fuere autem Carpetani Cæsarat-
gusta, Oſca, Calagurris, & Tiraffona, vel verius a noua Carthagine vsque in Tole-
tum, & Tiraffonam, & Oſcam, hæc est vera Carpetania. Hic Cacus in montibus
regnans, nomen monti indidit, quem hodie montem Caium vulgus appellat, ef-
fectumque est, vt horribili facie, ac dira conuerſatione, & aspero cultu femiur ap-
pellaretur. Hic autem primus omnium dicitur inueniſſe ignem ex diuerſo com-
positum puluere, quo lapides iactabat in altum modo, licet inculco, quo nos bom-
bardis vtimur in hodiernum. Hic itaque Cacus Oſcam condidit urbem, quã eius
incolæ Oſcati femiferi appellauerunt. Hic vero Cacus fugatus ab Hercule extincto
Geryone, in vindictam aspirans more patrio, qui ad vindictas ab omni æuo prom-
ptissimi fuerunt, intellecto recessu Herculis ab Hispania illum vsque Italiam secu-
tus, quum apud Tiberina ostia quatuor ipsius Herculis boues rapuiſſet, compre-
hensus ab Hercule in spelunca, in qua lauitabar, peremptus est maximo igne euo-
mito: propter quem finxere poetæ Vulcani filium. Has itaq; vrbes ad tempora an-
te aduentum Herculis compertas habeo veraci historia. Et siquæ aliæ sunt, quia de
illis probata non monstrantur testimonia, omittuntur.

De Regibus qui ante Herculem in Hispania regnauerunt.

DODERICVS Toletanus antiquitatem Hispaniæ subticens, vel
ignotans, nemine ante Geryonem Herculisq; tempora regnaſ-
se referens, ipsa Herculis & Geryonis gesta sicco pede pertransit,
tanquam qui per ignotam prouinciam fugitiuus cupit ad notã
sibi regionem pertingere, quadã nimia celeritate & minus vera
relatione discurrens, ipsius operis & gestorum temporibus est
orsus. Nos vero omnem antiquitatem amplectentes, vetustio-
ra Hispaniæ gesta, quatenus ex approbatis scriptorib. comprobare potuimus, futu-
ræ posteritati decreuimus annotare. Primum Hispaniæ Regē refert Iustinus
vltimo lib. sui epitomatis per multa ante Herouliſe ſecula fuiſſe Gorgonium, qui et-
iam primum vsus mellis dicitur inueniſſe. Huic cum ex filia ſupro nepos & filius
proueniſſet, pudore flagitii variis generibus extingui paruulum voluit: sed per om-
nes casus fortuna quadam ſeruatus, ad postremum ad regnum tot periculorum
miſeratione peruenit. Primo enim quum eum exponi iuſſiſſet, & post dies ad cor-
pus expoſiti requirendum miſiſſet, inuentus est vario ferarum lacte nutritus. De-
inde relatum domum, in tramite anguſto, per quem armenta commeari conſue-
uerat, proici iubet, crudelis profuſus, qui proculcari nepotem quam ſimplici mor-
te interfici maluit. Ibi quoque quum inuiolatus eſſet, nec alimentis egeret, cani-
bus primo ieiunis & multorũ dierũ abſtinẽtia cruciatis, mox etiam ſuiſus obiecit.
Itaq; cum ei non ſolũ nõ noceret, verum etiam quarundam ferarum vberibus ale-
retur, ad vltimum in Oceanum abiici iuſſit. Tum plane manifeſto quodã numine
inter furentes æſtus & reciprocantes vndas, veluti naue, non fluctu vehitur, leuiq;
ſalo in littore exponitur: nec multo post cerua adfuit, quæ vbera paruulo offerret.
Inde deniq; conuerſatione nutricis eximia puero pernicitas fuit: inter ceruorum
greges diu montes ſaltuſq; haud inferior velocitate peragrauit. Ad postremum la-
queo captus, Regi donatus est. Tunc & lineamentorum ſimilitudine, & notis cor-
poris quæ paruulo fuerant, nepos agnitus: admiratione deinde tot caſuum pericu-
lorumque, ab eodem ſucceſſor regni deſtinatur. nomen illi impoſitum Abius. qui
vt regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, vt non fruſtra Deorum maiestate tot
periculis ereptus videretur: quippe & barbarum populum legibus iunxit, & bo-
ues primum aratro domari, frumenta que ſulco quarere docuit, & ex agreſti cibo
mitioribus veſci, odio eorum quæ ipſe paſſus fuerat, homines coegit. Huius ca-
ſus fabuloſi viderentur, ni & Romæ conditores lupa nutriti, & Cyrus Rex Perſa-
rum cane alitus proderetur. Ab hoc enim, & miniſteria populo indiſta ſunt, &
plebs in ſeptem vrbes diuiſa memoratur. Et inſuper alium ante Griſaurum, &
Geryonem nomine Argantonium, de quo meminit Herodotus Anacreontem
poetam

poetam dixiſſe: Equidem Amaltheæ cornu nolui, neque annorum centum quin-
quaginta Imperium tenuiſſe Tarſi. De quo etiam & meminit Strabo de ſitu orbis
libro 3. Mortuo inſuper Abide, regnum per multa tempora a ſucceſſoribus eius re-
tentum eſt. In alia parte Hispaniæ, & quæ in ſulis conſtat, regnum penes Griſaurum
Geryonis patrem, deinde apud eiudem Griſauri filium Geryonẽ fuit. In hac tan-
ta pabuli læticia eſt, vt niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit, pecora rumpantur.
Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur,
tantæ famæ fuerunt, vt Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porro
Geryonem ipſum nõ triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuiſſe ferunt, ſed tres fra-
tres tantæ concordie extitiſſe, vt anima vna regi viderentur, nec Herculi ſua ſpõ-
te bellum intuliſſe, ſed quum armenta ſua rapi vidiffent, amiſſa bello repetiſſe.
Hæc Iuſtinus. Post hos igitur decimus Geryon fuit, quem Hercules Græcus vir
fortis deuicit & peremit. Erat enim & ipſe Geryon ditiffimus Rex pecudibus &
armentis, in quibus pro eo tempore hominum diuitiæ conſiſtebant, quum & pe-
cuniarum vsus nondum hominum mentes cæcaſſet, nec vsui habebantur. Huius
itaque Geryonis diuitiis allectus Hercules, vt eum prædari valeret, ſuiſque ar-
mentis ſpoliare, poſt prioris Troiæ excidium, cætera que fœda quæ ibi geſſerat, in
Hispaniam venit. Hunc enim Geryonem poetæ tricipitem hominem, id eſt tria
tenentem capita, deſcripſerunt. Inter quos Ouidius lib. 9. Metamorph. & Vergi-
lius in 7. Æneid. Cauſas inſuper quare hunc ſic poetæ deſcripſerunt, declarat Iuſti-
nus poſt Trogum Pompeium vltimo lib. antiquitatum. Regnauit autem hic Ge-
ryon & fratres eius ad alteram partem Hispaniæ, quæ ad Mediterraneum pertinet
& Iberi oras, ſecundum Iuſtinum. Quare autẽ alii Reges qui fuerunt inter Abidem
& Geryonem non nominentur, ex hoc creditur, quia nihil memorabile fecerunt.

Quæ de Celtiberis & Celtis ſcripſerunt antiqui hiſtorici atque poetæ.

DODORVS libro quinto de vniuerſis orbis regionibus, quum de Cel-
tis ac Galatis ad Celtiberos perueniſſet, hæc quæ ſequuntur, inſeruit,
quæ ad noſtram primum antiquitatem pertinent. Iberi quondam,
Celtæque pro agris bello certantes, pace demum cõſtituta, commu-
nicata inuicem patria, quum mutua connubia proueniſſent, dicuntur
hac rerum communionem id nomen ſortiti. Duæ igitur robuſtæ nationes in patria
fertili coniunctæ effecere, vt magnum eſſet Celtiberorum nomen. A Romanis
poſtmodum multo poſt tempore bello cum eis geſto vix tandem ſubacti ſunt.
Non enim ſolum equites, ſed & pedites aptos bello, robore, malorumque toleran-
tia cæteris excellentiores habent. Breui vtuntur veſte, ac nigram lanam habentẽ
ſimilem caprarum pilis. Armantur Celtiberorum quidam ſcutis leuibus, alii ro-
tundis vmbonibus magnitudine clypei. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt,
galeas ferunt æreas criſtatas, & palmis gladios ex chalybe puro ad palmi menſurã,
quibus in conſerta vtuntur pugna, ferrum inſuper ſuo more ad conſcienda arma
præparant. Nam ferreas laminas in terram abſcondentes, ibi tam diu eſſe ſiunt,
quoad debiliore parte ferrugine aſſumpta validior ſuperſit. Ex ea tum enſes for-
tiſſimos, tum cætera ad belli vſum arma neceſſaria componunt. hoc pacto fabri-
cata adeo cædunt omnia, vt neque ſcutum, neque galea, neque aliud quid eis ob-
ſiſtat. Duobus gladiis ſulti, cum equeſtri certamine ſuperiores euaserint, ex equis
deſiliunt, pedes ſtreque adiuuant pugnam. Mirabilis apud eos viget conſuetudo.
nam cum in victus munditia elegantes exiſtant, in vna re videntur immundi,
ſpurcitiæque pleni. Vniuerſum enim corpus lauant vrina, dentesque fricant, hanc
optimam corporis curam exiſtimantes. Erga nefarios homines atque hoſtes, cru-
deles ſunt: cum aduenis humani atque hoſpiales. aduenientes enim externos be-
nigne inuicem pro illorum honore certant recipere. quos aduenæ ſequuntur, hos
laudant, amicos deorum putant. Nutriuntur affluenter variis caruibus, potum ex
melle conſciunt, eius copiam præbente affatim patria. vinum emptum bibunt,
mercatorum opera aduectum. Ex propinquis gẽtibus gratior eſt eis Vaccæorum

natio. ii enim singulis annis sortitos inter se agros colunt, fructusque cum cæteris communicant, cuique sua portione præbita. Quod si quid agricolæ abstulerint, e vestigio morte multantur. Celtiberorum fortissimi habentur qui appellantur Lusitani, peltas in bello paruas ex neruis confectas, quibus tegatur corpus, habent. ii in bello ea agilitate vtuntur, vt ictus & sagittas euitent. iaculis ferreis vtuntur. galeam ensemque more Celtiberorum ferunt. iaculum longe iaciunt & summa arte. in acie diutius perseverant mobili corpore leuique, vt facile fugiant hostem & insequantur. In profundis periculis superantur a Celtiberis. In pace choreas leui saltu exercent mirabili crurum ac totius corporis agilitate. bella ad numerum aggregiuntur, aliquid ex poematibus quum hosti obuiant. cantando. Iberi Lusitani- que ætate integra, præsertim inopia oppressi, qui robore, præstant atque audacia, in montibus asperis manu facta diuersis per Iberiam locis Iarronum more, leui armatura, agilique corpore veloces discurrent, populatisq; agris ad montem, veluti tutam patriam, cum locorum asperitate nullus eo exercitus adire possit, confugiunt. Aduersus hos profecti sæpius cum exercitu Romani, eorum audaciam represserunt, latrocinia nequaquam tollere potuerunt. Sequitur, vt de argento quod plurimum apud Iberos, optimumque effoditur, quodque multum utilitatis incolis afferat, scribamus.

De Pyrenæis montibus, ac metallis eorum.



MEMORIÆ proditum est ab antiquis scriptoribus, Iberiæ montes qui Pyrenæi vocantur, & latitudine, & longitudine longe alios excellere. Nam a mari quod est ad meridiem, iacent vsque ad Oceanum ferme ad Arctos situm, Galleciamq; ab Iberia diuidunt. per Celtiberiam quoque protenduntur stadiis tribus milibus. In quibus cum sint frequētes syluæ, ferunt priscais temporibus igne a pastoribus iniecto montanas omnes regiones fuisse combustas. qua ex re montes aiunt cognominatos Pyrenæos, ardente continuis diebus igne. pluresque ex montium incendiis argenti purissimi effluerunt. quod incolis ignotum, Phœnices mercatores vili rerum permutatione emptum in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo commercio opes contraxerunt. Adeo autem mercatores quæstus excitauit cupiditas, vt quum onustis nauibus superaret argentum, amoto ab ancoris plumbo argentum subderent eius loco. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti plures colonos, tum in Siciliam, propinquasque insulas, tum in Libyam, Sardiniamque, ac Iberiam destinauerunt. Multis postmodum seculis cognito argento, Iberi metallis quærendis operam dedere: magnaque argenti copia reperta ingens ex eo vectigal prodiit, quum æs, aurum, argentumq; sint metalla præcipua. Qui reperiendo æri dant operam, quantam eius quod effodiunt, portionem capiunt. Qui in argento effodiendo occupantur, singulis tribus diebus Euboicum eximunt talentum. Terra enim omnis argento, cæteriisque metallis adeo referta est, vt mirabilis sit & eius soli natura, & operariorum continuus labor. Nam qui primum his metallis reperiendis incumbant, magna comparabant. In promptu est enim argentum, terra abunde illud præstante. Postea quum Romani Iberiam subegissent, Italici qui lucri cupiditate id sibi opus assumpserunt, maxime ex eo ditati sunt. Emptam enim seruarum copiam ad effodienda metalla deputant, qui variis locis metallorum venas scrutati, & alte lateque terra effossa, plurimum auri argenti que eruunt, variis multorumque stadiorum cuniculis sub terram actis. Multoque felicitior & quæstuosior est hæc cura, quam metallorum quæ apud Atticos reperiuntur. Ibi enim multas impensas effodiendo subeunt, sæpius opinione frustrati, quum aut non inueniunt quod quærunt, aut inuentum ita parui sit, vt superetur a sumptu. Apud Hispaniam qui metallis incumbunt reperiendis, ampliori spe percipiunt. Bonitate quippe soli glebas semper auro argentoque fertiles inueniunt, vt pote terra metallis penitus plena. Reperiuntur ab eis nonnunquam in visceribus terræ flumina

mina decurrentia, quorum fluxum spe quæstus vi magna recidunt, aut quod mirabilius videtur, cochleis quas dicunt Ægyptiacas, ab Archimede quum in Ægyptum profectus est, adiuuentas. Eisdem instrumentis loca diuertunt, vbi metalla effodiuntur, eiecta superius aqua summa arte diligentiaque excitant. Mirabitur profecto quis Archimedis ingenium non solum in his, sed in cæteris quoque maioribus, quas multis in orbis partibus egregias fabricauit. De quibus scribetur diligentius, quum ad eius tempora veniemus. Serui qui ad hæc metalla deputati sunt, incredibilem quæstum afferunt dominis. Verum enim die noctuque in labore perseverant, quorum multi ex nimio labore moriuntur, quum vix vlla eis ab opere detur requies, aut laboris intermissio, sed verberibus ad continuum opus coacti raro diutius viuunt. Quidam tamen robustiori corpore ac animi vigore, plurimum temporis in ea versantur calamitate, quibus tamen ob miseræ magnitudinem mors vita est optabilior. Quum plurima in hoc metallorum munere sint admiratione digna, nequaquam tamen quis admiretur, cur nullus recens horum reperiendorum extiterit auctor. Verum argenti studio a Carthaginiensibus, quo tempore Iberiam tenuere, ea metalla adiuuenta sunt. Hæc fuit causa, vt eorum postmodum excrecerent vires. Precio enim optimis militum conductis plura gesserunt aduersus hostes bella, neque domestico, neque sociorum milite vsi. Romanos, Siculoque, ac Libyicos ad maxima deduxerunt pericula, quum omnes diuitiis ab auri argentiq; copia superarent. Perspicaces sane (vt videntur) priscais temporibus extitere Phœnices. Itali nullis aliis cessere. Oritur & stannum in pluribus Iberiæ locis, non casu repertum (vt quidam scriptores vulgauerunt) sed effossum conflatumque, quemadmodum aurum argentumque traditur. Nam supra Lusitaniam plurimum stannum effoditur, in insulis Oceani Iberiæ proximis, quæ a stanno Cassiterides denominantur. Plurimum tamen a Britannia insula ad oppositam Galliam affertur: nisi per loca mediterranea Celtici mercatores equis per Massiliatas ac Narbonam urbem Romanorum coloniam, optimum earum partium tum opportunitate, tum commoditate adeuntium emporium producant. Sed de Gallis ac Celtiberis hæc tenentur.

De prouinciis Hispaniæ quæ nomina mutauerunt.

DIXIMVS Hispaniam omnem in tres distinctam prouincias, Tarraconensem, Bæticam, & Lusitaniam secundum Claudium Ptolemæum, Strabonem, Plinium, Pomponium Melam, cæterosque antiquiores Geographos. Quarum Bætica continet flumen Bætis dictum Guadalquebir a noua Carthagine, a cuius montibus desluit in Oceanum Atlanticum, cuius regionis & prouinciæ caput est Hispalis, quæ & metropolis Bæticæ, a palude quæ vrbi circumfertur, sic dicta, siue (vt aliqui voluerunt) quia vrbs eo in loco constructa sit infixis palis, in quibus vrbs fundata est propter aquarum redundantiam. Lusitania vero dicitur ab Ana flumine, quod hodie Guadiana appellatur, quod ab eius exortu per totam decurrens prouinciã continet quicquid interiacet inter duo flumina Bætis & Tagum, decurrens per medium amne, a quo prouincia denominationem habet, propterea quia apud illum Liber pater, & Lyfas iuserint, & Phana eius præfectus, vt Plinio placet libro tertio Naturalis historię, quamquam idem Plinius eodem loco dixerit, quod flumen Anas interseccet, & diuidat prouinciã Lusitaniam, in quo non recte dixit, quum ipsa Lusitania prouincia contineat quicquid interiacet inter ipsa duo flumina Bætis & Tagum, decurrens per medium prouinciæ ipso flumine Ana, vsque in citeriorem Hispaniam Celtiberiamque. Cætera ad Tarraconensem spectant, scilicet omnis citerior Hispania a Pyrenæis montibus vsque ad nouam Carthaginem, & Cantabriam, & inde quicquid continetur trans flumē Tagi ab illius exortu, Oceanumque Atlanticum, & Britannicum. In his quoque tribus prouinciis, populis, ac regionibus plurimi sunt qui sua nomina mutauerunt taliter, quod difficillimam reddant lectionem rerum antiquarum, quum propter obliuionem antiquorum

nominum ignorantem faciant legentibus tum circa prouincias, tum etiam circa montes, & flumina, vrbesq; deletas: quæ quum non extent, neq; quibus in locis fuerint, neq; res apud eas gestæ facile deprehendi possunt. Igitur primum de populis, prouinciis, & regionibus: secundo de urbibus: tertio de fluminibus: quarto de montibus: quinto & ultimo de deletis urbibus agendum est. Habet igitur Hispania tres & quadraginta populos, regiones, & prouincias quæ sequuntur, incipientes a Gadibus, & freto Herculeo, & inde vsq; ad nouam Carthaginem, quantum continet vltior Hispania, & inde a Gaditano vsq; in Pyrenæum promontorium, ad Oceanum Britannicum ad oram maritimam, & inde mediterranea, ac postremo citeriorem Hispaniam. Oram itaq; maritimam Bætis fluminis inhabitant & 10 Turduli, inde Bastuli, & Itani, Contestani, Oretani ad alteram oram, Celtici, Bracarii, Artabri, Callaici, Lucencii, Celerini, Memerani, Lacerini, Cygures, Hedii, Sebuti, Asturici, Amaces, Ceperani, Pelendones, Berones, Celini, Pificori, Tugones, Austri, Autrigones, Caristi, Cantabri, Varduli, Vascones, Hederani, Lacertani, Iltergetes, Ilarqueones, Pœni, Læetani, Cositani, Ceretani, Authetani, Castellani, Indigetes. His itaque tota continebatur Hispania. Atque quicumque perlegerit antiquorum historias atque annales, potius populos, quam vrbes, expressos comprobabit. Incipientes igitur a Gaditano & Herculeo freto, ipsaque ora maritima quæ ad Gades pertinet, & ostia fluminis Bætis (quæ Guadalquebir modernitas nominat) Turditaniam appellatur, & protenditur vsque ad Calpen montem, 20 quem vulgus Gibeltarem appellat. Illi autem qui ab ostio Bætis incolunt vsque ad Anam fluuium, Turduli appellantur, quamquam Ptolemæus libro secundo dixerit Turdulos tenere mediterranea a Baria, vsque in nouam Carthaginem, quasi Turditanos & Turdulos eosdem dixerit. De quibus Strabo libro tertio de situ orbis sic ait: Turditaniam, incolæ vero ipsi Turdetani & Turduli appellantur. Sunt qui eosdem arbitrentur idem esse, sunt tamen diuersi, ex quibus est Polybius, qui Turditanis Turdulos finitimos esse dixit ad Septentrionem. A quibus dicimus fines Turdetanorum & Turdulorum esse Bætis. Turditani sunt ad austrum ac montem Calpen, & protenduntur per medium duorum fluuiorum Bætis & Anam vsque in Castulonem quoque urbem. Turduli vero sunt habitantes oram 30 maritimam Oceani Atlantici, vsque in Anam flumen & Sacrum promontorium, quod caput sancti Vincentii appellamus. Post Turdetanos sequuntur Bastuli, a monte Calpe, siue Gibeltarem, vsque ad nouam Carthaginem, quos simul & Itanos Ptolemæus appellat. Sed veritas est, quod Bastuli, licet largo modo protendantur vsque in nouam Carthaginem, Carthaginiam appellatam, tamen strictius non protenditur Bastulia, nisi a monte Calpe vsque in Bariam: & a Baria vsque in nouam Carthaginem Itani appellantur. Ii vero qui incolunt mediterranea vsque ad Obulustulum, quæ Baccia appellatur, sunt Turditani vsque ad Hispalim & oram maritimam. Ii vero qui incolunt mediterranea vsque ad Vbedam & Murtiam, appellantur Bæsetani: incolæ vero a noua Carthagine vsque in 40 Succonem amnem & Valentiam regnum, Oretani sunt: cuius regionis caput est Oretania vrbs, quæ & Oriola appellatur. Redeunt vero ad oram maritimam Oceani, post Turdulos & Sacrum promontorium sequuntur Celtici, qui a Gallis in eam regionem translati sunt, & protendantur a Guadiana flumine, Ana antiquitus dicto, vsque vltra Tagum & flumen Mundam, & protenduntur vsque in urbem Salamanticam. De istis autem Celtis refert Strabo, ob quandam seditionem per eos commissam cum Turdulis in eam regionem venisse. apud eos dicit esse flumen Lethes, quod ideo flumen obliuionis esse appellatur. inde sunt Gallaici, Bracarii a Bracada vrbe sic dicti, & protenduntur vsque in oppidum Baiona & Ponteuedra includentes Tidures; qui incolæ Tudenfes sunt. Et quoniam 50 in Bracariorum incidimus mentionem, hæc Galliciorum regio, & prouincia magna est, & adeo magna, quod refert Strabo continere in se triginta populos. Et quoniam ipse asserit, multi ex illis adeo humiles sunt, quod rarissimam mentionem de eis antiqui scriptores faciant: quoniam quum de illis Ptolemæus meminit, plures ex dictis populis singula quæque oppida ait continere, & aliqua duo

qua duo aut tria: propterea non oportet per illa singula discurrere. Ad Galliciam itaque pertinent Artabri, qui antiquitus Arotrebæ vocabantur (vt voluit Strabo libro tertio) a promontorio Onerio, & portu Baiona, & Ponteuedra protenduntur ad aliud promontorium Hauatiacorum, in quo magnus portus est, & oppidum Clunia. Ad istos enim Gallicios pertinent Tudures, qui & Turenfes ab vrbe Turense. ad istos pertinent Nonieiani ab oppido Noia, Celerini, Luanci ab oppido Luanco, Limiceii ab amne Limino, Bibali ab oppido Bibalo (nunc Birbao) Lacerni, Silini, Cepori, Lamauori, Tibures, Giguers, Sebuti, Amaces, Ceperani, Lugones a Lugo oppido, Oriuaces, Austri, Autrigones, 10 Caristi a Caristo oppido, nunc Castro. Ad ipsos insuper Gallicos pertinent Vaccæi, Misburgi, Vectones, siue Vergones, Palendones, Aruaces, Alcurici. Pificorii vocati sunt, quia Gallicios Lucensibus & ora maritima mediterranea possident, quæ prouincia nunc Alaua dicitur: complectunturq; agrum, & urbem Burgesii. quamquam specialius Burgeses Misburgi sint ab antiquis scriptoribus appellati. Vaccæi enim etiam complectuntur & continent quicquid est vsq; ad Orontiam urbem, vt Strabo voluit. Hos sequuntur Vectones, qui Legionenses sunt, quos aliqui Vergones appellant, & complectuntur agrum Toleranum, immo (vt Strabo vult) Toletum, licet re vera in Carpetanis sit. quod satis declarat eius Metropolis, quum illius præsul metropolitanus Carpetaniæ in Toletanis conciliis descriptus 20 reperitur. Inde Palendones a Palentia vrbe sic cognominati, postea Pacicori a Pascensi vrbe sic dicti, Asturici ab Asturgo flumine appellati, Aruaces ab Arena flumine & oppido ipsius nominis sic dicti. Inde sunt Autrigones, quorum caput Callaguris est. Inde sunt Hederani qui sunt Sorienfes a Soria vrbe, & continent vsq; ad Aragoniæ fines & (vt pleriq; asserunt) Tirassonam. Vultq; Ptolemæus, quod complectantur Cæsaraugustam, quamquam alii scribant eos in Laceranis, vt placet Straboni. Hæc q; descriptio generalis vltioris Hispaniæ est mutationis nominum regionum & prouinciarum.

De citeriori Hispania.

30 **N**AM nunc citeriorem Hispaniam aggrediamur. In citeriori Hispania ad partem Oceani Britannici, ad interiora Mediterranei Cantabria est continens regnum Nauarræ, habens populos tres Vardulos, Vascones, atque Berones. Varduli sunt ii, qui montana tenent, atq; Opuscum. Vascones Pampilonenses, & vsq; ad Pyrenæi iuga. Berones, vbi nunc Taphalla est, quæ antiquitus Tritium metallum dicebatur, & Olitum, quod & antiquitus Oliba, & Tutella dicta hodie, antiquitus Titulia. Inde sunt Celtiberi, quoniam licet omnis citerior Hispania nomine Celtiberia, specialius tamen prouincia Celtiberia dicta est, cuius caput Cæsaraugusta, & protenditur vsq; ad urbem Segobriam. post Celtiberos vero sunt Iltergetes, continentq; Oream & Ilerdam vrbes, & quicquid iis in 40 terminis interiaceret. Redeunt igitur ad maritimam oram, post Oretanos & Succonem amnem Contestani sunt, complectunturque Valentiam & Saguntum, quod hodie Muriuctus appellatur, & Magistrum Montesiæ vsque ad Iberum amnem. Hos sequuntur Ilarqueones, qui sunt Dertusenses & Tarraconenses. Inde Pœni, cuius caput Villa franca est dicta Pœnorum, quoniam eo in loco erat vetus Carthago Hispaniæ, quam deleuerunt T. Sempronius & Publius C. Scipiones, qui primi secundo bello Punico intrauerunt in Hispaniam. Illam quia penitus euerterunt in vindictam euerfionis Sagunti factæ a Pœnis, neque illam sub illo nomine vltius esse voluerunt. Sed post euerfionem concessa immunitate 50 redeuntibus incolis non priori nomine, sed Villam francam nominari voluerunt, sub eoque nomine manet in hodiernum. Sed in memoriam antiquæ vrbis prouincia a Pœnis nomen retinuit, ita vt Villa franca Pœnorum siue Phœnicum vsque in hodiernum appelletur. De hac veteri Carthagine meminit Ptolemæus libro secundo, & statuit eam in Ilarqueonibus, quum tamen verum non sit, neque Ilarqueones Pœnos attingunt, sed solum Tarraconensem agrum

complectuntur. Post Pœnos sequuntur Læetani, quorum caput regionis Barchinona vrbs est, concluditurque per maritimam oppidum & flumen Tarmen, nunc Tordetia nuncupatum. Abinde ad mediterranea sunt Authetani, quorum caput est Gerunda ciuitas, & illius ager, complectunturque Besulam, quæ hodie Bisuldunum appellatur. Inde ad montana habitant Castellani, dicti Castellani ab oppido Castellione, quod caput regionis erat, habetque nunc oppidum parui momenti Castrum Castellionis nuncupatum, quod omni regioni Bassi sic dictæ nunc præest. Protendebantur iidem Castellani vsque ad Basagodam oppidum, & Ceretanos per montana. hos sequebantur a parte occidua Occetani, quorum caput est Vicus vrbs & omnis Aufonia: suntque dicti huiusmodi Occetani Aufonii a Vico 10
vrbe, quæ quondam Aufonia dicebatur ab Italis condita, quum per antea Italia Aufonia diceretur, maxime ad tempora. Hos vero ad septentrionem sequuntur Cofitani, qui Vrgelenses dicuntur, complectentes Comitatus Vrgelensem, Cardonæ, & Palariensem vsq; ad Pyrenæi iuga. Post hos ad ortum solis sunt Ceretani incolentes oram Pyrenæi, & pene intra Pyrenæi montes constituti (qui & nunc dicuntur Sardones) cuius caput Iulium oppidum erat, a Iulio Cæsare conditum (quod nunc modernitas Lyncam appellat) ibiq; est Sardonum oppidum (quod nunc Podium Ceretanorum appellatur) suntq; hi Ceretani ab Italia in coloniam missi a Cereto oppido, a quo Cereto Ceremoniæ nuncupantur. Vltimi vero omnium ad maris littora sunt Indigetes, ab oppido Ciuixellensi, vsq; ad Pyrenæum, & continet 20
Emporium vrbe, ac omnem Emporitaneensem agrum, ac Rhodam quondam vrbe a Rhodiis conditam, necnon mediterraneas vrbes Iuncariam & Sinianã. Runcas est vltra vrbes Iuncariam, & Sinianam: vltra est Ruscilionis prouincia, & Trophæa Pompeii, vt supra satis diffuse differuimus. Et sic expediuimus mutationes omnium prouinciarum Hispaniæ, pro vt apud veteres scriptores nominantur, & quibus ad præsens modernis nominibus vocitentur. Iam nunc de vrbebus, fluminibus, & montibus videndum est, vrbebusq; deletis. Sed prius quam ad eas deueniamus, aliqua memoratu digna quæ ad nonnullas Hispaniæ prouincias pertinent, interferam. Primo enim sunt multa quæ Strabo meminit de Turditanis, qui ad Bætiam annem habitant circa maritima littora. Hi inter Hispaniæ po- 30
pulos sapientia putantur excellere, & in terris studiis vtuntur, & memoranda vetustatis volumina habent, varum codices, legesq; a sex annorum millibus versibus conscriptas: cæteri autem Hispani vsu quidem habent literarum, sed non vnius generis, nec vna lingua est. Addit insuper & alio loco, in præfatio tertio libro, quæ sequuntur: Verum ad regionis felicitatem mansuetudo simul & vrbaneitas accedit Turdetanis & Gallis propter vicinitatem cognationemq; (vt testis est Polybius) cæterum illis minorem, vt plurimum enim vicatim habitant & viuunt. Nam Turdetani, præsertim qui circa Bætiam loca tenent, in Romanos penitus vsus transformati sunt, nec propriæ linguæ memoriam seruant amplius, plurimiq; Latini facti secum accolæ accepere Romanos. Itaq; parum abest, quin vniuersi Romani sint. 40
& nunc habitatæ vrbes, & in Gallia Pezaugusta, & in Turdulis Emerita Augusta, & in Celtiberis Cæsaraugusta, & aliæ coloniæ quædam permutatos dictarum ciuitatum ritus demonstrant. Hispani quoq; qui hoc institutionis seruant genus, stolti, vel togati dicuntur, in quibus sunt & Celtiberi, qui quondam cæteros immanitate superare credebantur. Ad illius autem vbertatis fidem faciendam in tertio libro etiam Strabo addidit quæ sequuntur: Quanta vero rerum ex Turditaniam exportandarum copia sit, maxime declarat nauigiorum magnitudo & numerus. ingentes enim naues onerariæ istinc Puteolos nauigant, & ad Ostia, Romanorū nauale, permeant. Insuper multitudo Africanis ferme æquiparanda, tantum est incrementum. Quum autem huiusmodi sit mediterranea Turditaniam copia, æqua- 50
lem maritimã ex pelagi bonis inuenies. Ostrea namq; & conchyliã omnia, & multitudo, & amplitudine omnium ex parte exterius mare superat, præcipue cum fluxus & refluxus hic augeantur, qui causa (vt patet) magnitudinis & multitudinis propter inundationes existunt. Eundem se habet in modum circa Cætaria genera, orygos, phalænas, phylseteras, quibus resstantibus nebulosæ cuiusdam columnæ visio lon-

sio longe cernentibus offertur. Quid congrui, quid murænæ, quanto nostris maiores capiantur, aliaq; complura huius generis edulia? In Cartæia vero cerycas, id est murices & purpuras, librarum decem, in exterioribus autem locis murænulã & congrum, minarum supra LXXX. polytum talenti pondus: duorum autem sepias cubitorū, & similia. frequens vero thynnus e uetusto feruore ingenti aruina horsum impellitur. Querna vero quadam glande saginatur, quæ ad mare nascitur, humilis admodum, fertilem ingentemq; impendio producens fructum: quæ quidem copiosa in ipsa etiam terra generatur Hispania. Ingentes sane radices, perinde ac integræ quercus, habens: quæ profecto ab humili radice tollitur nimis. Tantum 10
vero fructum affert, vt post maturitatem littora & extra columnas, & intra, glande referta sint, quam æstus aquarum ciectar. Cæterum intra columnas semper minus ac minus reperitur. Vt autem autor est Polybius, vsq; Latinam ipsæ glandes emittuntur, nisi Sardinia quoq; (inquit) & huic vicina regio ferat. Verum thynni ipsi quo magis columnis propinquant ab exteriori delati pelago, eo amplius esca deficiente macerantur. Hæc in mari belua semper adest, plurimum glande gaudens, cuius cibo eximie pinguescit. Quumq; glandium sit copia, thynnorum itidem sit vbertas. Quum vero prædicta regio omnibus bonis exhuberet, effodiendorum sane metallorum ingenium admireris. Tota enim talibus plenissima est Hispania, non tota tamen procreandis fructibus facilis, nec tota ferax eundem in modum, 20
præsertim quæ metallis abundat. rarum est enim vtriusq; rei commoditate fortunari: rarum & eandem diuersis paruo in loco abundare metallis. At Turditaniam agerq; coniunctus nullam in hoc felicitatis genere rationem commendare volentibus abesse sinit. Nam aurum, argentum, æs, ferrum nullibi terrarū, neq; tantū, neq; tam probatum generari, hæcenus compertum est. Aurum enim non solum ex metallis effoditur, verum etiam fluit. flumina namq; torrentesq; auream deferunt arenam, quæ passim & per loca aquarū indiga existens cognoscitur. Cæterum quum illic quidem minus appareat per aquatilia, quidam elucet grumuli. Quod si quibus a natura negata sunt aquæ, illatis rigantes aquis, dehinc splendescentem efficiunt grumulum, puteos quoq; effodientes, & alia per solertiam tractantes artificia, lauandis arenis vnde & chrysolipsia, id est auri lauacra, sunt appellata. Galli 30
quidem digniora esse sua prædicant metalla, quæ in Cæmmeno monte sunt præsertim, quæ ad Pyrenæum vergunt. verum enim uero quod his locis deducitur magis probatum est. Inter auri micas autem quandoq; dimidia libra ad modum purgationis, grumos quos palas vocant, repertos fuisse memoriæ traditum est, qui paræ admodum purgationis indigeant. Traditum etiam est scissis lapidibus glebulas quasdam papillis mammarum similes inueniri. Ex auro autem excocto & extrenaci quadam creta repurgato, purgamentum electrum rursus excoquitur, commixtionem auri atque argenti habens. Argentum quidem exuritur, cæterum aurum ipsum remanet. forma enim est facile fusilis & lapidosa. Ea- 40
propter paleis aurum potius liquefit, quoniam quum flamma mollis existit, ad illud sese pariter metitur, quod & facile cedit, facileque diffunditur. Carbo autem caloris vehementia liquefaciens & sublimans, magis ac magis absumit. In Erythriis vero extrahitur, & prope lauatur, & in aluiculis vel puteis mundificatur, limusq; huic exhaustus eluitur. Argentarias autem fornaces excelsas efficiunt, vt fumosa illa glebarum euaporatio tollatur in altum. grauis enim est & perniciosa. Arariæ quoq; effodiæ vocantur & aureæ, ex quibus licet per coniecturam agnoscere aurum, inde prius effodi solitum. Posidonius autem quum effodiendi locos multitudinemq; laudibus extollat, & eorum virtutem, a solita minime sese abstinet eloquentia: verum diuino quodam afflatus spiritu per ipsos agitur excessus. Haud enim fidem (inquit) abnego fabulæ, quod syluis aliquando per incendia absumptis terra ipsa, auri atq; argenti feracissima, noua quædam in superficie & superiorem telluris faciem germina efferbuit. Montes enim omnes & omnem tumulum materiem esse moneræ, quam quædam felicitatis abundantia cumula- 50
uit. Quod si quis regionem inspicet (inquit) effluentis vbique perpetuo na-

turæ thesauros, & imperatoris cuiusdam maiestatis nequaquam deficiens ararium esse dicat. Non enim diues tantummodo, sed diuitias sufficiens & suggerens est regio, peneq; illorum (vt vere dicam) subterraneum locum, non infernus, sed Pluto ipse opulentis Deus inhabitat. Talia quidem speciosa quadã figura de hisce locutus est, perinde ac si & ipse de metallis copiosa vñ sit oratione. Effodientium vero solertiam commemorans scitum illud Valerii adiungit, qui in argentifodinis agri Attici sic intente atq; acriter homines effodere asserit, vt in superiora Plutonem ipsum adducendum esse præstolentur.

De montibus Hispania qui nomina mutauerunt.

REGIONVM Hispaniæ descriptionem absoluius quæ in hodiernum nomina mutauerunt, ne legentes auertantur a sensu historię propter ignota nomina regionum. Nunc autem (vt promissimus) itidem faciendum est de montibus, fluminibus, ac vrbibus. Igitur a montibus incipiemus. Sunt montes excelsi in Hispania: primum Pyrenæi, qui Hispaniam a Gallis seiungunt, & incipiunt secundum communem historicorum opinionem a templo Veneris, & Mediterraneo, vltimoq; confine agri Gerundensis, & protenduntur vsq; in Oceanum ad promontorium & ciuitatem sui nominis Easo, quæ hodie Baiona dicitur, seu (vt aliis placet) a vico sancti Ioannis de Lucza, ne scindatur mons. Hi montes vsque in hodiernum suam appellationem retinuerunt. De istorum tamen montium nomine diuersi sentiunt: quoniam dixerunt quidam Pyrrhenæos a Pyrrho Hispani successore vocitari. Diodorus vero libro quarto ait, quod cum mons ipse plenus esset maximis arboribus, plurimisque pastoribus propter greges qui inibi pascuntur, accidit vt die quadam apposito igne monti, quum ventus validus excreuisset, ignis vrens glebas ipsius montis coegit aurum atque argentum colligendum, reliquam ipsorum montium partem incenderunt, & ab ardenti pyra (quæ est lignorum congeries ardens) Pyrenæi montes appellati sunt. Hæc Diodorus. Idem etiam censuit Appianus. Aliqui a crebris fulminum ictibus illic cadentium Pyrenæos dixere, a pyr, quod est ignis. Ab his itaque montibus procedunt & alii montes, qui per Lacham vrbem in Castellam ac vltiorem Hispaniam protenduntur, & ad vltimam Oceani oram in Portugallia terminantur, ad oppida Cintres & Turres vedres: & hi montes Castellæ regnum per medium scindunt in partes duas. A primis enim habitatoribus Ebullei montes appellati sunt. Hi radicem habent a Pyrenæo, atque Cantabris magnam regni Nauarrę partem claudentes. Hi iidem montes, qui in Aragoniam vergunt, mons Caci, siue Moncaio a Caco Hispano dictus, de quo meminit Vergilius lib. octauo. Vnde protenduntur per vltiorem Hispaniam, includentes diuersas vrbes Segouiam, vrbemque Rhoderin (quam Ciuitatensem vocant) & secundum diuersa loca diuersa nomina sortiti sunt. Sunt & alii montes in Bætica, qui ab ora fluminis Bætis alias Guadalcauir supra Hispalim in fretum Herculeum protenduntur, & pene illis clauditur Granatæ regnum. vnde inexpugnabile fit regnum montibus altissimis circumseptum. Hi montes quatenus oram freti Herculei contingunt, Calpe montes ab antiquis scriptoribus appellati sunt: ibique fixæ sunt alteræ ex columnis Herculis, medium habentes inter Malacam & Gades insulam, vbi alteræ fuere fixæ columnæ. Nunc vero mons iste mutationem nominis fecit ab aduentu Arabum, qui eandem inhabitant regionem, & Gibeltarich appellatur. Gibelitaque Arabica lingua montem significat, tanquam mons Tarich. Hic itaque Tarich primus Dux Arabum fuit, qui classe instructa Arabibus de Africa traiecit in Hispaniam. Ipsi vero montes, quum in Hispalim protenduntur, Illipæ montes dicebantur: quum in Cordubam versus, Themarini montes siue Orthofdadæ montes dicti sunt. Erat enim per antea ibi vrbs Calpe dicta a monte ipso. Promontorium vero quod in Oceanum mittit, & Iunonis antiquitus templum habebat, hodie Tarypha oppidum est. Ibi que non longe est Minister portus, & vrbs Belon, & fluuius eiusdem nominis. In hocque monte incipiunt Herculei freti fragores

gores exaudiri, habetque ex opposito Libyam, & alium montem Abylam, quamquam Calpe mons excelsior sit: & hi montes, quatenus ex opposito Malacæ sunt, habent Vlyssæam vrbem & Mineræ templum, vt voluit Strabo libro tertio de orbis situ. Suntque montes ipsi referti auro, argento, ære, ac diuersis metallis, vt idem asserit. Illi vero montes qui Valentiam seiungunt a Murtiæ regno, Vbedæ montes appellati sunt etiam ab antiquis Sturiarum & Biscaïæ. Insuper qui ad Oceanum, alteramque partem Hispaniæ pertinent, Numidicæ montes dicebantur, & a Pyrenæo procedentes per Cantabriam, Nauarræque regnum prolabantur. Item per Biscaïam, Opuscumque, Sturias, & Galleciam, vsque in vltimam oram ad promontorium, vbi ecclesia de finibus terræ sita est. & hi montes secundum vnamquamque prouinciam, per quas progrediuntur, nomen acceperunt. Et propterea mons vrbi Barchinonensi adiacens ad oram maritimam, mons Iouis (vt placet Pomponio Melæ libro secundo & tertio) dicitur. Quod quidem nomen vulgus corrumpit, & Iudaicum montem appellat idiomatum confusio. Sunt præterea Scalæ Annibalis inter Barchinonem & Tarraconem, quæ Costæ de Garaf a modernis dicuntur. Reperiuntur præterea & alii montes in Hispania, omitti ab antiquis scriptoribus, non omittendi propter illorum singularitatem. Sunt enim in Tarraconensi Hispania duo montes: primus in Lætanis inter vrbes Barchinonem & Gerundam, oppositus oppido Blandæ, dictus Mons signi, siue signorum, tanquam nauigantibus per maritimam oram primus totius regionis signa terræ præbeat, siue grauius regionalibus signa pluuiarum, & imbrium signa præstet. Est & alius mons in Comitatu Cardonæ sale plenus, præstatq; omnibus regionalibus salis fertilitate: quem montem, quum maxime sale euacuatur, tunc latus in altum crescere nemo dubitat. Et hæc de montibus sufficiant.

De fluminibus quæ nomina mutauerunt.

RIMVM omnium fluminum Hispaniæ quæ nomina mutauerunt, Bætis est, a quo Bætica Hispaniæ prouincia dicta constat. Hic amnis ortum habet a montibus propinquis Carthagini, qui quondam Orthofdadæ dicebantur, & decurrens per Castulonem & Cordubam, influit in Oceanum Atlanticum ad vrbem Hispalim, clauditque suis terminis prouinciam Beticam, in qua Granatæ regnum situm est. Corduba insuper ciuitas quæ in medio pene fluminis cursu est, ab eodem flumine denominationem habet, vt tanquam cor Bætis dicta sit Corduba. Huic autem flumini Arabes nomen immutarunt, quum Gotthis expulsis Hispaniam obtinissent. Quorum reliquæ in Granatæ regno permanent. Amnem itaque appellarunt Guadalcauir, quod nomen in hodiernum manet. Post hunc oram sequendo Oceani, Anas fluuius est, a cuius nomine prouincia Lusitania dicta est. Hic amnis ortum habens a montibus Orthofdadæ & Vbedæ, vicinis Carthagini & Murtiæ, per mediam vltiorem Hispaniam, & Castellæ regnum decurrens ad oppidum Calatrauam influit in Oceanum ad confinia Portugalliæ, diuidens regna Castellæ & Portugalliæ loco vocato Ianis. Huius autem fluminis priori nomini addiderunt Guadi, quod Arabica lingua interpretatur aqua, & sic Ana Guadiana dicta est vsque in hodiernum diem. Tagus autem qui a Bebulis montibus nascens, per Toletum & Vlisbonam vrbem decurrit in Oceanum, nomen retinuit ab antiquis impositum. Item apud hunc amnem sinxere poetæ (vt ait Iustinus) equas ex aura concipere propter agri vbertatem. Ad præfati Oceani oram Compostellam versus sequitur alius amnis decurrens per Coimbriam in Portugallia, qui ab antiquis Munda appellabatur simul cum ipsa vrbe Coimbria. Hoc etiam flumen a modernis Mundeuo appellatur, estque ibi oppidum ad Oceani littora eiusdem nominis veterem denominationem retinens: apud quod Caius Iulius Cæsar, seu eiusdem Duces, Agrippa & Brutus, bellarunt vltimo contra Pompeii filios, Gneum & Sextum: quorum alter ibi occubuit, alter au-

fugit, quoniam mortuo patre apud Ægyptum posteaquam superatus est in Thesalia apud Pharsalia campos, victis peremptisque Scipione, & Catone, Lucio Afranio, M. Petreio, ac Iuba Getulorum Rege, Pompeii filii Hispaniam omnem occupauerunt. Postea ad eam urbem ad prælium coacti fuerunt. De quo prælio & urbe meminit Lucanus in principio, dicens:

Vltima funesta concurrant prælia Munda.

Et hæc Lusitania dicta est, quanquam enim Lusitania dicta sit provincia, hi tamen specialius qui incolunt Vlisbonam & Coimbriam, Lusitani dicti sunt usque ad flumen Dorium, ut placet Straboni. Post Mundam Dorium est, procedens ex montibus Ebuleis, & decurrens per mediam Castellam, influit in ciuitatem Portum, & hic amnis priscum retinet nomen. Post hunc Liminus fluius est, quem Iustinus Minium appellat ab ingenti copia minii, in montibus Asturiarum & Biscaia, qui quondam Vidumi montes dicebantur, enascens. Hic amnis influit in Oceanum, Portugalliamque a Galliciis se iungit loco dicto Toi, quæ urbs est, & a modernis nomine immutato Vnga vocatur. Post Vngam tria sunt in Galliciis flumina quæ nomina mutauerunt: primum est ad Pontenedrum, quod Vias ab antiquis dicebatur: alterum, quod decurrit non longe a Compostella, Tamarus: tertium est post vltimum promontorium de finibus terræ Asturios versus, Vir nomine. Post hæc in Sturiis tria alia flumina sunt: primum versus Galliciis Vicasus: secundum, decurrens non longe ab Oneto, Natum: post hæc in Biscaia vltimisque finibus Asturiorum Nebealmonus. Item alia tria: primum ad Asturios, Nelus non longe ab oppido Castro: secundum est Negangesia, quem alio nomine appellat Iustinus Chalybim, & ad oppidum Birbao decurrit in Oceanum: tertium ad Nauarram pertinet, & Nerua dicebatur. Hæc quidem flumina aptiora sunt omnibus aquis ad ferri fortitudinem faciendam. Ad partem vero Mediterraneam euntibus, a Bætica & noua Carthagine primum flu. decurrens in Mediterraneum ab oppido Oriola, quod antiqui Oritigum dixerunt, non longe a vicō dicto Gardemar, Alana dicebatur, nunc autem a modernis Segura. alterum vero sequens, quod influit in Mediterraneum, quondam Secabur dicebatur ab antiquis, nunc vero tertium vero quod decurrit per Alzefram oppidum, ab antiquis primo Succon dictum est, deinde Succo, nunc Chucarus. Apud hunc amnem Pompeius pugnavit cum Sertorio, & vicisset Sertorius, nisi superuentu Appii Metelli Pompeius adiutus fuisset. Amnis insuper qui per Valentiam decurrit in mare, Pallentia dicebatur, nunc vero Gaiadalaycar. Qui vero prope Barchinonam decurrit a montibus Pyrenæis, ab antiquis Rubricatus dictus est, a nostris vero r litera est mutata in l, & dicitur Lubricatus. postea Betullo amnis (ut placet Pomponio Melæ) non longe a Barchinone, qui nunc Bisosto dicitur, alias Besotium. Inde Tarnum flumen secus Blandam decurrens, quod Tordera hodie vocatur. Ticer vero amnis qui per Gerundam urbem decurrit, & influit in Mediterraneum ad oppidum Turricellam, nomen retinuit. Cluianus qui non longe ab Emporio, quondam maxima urbe Gerundenfis agri, per occasum influit in Mediterraneum, solam vnam mutauit literam c in f, & Fluuius dicitur, quanquam Plinius de Naturali historia libro tertio illum Fluminalbū appellat. Sembroca alter amnis, qui ad Orientem directæ urbis Emporiæ influit in Mediterraneum, a modernis Sambucha dicitur. Sunt & alia duo flumina quæ in mare non influunt, sed coniunguntur Ibero, de quibus accurate differuit Iulius Cæsar in suis Commentariis, quum aduersus Lucium Afranium & M. Petreium in Hispania apud Ilerdam pugnasset: quorum alterum Sicoris, alterum Cinga appellatur. Sicoris ad Ilerdam, Cinga ad Fragam fluit. Hæc igitur de fluminibus quæ in Hispania nomina mutauerunt, dicta sufficiant. Iam ad vrbes veniamus.

De urbibus Hispania quæ propria nomina mutauerunt.

AM enumeratis ad plenum provinciis, montibus, & fluminibus Hispaniæ quæ nomina mutauerunt, restat & vrbes discutere. Primum itaque ab Oceano, Gadibusque Herculis, ac fretō Herculeo incipientes, oram Mediterranei usque ad Carthaginem, inde alteram oram Oceani cum residuo interiori

interiacenti Mediterraneo, & vltiorem Hispaniam describemus. inde redeuntēs tanquam ad propriam domum, ad citeriorem describendam deuoluemur. Prima igitur omnium ciuitatum Gades erit, de qua meminit Dionysius Alexandrinus, quem ætate nostra Anronius Bacharia Veronenfis transtulit, quod ante aduentum Herculis Tartessus dicebatur. Postea vero quam Hercules ad eam peruenit, statuitque in eadem columnas ad æmulationem alterius Herculis Ægyptii, qui alias columnas statuerat ad alteram Libyæ oram secundum Diodorum libro quarto, ab ipsis columnis erectis Gades Herculis insula, & illius vrbs appellata est. hæc Priscianus. quanquam Strabo libro tertio referat, Polybium dicere eam regionem, quæ circa Bætium est, cognominari Tartessum, Gades vero prius Erythream vocitaram cum duabus adiacentibus insulis. huic autem propinquum est oppidum sancti Lucæ de Baromeda, in nauigatione per flumen Bætium, quod quondam Mendalia dicebatur. illi enim adiacet urbs Belon ad partem freti (quæ hodie Tariffa oppidum est) & erat ibi templum Iunonis & Mnesthei portus: hanc regionem a Calpe monte usque in Bætium amnem, vocitari Tartessum. Alii vero dicunt agrum Turditanorum, qui oppositus est insulæ Gadi per oram Bætis fluminis usque in Sacrum promontorium (quod caput sancti Vincentii hodiernis temporibus vocitamus) appellari Tartessum. De hac enim Tartesso late diximus supra de provinciis quæ nomina mutauerunt. Sed de hac urbe Gade prætereundum non censeo, quod de ea refert Strabo libro tertio de situ orbis, quod quum esset primum oppidum, Balbus Gaditanus vir triumphalis aliud illi insuper ædificauit quod Neapolim, id est nouam urbem, appellauit. Additæ sunt etiam a Balbo ipso insulæ duæ: vna, quæ Didymam appellant, & altera illi adiacens, quæ maximum vrbi incolatum præbuerunt. Adiecit etiam Strabo ad illius magnitudinē, quod adeo creuerat, quod post Romanam urbem, cæteras vrbes mundi anteibat. Et quum illi ager nullus esset, omnes illius vrbes ad nauigationē se contulerant in asportandis Romam rebus mercatoriis, maximeque eis quæ ab Hispania exportabantur. Adiecit etiam Strabo ad illius amplificationem, quod quum census semel exigeretur ex ea, reperti sunt in ea militaris ordinis equites aurati viri quingenti, quod nusquam in aliqua ciuitatum Italiæ compertum, quam in Patauio vrbe. Post Bellonem urbem sequitur vrbs Mellaria ante fretum (quæ nunc Algezira nuncupatur) ut placet Plinio libro tertio. Ptolemæus vero libro secundo vult, quod Algezira fuerit Carteia, Carteia primo a Græcis dicta, sub Calpe monte in Oceano Atlantico locata ante fretum. Inde sequitur Molena, quæ antea Suelum dicebatur, ut placet Ptolem. lib. 2. Ad mediterranea Obebusca est, quæ hodie appellamus Babesiam. Inde est Sisapo oppidum, quod Xeres appellatur, apud quod metalla expoliuntur. Hanc itaque per oram Mediterranei maris sequitur vrbs Granata, quæ ab Arabibus occupata est, a qua vrbe regnum Arabum nominationem capit. Ea autem vocabatur magna Illipula secundum Claudium Ptol. Causam vero mutati nominis authenticam non meminisse legisse, de ipsa tamen vaticinari libet. Consuevere arborum fructus appellari a regionibus, vbi iidem fructus ab initio sunt reperti, ut ait Hieronymus in epistola ad Eustachium, dicens: Cerasa ex eo sic appellari, quod primū Lucullus a provincia Cerasa Romam veniens detulisset, sic a Perside persica. Granata mala punica dicta sunt, quia in fructus apud Pœnos primum reperti sunt. Quum vero Hispania diuitius sub Pœnorū fuerit potestate, persicæ fuit, ut illius generis arbores de Africa translati sint in Hispaniam, & ea vrbs a qua forte per Hispaniam translata sunt, ab eorum fructu cōuersionem nominis fecerit, ut Granata dicatur. Hispano siquidem nomine mala punica Granata appellantur. Almaria vrbs ab antiquis Illibera dicebatur, quæ ad oram Mediterranei est. De hac igitur Illibera vrbe & eius Episcopo Gregorio meminit Hieron. in lib. de viris illustribus, quod est Bæticus. nec immerito illum non expressit Hispanum, sed Bæticum, quum Hispania habeat duas vrbes Illiberas, vnam in Bætica, alteram in Tarraconensi ad iugum Pyrenæi, quæ confinis quondam fuerat nostræ diocesis, de qua suo loco dicitur de urbibus quæ corruerunt in Hispania. Post oram vltioris Hispaniæ, quæ est in Mediterraneo, sequitur & altera ora ad Oceanum. Post Gades Hispalum est. Hanc urbem multi se

Granata. Illipula.

runt ab Hercule conditam, sicq; vocitatum, siue quia palis suppositis condita sit, siue a palude, que maximam urbem circumdat. Hispalis dicta est a prioribus antiquis: Postea vero a Iulio Cesare Iulia Romulea appellata, ut Straboni placuit, a cuius nomine vulgata locutio originem traxit, ut Siuillia appelletur tanquam a Iulio Cesare instaurata, & dicatur ciuitas Iulia: referuntq; præfatum Cæsarem eandem urbem construxisse. quod tamen verum non est, quum apud Titum Lium, Commentariaque præfati C. Iulii Cæsaris, ac Lucium, plurimosque scriptores antiquiores, fiat eius ciuitatis mentio. Potuit tamen Iulius Cæsar illam instaurasse labetem, auxisse, ac dilatare, obtinuit tamen moderna literarum locutio, ut pristino nomine ab eis nuncupetur. Post Hispalim sequentes Oceani oram peruenitur ad Guadianam fluium, regnumque Portugallie, vbi ciuitates Sylua & Eura conditæ sunt, & ad extremum Oceani promontorium, vbi sacrum erat Herculis templum, & sacrum est appellatum promontorium. De hoc vero Herculis templo & sacro promontorio libet aliquid dicere, quum referat Trogus Pompeius Hispanus, quem Iustinus singulari eloquentia abbreviauit, esse in Hispania saltus Tercenorum, apud quos finxere poetæ Titanas bellasse cum diis, in quibus primi Hispanie Reges Gorgonius & Abius regnauere. Hos autem saltus non declarat, vbi sunt, nec bellum Titanum aduersus Deos elucidat, quum ultra fabulam, falsa admodum videantur, quoniam et si fabulæ falsitatis plurimum habent, semper tamen veteres poematibus sunt vsi, quum aliquid ad historiam fictio veritatis habuerit. Vnde Firmianus Lactantius vir eruditissimus, de poetarum licentia primo libro sic loquitur: Hic homines decipiuntur maxime, quod hæc omnia ficta esse a poetis arbitrantur, colunt quod ignorant. nesciunt enim quis sit poetice licentiæ modus, quousque progredi fingendo liceat, quum officium poetæ in eo sit, ut ea quæ vere gesta sunt, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa traducat. Torum autem quod referas fingere, id est ineptum & mendacis potius quam poetæ. Vnde qui hi saltus Tercenorum sunt, videndum est, vbi inhabitauere Curetes, & quid fuerit ad historiam prælium deorum cum Titanis. Saltus enim nemus est Tercenorum. Itaq; vel ciuitas Gades est, vel litus Bætis, ut satis declarauimus. Saltus vero istorum Tercenorum sylua quondam maxima erat ultra Guadianam flumen. Hæc enim sylua protendebatur ab Eura vrbe vsque ad vltimum promontorium Oceani, quod sacrum promontorium veteres appellabant. Hic saltus non longe a Gadibus, siue a Bæti flumine distabat, quem saltum Curetes primi incoluerunt. Ab ipso itaque saltu Sylua vrbs Portugallie hodierno idiomate nuncupatur, quoniam Latino sermone saltus & sylua idem sunt. Quum enim Hercules in Tartessum venisset, finitimi regionis intelligentes aduenam potentissimum hostem aduenisse, finitimamque occupasse urbem, seu prouinciam Tartessum, apud eandem ad ipsam saltum congregari ceperunt amni propinquum. Inde Hercules quum prouinciales apud eundem saltum qui ultra Anam, siue Guadianam flumen est, inuasisset, cum eis certasset, illos prælio vicit, atque propterea parta victoria ibi Herculem iussisse ferunt, atque ludos quos alter quondam Hercules Cretensis patri Ioui instituerat, ibi renouauit, quem ipse se fore mentiebatur. Erat enim gens ea tempestate rudis, & ad bella insueta, & propterea quia illos apud eandem syluam vicit, Titanas cum diis certasse finxere poetæ. cui fabulæ causam tribuit, quod Hercules ad excusandum matris Alcumenæ adulterium propter eius robustitatem Iouis summi dei filium falso mentitus est. Quoniam cum Iupiter Cretensis Herculem alterum qui hunc per multa sæcula antecessit, habuisset filium, a Græcisque ut Deus fuisset adoratus, ille se illum asserens, a Iouè summo Deo genitum rudi populo affirmavit. Vnde Ioui patri ac sibi, tanquam Deo, templa & adorationes constituens infania quadam rudem populum circumuenit. Aduersantes propterea sibi prouinciales populos Titanicos, Herculeos vero deos poeta fingens ad illum saltum Tercenorum pugnasse refert. Quomodo vero Titanes cum Ioue Cretensi antiquiori historia pugnauerint, ex quibus diuersimoda poemata prodierunt. scribit enim Firmianus Lactantius de falsa religione libro secundo (quam historiam hic referre, accommodatum videtur) quod fuit apud Græcos insulamque Cretam quædam

Regum

Regum genealogia a Saturno incipiens, quam propter nonnulla ab eis facta, prima gentium ætas vana superstitione in deos translata esse credidit, de eisque poetæ multa fingentes ad nos multa vana perduxerunt. Saturnus enim huius genealogie principium, & Titan eiusdem frater, Vrani Regis Cretæ filii fuere. Titan enim primogenitus fuit, & Saturnus secundus. His autem mater erat Vesta, fororesque Ceres & Ops. Saturno vero vxor fuit Ops. Quum vero Saturnus fuisset facie hilarior, aspectuque magis decorus, quoniam Titani facies admodum tristior esset, regnumque Titani tanquam primogenito pertineret, suatum est a fororibus matreid præstante consilium, ut Saturnus Titani præficiatur in regnum. re itaque peracta ad concordiam ventum est. Quod vbi Saturno aliquis liber masculi sexus nasceretur, necaretur: eo modo ut successio regni saltem in Titanis filios deueniret. Firmata itaque pactione interueniente Vesta matre, quod primo natum est, a parentibus est extinctum. Quum vero denuo Ops Saturno peperisset geminos, Iouem siquidem & Iunonem, Vesta occultauit Iouem, & Iunonem palam edidit. Quumque Iouem clam educaisset, Ops iterum parturiiuit Neptunum, quem quum denuo occultasset Vesta, iterum & Ops geminos parit Plutonem & Glaucam. Pluto item celatur, Glauca vero oblata in medium statim emoritur. Re itaque cognita Titani, quod nati essent Saturno masculi, quos etiam educaisset, congregatis filiis, aliisque adhærentibus, quos Titanas antiquitas appellauit, Saturnum, vxoremque Opem vinxit compedibus, & in custodia posuit. Quum vero Iupiter Saturni filius adoleuisset, intellexissetq; parentes carcere detineri, collecta iuuenum manu ad liberandos parentes properat, & commisso prælio cum Titanis, Iupiter Titanas vicit, parentesque in regnum restituit, atque in Cretam rediit. Hæc & longe alia de Ioue ac Saturno prosequitur Firmianus Lactantius primo libro de falsa religione. Quum vero Hercules primus, prout inferius suo loco de Herculis dicitur, Iouis filius Regis Cretensis fuerit, ob eiusque virtutes a Græcis ut deus veneratus sit: illum Herculem hic noster Alcides se esse falso mentitus est, atque illius instar quum etiam ipsi Ioui (ut persuaserat) patri ad orationes templa constituerit, poeta fingens Herculem, suosque, deos, Hispanosque cum eo belligerantes Titanas appellauit, tanquam Ioui summo Deo aduersantes & hostes: quod quidem prælium apud syluam ad oram amnis Anæ commissum est. quæ sylua non longe a Tercenorum vrbe distat, nunc vero Gades appellata, apud quam Titanas cum diis certasse finxerunt, siue (ut Strabo & plerique alii voluerunt) apud oram Bætis, id est agrum Turdetanorum, qui (ut supra diximus) Tartessus vocabatur. De hac etiam Tartesso meminit Solinus de mirabilibus mundi, quum de insula Sardinia ageret. Sed iam nunc aliquatenus peruagati ad nostrum propositum redeamus. Post Tercenorum syluam, vbi Sylua, & Eura vrbes constitutæ sunt, Passa in agro Lucentino posita est, quæ licet Latini nominis prioritatem retineat, vulgari tamen sermone conuersionem fecit, & dicitur Badabos. Hanc sequitur Vlisbona vrbs ad oram fluminis Tagi. hæc autem apud veteres Scalabus dicebatur, pro ut supra retulimus in titulo de urbibus ante Herculis aduentum. Inter saltus vero Tercenorum, & ipsam urbem Vlisbonam, & Tagum interiacet promontorium dictum Sacrum ab antiquis, quod nunc caput sancti Vincentii appellamus. in quo ad Oceani oram, post obtentam de prouincialibus victoriam Hercules Ioui (ut assererat) patri, libauit, & ipsi patri & Herculi mendacibus diis templum constituit. quod vsque ad tempora Claudii Ptolemæi perstitit, quanquam multi ex antiquis scriptoribus asserant huius templi institutionem non ad nostrum Herculem, sed ad alterum pertinere, qui columnas in parte Libyæ constituit, ut placet Diodoro. Vlisbonam urbem sequitur Colymbrium quæ simul suo flumini iuncta ab antiquis Munda dicebatur. De qua Lucanus in principio, & Cæsar in Commentariis libro vltimo, & superiori titulo de fluminibus: causam vero mutationis nominis Rodericus Toleranus assignat. Apud ipsam itaque Mundam vltimo pugnans Pompeius maioris Pompeii filius, cum Bruto & Agrippa Cæsarianis ducibus, victus peremptusque est. Colymbriam

c ij

urbem sequitur Portus ciuitas, a qua vrbe Portugallia regnum nomen habet. Dicebatur enim eadem vrbs ab antiquis Lauara. per ipsam enim decurrens flumen Doria latissimo sinu influit in Oceanum. Comperta itaque opportunitate atque salubritate Portus ciuitatis, quum prouincia ipsa Gallecia dicta sit ab Vlisbona vrbe ad omnem Oceani oram vsque in finem Pyrenæi montis, & promontoriū Easo, urbemque Baionam, ideo Portus Galleciæ dictus est. Vnde & Portugallia nomen exortum est, & creuit in hodiernū. post Portum Galleciæ sequitur Compostella, quæ per antea Ara Solis dicebatur. sed verius dicitur, quod locus Aræ Solis sit vltimus locus promontorii, vbi hodie ecclesia beatæ Mariæ de finibus terræ sita est. Compostella vero ciuitas a promontorio & Ara Solis duodecim milliariis 10 distat. Veteres enim Iberi iam vsque a Chaldaeorum finibus progressi, vbi Solem uti deum adorant, illū ab illius ortu vsque in occasum profecti stauerunt: quumque inde ad vltimos terræ fines illum secuti, & vltra non posse progredi cōspexissent, ibi Soli tanquam Deo aram constituerunt. A cuius adoratione & ritu remota est posteritas. quumque ad eam partem Hesperum stellam oriri vidissent, ipsamque tanquam regionibus illis salubrem, compotem stellam nominarunt. Vnde & Compostella vrbs vicina denominationem trahit: eique vicinum oppidum est Clunia. Ad vltimum vero promontoriū Pyrenæi sita est Baiona ciuitas, quæ quondam Easo dicebatur. Sicque vltiorem omnem maritimam Oceani atque Mediterranei maris expediuimus, quatenus ad vltiorem pertinet Hispaniam. In cuius peregrinatione potuissimus & multa Mediterranea atque maritima recensere, vrbes, & oppida, quæ maximis commentariis indigerent, inter quæ ciuitas Complutū est, dicta hodie Alchala lingua Arabica, vicina Toletum (vt placet Ptolemæo) quum post Complutum subiūgat immediate Toletum: sed satis sit principales vrbes & castra expressisse. Iam nunc citeriorem Hispaniam aggrediamur, & primum de insulis disseramus. Sunt itaque in Mediterraneo pelago insulæ tres memorabiles, duæ siquidem quas Baleares vocant moderni, quarum maiorem a maioriore Maioricam, & minorem a minoritate Minoricam vulgus appellat. Hæc itaque insulæ ab antiquis Gymnasiæ primum ante Græcorum aduentum appellatæ sunt secundum Claudium Ptolemæum & Diodorum: postea vero Baleares a Græcis (vt Ptolemæus ait) siue a Romanis (vt ait Diodorus) a peritissimo fundarum vsu, 30 quas veteres baleas dixerunt. Refert enim Diodorus adeo accuratè esse curam ipsis insularibus de fundarum vsu, vt eorum natis statim illarum vsu pro magisterio atque continua exercitatione tradant, nec vnquam quis paruulus apud eorum priscos poterat cibum sumere, nisi matre cōsentiente vt educaretur, prius panem supra palum impositum funda ipsa deiiceret. Quumque in prælium veniūt, tribus fundis vtuntur, prima caput cingunt, secunda ventrem, tertia manu exercentur, adeo vt quum ab eorum manu lapis emittitur, a quodam tormēto emissus videatur. De ipsis insularibus refert Diodorus, nullum habuisse auri & argenti vsu ad Romanorum & Carthaginensium tempora, existimantes si auro & argento carent, omnia in fortuna se facile euasuros. Meminerāt enim Geryonem Chrysaurei filium ob maximas eius diuitias ab Hercule peremptum. Quumque a Carthaginensibus semel fuissent conducti, nihil pecuniæ, auri denique, neque argenti habere curarunt, sed tantummodo mulieres & vinum pro stipendio acceperunt. Hæc Diodorus. Erat enim maior admodum populosa, ad triginta millia hominū, in qua opulentissima fuerunt vrbes Palma & Pollentia secundum Claudium Ptolemæum. In minori vero est Iamna oppidū (quod Ciuitatella hodie ab incolis vocatur) alterum vero oppidum Mago est, a Magone filio Amilcaris, Hannibalis fratre conditum, quum a Scipione Africano fuisset Hispania pulsus. De Balearibus vero populis refert Diodorus libro quarto facetam historiam, quod consueuissent iis qui vxores ducebant, primi ex amicis, secundi, & tertii vsque ad certum numerum mulieris concubitum prætentare rogatu viri, atque quum placuisset, explicato spōso, atque consulto, ad eam vltimus accedebat. Hæc Diodorus. Strabo vero libro tertio de situ orbis addit & aliam de his insulis facetam historiam. Quoniam quum antiquo

antiquo tempore incolæ dictarum insularum infestarentur a quibusdam animalibus, quæ alii cuniculos, alii lepulos vocant (tanta enim illorum multitudo creuerat, vt insulas ipsas inhabitabiles redderent, quoniam & vnguibus terram effoderent, & radices frugum euellerent, vastitatemque inferrent) ii legatos Romanam miserunt petentes auxilia aduersus huiusmodi bestias, quoniam eiecti ab ipsis bestiis propter illarum multitudinem resistere non valerent. Itaque præstitis auxiliis, quum ad mediocritatem reductæ essent, plures ad eas capiendas repertæ sunt venationes. Adiuventæ enim catellæ agrestes, quas ab Africa eduxerunt (eas vulgari idiomate furones appellamus) quæ funiculis ligatæ intra foramina admittuntur: ea vero quæ capiunt, vnguibus extrahunt, aut in summum telluris effugerecogunt, indeque eas venatores capiunt. Sunt autem & alia duæ insulæ, quarum minor caret incolatu. hæc ante aduentum Herculis Pityusæ sunt appellatæ secundum Claudium Ptolemæum atque Diodorum. Dionysius vero Alexandrinus cosmographus dicit primam illam Lausum appellatam. Post Herculis vero aduentum maior insula nomen mutauit, ita vt Ebusa diceretur, quod nomen vsque ad omnia Romanorum tempora retinuit. Dicta Ebusa a candore salis, quod ebori simillimum est. Nunc autem eadem insula Aluiza dicta est ab Auicenna Arabe medico, quem ibi regnasse ferunt Arabum tempore. Huic autem insulæ adiacet altera, dicta a nostris Sementaria, quæ habitatoribus caret. Post insulas Baleares, atque Pityusas, quæ ad citeriorem Hispaniam pertinent, quarum Ebusa Tarraconam, Baleares vero Barchinonam ex opposito habet. Nunc ipsa littora citerioris Hispaniæ describamus. Prima itaque omnium ciuitatum in littore citerioris Hispaniæ Saguntum est (quæ hodie Muriuetus appellatur) quatuor distans a Valentia leucis, quæ quondam opulentissima vrbs Hispaniæ ab Hannibale Pœnorū duce octo mensium obsidione capta est, indeque deuastata, ac diruta, sola antiqua arcis mœnia extant. Vnde a successoribus muri veteres dicti sunt, & a modernis Muriuetus oppidum dictum est. Post Saguntum Oriola vrbs fuit, quæ ab antiquis Orontia, siue Orintigū dicebatur, quam Lucius Scipio frater Africani expugnauit, ac cepit cruciata victoria, quoniam ex oppidanis in ipsa expugnatione duo milia perempta sunt, fuitque ipsa expugnatio statim capta ab Africano noua Carthagine. Hinc sequitur Cæsarea Augusta ciuitas olim Agrippa dicta ab eius conditore Agrippa (vt multis scriptoribus placet, inter quos Strabo libro tertio, & Plinius item libro tertio de Naturali historia) quæ prius vocabatur Salduba: conuersionem autem nominis ei dedit Augustus Cæsar, posteaquam deuicto Antonio Romanam rediens est cognominatus Augustus, qui victoria arma quum transfulisset in Hispaniam, ibique Vaccæis, Illirugibus, plurimisque Hispaniæ populis perdomitis, demum Agrippam, vel Saldubam urbem venit, eamque ampliauit, atque ex suo nomine Cæsaraugustam nominauit. Apud amnem Iberum duæ quoddam florentissima fuerunt vrbes, quæ hodie in parua oppida sunt redactæ, Ascua prima, quæ a modernis Asco oppidum dicitur. Altera Ascapa, quam hodie Cespum vulgus nominat. Est & præterea oppidum ad Iberum, quod Hitona dicitur, Octogesima ab antiquis appellatum: de quo Cæsar meminit in Commentariis ciuilibus belli libro primo. Vicus ciuitas ab antiquioribus Aufa dicta est: a recentioribus vero Aufonia. Aufam multi dixerunt ab aufu hominum, quum cæteris confinitimis sint audaciores: quidam vero Aufoniam, tanquam ab Aufoniis qui Itali sunt, condita sit, de quibus Aufoniis meminit Vergilius sapius. Post Aufam, siue Aufoniam (quæ tamen Vicus ciuitas nuncupatur) Berga oppidum est, quod veteres Birginium appellauerunt. Post hos iam nostram intremus dicecesin, in qua Byssildiuo oppidum est, quondam vrbs quæ Betula dicebatur. Inde Balneole oppidum, quod Aquæ Votonis per antea dicebatur, vt ex itineralio Antonii Pii constat. post nostram dicecesin sequuntur Ceretani, quorum apud antiquos maxima vrbs fuerat Libyca, quam Iulius Cæsar Iuliam Libycam appellauit. Nunc vero ad parui momenti arcem, rutissimam tamen, redacta est. Et iam expediti ab urbibus quæ nomina mutauerunt, nunc delatas vrbes aggrediamur.

De urbibus quæ quondam florentissima in Hispania sunt deletæ.

Signorantia prouinciarum propter mutationes nominum urbium, mortium, & fluminum legentibus verum sensum impedit, itidem quoque existimandum est, quum memorantur florentes quondam vrbes, quæ diuersis casibus sunt deletæ: quæ quum non appareat quibus in locis extiterint, turbationem legentibus inde fieri necesse est. Ideo vrbes quondam memorabiles Hispaniæ statui recensere, præmittens quod multæ fuerunt in Hispania vrbes & oppida deleta, quæ in veteribus historiis nominantur. Nunc autem nec earum vestigia exstant, neque euerfiones illarum memorantur. De quibus recensere libet, quod refert Strabo Polybium dicere in tertio libro T. Tiberiū Gracchum in Celtiberia tercentas vrbes euerfisse. Quod idem Strabo videtur irridere, vt more comico dictum, nisi turres vrbes dixisset. quanquam Lucius Florus in suo Epitomate secutus Titum Liuium libro secundo dixerit, Tiberium Gracchū patrem duorum Gracchorum Celtiberos centum quinquaginta urbium euerfione multasse: in Bæticaque primam omnium urbium deletarum Calpe urbem esse in radice montis Calpe, quæ posita erat ad fretum Herculeum, de qua meminit Strabo libro tertio, referens Timosthenem dicere illam ab Hercule conditam, & Heracleam appellatam: ostentari etiam magnum murum in circuitum & naualia. estque mons Calpe, & quondam vrbs in Turdetania. Ab eo enim monte in nouā Carthaginem tenditur, & ab iis temporibus quibus Titus Liuius eloquentissimam historiam texuit, vrbs collapsa refertur. Vnde a Lusitanis erit incipiendum. Prima itaque omnium Lusitaniæ erit vrbs Lemacenorum, quondam opulentissima, grandi murorum ambitu circumspecta inter flumina Doriam & Liminum, quem Liminum vulgus Vngium vocat. Collapsa vero refertur Traiani Imperatoris temporibus propter rebellionem. Erat autem ipsa vrbs Dorio flumini satis propinqua, vicina Portugalliæ regno. Erat præterea maior omnibus urbibus Hispaniæ secundum Claudium Ptolemæum, a qua Lemacenorum vrbe, vel ab amne Limino, illius agri incolæ Limicæ dicti sunt. Secunda opulentissima quondam vrbs Hispaniæ fuerat Norbea, quam Claudius Ptolemæus Cæsaream appellat, propterea quia quum in primo ciuili bello partibus Cæsarianis adhereret, a Pompeianis, siue Sexto Pompeio, vel Petreio, seu Afranio Pompeianis ducibus in odium Cæsareanorū euerteretur. vnde Norbea Cæsarea dicta est. Hæc enim vrbs situm habuit in Lusitania inter duo flumina Tagum & Anam nunc Godiana appellatum, Tago tamen magis appropinquabat. magna siquidem & opulentissima quondam vrbs erat, ad cuius æmulationem, vel verius satisfactionem Augustus Cæsar superata Hispaniæ urbem aliam illi vicinam instituit ex dispersis populis, & veteranis Hispaniæ militibus qui cum Cæsaris Iulio seu Augusto militauerant: quos quoniam emeritos appellabat, ideo Emeritam urbem vocauit. Ad alteram partem Norbeæ vrbs constructa, quæ amni Tago magis appropinquat, quæ perstitit vsque ad Gothorum tempora, maxima quidem vrbs, Lusitaniæ metropolis, temporibus Diocletiani & Maximiani Cæsarum, in qua multi martyres passi sunt: inter quos fuere Eulalia ab Emerita vrbe oriunda, & Iulia eius soror, quarum in Elnensi ecclesia corpora quiuescunt. a Mauris itaque euerfa putatur, quoniam Gothorum Archiepiscopum habuit, qui interfuit pene omnibus Toletanis conciliis. Et inde deleta Emerita, metropolitana sedes translata est in Ouetensem, & ab Ouetensi in Compostellanam. Tertia vrbs euerfa est in Asturiis Asturica Augusta, quæ etiam a Mauris euerfa putatur. sita enim erat in planicie inter Piforgiam atque Storgiam flumina, interque duas vrbes Legionē & Burgium. Oppressi siquidem Christiani a Mauris plana deseruere, atque in montana confugientes Ouetum urbem condiderunt, seu ampliarunt. qui Pontificum summorum cōcessione Ouetum metropolim Galliciarum effecerunt: inde per posteros Reges ædificata Compostella, ipsam metropolitanam ecclesiam in Compostellam transtulerunt. Erat præterea & alia vrbs opulentissima quæ Illiturgiū dicebatur, non longe ab Aragoniæ finibus distans, quæ Publius Cornelius Scipio, is qui Africanus cognominatus est, incēdit atque evertit in

tit in vindictam patris & patrui, qui illius vrbs opere perierunt. Obteta siquidem noua Carthagine ab ipso Scipione, prima aggressione Illiturgiū inuasit, atque igne vastatam deleuit. hanc itaque non longe a Medina cæli distare Titi Liuii designationes ostendunt. Deinde fuit & altera vrbs Castulo quondam opulentissima, medium tenens in citeriorem vltioremque Hispaniam, de qua Silius Italicus de bellis Punicis libro primo:

Fulget præcipuis Parnasa Castulo signis.

Et Plinius de Naturali historia libro tertio: Longitudo citerioris Hispaniæ est ad finem Castulonis a Pyrenæo, sexcēta septem millia passuum, & paulo amplius: latitudo a Tarracone ad littus Olarsonis cccvix. ab hac enim vrbe, quanquam collapsa atque diruta, a multis creditum est Castellæ Reges traxisse nomen. vnde versus:

Castulo barbarica luget ditioe Granada.

A qua Rex habet denominationem Castulonensis. Fuit enim hæc ciuitas ab eodem Africano in patris & patrui vindictam euerfa, quæ non longe ab Illiturgi eadem supputatione distabat. Hæc sunt vrbes vltioris Hispaniæ quæ deletæ maxime memorantur. Iam nunc ad citeriorem Hispaniam veniamus. Prima igitur omnium urbium citerioris Hispaniæ est Numantia, cæteris Hispaniæ urbibus vulgarior propter virtutem ac res ipsius mirifice gestas: quæ vrbs in citeriore Hispania sita erat inter medios fines Cantabrum, Vaccorum, & Galliciæ, qui hodie termini sunt Nauaræ, Castellæ, & Aragoniæ regnorum fines, vt placet Claudio Ptolemæo in eius cosmographia, nec non & Tito Liuii, & Lucio Floro in suo epitomate. Estque illius situs ad oram Iberi supra flumen, secus oppidum Grunium Catabricæ prouinciæ, modico in colle subleuata, maxima vndique planicie circumstante, vrbi per montis radicem decurrēte Ibero. Eratque (vt placuit Lucio Floro) nec muro circumdata, nec turribus munita, quia ex ipsa naturalis situs natura munitissima erat, difficillimum hostibus aditum præbens propter eius circumundique altitudinem. vidimusque ipsi oculis situm præmissis autoribus concordantem. Proptereaque in hac describenda errauit Pomponius Mela, qui illam hodie Cæsaraugustam dixit appellari, quia nec situs, nec locus possunt illi conuenire. quod Strabo declarauit libro tertio, vbi dicit Numantiam distare a Cæsaraugusta stadiis octingentis, quæ sunt milliaria centum. Quo itinere Cæsaraugusta recte distat ab oppido Clunia, vt est dictum. Addit etiam idem Strabo, quod Numantia supra Iberū sita fuerat. Erat enim vrbs Carthaginis, Capuæ, Corinthique opibus aliquantulum impar, virtute tamen omnibus præstantior. De cuius ruina dicitur inferius latius in gestis Romanorum in tertio Punico bello: solum sufficiat de eius ruina ac situ nunc mentionem fecisse. Post Numantiam commemorabo Sagūtum maximam olim in Hispania urbem (quæ hodie Muriuctus appellatur) non longe a Valentia distans: de cuius situ dicitur infra libro quarto in eius vastatione. post Saguntum quæ vicina Ibero fuerat, Iberia est quondam nobilissima vrbs, ab Iberis condita. De ea etenim sepius signanter meminit Titus Liuius, quum describit ingressum Cornelii Scipionis in Hispaniam classe instructa. Refert enim secunda decade nauali certamine pugnasse cum Hasdrubale fratre Hannibalis, ac Imperatore Pœnorum apud eandem urbem Iberiam, cuius situm late ibi declarat. Erat enim eadem vrbs ad alteram partem fluminis Iberi Occidentem versus, cuius ruinæ hæctenus ibi videntur. Post hanc fuit vrbs Bilbilis in Vrgelensi agro posita secundum Claudium Ptolemæum, a qua vir maximus Valerius Martialis poëta clarissimus traxit originem. Post Bilbilim fuit quondam maxima nobilissimaque vrbs, dicta Carthago vetus Hispaniæ, situm habens secundum Claudium Ptolemæum libro secundo eo in loco seu prouincia, vbi nunc Villa franca Pœnorum est constructa inter populos Ilarqueones. a cuius Carthaginis deuastatione ac gentis, nomen hæctenus est prouinciæ Pœnorum. Hæc quidem vrbs colonia Carthaginensium facta, post obtentum Hispaniæ dominium ad effodiendum aurū argentumque a montibus Pyrenæis ac vrbi propinquis se totam contulit: a qua effossione Carthago maxima ac omnigenere diuitiarum affluentissima facta, omnibus for-

midabilis apparuit vsque ad tempora Cornelii & Publii Scipionū patris & patrui, illius qui primo Africanus est cognominatus, qui (vt superius diximus) eam expugnauit, ac deleuit. Noua vero Carthago seu ab Hannibale secundum Plinium de Naturali historia libro tertio, seu ab aliis Pœnis (vt multi voluerunt) cōdita, non ab alia magna Carthagine noua Carthago, sed ab ipsa veteri Carthagine Hispaniæ dicta est, vt iam dicto loco condita & statuta. Post veterem Carthaginem ciuitas Rubricata erat ad oram fluminis Rubricati ad occidentalem partem a flumine dicta. Vrbi autem & flumini nomen dedit eiusdem nominis gēs, sicuti de Iberis superius diximus. Fuit enim ea gens ex Africa in Hispaniam translata Carthaginensium temporibus. Habet enim Africa quasi ex obiecto fluminis Rubricati alium amnē 10 eiusdem nominis, cuius finitimi Rubricati appellatur, de quo Africano amne Rubricato meminit Cæsar libro secundo ciuiliis belli, & Claudius Ptolemæus libro quarto. Ex huius enim ora incolæ translati in Hispaniam oram ipsius fluminis per longum incolentes, nomen flumini ac prouinciæ dederunt, urbemque in ea condiderunt a nomine patrio Rubricatam appellantes, ex cuius ruina Barchinona ciuitas aucta, de tenui oppido in urbem magnam creuit. Rubricatam in super urbem sequebantur tres nobilissimæ ciuitates in nostra dicecesi. Prima omnium erat Emporium a Græcis Phocensibus quondam condita, a qua Emporitana prouincia hæc nostra dicecesis appellata est, vrbs quidem & nobilissima, & maxima quondā, 20 de qua sepius meminit Titus Liuius in vita Marci Portii Catonis illius qui Censorius dictus est, qui quum iam deleta Carthagine Consul in Hispaniam missus aduersus multas Hispaniæ prouincias apud eandem urbem sepius pugnasset, & quidem prospere (vt refert Flauius historicus qui ea tempestate annalia describebat) in agro Gerudensi atque Emporitano, vbi pugna cōserta fuit, victore Catone x. l. millia Celtiberorum occubuisse. Cato vero suam historiam scribens refert, detractor laudum suarum, multa millia hominum interuenisse, sed numerū non expressit. In eadem etiam vrbe referunt scriptores moderni Iulium Cæsarem instituisse coloniam Romanorum ciuili bello, itemque peracta dicta colonia māsisse urbem sub triplici custodia, murorumque distinctione, diuersis spatibus ac idiomatibus se- 30 iuncta. Vna siquidem quæ ad littora maris ad Orientem spectabat, Græcorum erat: altera vero quæ ad Occidentem, Romanorum: tertia vero quæ ad Septentrionem vergebat, prouincialium seu Celtiberorum erat. Hęc enim vrbs in tres diuisa, singula vallo mœnibusque seiunctæ, alia aduersus aliam se tutabatur. Ad eam itaque ab Italia veniens in Hispaniam Cæsar applicuit, pugnaturus aduersus Pompeianos qui Hispaniam obtinebant, L. videlicet Afran. M. Varronem. Habuit autem hæc vrbs eandem originem cū Massiliensibus ex Phocensibus Græciæ populis, in qua (vt refert Strabo lib. tertio) cum ipsis Massiliensibus Dianam Ephesiam maxima veneratione colebant. Hęc gens quum primum littori applicuisset, apud paruam admodum insulam, quam Palæpolin prius vocitabant ex oppo- 40 sito vrbis (nunc vero Medā appellant) habitauerunt: inde postero tempore ad continentem translati, simul cum paucis ibi stantibus incolis habitauerunt, seiunctis tamē mœnibus, sed ex communi concordia temp. administrarunt. Deinde Iulius Cæsar adductis ibi Romanis populis tertiam urbem constituit, quam Coloniam Romanorum effecit. Appellata est autē Emporium Iuncaria, sicuti noua Carthago Spartaria, ab amne nauigabili qui in eo agro ab oppido Iuncaria emanat, per urbemque delabitur, & ab eo vsque in Italiam nauigatur. Hęc Strabo. Satis itaque sit de Emporio hæc perstrinxisse. Ferunt autem quidam hanc urbem Traiani temporibus euersam propter rebellionem, quod tamen non existimo verum, quum legatur Maximiani & Diocletiani temporibus constituisse, diuersasque inibi per prætores exercuisse passiones martyrum, fuerūtque a patribus inibi statuti episcopi. utcu- 50 que igitur euersa sit, illam non extare nunc certum est. qualisque & quanta fuerit, ostendunt ruinae ac vestigia collapsæ vrbs. Erat præterea & altera vrbs in præfata nostra dicecesi, de qua meminit Titus Liuius & Valerius Antias, ad orā maritimā sub iugo Pyrenæi posita, quæ quondam Rhoda dicebatur, a Rhodis condita. Ad quam veniens Marcus Portius Cato, is qui Cenforius est appellatus, ad domādos nonnullos

nonnullos Hispaniæ rebellantes populos, ad eam primum applicuit ex portu Lunæ, prout in vita præfati Catonis legitur. Ipsa vero vrbs collapsa manet omnino carens incolatu, eiusque pauca admodum vestigia manent, præter insigne quoddam monasterium sub beati Petri nomine constructum, cui cognomen de Rhodis inditum est a vicina vrbe, quæ in radice montis locata fuerat. Monasterium enim collem vrbi superiorem occupat. Hęcque vrbs vsque ad Gotthorum perstitit tempora, & Episcopos habuisse legitur qui diuersis conciliis interfuere. Fuit & alia vrbs Iuncaria dicta in nostra dicecesi sub iugo Pyrenæi, quæ etiam collapsa, manet redacta ad parui momenti oppidum, quod tantum viatoribus solum est præstare receptaculum, de qua meminit Ptolemæus libro secundo. Et sic finem faciemus narrationi direptarum urbium.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON

LIBER SECVNDVS.

De aduentu Herculis in Hispaniam.

20



VASTATA igitur Troia sub Laomedote Rege infelicissimo, traditaque ab Hercule Hesionæ præfati Laomedontis filia Telamoni Salaminiore Regi in concubinam: is vtique omni sceleratissimo sceleratior quum nihil in Asia prædandum conspexisset, audita Geryonis Hispaniarum Regis fama, quod ditissimus esset (vt refert Iustinus libro vltimo) ad illum prædandum animum flexit. Erat enim Geryon ea tempestate armentis ditissimus, in quibus solis tunc hominum diuitiæ cōsistebant. Magna itaque manu pugnatorum hinc inde collecta ex diuersis Asiæ, Libyæ, Europeque populis, instructa classe in Hispaniam pergit. Peragrato siquidem Phœnicum regno, in quo clarissima tunc Tyrus, & Sidonis vrbes erāt, Achaiæque ac Illyridis discussione facta, per Italiam nauigans alto pelago in Hispaniam properat. Ab Aufoniis itaque ac Latio vbi nunc Roma est, & quæ quondam Aufonia & Latium dicebatur, per oram maritimam ad montem Tuscæ Tiberi propinquum peruenisse ferunt. Ex cuius aduentu nomen portui inditum est, vt portus Hercules diceretur, quod vsque in hodiernum durat. Inde per pelagus mediterraneū in Sardiniam peruenit, ibique cum inter insulas Sardiniam Corsicamque, quæ quondam Cymus dicebatur, apud paruam insulam in intermediam libamina prospera nauigatione diis obrulif- 30 set, eam ex suo nomine Herculis insulam appellauit secundum Claudium Ptol. Sardis autem filium Sardum Regem dedit, qui ex suo nomine insulam Sardiniam nominauit. Fuit enim Sardus filius Herculis secundum antiquorum scripta. Altera vero nauigatione ab insula Sardinia Cyroque in Balears insulas peruenit, quæ ante præfati Herculis aduentum Gymnasæ dicebantur secundum eundem Ptolemæum, quanquam Diodorus referat a Romanis Balears esse dictas: in quo potius Ptolemæo credendum esse puto. Quum enim insulares inauditam ferocemque Græcorum gentem fundis, quæ Græca lingua baleæ appellantur, propellerēt ac propulsarent, Hercules Balears insulas censuit appellari. Habebant enim per eadem tempora iidem insulares peritissimum fundarum vsum, vt supra de vrbs 40 quæ nomina mutauerūt, late differimus. Quumque primo in minorem insulam peruenisset, tēplum Iano dicauit, cui rerum initia consecrare solebat antiquitas. intrans enim in Hispaniam eam expugnaturus, Ianus deum sibi propitiatorem statuit, apud oppidum quod nostris temporibus Ciuitatella dicitur, & tēplum Iano statuit, & urbem, quam a Iani templo Ianam appellauit: portusque ab vrbe nomen retinuit vsque ad Ptolemæi tēpora. Ab insulis itaque Balearibus & altera na-

uigatione in alteras insulas minores Tarraconę oppositas peruentum est, quę ante eius aduentum Pityusę dicebantur, quę ab eodem postea mutato nomine Ebusę sunt dictę, prout superius dictũ est in capite de urbibus quę nomina mutauerũt. Et a Pityus in insulis in Oceanum properans, quidam dixerunt iam primum Hispanię oram attigisse apud Dianę promōtorium, quoniam Dianę templum ibidem erat, quod Herculi ad ea littora in Hispaniam intranti ascribitur, quoniam ducatus itinerum ac fyluarum Dianę tribuebatur. indeque per altum pelagus ad Herculeũ fretum peruenit. Vbi primum resedit, & columnas fixit ad emulacionem alterius Herculis qui alias fixerat ad alteram Libyę oram. ab eodem siquidẽ Hercule fretũ Herculeum ibi dicitur, Junonisque eo in loco construxit templum, quod vsque ad 10
Claudii Ptolemei perstitit tempora: cui terrarum spatia ac planicies gentilium obferuantia consecrabantur. Indeque in Gaditanam insulam nauigãs, in ea aliquandiu resedisse ferũt, quę quondam Tartessus dicebatur. Deinde accinctus ad pręlium ad oram Anę fluminis cum prouincialibus decertauit. Ex cuius pugna finxere poetę, Titanes pugnasse cum diis apud saltus Tercenorũ. Victis que prouincialibus quum ibi lussisset gaudens de obtenta victoria, ab Ana flumine & Iuso facto Lusitaniam prouinciam dixit (vt supra diximus) quãquam Plinius libro tertio de naturali historia sic propterea dicat appellatam, quia apud illam Liber pater, ac Lyfas luserunt cum Phana eiusdem Liberi pręfecto. Inde Hercules victor ingres- 20
sus Hispaniam ab vltiori Hispania in citiorem peruenit, in qua regnabat Geryon, eumque cum pręlio vicisset, interemit, omnemque Hispaniam in suam subegit ditionem. Tartessum autem urbem in Gades mutato nomine ex Tyriis & Sidoniis ampliavit. Post enim Herculis aduentum, ex Tyriis & Sidoniis fuit eiusdem urbis incolatus & ampliatio secundum Iustinum vltimo libro suarum anti-
quitatum.

De origine Herculis nostri & eius sceleribus.

REM maxime difficilem aggredior, dicturus de Hercule nostro, in quo omnes fere scriptores, tum varii, tum ignari Herculem, errore quodam ducti sunt. Scribentes enim de Hercule, quidam quod tantum vnus fue- 30
rit Hercules putauerunt: gesta que omnium huic nostro Herculi qui venit in Hispaniam, tribuunt. In quo numero fuit Toletanus noster, nec non & Firmianus Lactantius lib. primo de falsa religione, plurimique alii. Nonnulli vero plures Hercules confitentur, nec tamen inter eos facta partiuntur, sed illa inter se conculcantes, qualis quisque fuerit, non discernunt. ex quibus est Iustinus post Trogum Pompeium penultimo lib. Papias insuper quum duos fuisse Hercules asserat, ipse eos non discernit. Dicit enim duos Hercules, vnum Argium, alterum Etham. Ioannes insuper Boc. in lib. quos de genealogia Deor. inscripsit, quũ diuersos admodum Hercules confiteatur, de illorum singulis gestis non differit. Eodem etiam modo August. noster in xviii. libro de Ciuitate Dei, quum secretio- 40
ri historia plures Hercules esse confiteatur, inter eos facta non diuidit. Sic & Macrobius libro Saturnalium: Non existimes (inquit) Alcumene apud Thebas natũ solum, vel primo Herculem nuncupatum, immo post multos atque postremos ille hac appellatione dignatus est, quod multa fortitudine nomen Dei promeruit. Ego vero plurimis hinc inde digestis codicibus quę de Herculis inuenire potui, proferam in medium. Et primõ de nostro disseram. Hercules enim nomen Græcum esse monstratur, & Græce Herculeos dicitur, nomen compositum ab her, quod Græce significat hominem, & culeos fortem, siue strenuum, agonefque superantem. Hic autem, de quo dicturi sumus, natus est in ea Italię ora quę magna olim Gręcia dicebatur, ciuitate Tarento, ipsius enim pater ignoratur. Erat 50
in ea vir priuatus nomine Amphitryo, cui erat vxor nomine Alcumena: quę hũc Herculem absente viro peperit ex adulterio, & Alcidem appellauit. Sic enim eum appellat Vergilius in septimo Æneidos, dicens:

Tergemini nec Geryonis spoliisque superbus Alcides aderat.

Postea vero Alcides Thebas Euboias mittitur educandus, qui admodum puer quum

quum semel duo ei serpentes occurrissent, ambos pariter interemit: quumque co-
ætaneos suos iam animo & virtute superaret, Hercules cepit cognominari. Per an-
tea enim precesserat alii eius nominis, qui hoc Herculis nomine insigniti immor-
talitatem famę iam fuerant cõsecuti. Hic autem quum adoleuisset, magna que de
eo roboris ac virium corporis fama percurreret, Peleus dolo concepto quum Ia-
soni nepoti parasset classem virosque strenuos ad vellus aureum conquirendum,
ei hunc Alcidem focium dedit. qui expleta nauigatione in Colchos, delectaque
Troia, cum Laomedonte Rege, ac suo ad fraudes Iasone ob raptum Medę,
quum iam sibi nihil prędę in Asia Gręciaque esset, audita fama Geryonis Hispa-
nię Regis, quod ditissimus esset pecudibus & armentis, quę tunc solę hominum
diuitiã habebantur, cogitauit in Hispaniam venire sola prędę cupiditate allectus,
vt placet Trogo Pompeio. Non ergo quisquam putet hunc Herculem nostrum il-
lum esse, qui illa xxxi. pericula superauit, neque illum qui Antęm in Oeta monte
peremit, neque illum alium quem Gręci Deum putauerunt. Hic enim noster sce-
leratissimorum sceleratissimus, & omnium sui nominis deterrimus fuit. Hic enim
quum ex adulterio Alcumene procreatus esset, poetę ad excusandum adulescẽtũ
matris, sibi que adulari cupientes, finxerunt Iouem cum Alcumena cõcubuisse, ex
Ioueque hunc Herculem peperisse infantem, qui quum tãdem cepisset bella fa-
cere, nec quicquam quod ad vitium, sceditatem, atque immanitatem pertineret,
20
omississet, deductus ad Troianam urbem ad perdendum eam dedit operam, & illa
duo sceda ac immania facinora, ab omni que posteritate vituperanda commisit,
Regem scilicet Laomedonta deuictum armis propriis perimendo, truncãdoque
manibus, & eiusdem Regis filiam virginem Telamoni Aiaci tradendo in concu-
binam, vt superius diximus. Qui item quum in Colchos peruenisset, quam de-
prauata consilia Iasoni dederit, docent historię velleris aurei. Operatis siquidem
fraudibus, raptã Medea, orbatoque patre qui aduenas summa pietate colebat, co-
gitauit in Hispaniam transfretare. Collectaque magna manu Tyrionum, ac Sido-
niorum, Italicorumque classe instructa in Hispaniam venit. Vbi quum alterum
Hispanię Regem, seu tres fratres Geryones etiam armis victos peremisset, falso
30
mentitus est se Deum, Iouisque filium, nouamque in Hispania ac falsam introdu-
xit religionem, atque omnia quę ad priscos sui nominis Hercules pertinebãt, lau-
dãdam occupauit. Sic itaque noua per eum introducta religione, ad multorum
prędãdam conquirendam omnium decimas sibi mendaci pręstari diuina autoritate
decreuit, vt refert Diodorus libro quarto & quinto, & Iustinus libro penultimo.
De isto enim Hercule, quanquam aliorum virtutes huic referat Rodericus Tole-
tanus, tãquam qui pręter vnicum Herculem aliorum noticiam non habuerit, sub-
dit in istius detestationem: quod satis fuit Hispano successori direpta & prędata ab
Hercule emendare ætate sua, tanquam qui nihil laudis & virtutis dignum Hispani-
nis reliquerit. Illius vitia prosequitur Firmianus Lactãtius de falsa religione libro
40
primo. Inde postquam Hispaniam iam multis annis prędis & incurfionibus sce-
dasset, euocatus a Telamone Salaminorum Rege cæterisque Gręcis pro vindi-
cando Helenę raptu, cuius causa extiterat ob raptum Hesione, venissetque in Ita-
liam regnumque Fauni, recepto ab eodem Fauno humaniter curauit eius filiam
stupro polluere nomine Carmentem Nicostratam. Ex cuius concubitu creditum
est Latinum Regem genuisse. Traditque nonnullis deitatis ac religionis ceremo-
niis Latinis, & maxime Pontificiã domui (vt refert Iustinus libro penultimo, &
Valerius libro primo) in decennali obsidione Troiana post annum firmata obsi-
dione obiit correptus febre. cuius vim ac imperum quum ferre non posset, in ar-
dentem ignis pyram se iactare instituit, atque ministrata sibi camisia a Deianira e-
50
iusdem concubina, ea indutus in ignem se proiecit. cuius mortem poetę fictionibus
ornantes dixerunt Deianiram cum ipsa camisia sibi ministrasse venenum, qua
autore se in ignem pręcipitauit, sed tamen veraci historia ex eo fuit, quia ardorem
febris ferre non poterat. Hęc de Hercule nostro a veridicis scriptoribus relata
comperta sunt. Iam nunc nobis ad alios transeundum est.

De pluribus aliis Herculis.



VGVSTINVS in xviii. libro de Ciuitate Dei multos Hercules ac Liberos patres secretiori historia fuisse affirmat. quam secretā historiam cum multi ignorauerint, nos Deo ductore eā aggrediemur, primoque dicemus vnum fuisse Herculem natione Syrum ex Phœnicia, ad quem illa xxi. pericula referuntur, quem Samsonem (vt opinor) dixit antiquitas. Hunc affirmat Diodorus libro tertio & quarto præcessisse Troianum bellum annis fere mille, quibus temporibus nondum arma erant ad bella apta, sed tantum homines fustibus utebantur pro armis, & pellibus pro indumentis. Angust. vero eodem loco quem multi sequuntur, refert illum fuisse tempore Moyfi alias exactis annis anno ab orbe condito millesimo tertio, ac sexcentesimo quinquagesimo secundo tribus millibus sexcentis quinquaginta duobus. Itumque Herculem aiunt Syrum Delphiniamque appellari apud Phœnices. vnde de eo hæcenus Macedonibus remansit nomen, vt Dethanans appellatur. Secundus fuit Græcus, filiusque Iouis Crætenfis Regis, ac nepos Saturni. Ferunt enim veteres scriptores Iouem habuisse duos filios Herculem & Dionysium, qui Liber pater dictus est. Hercules enim in Creta insula & Græcia regnavit, Dionysius vero intrauit in Indiam ibi regnatus, duxitque secum mulieres quas Bacchas appellauit. De istis enim duobus refert Iustinus, quod fuerunt Reges Orientis, lib. xlii. quoniam alter in India, alter in Græcia regnauerunt. Fuerunt autem Hercules & Dionysius Iouis filii per annos circiter trecentos ante Troianum bellum, vt de eis meminit Firmianus Laetius in fine primi libri. hicque Hercules computationem Olympiadum constituit, ac Olympiacum ludum, multaque laudanda Græcis reliquit, propter quæ ab indocta multitudine Deus putatus est. de isto etiam Hercule meminit Augustinus dicto xviii. lib. Hunc Herculem falso se fuisse finxit Hercules noster Hispanus, de quo superiori loco diximus. Tertius Hercules fuit Ægyptius siue Afer, de quo disseruit Diodorus lib. primo & quarto antiquitatum. Et hic Ægyptius siue Afer Antæum palæstre inuentorem in Oeta monte peremit. Mōs enim Oeta in Libya est. hic Antæus Tangin urbem in Mauritania Libyæ construxit, apud quam urbem sepultus comperitur. De cuius corporis magnitudine refert Plutarchus in Sertorii vita, quod quum cepisset ipsam urbem Tangin, ibique multa diceretur de magnitudine corporis ipsius Antæi, quum ibi esset sepulchrum corpus ipsius, ipse Sertorius iussit aperiri sepulchrum, in quo quum nihil inueniretur, illud effodere iussit: vbi comperit ossa illius lōgitudinis cubitorum lxx. Hic enim Hercules Ægyptius siue Afer totam peragrauit Libyam, & quum peruenisset in Oceanum, ibi columnas fixit ad Libyæ partem. ad cuius æmulationem noster Hercules, quum in Hispaniam venisset, fixit alias ad partem Europæ in Gaditano, vt meminit Diodorus libro quarto. Hic autem Hercules Ægyptius siue Afer per annos ultra centum Troianū bellum antecessit, & hic a multis Nili filius dictus est, tanquam apud illum natus & educatus fuerit, vt refert Ioannes Boccatus libro quarto & septimo de genealogia Deorum. Fuit Hercules noster Hispanus ex Græcia, ex Alcumena & incerto patre. ob adulterium natus, de quo etiam superiori capite late disseruimus. Tantum itaque horum Herculum fama claruit, vt quicumque strenui ac fortis nomen essent adepti, ii omnes Herculis nomine conscriberentur. Vnde Varro quum nominasset tres & quadraginta Hercules, adiecit postea, quod omnes qui fortiter aliquid fecissent, Hercules appellatione nominis dicti fuerunt. Sed huic qui Iouis ex Alcumena filius dictus est, cuncta poetæ absque aliorum differentia tribuunt. Hoc itaque Herculis nomen ob virtutem resque gestas vel gerendas etiam Euan- der habuit, & Arcadiæ Hercules appellatus est, vt de eo meminit Ioannes Boccatus lib. xii. de genealogia deorum. Item Alexandri Macedonis filius ex Arsine natus Hercules appellatus est, tanquam qui Alexandro patri successurus alterū Herculem se exhibere conueniebat. De isto Hercule meminit Iustinus post Trogum Pōpeium xiii. lib. Maximianus quoque Imperator propter virtutē Hercules fuit cognominatus, & ab eo Constans gener eiusdem Maximiani. & Pii Constantini pater

pater, creatus Imperator Occidentis, Hercules & ipse dictus est. Et sic concludendo septem Hercules connumerari sunt veraci historia, & climatibus & operibus distincti, quanquam Boccatus in libro de genealogia Deorum longe plures asserat, gesta tamen eorum & origines ita conculcat, vt non facile deprehendi possint.

De vrbibus ab Hercule in Hispania conditis.

INGVLA quæq; per Herculem in Hispania gesta non possunt describi veraci historia, quum quasi veritate consumpta maiorū nostrorum taciturnitate oblitterata probentur. Extant tamen nonnulla ex gratis scriptoribus fragmenta, quæ ad nos transmissa certiores reddiderunt de quibusdam in Hispania ab hoc Hercule gestis, quæ tamē de eo inciderent, non vt historia Herculis texeretur, conspersa leguntur. Herculem igitur antiqui ferunt Hispalim construxisse, pro vt superiori loco dictum, vel a palis infixis, vel (vt alii volunt) a palude quæ urbē circumdat, appellatam. deinde Iulius Cæsar illam Iuliam Romuleam cognominauit, & Romanorum coloniā effecit. vnde adhuc remanet vrbis vulgare nomē, vt a ciuibus Iulianis Ciuilia, id est ciuitas Iulia, appelleretur. Post Hispalim ad Herculem pertinet Calpe vrbs dicta prius Heraclea, de qua diximus in vrbibus deletis. Ad ipsum etiam Herculem pertinet Carteia vrbs, quæ nunc Algezira dicitur ad fretum Herculeum, quæ prius Carteios a Græcis dicta est, vt placet Ptolemæo & Straboni. Ad ipsos item Græcos pertinent quæ de Vlyseæ vrbe Strabo meminit, dicens, quum de Malaca vrbe disseruisset: Superiora regionis montana loca Vlyseæ ostentant, in qua erat Mineruæ templum, vt auctor est Posidonius. Ad Græcos quoque vrbs Saguntum spectat a Zacynthiis condita (vt Strabo voluit) qui cum Hercule in Hispaniam nauigarunt. Segoniam insuper vrbem ad Herculem pertinere multi asserunt. Postea vero quam ceteriorē omnem Hispaniam conquisisset fugato Caco, Geryoneq; ac fratribus eius deuictis & interemptis, ii qui eum ab Oriente Græciaque secuti sunt sedes proprias exposcentes, partemque a Græcis ob acquisitam victoriam eo annuente sibi vendicarunt. Vnde Tyrii & Aufoniis Tyrrasonam concessit. Tyrii siquidem Asiatici sunt, & Aufonii Itali, qui eum ab initio secuti fuerunt. Urbem itidem construxerunt Illyrici, qui Archæiunt, & apud nos hodierno idiomate Sclauones dicuntur, quæ apud amnem Sicorium sita, instar eorum propriæ regionis agrum valde fertilem sortita est. Hæc a propriæ gentis cognomine nominauerunt Illyrici. Illyrici enim Dalmatiæ cōtigi sunt secundum Claudium Ptolemæum, & oram Adriatici sinus obtinēt, qui hodie Sclauones appellatur. licet enim vniuersa Græcia, maximeque ea quæ ad Propontidem spectat, Illyris appelleretur, Illyrici tamen specialius appellantur ii qui oram Adriatici sinus inhabitant secundum Claudium Ptolemæum. Aufoniis insuper qui Itali sunt, Aufoniam concessit, quam terram ex suæ gentis nomine appellarunt. Italia siquidem ante Italum Syracusanorū Regem, Aufonia dicebatur, & Aufonium regnū, vnde Vergilius de Aufoniis meminit sapius in libro Æneidos. Parta itaque victoria vsque in Pyrenæum vltimosque fines Hispaniæ, etiam Barchinonam cōdidit, quam Ioui Deo sacrauit. statuit enim templū Ioui in monte vrbi contiguo, quem montem ipsi Ioui dicauit, & ab eodem nomē retinuit vsque in hodiernum (vt placet Pomponio Melæ) quanquam vulgus idioma corrupit, vt apud nostros mons Iudaicus appelleretur, quum tamen Iouis mons ab antiquis fuerit appellatus secundum Claudium Ptolemæum & Melam. De vrbis autem nomine multi auctores dissentiunt, quoniam qui urbem Barchinonam appellat, eā terminant in a, vt sit primæ declinationis, alii autem vt Claudius Ptolemæus, Strabo, & Mela, multiq; alii antiquiores Barchinonam eam appellant, & tertiæ declinationis instituunt. Ex quorum differentiis diuersas vrbi etymologias constituunt. Ii enim qui eā in a terminant, & primæ declinationis constituunt, affirmant ex nona Herculis barcha sic vocitari. Aiunt enim, Hercule ceteriorē Hispaniam nouiter subactam peragrante, nouem a Græcia rates aduenisse noua legatione a Telamone, Aiace, cæterisque Græcis aduocaturas, vt in Græciam rediret, petiturum cum regio-

nalibus Græcis secundam Troiæ vindictam, quoniam præsumpisset Paris dictus Alexâder, Priami filius ac Laomedontis nepos in vindictam Hesionæ ab Hercule raptæ, & Telamoni Salaminorum Regi traditæ in concubinam, Helenam Menelai Mycenarum Regis vxorem rapere, & violenter in Phrygiam transferre. Atque quum ad littora Hispaniæ rates applicuissent, vna apud urbem Barchinonam confraeta traditur cæteris in Oceanum decursis, vbi Herculem moram trahere intellexerat. Interea captis hominibus nonæ ratis a prouincialibus & ad Herculem ductis, audita legatione Hercules in Græciam redire parat, quod & fecit, urbemq; pro nona barcha in eo loco constituit, quam Barchinonam appellauit. Hoc tamē fabulosum existimo doctissimorum auctoritati assentiens, qui vrbis nomen tertie declinationis constituunt, vt Barcinon dicatur, quod nomen veraci historia Græcum est, & significat domunculas ex virgultis contextas, quæ ad maris littora ad piscandum sunt, in quibus se piscatores recipiunt: quarum quæ ibi magnus esset numerus, loci ac aeris salubritate prospecta, Barcinon urbem eodem in loco constituit, sicq; eam ab eisdem domunculis appellauit. Plinius vero libro tertio de Naturali historia etiam Græco nomine Barcinō appellans, Fauentiam quoq; dixit cognominari a Romanis, quorum colonia effecta est. Ipsi etiam Herculi pertinet Calpe vrbs, dicta primum Heraclæa, de qua satis in deletis vrbibus dictum est.

De reditu Herculis ab Hispania in Græciam.



H VSTINVS post Trogum Pompeiū penultimo libro sui Epitomatis Herculis reditū de Hispania in Græciam refert, & postea quā Fauni regnum descripsisset, qui tertio loco post Saturnum regnavit in Italia, adiecit hæc verba: Fauno vxor fuit nomine Fatua, quæ assidue diuino spiritu impleta, velut per furorē futura præmonebat. Ex filia huius Fauni & Hercule, qui eodē tempore extincto Geryone armenta victoria præmia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus est procreatus. Diodorus vero postquam veritatem Herculum ex veteribus historiis conscripsisset, quū poetarum antiquorū fabulas de heroibus ac semideis retulisset, factaq; multorum Herculum ex vario scriptorum assensu, reditum Herculis ab Hispania per Celtogallaciā describit per hæc verba: Peragrata maioris Libyæ parte, Hercules ad Oceanū qui est ad Gades, peruenit, ibiq; in Iberiam cum exercitu transit, vbi columnis positis Chrysaoris filios tribus magnis exercitibus fidentes singulari prouocatione sustulit. Capta Iberia greges bouum secum ducens, iterque per Iberiam faciens, quum quidam eius gentis Rex, vir iustus præ cæteris ac probus, eum magno honore excepisset, partē bouum Regi dono dedit, quos ille Herculi dicans singulis annis ex his pulchriorem taurum illi sacrificauit. Hos sacros in Iberia boues vsque ad nostra tempora constat permanisse. Et postquam columnarum Herculis meminimus, videtur de his paulo amplius dicendum. Montes ab utroq; latere continētis mari Oceano imminēt, in quibus statuit columnas. cupiens autem sempiternum sui nominis monumentum esse, aiunt vtrumq; montem, vt Oceani maris aditum antea arctissimum ampliolem longiolemq; redderet, excidisse, vt magnis nauibus ab Oceano in nostrum mare aditus præberetur, vt vsq; ad posteros perpetua huius operis gloria maneret. Tradunt alii, maxime poetæ, coniunctis prius montibus ab eo effossis ab Oceano ad nostrum mare aditum præbuisse. Verum hæc, quū singulis liceat prohibito credere, existimationi hominū relinquenda sunt. Post hæc Iberorum regno optimis eius regionis viris tradito cū exercitu in Celticam Galliam profectus est: & quum ingens ex omnibus gentibus exercitus eū sequeretur, urbem cōdidit amplam, quam appellauit Alesiam, plurimis ex propinquis incolis spōte in ciuitatem confluentibus: qui quū reliquam multitudinē superarent, e vestigio ciuitas ad barbaros mores defluxit. Hanc urbē Celtæ etiā nunc in honore habent tanquā omnis Celticæ prouinciæ metropolim. permāsit hæc vrbs a sua constructione semper libera ac sui iuris vsq; ad tēpora Cæsarum, qui propter res gestas Deus dictus est, a quo

a quo vi capta Romanorum imperio cum aliis Celtis cessit. Ab his Hercules in Italiam tendens, iterq; per Alpes faciens ita difficilem aditū asperamq; viam strauit, vt postea exercitibus cum iumentis impedimentisq; facile iter esset, Barbarosque montanos transeuntibus infestos ac latrocinii assuetos occisis eorum ducibus deleuit, posteris reddita itineris securitate, transcendensq; Alpes ad eam orā quæ nūc Gallia appellatur, per Ligures qui hodie Genuenses dicuntur, transit, patriam asperam & omnino duram, multoque etiam incolarum labore ac studio paucos omnino fructus ferentem. Qua ex re robusti sunt homines, validique, & agiles, ac in bello præcipue fortes ob inopiam & laborem quibus eorum corpora durantur.

10 Hic enim quum ultra cæteros agrorum exercitio fatigentur, foeminas quoque rustico assuefecerunt operi, quorum partem Hercules mercede conduxit ad ferendum Græcis auxilium in oppugnatione Troiæ, triremibusque in portu Ligustico relictis ad Tiberim fluuium, vbi nunc Roma est, multis postea sæculis a Romulo Martis filio condita, peruenit. Tenebant tunc Aborigenes locum, vbi nunc Palatium est, urbem penitus paruulam incolentes. Inter hos præstantiores Poticius & Pinarius erant, qui Herculem, vt hospitem, magno honore donisque susceperunt. Horum virorum monumenta vsque ad hanc ætatem Romæ permanent. Nam inter nobiliores habentur Pinariorum descendentes, tanquam vetustissimū genus: Poticiores in palatio cochleæ descensus est lapideæ, ab illo Poticia dicta propinqua domui, quæ tunc Poticii fuit. Hercules ob honorem sibi a Palatinis impetratum, dixisse fertur, eos qui sibi, postquam ad eos translatus esset, decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros, quod & euenisse vsq; ad hoc tempus constat. Multi enim Romanorum nō solum mediocri censu, sed qui ditissimi sunt habiti, decimas Herculi vouerunt, posteaq; fortunatiores facti bona sua ad quatuor talentorū millia Herculi sacrarunt. Lucullus Romanorum ferme ditissimus æstimatis bonis decimam partem Herculi dedit, epulas præbens continue, ac profundens multa. Templum insuper iuxta Tiberim egregium condidit qui ex decimis sacra Deo offerebant. Deinde a Tiberi profectus Hercules per littus Italiæ ad mare, quum descendisset ad eum locum, vbi Rhegium vrbs condita est in loco valde angusto,

30 vt pote tredecim stadiis distante a continente Trinacria, ipse cornu bouis innixus gregibus præmissis mare traiecit, in Siciliamque (quæ & Trinacria a tribus promontoriis dicitur) ingressus est, quam cupiens circumire ad Erycem Regem perductus est, cui Nymphæ ad lauandum aquas calidas exhibuerunt. Inde quum in Syracusam peruenisset, cum Sicaniis qui regionem incolabant, in prælium venit, quos superauit. Inde in Italiam rediēs, quum Cacus Hispanus, quem Diodorus Latinum dicit, quatuor illi boues, quos ab Hispania duxerat, rapuisset, Cacus ab eodē Hercule peremptus est: quanquam Vergilius ad oram Tiberis hoc fuisse ferat. Et quoniam in Caci memoriam incidimus, quem Hispanum fuisse tam Toletanus, quam alii plures commemorant, quodque Carpetaniis princeps esset, a quo mons Caci dictus sit, & vrbs Osca, tanquam os Caci, aliquid de eo dicendum est. Hic enim victus & fugatus ab Hercule in Hispania extincto Geryone Rege, secutus Herculem vindictæ causa cupiebat ei siue publice siue latenter mortem inferre. Quumque opportunitas non daretur, quum diutius in quadam spelunca latuisset, quatuor Herculi boues rapuit, quos quum mugientes Hercules per sensisset in spelunca, illos interempto fure extraxit. Hic autem Cacus Vulcani filius appellatus est, propterea quia ignes fumigantes euomere dictus est in spelunca, quod ex eo fuisse fertur, quia primus puluerem ex diuersis compositum speciebus ad iaciendos lapides adinuenit. qui an in Calabria, an apud Tiberim interemptus sit, incertum est. Refert etiam Diodorus præfato libro quinto, post mortem Caci Herculem conlonis prædixisse futuram ibi urbem, quam demum fundatores illius oraculo Herculis a Caco Catronam appellasse. Hæc Diodorus. Inde iter inceptum agens, cum Adriaticum sinum circuisset per Calabriam, Apuliam, Brutium, ac Picenum agrum, in Epirum peruenit, inde in Macedoniam Thraciamque. vbi quarto anno postquam Troiana obsidio firmata esset, obiit correptus febre, cuius vim quū ferre non posset, pyram ardentem ordinari iussit, in qua se iactaret, quumq; petiisset

camisiam, a Dejanira concubina sua ministrata est ei, de qua multi poetę dixerunt, Dejaniram sibi ministrasse venenum cum ipsa camisiam, quę ipsum Herculem precipitaret ad mortem. Hęc autem dixisse libuit ad memorandum quę de reditu ab Hispania retulere priores, vt sciremus, an terra, an mari redierit. Referunt tamen plures Herculem navigatione traiectum in Italiam redisse regnumque Fauni, vbi nunc Roma condita est. de cuius aduentu meminit Iustinus libro quadragesimo tertio: Ex filia Fauni & Hercule qui extincto Geryone armentā victorię premia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. Vocabatur autem filia Fauni, Latini mater, Carmentis: Nicotrata autem secundum Eutropium libro primo, quę prima dicitur Latinas literas inuenisse, quas denuo Latinus eius filius quę ¹⁰ correxisset & emendasset, ex suo nomine denominauit Latinas. De morte vero Caci dissentiunt Vergilius & Ouidius a Diodoro, quoniam Diodorus in Calabria apud Catronam urbem dicit interemptum: cęteri vero apud Tiberim amnem. Referunt etiam ii qui dixerunt Herculem nauibus ab Hispania rediisse in Gręciā, quod decedens ab Hispanię sinibus iugoque Pyrenęi, ad Mediterraneum litus dicauit templum Veneri, a quo etiam hac tempestate Portus Veneris nomen habet. Sciens autem se ad vindicandum Helenę raptum in Gręciam redire, vouit Veneri illius vindictam, & templum Deę dicauit, quod vsque ad hęc tempora permansit ad fugum Pyrenęi in sinibus Hispanię. Et hęc de Hercule dicta sufficiant, iam de aliis Gręcis qui venerunt in Hispaniam videamus. ²⁰

De aduentu Teucris, & aliorum Gręcorum, & urbibus ab eis conditis.

REFERIT Iustinus post Trogū Pompeiū vltimo libro sui Epitomatis, quem sequitur Isidorus libro nono, quod Telamon Salaminorum Rex dictus Ajax, quę duos habuisset filios Aiace & Teucrum, Teucrum exolum habuit, Aiace vero regni successore instituit excluso Teucro. post finem itaq; Troiani belli Teucer intellecta morte Aiace fratris venit in regnum Salaminorum, atq; quum ibi nō reciperetur, instructa classe in Cyprium properat, ibiq; Salaminā urbem condidit ex nomine suę gentis. Postea vero ³⁰ audita fama Hispanię, per rumorem eorum quę de ea Hercules se fecisse iactabat, in ipsam Hispaniam veniens appulit ad littora Hispanię, ad eum locū vbi nunc noua Carthago situm habet. qui expositis sedibus urbem cōstruxit, quam a Salamania & Atticis Salamaticam appellauit. Attica enim prouincia Gręcię est ab Arthema, Athiq; illius primo Rege sic dicta, Salamina a Salamane ciuitate. Ex his igitur duobus populis quos secū duxerat, Salamaticam ciuitatem instituit. Teucer itaq; a Salamantica in Galliciā venit, eamq; regionē incoluit. Vnde ab aduentu suo Gallacia dicta est, tanquam a Galatis inhabitata. Vnius autē regionis Gallicię partem occupauit Amphiloichi gens secundum Iustinum. Sunt enim Amphiloichi populi in Gręcia inter Epirum & Achaiam prouincias, habētq; duo flumina Arathū ⁴⁰ & Acheloum, & in Mediterraneum fluunt. Habent insuper ex opposito insulam Cephaloniam secundum descriptionem Claudii Ptolemęi. Ipsi etiam prouincię Gallicię partem occupauere, & proprias sedes ibi cōstruxere Mygdonii, qui ex nomine suę gentis urbē Mygdoniam dixerunt. Est enim Mygdonum regio Mediterranea in Gręcia, seu Gręcis propinqua, inter duo flumina Aii & Erygon, quę simul iuncta fluunt in Ægęū mare. Hęc itaq; & alię sedes sunt, quas in Gallicia Galatę cōstruxerunt, de quibus Iustinus breuissime meminit. Ad hos etiā Gręcos pertinet Portus ciuitas, quę quondā Lauara vrbs dicebatur. Dicitur autem Portus Gallicię, quoniam amnis Dorus per eam decurrens quodā latissimo sinu commeatu omnes ab Oceano recipiat in Gallacia, a qua Portugallię regnum nomen habet. Portugallia enim omnis ad Gallaciam spectat, vel saltem quicquid vltra Tagū ac Doriam amnem est. Apud istā itaq; prouincię Gallicię Hispanię mons ille Sacer est auro refertus, de quo Iustinus vltimo libro meminit in hęc verba: In huius gentis sinibus Sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quādo terra fulgure proficilla est (quod in his locis assidua res est) detectum aurū, veluti Dei munus, colligere permittitur. Hęc Iustinus. ⁵⁰

De Galat.

De Galatis, & eorum nomine, & vnde prodierunt.

EX superioribus scriptis ostēsum est Gallaciam Gręcam habuisse originem a Teucro Telamonis filio. Vnde Hieronymus in proemio epistolę ad Galatas ait: Galatę Gręci sunt. quomodo autem Gręci sunt appellati Galatę, quum per antea alio nomine vocarentur, suo loco dicetur. Dicendum est Galatas omnes ex Gręcia prodisse. Vnde Diodorus libro sexto de Galatis agens ait, Galliam duas habuisse vetustissimas gentes, Galatas & Celtas. In Gallię enim ora maritima quę ad Mediterraneum spectat, Celtę fuere, & incipiunt ab Alpibus quę diuidunt Galliam a Liguribus, & protenduntur per Massiliam vsque in Pyrenęum: cęteri vero qui incolūt Oceanum a flumine Rheno vsque in Pyrenęum cū cętero interiacenti Mediterraneo Galatę sunt. Vnde Celtę per tempora commixti Galatis & Iberis, finitimis populis, ii qui Iberis admixti sunt, Celtiberi sunt dicti ab Iberis & Celtis: cęteri vero qui Galatis admixti sunt, Celtogallatę sunt appellati a Celtis & Galatis. Vnde Gallia omnis his duobus iuncta populis in quatuor Celtogallacias diuisa est: Celtogallaciam Lugdunensem, Belgicam, Narbonensem, & Aquitanicam secundum Claudium Ptolemęum & Strabonem. Hęc autem admixtio Celtarum cū Galatis recens est. per antea enim omnis Gallorum regio quę ad Oceanum spectabat, dicta est Galacia a candore populorum sic appellata, quia homines illius regionis humido cęlo educati corpora cęteris habēt candidiora. Vnde Galatę qui & Galli dicti sunt, quū intra proprias sedes non reciperentur prę illorum multitudine, coadunatis trecentis millibus Alpes transiuerunt, ac trecentesimo & quadragesimo quinto anno post urbem conditam, Romam pręter Capitolium incenderunt. Inde in Thraciā Gręciamque declinantes, quibusdam intra Pannoniam relictis diuersa in Oriente ac Macedonia bella gessere ducibus Belgio & Brenno, de quibus Iustinus meminit vigesimo tertio libro sui Epitomatis cum sequētib; . Et deinde quū a Rege Bithynię qui ab hostibus premebatur, essent in subsidium aduocati, quum vicisset Rex, cum Galatis dimidium regni partitus est. vnde simul inhabitantes Gallogręci primum dicti sunt a Gallis & Gręcis, deinde Galatę. Cęterum Bithyniā Gręcię prouincia est, cuius prouincię metropolis Nicęa vrbs est. Inde Galatę ex dicta causa, & suę gentis nomine prouincię Gallicię inditum nomen est. Huius autem Galatarum nominis originem describit Diodorus pręfato libro sexto de eis latius agens per hęc verba: Celtis olim imperauit, vt aiunt, vir egregius, ex quo filia corporis magnitudine vltra naturę modum, de coreq; cęteras excellens orta est. Hęc enim tum viribus, tum specie elata, omnes qui eam vxorem expectabāt, contempsit, existimans neminem suo matrimonio dignū. Interim quū Hercules bello aduersus Geryonē moto venisset in hanc prouinciā, ibique ciuitatem Alesiam cōdidisset, admirata tum virtutem Herculis, tum corporis pręstantiā permisso parētū eius concubitu appetiuit. iuncta illi filiū genuit nomine Galaten, qui coęnos suos tum virtute animi, tum viribus corporis excessit. vir factus quum paternū regnum suscepisset, plures oras sibi subdidit propinquas pręclaris rebus bello gestis. Quumque eius gloria celebraretur, subditos omnes suo nomine appellauit Galatas, ex quo omnis ea regio Gallacia dicta est. Huius gens sola erga Romanos antiquam & quę ad hanc vsque ætatem durauit amicitiam conseruat. Natio vt plurimum ad arctum sita, regio vtique frigida, ac hyemis tempore pro aqua niuium opulencia abundans. glacies quoque immensa adeo regionem illam occupat, vt cōgelata flumina non solum paucis hominibus, sed exercitibus quoque cū curribus ac impedimentis transitū prębeant. Suntque in Gallacia plures magnique fluiui, alii ex profundis stagnis, alii ex montibus emanantes, alii que in Oceanum, alii in nostrum mare decurrentes. Eorum qui in nostrum mare labūtur, maximus tenetur Rhodanus, qui in montibus fontes habens quinque ostiis descendit in mare. Ibi que Diodorus multa miranda de Galatis profęquitur, sed tamen omittendum non est, quod quamquam Gallia omnis a flumine Rheno vsque in Pyrenęum dicitur Gallacia, Diodorus tamen a dicto loco extendere eam videretur vsque in Da-

d iij

nubium atque Scythiam, omnemque Oceani maritimam oram, subiiciens post multa quæ de Galatis differuit, hæc quæ sequuntur: Nunc quod a multis ignoratur, scribetur. Ultra Massilias, qui Mediterraneas regiones, qui iuxta Alpes & montes Pyrenæos incolunt, Celtæ appellantur. ultra hos, qui ad Notum Oceanum versus pertinentes oras & Hercynium montem, qui deinceps & in Scythiam usque habitant, dicuntur Galatæ, quas omnes gentes communi nomine Romani Galatas appellat. hæc Diodorus. De Galatis vero Hispaniæ refert Strabo libro tertio de orbis situ, quod Galleci Hispaniæ olim nullum habebant Deum: quod Biscaiæ usque adhuc tempora perdurat, quæ regio intra Galleciæ fines sita est, & licet eiusdem incolæ Christianæ religionis cultores appellentur, ab illis tamen nullum venerari colique Deum, certum est, solumque Christianam religionem labiis profitentur. Apud illos presbyter nullus recipitur non habens concubinam. arbitrantur enim neminem posse a carnalibus continere. Quod quum non possent, dicunt necesse esse presbyteros ad parochianorum vxores conuerti. Ad Biscaiæ regionem nullus ex institutione Episcopus adire potest, quinimmo horreæ rem narrabo quam ipse vidi. Quum enim sub Caliguritano Episcopo sint, ad illos tamen idem, nec alius Episcopus, etiam pro sacramentalibus, adire potest. immo quum anno M. cccc. lxxvii. Ferdinandus Castellæ Rex inclutus in Biscaiam intrasset, adducens secum Pampilonensem Episcopum, occurrentes prouinciales dixerunt hoc esse contrarium suis legibus. Itaque ne tumultus fieret, Episcopus ab Rege remissus est. Tantaque ex aduentu Episcopi se affectos molestia ostenderunt, quod vbicunque Episcopus eorum solum calcasset, prosequentes illius vestigia, ac erasa terra puluerem colligentes maximo coadunatum puluerem igne cremarunt, illiusque cineres in quandam superstitionem ac diuini honoris ignominiam in mare proiecerunt.

De aduentu Phocensium in Hispaniam, & vrbe Emporia.



ESCRIPTO aduentu Herculis in Hispaniam, & inibi per eum gestis, viso item de Galatis ac Teucris aduentu, iam cetera quæ ad Græcos spectant, nobis videnda ac describenda sunt. Nunc igitur de Emporia vrbe quæ a Græcis Phocensibus originem habet, videamus. Eadem enim vrbi Emporio origo est quæ & Massiliensibus. De quibus vtrisque meminit Strabo libro tertio, nosque de eis satis supra retulimus in capite de deletis vrbibus. Alii vero secuti Valerium Antiam, Flauium, Titum Liuium, ac Plinium lib. tertio de Naturali historia, aliosque autores referunt in hæc verba: Marcus Portius Cato Consul, postquam abrogata est lex Oppia, ex templo xxv. nauibus lōgis, quarum quinque sociorum erant ad Lunæ portum, aliis omnis generis contractis, cum ingenti classe a Luna soluens, edixit vt ad portum Pyrenæi omnes sequerentur. Quo feliciter acto inde Rhodam venerunt, & præsidium Hispanorum quod in castello erat, vi deiecerunt. Ab Rhodaq; secundo vento Emporias peruenerunt, vbi copiarum omnes, præter socios naualis classis custodes, in terra expositæ sunt. Iam tunc Emporiæ duo erant oppida muro diuisa, vnū Græci habebant a Phocensibus, vnde & Massilienses oriundi, alterum Hispani. sed Græcum oppidum in mare expositum muri ambitum minus quadringentis passibus patentem habebat, Hispanum vero retractus a mari erat, cuius murus ad tria millia passuum in circuitu complectebatur. Tertium etiam genus ex Romanis colonis a diuo Cæsare post deuictos Pompeii liberos adiectum est. Nunc vero in corpus vnum confusi omnes habitant, prius Græcis, postremo & Romanis in ciuitatem adscitis. Mirandum prorsus erat, quæ res Græcos tutaretur, ab altera parte aperto mari, ab altera Hispanis tam ferè & bellicosè genti obiectos. Sed disciplina certe custos erat infirmitatis, quam inter validiores optime timor conseruat. Hispani siquidem oppidi murum agros versus egregie munitum habebant, vna tantummodo in eam regionem porta imposita, cuius assiduus custos aliquis ex magistratibus erat: nocte vero pars tertia ciuium in muris excubabat non minori certe vigilantia, quam si hostis ad portas esset. & custodientes, &

tes, & continue circumeuntes ciuitatem diligenti cura, Hispanum neminem in urbem recipiebant, nec ipsi quidem temere vrbe excedebant. Ad mare patebat omnibus exitus, portis alterutrius oppidi e regione factis. Ex eis nunquam nisi frequentes, aut pars tertia fere, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Causa exeundi hæc erat, commercio eorum Hispani non adhuc experti mare gaudebant, mercarique ipsi ea quæ externa nauibus adueherentur, volebant. Huius mutui vsus desiderium, vt Hispana vrbs Græcis pateret, faciebat. Erant enim eo tutiores, quod sub vmbra Romanæ amicitia lætabantur, quam sicut minoribus viribus quam Massilienses, ita pari colebant fide. De huius autem vrbis initiis satis diximus supra in capite de deletis vrbibus. Tunc quoque cōsulem exercitumque Romanum comiter ac benigne susceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret vbi & quantæ hostium copiarum essent, modicumque id tempus in re frumentaria milites exercendo cōsumpisset (id enim erat tempus anni quo frumentum in horrea portatur) ab Emporiis profectus agros hostium vssit vastauitque, omnia fuga & terrore concutiens.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER TERTIVS.

De Tyriis & Sidoniis, vnde Carthaginenses & Gaditani originem habuerunt.

IT quoniam diximus, Iustinum post Trogum Pompeium scripsisse vltimo lib. sui Epitomatis, Gaditanos ex Tyriis duxisse originem, qui quum a finitimis Hispaniæ impeterentur, ab eorum contangui-neis Carthaginensibus auxilia petiuere, quorum auxilio ac scelici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ suo imperio adiecerunt: quapropter, a quibus Carthaginenses originem habuerunt, nobis videndum est. Carthaginenses itaque Assyrii fuere ex Sidoniis & Tyriis. Vnde Vergilius referens aduentum Æneæ in Carthago quam Dido construxerat, Sidoniorum & Tyriorum ostendit originem in quarto Æneidos, vbi ait:

*Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,
Sidoniaque ostentat opes urbemque paratam.*

Pauloque post ostendens non solum Sidonios, sed etiam Tyrios, atque amorem Didonis in Æneam, sic ait:

*Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextra.
& paulo post subiungit:
Sed satis incerta feror, si Iuppiter vnam
Esse velit Tyriis urbem, Troiaque profectis:
Miserere probet populos aut fœdera iungi.*

Iustinus vero post Trog. Pomp. lib. 18. illorum originem profectus sic ait: Et quoniam ad Carthaginensium mentionem ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens cōdita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati relicto patrio solo Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi vrbe quam a piscium vbertate Sidona appellauerunt. nam piscem Phœnices Sidon vocant. Post multos deinde annos a Rege Ascaloniorum expugnati, nauibus appulsi Tyrum urbem ante annum Troianæ cladis condiderunt. Ibi Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere, sed attritis viribus a seruis suis multitudine abundatibus indigna supplicia perpeffi sunt: qui cōspiratione facta omnem liberum

populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti vrbelares dominorum occupant, rempublicam inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot milibus seruatorum fuit, qui miti ingenio senis domini parvulique filii eius fortuna moueretur, dominosque non truci feritate, sed pia misericordiae humanitate respiceret. Itaque cum velut occisos occultasset, seruisque de statu reipublicae deliberantibus placuisset Regem ex corpore suo creari, eumque potissimum, quasi acceptissimum Diis, qui solem Orientem primus vidisset, rem ad Stratonem (hoc enim illi nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo informatus, quum medio noctis omnes in vnum capum processissent, caeteris Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in Occidente solis ortum querere. Vbi vero dies aduertare cepit, editissimisque culminibus vrbis Oriens splendere, expectantibus aliis vt ipsum solem aspiceret, is primus omnium fulgorem solis in summo fastigio ciuitatis ostendit. non seruilis ingenii ratio est visa, requirentibusque autorem de domino confiteretur. Tunc intellectum est quanto dominorum ingenia praestarent, malitiaque seruos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filioque data est, & velut numine quodam reseruos arbitantes, Regem Stratonem creauerunt. Post eius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes transiit. Celebre hoc seruatorum facinus, metuentumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus quum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, veluti vltor publicae securitatis expugnata eorum vrbe, omnes qui praelio superfueraut, ob memoriam veteris caedis crucibus affixit, genus tantum Stratonis inuolatam seruauit, regnumque stirpi eius restituit, ingenuis & innoxii incolis insule attribuit, vt extirpato seruili germine genus vrbis ex integro cõderetur. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auspiciis cõditi, parsimonia & labore quaerendi cõualuere. Ante cladem dominorum cum & opibus & multitudine abundarent, immissa in Africam iuuentute Vticam condidere: quum interim Rex Mulctio Tyro decessit filio Pygmalione, & Elisa filia insignis formae virgine haeredibus institutis. sed populus Pygmalioni puero regnum tradit. Elisa quoque Aceruae auunculo suo sacerdoti Herculis, qui honos secundus a Rege erat, nubuit. Huic magne, sed dissimulae opes erant, aurumque metu Regis non restis, sed terrae crediderat: quam rem et si homines ignorarent, fama tamen loquebatur. qua incensus Pygmalion oblitus iuris humani, auunculum suum, eundemque generum, sine respectu pietatis occidit. Elisa diu fratrem propter scelus auerfata, ad postremum dissimulato odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacitam molitur, assumptis quibusdam principibus in societatem, quibus parodium in Regem esse eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus cupidae obliuionis grauius lectum renouet, neue vltra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pygmalion verba sororis audiuit, existimans cum ea aurum Aceruae ad se venturum. Sed Elisa ministros migrationis a Rege missos nauibus cum omnibus opibus suis prima vespera imponit, proeuctosque in altum compellit eos onera arenae pro pecunia inuolucris inuoluta in mare deicere. Tunc deflens ipsa, lugubrique voce Aceruam exorat, vt libens opes suas recipiat, quas reliquerat, habeatque inferias, quas habuerat causam mortis. Tunc ipsos ministros aggreditur, sibi quidem ait optatam olim mortem, sed illis amarus cruciatus & dira supplicia imminere, qui Aceruae opes quarum spe parricidium Rex fecerat, auaritia tyranni subtraxerint. Hoc metu omnibus iniecto comites fugae accepit, iunguntur & senatorum in ea nocte preparata agmina, atque ita sacris Herculis, cuius Aceruas sacerdos fuerat, repetitis, exilio sedes quaerunt. Primus illis appulsus terrae Cyprus insula fuit. Ibi sacerdos Iouis cum coniuge & liberis, Dei monitu, comitem se Elisa sociumque praebuit, pactus sibi posterisque perpetuum honorem sacerdotii. Cõditio pro manifesto omine accepta. Mos erat Cypriis virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesturas in questum ad litus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Harum igitur ex numero octoginta admodum virgines raptas nauibus imponi Elisa iubet, vt & iuuentus matrimonia, & vrbs sobolem habere possit. Dum haec aguntur, Pygmalion

Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi pararet, atque precibus matris deorumque minis victus quieuit. Cui quum inspirati vates carent non impune laturum, si incrementa vrbis toto orbe auspiciatissima interpellasset, hoc modo spatium respirandi fugientibus datum est. Itaque Elisa delata in Africae sinum, incolae loci eius, aduentum peregrinorum mutuarumque rerum commercio gaudentes in amicitiam sollicitat. Deinde empto loco qui corio bonis regi posset, in quo fessos longa navigatione socios, quoad proficisceretur, reficere posset, corium in tenuissimas partes secari iubet, atque ita maius loci spatium, quam petierat, occupat. Vnde postea ei loco Byrse nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant, sedesque ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar ciuitatis effectum est. Vtices quoque legati dona vt consanguineis attulerunt, hortatique sunt, vt urbem ibi conderent, vbi sedes sortiti essent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque & consentientibus omnibus Carthago conditur, statuto annuo vectigali pro solo vrbis. In primis fundamentis caput bubulum inuentum est, quod auspicium fructuosae quidem, sed laboriosae perpetuaeque seruae vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbs translata. ibi quoque equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significas, vrbis auspiciatam sedem dedit. Tunc ad opinionem nouae vrbis concurrentibus gentibus, breui & populus, & ciuitas magna facta est. Quum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, Rex Mauritanorum Hiabas decem Pœnorum principibus ad se accersitis Elisa nuptias sub belli denunciatione petiit: quod legati Reginae referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt, nunciantes Regem aliquem poscere qui cultiores victus eum Afrosque perdoceat: sed quenquam inueniri non posse qui ad barbaros & ferarum more viuentes transire a consanguineis velit. Tunc a Regina castigati, si pro salute patriae a posteriori vitam recusaret, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur: Regis mandata aperuere, dicentes, quae praecipiebat aliis ipsi facienda esse, si velit ciuitati cõsultum esse. Hoc dolo capta diu Aceruae viri nomine cum multis lachrymis, ac lamentatione flebili inuocato ad postremum ituram sese, quo sua & suae vrbis fata vocarent, respondit, in hoc triumphum mensum sumpro spatio. Interim pyra in alta parte vrbis extructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura multas hostias cedit. Sumpto gladio pyram conscendit, atque ita ad populum respiciens ituram se ad virum, sicut praeeperant, dixit, vitamque gladio finiuit. Quandiū Carthago inuisita fuit, pro Dea culta est. Condita est haec vrbs LXXII. annis ante quam Alba. Cuius vt virtus bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est, quum inter cetera mala etiam laborarent cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio vsi sunt. quippe homines, vt victimas, inimolabant, & impuberes (quae aetas etiam hostium misericordiam prouocat) aris admouebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogati maxime solent.

Quomodo Carthaginenses Hispania post Græcos dominium obtinuerunt, & per longa secula tenuerunt.

Vis a Carthaginensium origine, introitum eorum in Hispaniam & gesta memoratu digna videamus. Quum enim Græci per multa secula Hispaniae dominium tenuissent, tandem a Pœnis ab ipsa Hispania expulsi sunt. Vnde Iustinus post Trogum Pomp. in suo Epitomate lib. vltimo de aduentu Carthaginensium meminit per haec verba: Post regna deinde Hispaniae primi Carthaginenses imperium occupauere. Nam cum Gaditani a Tyro (vnde & Carthaginensibus origo est) sacra Herculis per quietem iussi in Hispaniam transtulissent, urbemque ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouae vrbis finitimis Hispaniae populis, ac propterea Gaditanos bello laceissentibus, auxilium consanguineis Carthaginenses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem provinciae suo imperio adiecerunt. Hec Iustinus. Diodorus vero lib. sexto & Hispaniae Carthaginensium imperium narrat, & quomodo ex Hispaniae auro argentoque, quae in eadem provincia effodiuntur, Car-

thaginenfes ditiores & opulentiores facti multa bella gessere, & diuerfas colonias in ipsa Hispania, Libya, Sicilia, & Sardinia construxerunt.

De coloniis & urbibus a Carthaginensibus in Hispania constructis.

RIMAM omnium urbem memorare libet veterem Carthaginem Hispaniæ, quam ex suo nomine denominauerunt (lingua enim Pœnorū Carthago noua ciuitas interpretatur) quæ primo Byrsa, deinde Tyrios, tum Carthago a Cartha oppido, vnde fuit Dido, vel a Cartha, id est corio bouis in tenuissimas partes secto, quo locum vrbs cinxit. Hæc in citeriori Hispania situm habuit inter Ilarqueones secundum Claudium Ptolemæum libro secundo, quæ Lætanis, Barchinoni, & Rubricatæ propinqua erat. Nūc quoque ager Pœnetensis ac prouincia dicitur, ab vrbe Pœnorum demolita nomen retinēs. Itaque ibi urbem condiderunt, quam Carthaginem dixerunt, & a succedentibus vetus Carthago Hispaniæ dicta est. De hac meminit Claudius Ptolem. libro secundo, describens Tarraconensem Hispaniam. Alia enim noua Carthago Spartaria secundum Strabonem appellata, non est dicta noua respectu magnæ Carthaginis, sed respectu veteris (de qua diximus) quæ condita est a Carthaginensibus secundo Punico bello post euerfam hanc veterem Carthaginem. Euerfa est autem vetus Hispaniæ Carthago a duobus Scipionibus Cornelio & Publio fratribus post captā Saguntum a Pœnis, & in illius vindictam direpta, vt supra diximus. Secunda noua Carthago est condita ab Hasdrubale genero Amilcaris Barcæ, qui primus eidem Amilcari successit, vt refert Strabo libro tertio. Constat tamen, quod ante illorum imperium habuit incolatum, cum referat Trogus Pompeius libro vltimo, Teucrum Telamonis Aiæ filium ad eundem locum venisse, ibique resedisse. Hoc etiam placet Pomponio Melæ in sua Cosmographia. Sed potuit illius ampliatio ac dilatatio ad Hasdrubalem pertinere. Plinii quoque verba de Carthagine noua sunt hæc: Tarraconem Scipionum opus, sicut & Carthago Pœnorum. Causa autem huius ædificandæ ac construendæ vrbs fuit duplex. Vna, euerfio veteris Carthaginis Pœnorum coloniz, ac metropolis citerioris Hispaniæ. Secunda causa fuit institutio seu ampliatio Tarraconæ per Scipiones post deletam veterem Carthaginem in metropolim citerioris Hispaniæ erectæ. Sicut enim Romani voluerunt obfirmare partes citerioris Hispaniæ cis Iberum, ita & Carthaginenses illas ultra Iberum, quarum dominium apud Pœnos erat. Comperito itaque salubri loco portuque nouam Carthaginem Tarraconæ oppositam, Pœnorum coloniam, erexerunt. Inde est Malaca, quam etiam in hodiernum Mauri possident in Hispania, de qua Strabo libro tertio sic meminit: Malaca vero Phœniciz ciuitatis propinquo tenet formam. Idem & de Abdera, quæ nūc Bera dicitur, eodem loco meminit dicens: Abdera Phœniciz etiam ipsa ædificium. Bracara etiam vrbs Galliciæ, nūc in Portugalliæ regno sita, ad Pœnos pertinet. Bracarii enim gens Libyca sunt, quæ incolit ripam fluminis Bracadæ, quod est propinquum Carthagini ad solis ortum, & ibidem influit in Mediterraneum. Incolæ enim riparū dicti fluminis ad partem vtranque Bracarii appellantur secundum Claudium Ptolemæum lib. 2. Fluit autē amnis Bracada ab vltimis Æthiopiæ montibus, latissimoque sinu influit in Mediterraneum. Quum enim Carthaginenses (vt supra diximus) a Gaditanis aduocati essent, collecta magna Libycorum manu, in qua expeditione viciniore Carthagini fuerūt, tandē liberata vrbe, quam Gaditani intra Hispaniā crexerant, passim Carthaginenses occupauere prouinciā cum sacro Herculis promōtorio, quod est ultra amnem Anam ad Oceanum, principiumque regni Portugalliæ, quod Hieron appellabant. Vnde & Bracarii milites urbem ex sua gente constituerunt ac nominarunt. Eaque prouincia a duobus populis Galatis ac Bracariis, Gallatia Bracaria dicta est, sicuti Celtiberiæ quoque ac Celtogalliæ accidisse diximus, ab Iberorum ac Galatarū gente Celtis cōmixta. Numatia quoque a Carthaginensibus cōdita est, seu a Numidis, qui vicini sunt Carthagini, quibus imperauit Masinissa Rex Numidarū, qui Carthaginensibus bellauit in Hispania: de qua Africæ prouincia late mētionē facit

facit Crispus Salustius in historia Iugurthina. Vnde Numancia a Numidia Libyæ dicta est, quæ semper fuit infesta Romanis, de cuius situ & euerfione suo loco dicitur. Legio autem ciuitas, licet multi asserant eam ad Romanos pertinere, veraci tamen historia ad Pœnos pertinet. Fuit autem eadem ciuitas a primis institutoribus cognominata Eleona, dicta a prouincia Eleona Libyæ propinqua, Syriæ, & Æthiopiæ, in qua maxima leonum copia inuenitur, adeo vt præ multitudine pecudum greges videantur: a quibus vt caueāt homines regionis, leones sibi domesticos nutriunt ad tutelam. Est enim leo domabile animal, & aptum suum benefactorem tutari. De cuius regionis situ, leonumque multitudine ac ferocitate differit Diodorus libro tertio. Hæc autem gens ab Eleona Libyca Legionem urbem, quam a sua gente Eleonam vocauit, construxit magna domesticorum leonū multitudine pro sua regionis more adducta. Qua ex re leonis illi vrbi ac regno figura pro armis & insignibus est vsque in hodiernum. Quomodo autem Legio dicta sit, cum insignia nomini non conueniant, a multis refertur: inter quos est Isidorus iunior. Ait enim quod Traiani Imperatoris temporibus qui Hispanus fuit, diuersæ vrbes in vltiori Hispania rebellauerunt, & ab Imperio defecerunt, ad quas recuperandas quum Traianus quatuor in Hispaniam militum legiones misisset, vna legio quæ Gerionarum fuit, in Eleona vrbe diu consedit, vnde ab hac legione vrbs nomen mutauit, & Legio dicta est. Sic enim eam nominat Claudius Ptolemæus, qui paulo post Traiani tempora orbem descripsit temporibus diui Antonini. Hinc etiam est controuersia, quod arma Leonis nomini vrbs ac regno non quadrent, quoniam veri ac vetustioris nominis insignia sunt. Rubricata autem vrbs apud Rubricatum amnem sita ad oram Mediterraneam non longe a Barchinone Libycam habet originem. Habet enim vrbs & amnis aliud flumen eiusdem nominis Rubricatum ex opposito in Africa, pro vt videri potest ex descriptione Claudii Ptolemæi libro secundo, cuius regionis incolæ translati Carthaginensium tempore, flumini & vrbi dederunt nomen, vt de Iberis supra diximus. Asturica insuper vrbs & prouincia Libycam habent originem. Asturi enim secundum Claudium Ptolemæum Libyci sunt, incoluntque eam Libyæ partem, quæ a Carthagine respicit Orientem Ægyptumque ad oram magni fluminis, quod Symphus dicitur, quod ab altissimis Arabiæ montibus per ipsos Astures aliasque Libycas gentes defluit in Mediterraneum secundum Claudium Ptolemæum. Hæc gens cum Carthaginensibus in Hispaniam peregrinata urbem condidit, eamque cum prouincia a suo nomine denominauit, diciturque Asturica vrbs, & Asturica prouincia. quas mundant duo flumina Asturga & Pisurga, quæ fluunt in amnem Doriam, & suis terminis claudunt prouinciam, quam (vt diximus) Pœni primo incoluerunt, deinde Asturi, postquam primo & secundo bello Punico eis adhæserunt. Pœnis vero ab Hispania fugatis Romani urbem Romanis impleuerunt, eamque augentes ac dilatantes Romanorum coloniam effecerunt, quam postea Augustus Cæsar Augustam cognominauit. Abinde enim secundum Claudium Ptolemæum Asturica Augusta dicta est. Hæc enim vrbs ad Galatas, Gallaciamque pertinet, quæ perstitit vsque ad Gotthorum tempora, quibus exactis ab Arabibus vrbs deleta est. Postea vero conualescentibus Christianis, & præfatam regionem occupantibus post Pelagium & Petrum Cantabriæ Ducem primi Asturicarum Reges appellati sunt, in eaque regione Quetum urbem prouinciæ metropolim erexerunt, urbemque regiam efficientes, in ea Reges diutius morati sunt, & ab Emerita vrbe in Quetensem ecclesiam cathedralem sedem transtulerunt: postea vero de Queto translata est in Compostellam. Biscaia quoque partim Libycam, partim Græcam habet originem, & licet antiquorum eorum origo Græca sit, habens Amphilochos ac Mygdones qui Græci sunt, iis tamen admixti sunt Bastuli, a quibus Biscaia prouinciæ nomē est inditum a Maurorum temporibus. Bastuli enim sunt ii qui quondam prouinciā Bæticam incolebant, quæ hodie Granatæ regnū continet, & a Mauris & Arabibus possidetur, & a prouincia Bætica Bastuli dicti sunt secundum Claudium Ptolemæum, qui ex vicinitate regionis Libycam habet originem, quum alteram Europæ oram Mediterraneo Africæ & Libyæ obiectam,

obtinerent, ex qua vicinitate iam secundo Libycis in Hispaniam aditum præbuerunt. Primo enim quum Carthaginenses Hispaniam occupauerunt, secundo quum & Mauris præbuerunt aditum aduersus Gothicam gentem. Hoc enim secundo transitu Afrorum, Bastulorum gente pulsa, a Mauris finibus suis passim propulsi in montes Galleciæ confugerunt, ibique domicilia statuentes nomen gētis retinuerunt, vt Bastulia ab eo tēpore dicta sit, atque etiam appellata, qui admixti sunt Galatis, Græcis, Asturiis, Britannisque, quorum vicinam Oceano oram incoluerunt. Hi proprium idioma Barbaricum a Latino non admodum distans effecerūt, quod vique ad nostra tempora retinent. His in montibus in Hispaniam passim grassante Maurorum vastatione Christi nomen seruatum est, quoad vsque Dominus suscitauit Pelagium in populo suo Hispano belli fulmen, alterumque Gedeonem, qui primus prostratis Christianis spē victoriæ aduersus Mahumetenses exhibuit: ita vt eo præstante victoriam, Christi nomen per Hispanias ampliatum sit vsque in fines dictæ regionis Beticæ, quam vsque ad nostra tempora iidem Mauri obtinēt.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON
LIBER QVARTVS.

De iis que gesta sunt in Hispania durante primo bello Punico.



RXPEDITIONE a Carthaginensibus, gestisq; per eos in Hispania, nunc gesta Romanorum describamus, qui Pœnis superatis Hispaniæ imperium diu tenuerunt. Consulatum agente Appio Claudio qui primus contra Carthaginenses arma sumpsit, anno ab vrbe condita quadringentesimo septuagesimo septimo secundum Eutropium, & septuagesimo octauo secundum Titum Liuium in principio quartæ Decadis, agebatur de bello contra Carthaginenses ineundo, mortuo iam Alexandro Macedone, qui obierat per annos ante sexaginta duos, anno ab vrbe condita quadringentesimo sexto decimo. Causas autem huius belli perneccesarium est exquirere. Occupauerunt Romani ante actum tempus ad subiiciendam Tusciam agrum Picenum, Campanum, cæterasque Italiæ partes quæ ad Orientem Septentrionemque respiciunt, nec vsque ad ea tempora extra Italiam arma assumpserunt. Interea Carthaginenses iam potentes facti, Africam omnemque Hispaniam possidebant, cœperantque Messanensem potentissimam vetustissimamque Siciliæ urbem infestare obsidereque. Messanenses (qui & Mamertini appellantur) maximam Carthaginensium potentiam formidantes, auxilia a Romanis petere decreuerunt. Legatos igitur Romanam mittunt, decernentes potius parere Romanis quam Pœnorum imperium sustinere. Facta Mamertinorum expositione legationis, in Senatu res anxie tractabatur. periculum captæ Messanæ Romano Senatui obiiciebant, ex aduerso metuēbant Carthaginensium potentiam (eis enim parebat omnis Africa, plurimæque insulæ, Hispania insuper, quæ Romanis admodum formidabilis videbatur) timebatur nauale prælium quod a Romanis eatenus incognitum fuerat. Sic æqua lance negotium in Senatu gerebatur. Interim Mamertini causam ad plebē deferunt, exponunt periculum vrbis. A plebe causa suscipitur, & instante plebe bellum aduersus Carthaginenses decernitur. Et Appius Claudius Consul creatur, & constituitur imperator, qui confecta classe apud Neapolitana littora exercitum traiecit in Siciliam. Interim Hiero Syracusanorum Rex audiens Romanos bellum aduersus Pœnos suscepisse, inito scedere cum Carthaginensibus Hiero terrestri robore Messanam, Carthaginenses vero nauali classe obsidere acius decreuerūt. Igitur quum Appius exercitum in Siciliam traiecisset, cum Hierone prælium communiter

communiter cœpit, vbi tamen cum aliquandiu dubie pugnatum esset, tandem Hiero ab Appio deuictus est. Cœpit interim Appius agros vsq; Syracusanos deuastare, Messanamq; rediit. Erat Pœnorum naualis Dux Hasdrubal, qui commisso prælio cum Appio, cessit Hasdrubal. Quum diutius terra mariq; tam in Sicilia, quam in Africa Hispaniaq; pugnatum esset, Appio Claudio, Quinto Flauio, Marco Attilio Regulo, Catuloq; consulibus per annos viginti quatuor, quum Carthaginenses incommodo graui ac inopia laborarent, pacem a Catulo poposcerunt, qui nec pacem repulit, sed pluribus adiectis conditionibus pacem ad Senatum remisit, qui quidem Senatus missis in Siciliam decem legatis, adiectis nonnullis etiam aliis legibus, pacem Carthaginensibus concesserunt, quæ per annos triginta septem perstitit. Durauit autem primum Punicum bellum & pax sequuta vsq; ad secundum Punicum bellum per annos quadraginta duo, quatuor scilicet ac viginti sub bello, reliquos vero sub pace. Et quoniam in Marci Attilii Reguli incidimus mentionem, cuius extat maxima laus de fide seruata, ipsius obitum interferemus. Marcus igitur Regulus quum in ipso primo Punico bello Consul & imperator factus, obsessa Carthagine rupto exercitu captus esset a Carthaginensibus, Romam remissus est pro commutandis captiuis, iuramento præfinito, vt confecto vel infecto negotio rediret Carthaginem. Quumq; idem Regulus Romam venisset, confedissetq; in Senatu, legationemq; de commutandis captiuis exposuisset, ac a Senatu sibi remissum esset, in quam ipse sententiam declinaret, censuit captiuos non commutandos. Quum a cognatis maxime vrgeretur, ne rediret in Carthaginem, postpositis mortis periculis iusiurandum anteposuit omni morti. Qui quum applicuisset Carthaginem, innotuissetq; eius sententia Carthaginensium Senatui, diuersis cruciatibus exulceratus est atq; extinctus.

De diuisione Hispania in pace primi Punicæ belli, & morte Amilcaris.

INTEREA composita pace in Sicilia Pœni exercitum curarunt in Carthaginem traducere, qui quum datis pluribus interuallis copias traduxissent, quia militibus grandis pecunia debebatur propter exhaustum Carthaginis ærarium, Carthaginensium exercitus ad oppidum Tunes deductus est, quod milliaribus distat vndecima Carthagine. Milites urbem Carthaginem infestare cœperunt, & diu Carthaginenses cum proprio exercitu de vita & sanguine certauerunt. Romani vero retractis copiis a Sicilia, neq; eas otiosas voluerunt. cœperunt enim Macedonicum & Gallicum bellum agere. Interim turbatis rebus in Africa, bellum adhuc in Hispaniis agebatur per Amilcarem Hannibalis patrem aduersus Romanos. Post inchoatum igitur in Sicilia bellum, plurimæ Hispaniæ vrbes & populi qui Carthaginensibus obtemperabant, defecerunt ad Romanos. missis itaq; a Romanis auxiliis ad eos iuuantos contra Amilcarem qui eos bello impetebat, interim moritur Amilcar: quo mortuo Hasdrubal ipsius Amilcaris gener Carthaginensium ducatum administrabat. Nec prætereundum est quod refert Titus Liuius libro vigesimo primo tertie Decadis, quod Hannibal quum esset annorum nouem, patre Amilcare sacrificante apud Carthaginem, quum copias in Hispaniam traducturus esset, ad aras iurauit se Romanorum inimicum, atq; quandiu ætas perstaret, arma contra Romanos sumere. Amilcare mortuo, qui dum fortunam sequeretur, incautus in insidias deductus occisus est, pax in Hispania firmata est, anno ab vrbe condita quingentesimo decimo septimo, quo tempore Onias sacerdotium Hierosolymis administravit: de quo in secundo Maccabæorum libro habetur historia. Cuius pacis conditiones fuere, vt ea pars quæ citra Iberum fluuium est, & Pyrenæum respicit, Romanis cederet: alia vero pars quæ ultra est, & in Herculeum fretum contendit, Carthaginensibus deberetur. Saguntum vero nobilissima Hispaniæ vrbs (quæ hodie Muriæ appellatur) quum ultra Iberum esset, & ad Pœnorum partem cōsisteret, post longa certamina libertate donata est, quum facile diuidi non posset, nec propter eius magnitudinem splendoremq; in portionem distribui. Hac itaq;

conditione adiectioneq; pax inter Romanos Carthagenesq; iterum in Hispania confirmata est (vt refert Titus Liuius) agentibus pro Romanis Luctatio Consule, & pro Carthagenensibus Hasdrubale Amilcaris genero, anno ab vrbe condita quingentesimo decimo septimo. Hoc itaq; pactum paci adiectum esse dicitur, vt media inter partes libera maneret ciuitas, vt placet Tito Liuiio & Lucio Floro. Mortem autem Amilcaris Iustinus libro vltimo agens de rebus in Hispania gestis describit per hæc verba: Postea quoq; hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Amilcarem Imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam misere, qui magnis rebus gestis dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus occiditur. in cuius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur, qui & ipse a seruo cuiusdam Hispani vlciscente domini iniustam necem interfectus est. Post obitum autem Amilcaris remansit in Hispania Pœnorum Imperator Hasdrubal, qui primus omnium nouam instruxit Carthaginem in Hispania.

De violato fœdere pacis, & obsidione Saguntæ.

RACE itaq; firmata post annos quindecim quibus prima pax inter Romanos Carthagenesq; in Sicilia composita est, auctoribus Luctatio Consule ac imperatore Romano, & Carthagenensium Duce Hasdrubale Amilcaris genero, durauitq; per annos tres & viginti, vel (vt placet Tito Liuiio & Lucio Floro) per annos decem & octo, postquam in Hispania confecta firmataq; est: interim magnæ hinc inde struuntur vrbes. Agebantur interea pace composita in magnæ Carthaginis vrbe ciuiles contentiones in Senatu. Senatus hinc inde diuisus videbatur, quidam Amilcari cui cognomen Barca erat, eiusq; genti ac soboli, qui magni in vrbe principes habebantur, fauebant, & ex cuius nomine Barcina factio appellata est: quidam vero Hannoni alteri vrbis principi. Interim ciuilibus altercationibus sic se agētib; adoleuit Hannibal. Quumq; in virum euasisset, agitur in Senatu, vt Hannibal Amilcaris filius concessis copiis in Hispaniam militaturus accedat, partes Hannonis contradicere conantur: tamen obtinet Hannibal, vt sub Hasdrubale cognato militet. Quumq; concessis copiis in Hispaniam transfretasset, triennio sub Hasdrubale cognato imperatore militauit. Interim moritur Hasdrubal, & Hannibal Amilcaris filius Imperator creatur. Quumq; ætati adolescentisq; ardori successisset imperium, Hannibal in Romanos insultare parat, Vaccæosq; aggreditur (quæ ea gens est, quæ ad Asturicas Burgiumq; contenditur) in quibus Romani vrbes ex pacis conditione tenebant. Inde Carpetanos pariter insultauit. Carpetana enim ea gens (vt diximus) & prouincia est, quæ Casaraugustam, Oscam, Tirassonam, Caucham, Calagurimq; continet. His igitur prouinciis debellatis, quum cætera omnia quæ ultra Iberum erant, Carthagenensium imperio subegisset, Saguntum obsidere cœpit. Quo intellecto Saguntini legatos mittunt in vrbem petentes auxilia dari, amicitiam & fœdus Romani populi allegantes. res huiusmodi diu dubie agitur. in Senatu quidam auxilia dari dicebant: illis obstabat otium, ciuitas inconsulta, res diuersa, hinc inde prælia, Macedonicum videlicet & Gallicum, agitata. Vicerunt qui dixerunt legatos destinandos ad Hannibalem Carthaginemq; requirendosq; fore, vt pacem & fœdera obseruarent, Saguntum in pace dimitterent, ac illara damna repararent. Mittuntur ad hoc legati Publius Valerius Flaccus & Quintus Fabius Pamphilus. Hannibal vero acriter Saguntum diuersis ingeniis expugnabat. Centum & quinquaginta hominū millia Hannibali parebant in ea obsidione. Quumque supradicti Romanorum legati iam Sagunti litora nauibus seu triremibus attingissent, ab Hannibale recepti non sunt: a quo responsum habuerunt, non opus esse verbis legationibusq; homini in tantâ rerum turbatione agenti. His itaq; auditis legati Romani Carthaginem contendunt. Exponitur legatio Romanorum in Senatu Carthagenensium. Hanno & ii qui partibus Hannibalis aduersabantur, Romanorum partes suscipiunt. Hanno quum in deliberationem Senatus res veniret, orationem habet ad Senatum, dicens se hæc omnia vrbis incommoda prædixisse,

xisse, quum de Hannibale cum copiis in Hispaniam transmittendis disceptaretur. Hannibal vero suæ factionis viros per litteras sollicitat, ne legati Romanorum aliquid a Senatu obtineant. Interea octauo mense quo Sagunti ciuitas ab Hannibale obsessa est, capitur: fit magna in vrbe cædes, & hominum interitus, vrbiq; magna vastatio. De situ autem huius vrbis alii ignorantia rerum antiquarum dixerunt esse Segontiam, alii Medinam cæli, quos utrosq; plurimum a veritate distare certum est, quoniam Claudius Ptolemæus libro secundo suæ cosmographiæ eam propinquam Valentia dicit. Titus vero Liuius secunda Decade in principio refert illam vno vel duobus milliaribus a mari distare, quod nemini ex ipsis vrribus pertinere posset. concordat etiam eorum assertio cum Romanis annalibus, quoniam in pace primi Punicæ bellis fines Romanorum Carthagenensiumq; Iberamnis erat, atq; quum Sagunti vrbs vicina esset Ibero, & propter illius opulentiam in maximam concertationem venissent, nec de ea valeret faciliter concordari, libertati relicta est. Ex quo satis patet fuisse vicinam Ibero, quod neq; Segontia, neq; Medinæ cæli patet aliquatenus conuenire. De situ vero Sagunti Strabo libro tertio meminit per hæc verba: Hispaniæ adiacent insulæ, duæ quidem Pityusæ, duæ vero Gymnasiæ, quæ Baleares appellantur, quibus ante Tarraconis & Sucronis oram maritimam esse situs contingit. super has conditum est Saguntum.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER QVINTVS.

De secundo bello Punico, & exercitu Romanorum aduersus Hannibalem.

PART A igitur Sagunto vrbe, legati Romani Romam redeunt, exponentes omnia hostilia fore. Magnus & terror, & ira fit vrbi. Populus Sagunto compatitur, quod perierit vrbs amica populi Romani, nec iuuare potuerunt. dolet populus non præstitisse auxilia. interim metus fit undique, populo formidatur callidi adolescentis Hannibalis ferocitas animusque, exercitatus animus Macedonum Gallorumque quibus bellum intulerant, & non quidem bellum, sed turbationem, quum bellum cum solis Pœnis gessissent. Inter hæc decernitur bellum aduersus Carthaginem. Creantur Consules ad id bellum gerendum, imperatoresque constituuntur Publius Cornelius Scipio & T. Sempronius, ex ærario pecunia ministratur ad parandum exercitum, componitur classis, viri equestris & pedestris generis conducuntur, qui apti ad bellum haberi potuerunt. Interea Hannibal considerans quod ipse causa huius belli fuerat, non decretum Carthagenensium Senatus, quum milites in nouam Carthaginem reduxisset partitis spoliis, militibusque ex victoria iucundatis, munitis Hispaniæ vrribus, in Italiã venire parat. Hispaniæ igitur præfecit Hasdrubalem fratrem suum. Igitur Hannibal occupata reliqua Hispania Pyrenæum transire facit. De cuius vero itinere auctores dissentiunt, quoniam dixerunt aliqui Hannibalem superatis Ilergetibus, qui Nauarrenses hodie dicuntur, suntque coniuncti Pyrenæo, per Rucissum vallem transisse in Vasconiam. Titus vero Liuius (cui magis standum est) refert Hannibalem per Emporitana agrum transiisse Pyrenæum. dicit enim in secunda Decade, transacto Pyrenæo Hannibalem ad oppidum Illiberim secus Ruscinonem concessisse, & quinto mense a capta Sagunto Italiam aggressus est. Interim audito aduentu Hannibalis Romani ad Gallos legatos mittunt ad reconciliandos eorum animos, vrque Hannibali transitum prohiberent. Asperruntur a Gallis legati Romanorum afferentibus, Romanos de

Gallis non bene meritos esse, neq; Carthaginenses male meritos, ut transitum prohiberent. Hannibal ergo superato Pyrenæo Vasconiam Auxiumq; quæ ad dorsum Pyrenæi situm habent, occupat, inde ad Alpes per medias Gallias peruenit, quæ Alpes Galliam ab Italia sciungunt. Quumq; igne acetoq; rupium aspera itineri obstantia fregisset, in Italiam traiecit exercitum. Titus vero Sempronius in Siciliam properat cum exercitu nauali, & Publius Scipio alter Consul obuiam Hannibali cum exercitu terrestri mittitur. Qui cum audisset Hannibalem iam Alpes superasse, is apud Ticinum amnem Italiae confedit. qui cum furore valido amnem Ticinum pertransisset, occurrit ei Publius Scipio Consul ex insperato. 10
gravis pugna committitur, & satis æqua lance pugnarum est. Publius vero Consul multa dubitans intra Padum apud Placentiam se recepit. Hannibal vero mox sequutus Consulem Emporium oppidum vicinum Placentiæ in expugnatum deleuit, cuius habitatores & qui euadere potuerunt, ad maritima Liguriæ fugientes ab altero Consule qui in Hispaniam cum exercitu mittebatur, recepti sunt. Interim Gneus Scipio Publii Scipionis frater in Hispaniâ mittitur nauali exercitu parato, qui primum in Emporiam urbem nostræ dicecësis exercitum duxit.

Gnei Scipionis aduentus in Hispaniam, Emporiumq; urbem.



GITUR quum Gneus Scipio Emporium venisset, fama ingens 20
per Hispaniam volat, Consulem Scipionem aduenisse. Erat enim ea ciuitas non longe a Pyrenæo monte. Dimisso itaq; exercitu apud Emporium discurret partim pro renouando, partim pro instruendo exercitu. Magnus clementiæ Scipionis rumor non solum per maritima, sed etiam per plana & montana spargitur. fit inter eos non solum pax, sed federatio. multi ex 30
provincia in Romanorum auxilia ascribuntur. Erant apud eam regionem duces duo Carthaginensium, Hanno scilicet & Hasdrubal, quos magna militum manu Hannibal ab Hispania recedens in provinciæ præsidium reliquerat. Hanno itaq; alter ex ducibus apud Tarraconam agens, de Consulis aduentu factus certior, castra mouit aduersus Romanorum Consulem. Gneus vero Consul animaduertens 30
necessario cum Hannone sibi dimicandum esse, & etiam Hasdrubalem properare ut trans Iberum cum Consule certamen iniret, potius cum altero certandum decreuit. Quumq; Hanno prope Romanum exercitum castra mouisset, inde instructa acie in prælium venit. Graue hinc inde prælium committitur. Contigit autem hoc certamen (ut ex veterum scripturis colligitur) apud urbem quæ quondam vetus Carthago dicebatur, vbi nunc Pœnensium provincia dicitur, ad eum locum vbi nunc Villa franca Pœnensium sita est, vbi secundum Claudium Ptolemæum vetus erat Hispaniæ Carthago, sicuti supra disseruimus. Igitur 40
commisso prælio inter vtraq; copias, vicit Consul, & captus est Hanno dux exercitus, sex millia Carthaginensium cæsa sunt, duo millia capta cum castrorum præsidio. Deinde expugnatur vrbs, quæ facile victa, cæso & capto præsidio in vindictam Sagunti, & iniuriam nominis Carthaginis demolita est. cuius incolæ per provinciam dispersi, promissa immunitate volentibus eam inhabitare, Villam francam iisdem in mœnibus construxerunt (ut superius diximus) & sic postea semper vsq; adhæc tempora nominata est cognomine adiecto Pœnensium, quia primo Pœni, id est Carthaginenses, in ea habitassent. Igitur capto Pœnorum duce, superataq; vrbe, Romani milites multa supellectile ditati sunt, quoniam omnis Pœnorum supellex, eorumq; præcipue qui cum Hannibale ex Hispania recesserunt, ne onusti incederent, in ea vrbe dimissa a Romanis militibus intercepta est. 50
Hasdrubal vero nouorum hostium aduentum præsentens, cum mille equitibus ac octo millibus peditum, transacto flumine Ibero, in occursum consulis properat, sed audito castrorum suæ gentis anfractu, non ultra ire ausus est. Sed Tarraconam versus, vbi Scipio classem habebat, quum Romanorum milites per agros bacchantur, multos ex Romano exercitu interfecit, & reliquam partem exercitus ad

tus ad naues fugere compulsi. His sic actis consul Scipio præsidio Tarraconæ dimisso, classem Emporium redire iussit. Hasdrubal vero consulem timens in vltiorem Iberi partem ad mare se recepit.

De Tarracona vrbe, & aliis vrbibus a Romanis in Hispania conditis.



T quoniam in Tarraconæ incidimus mentionem, a quibus Tarraco originem habuerit videndum est. Strabo enim declarans in tertio libro conditores vrbium Hispaniæ, adiecit: Tarraconam Scipiones construxerunt, ideo caput est Tarraconensis provinciæ. Idem pene dicit Plinius de Naturali historia libro tertio: Tarraco Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum, quod tamen non existimo verum; quoad illius foundationem, sed quoad illius instaurationem vel ampliationem, ut sæpius ex antiquis scriptoribus factitatum constat. Refert enim Varro Cecropes construxisse Athenas, sed veraci historia Athis Rex primus illam construxit, a quo Athenæ nomen vrbi est, & Articiæ provinciæ, ut meminit Iustinus in suo Epitome. Et ideo puto eiusdem vrbis primam constructionem ad Græcos & Herculem pertinere, sequentibus rationibus. Prima est, quoniam nequaquam verisimile est, ut Scipiones, si illam ab initio fundassent, Græcum illi nomen imponerent, quum essent Latini. quod euidenter ostendit Isidorus existimans illam ad ipsos Scipiones pertinere: propterea Tarraconam nominat, facitque eam primæ declinationis in etymologiarum lib. Sed antiqui omnes non quasi Latinam habens originem Tarraconam dicunt, sed Tarraconem, quasi plane Græcum sit, tertiæ declinationis faciunt, inter quos est Claudius Ptolemæus. Ægyptius libro secundo suæ Cosmographiæ, & Plinius de Naturali historia libro tertio, & pene omnes antiquiores. Secunda ratio est, quoniam constat ex Romanis annalibus Gneum Scipionem, qui primus cum Romano exercitu ex omnibus Scipionibus intrauit Hispaniam, in primo suo aduentu competisse Hannonem Pœnorum ducem considere apud 30
Tarraconam: ipsoque Hannone deuicto statim paruit Scipioni. ex quo clare constat antiquiorem illi esse originem a Græcis profectam. & quanquam authentice non legerim, tamen vaticinari licet eius exordium ad Herculem Græcosque pertinere. quod sequenti ratione firmatur, quoniam quum idem Hercules diuersis populis quos ex Tyriis, & Phœnicibus, cæterisque regionibus secum adduxerat, concesserit sedes, vrbesque construxerit, atque ex nomine gentis eas appellauerit, non videtur a vero distare, quod Aconitis quos secum adduxerat, Tarraconenses agros concesserit, & terram Acon appellauerit. Acon enim vrbs est in Phœnicia non longo distans a Tyro & Sidone. Cuius Tyri & Sidonis incolæ cum Hercule militantes Gades instruxerunt, ut refert Iustinus. Sic enim ab ipsis Aconitis terra 40
Acon appellata dici potest. Eam tamen præfati Scipiones, Gneus & Publius Cornelius fratres auxerunt ac dilatarunt, validissimoque muro cinxerunt, & metropolim totius citerioris Hispaniæ effecerunt. Ex quo non est dubium, quod potuit dici Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. Ad Romanos igitur pertinet Corduba Bætica, quæ a Marco Marcello condita est, ut placet Straboni libro tertio. Item & Emerita a Iulio Cæsare condita ex veteranis militibus, quos emeritos appellabat, & ab ipsis emeritis, Emeritam appellauit. Itidem & Hispalis, quoniam licet illius prima constructio ad Herculem pertineat, illius tamen instauratione & amplificatio ad Caium Iulium Cæsarem pertinet, ipseque Iuliam Romuleam appellauit, illiusque denominationem vulgari idiomate vsq; in hodiernum retinet, 50
ut ab ipso Iulio Cæsare Ciuitia, id est ciuitas Iulia, appelletur. Inde etiam Pampilona, quæ a Pompeio condita est, dum non longe ab ea pugnasset cum Sertorio, & dicta fuit Pompeiopolis, scilicet ciuitas Pompeii, ut voluit Strabo libro tertio de situ orbis. Brutus in super cognominatus est Gallecus: qui quum obtenta Gallecia diutius cum Lusitanis pugnasset, illosque vicisset, Toletum urbem ex natura loci munitissimam in præsidium Lusitanorum construxit. Quæ quum ab initio parua

fuiſſet vrbs; Gotthorum tempore tanta effecta eſt; vt in metropolim creata ſit ſuppreſſa metropoli Carthaginenſi, ſub qua erat, vt ex libro Conciliorum conſtat. Ad Romanos etiam pertinet Cæſarauguſta, Salduba per antea dicta (vt Plinio placet) ab Auguſto Cæſare condita. Pertinet inſuper ad Romanos Villa Franca Pænorum, Sardoniumq; oppidum, & Iulium in Ceretanis; quæ omnia non a Romanis prius fundata, ſed vel ampliata, vel inſtaurata fuiſſe conſtat.

De gente Nauarrorum, & vrbe Athanagia, quæ hodie Pampilona dicitur.



CIPRO vero capta Tarraconâ, ibique dimiſſo præſidio, claſſe Emporium remiſſa Illegertim gentem opprimere decreuit. Interim profectus Athanagiam vrbe[m], quam hodie Pampilonam dicunt, obſidet, quæ caput illius gentis habebatur (dicta eſt autem Pampilona a Pompeio, vt ſupra diximus) poſitaque obſidione, & in feſto exercitu poſt dies paucos obſidibus imperatis Illegertis etiam pecunia multatos in ſuis ditionemque recepit. Inde in Aufetanos procedens, Tutelam vrbe[m] ad oras Iberi perueniens obſedit. Quumque Lactani (qui & Cæſarauguſtani) vicinis ferrent auxilia, nocte non longe ab vrbe, quum intrare vellent; excepit eos in ſidiis. eorum caſa ſunt duodecim millia, reliquos vero penè omnes exutos per agros diffugere compulit. Vrbi tunc maximo adiutorio erat nix iniqua in feſtaque oppugnantiſſis: quæ, quum hyems eſſet, per xxx. dies quibus durauit obſidio, pedes alta quatuor extitit. Deinde quum Amuſtus princeps eorum ad Haſdrubalem conſugiſſet; oblati de vrbe xx. talentis argenti, obſides Tarraconam deducuntur. Hæc in hyeme geſta ſunt anno ab vrbe condita quingentimo vicesimo octauo. Sequenti vero æſtate dum Hannibal duro bello Romanos in Italia quateret, in Hiſpania terra marique pugnatum eſt. Haſdrubal xxx. habebat naues ſiue triremes ſibi ab Hannibale dimiſſas. His autem xxx. decem adiunxit, quas xv. Amilconi commiſit, atque cum illis Carthaginem profectus exercitum ad maris littora ducebat, paratus pugnare terra marique, ad quancunq; partem hoſtis occuſiſſet. Gneus Scipio primum terra hoſtem aggredi ſtatuerat, ſed tamen intellecto cum nouis hoſtibus conſultius eſſe, mari pugnandum ſtatuit, parataque claſſe quinque & triginta triremium hoſtem ſequi parat, qui deſtitit militibus ex omnibus copiis ſuis triremem conſcendit. Primaque ſtatione deno milliario ab oſtio Iberi fluminis claſſem duxit, auditoque claſſem hoſtium ad Iberi oſtia ſtare, duæ Maſſilienſium ſpeculatoriæ triremes à Conſule miſſæ ſunt; quæ retulerunt Carthaginenſium claſſem ad fluminis Iberi oſtia eſſe, caſtraque in ripa poſita. Vnde viſum eſt, vt incultos improvidosque magno clamore, ſimul & terrore aggredereſſent, atque ſublatis ancoris ad hoſtem vadit. Multas ea Hiſpaniæ pars altas turres habet, quibus & ſpeculas & propugnacula aduerſus latrones, maximeque piratas, habent. Ex quibus primum conſpectis Romanorum nauibus ſignum dederunt Haſdrubali, ortusque tumultus maximus eſt prius in terra quam in mari, nondum vllò pulſu remorum, aut alio nautico ſtrepitu audito, quum nihil minus eo die quam prælium expectarent. Conſcendunt igitur quam raptiſſime naues, atque arma capere iuſſit Haſdrubal. caſtrorum milites potius fugæ locum dabant, quam in prælium properebant. Carthaginenſium adeo omnia præpropere gerebantur, & perturbatione nautica prohibebantur, vt tentata ſit potius quam inita pugna. Iam ſatis in lato pelago Carthaginenſes terram contingere conati, in littus triremes ire coegerunt, ſicque alii vadis, alii ſicco littore excepti, partim armati, partim inermes ad inſtructam per littus aciem ſuorum confugere conabantur. Duæ tamen fuere naues Carthaginenſium quæ primo congreſſu captæ ſunt, & ſubmerſæ quatuor: Romani vero quanquam terra hoſtium erat, armataque aciem paratam in littore cernebant, inſecuti trepidam claſſem hoſtium præter eas triremes quæ propriis in terrâ collis, aut carinas vadis fixerant, puppes in altu extraxere, atq; ex Punicis xxx. nauibus xxv. ceperunt. indeq; parta victoria Conſul Romanus Carthaginem

nem profectus eſt: atque omnem agrum circūquaque depopulati teſta vrbi muroque coniuncta incenderunt. Inde grandi ac maxima præda ditati, Conſul cum claſſe Vticam petuenit, quæ vrbs non multum a Carthagine diſtat, in littore quod ad fretum Herculeum pertinet. Ibi que ſublatis iis quæ Haſdrubal ad nautica officia parauerat, cæteris vero incenſis, deinde in Ebuſum inſulam (quæ hodie Iuiza dicitur) nauigauit, ibique oppugnata vrbe quæ caput eſt inſulæ, quum eam expugnare non valuiſſent, biduo ibi commorati ſummo labore ſpecq; fruſtrati, ſe in agri depopulationem verterunt, direptiſque ac incenſis pluribus vicis, multa que parta præda quum in naues ſe recepiſſent, ex Balearibus inſulis (quæ hodie Maiorica & Minorica nuncupantur) legati ad Scipiorum perueniunt pacem petentes. Interim flexa retro claſſe, multorum populorum, tam citerioris, quam vltioris Hiſpaniæ ad Scipionem legationes miſſæ ſunt, qui vere dominio imperioq; Romanorum ſeſe dederunt obſidibus datis. Fuerunt autem populi Hiſpaniæ qui ea ſtatione ad Romanum venerunt imperium, amplius quam centum & viginti. Conſul vero Romano exercitu ſatis fidēs, exercitum vſq; ad Caſtulonem ſeu illius ſaltum perduxit. Fuit enim Caſtulo vrbs amica ſatis populi Romani, quæ in principio vltioris Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ ſita erat, in capite Bætis fluminis, a qua Caſtelle Rex (vt diximus) nomen & arma habet. Interea Haſdrubal exercitum in Luſitaniam duxit, ac propius Oceanum conſedere fecit, ſperans reliquum æſtatis ibi tranquille tranſigere. Interim (ſicut Hiſpanis mos eſt noua expetere) Mandonius quidam nobilis ex Illegertum gente (quæ, vt diximus, hodie Nauarrenſis dicitur) quum intellexiſſet Romanum Conſulem a ſaltu Caſtulonis ad maritimam oram duxiſſe partem Romanorum ſociorum, quæ pacata erat & pacifica, eos inuaſit. Contra quem quum a Scipione miſſa fuiſſent tria millia Romanorum exercitus cum expeditis auxiliis, leui certamine deuictus eſt Mandonius, ipſoq; ac omnibus ſuis occiſis tumultus ſedatus eſt. Huius autem tumultus cauſa fuit, vt Haſdrubal qui ad Oceanum ſedebat, in ſocios Romanorum caſtra Punica ad Iberi littora terra heret. Cuius aduētus alio vertit bellum, quoniam Celtiberorum princeps qui Romanis datis obſidibus ſe dederat, accepto nuncio a Scipione arma capit, qui nouæ Carthaginiæ provinciam valido exercitu inuaſit, tria oppida expugnat & cum ipſo Haſdrubale bis pugnates, & quidem egregie, tria millia hominum occiderunt, quatuor millia etiam vi ceperunt cum multis militaribus ſignis.

Quomodo Publius Scipio Gnei frater Conſul & imperator in Hiſpaniam venit, & ſuatri coniungitur.

SVPRA ſcriptis rebus ſic ſe agentibus, Publius Scipio iam Conſul, imperator conſtituitur, prorogatoque conſulatu in Hiſpaniam venit miſſus a Senatu, triginta ſecum adductis nauibus, & octo millibus militum, magnoque comœatu rerum. Ea enim claſſis procul viſa, a ſociis in Hiſpania militantibus magna cum Igititia ciuium ſociorumque recepta eſt in portu Tarraconæ, ibique in terram expoſitis militibus profectus Publius Scipio fratri coniungitur, quorum ab inde communi cōſilio bellum gereretur. Occupatis igitur Carthaginenſibus Celtiberico bello, tranſacto Ibero, ac nullo penitus viſo hoſte Saguntum pergunt, eo quod ibi traditos cuſtodire ab Hannibale omnes Hiſpaniæ obſides, fama erat, modico in arce præſidio cuſtodiri. Erat autem apud Saguntum Boſtar Carthaginenſium dux, qui quum intellexiſſet Scipiones aduerſus Saguntum caſtra mouere, ipſe ſecus Saguntum caſtra poſuit, medius inter Saguntum (quod, vt diximus, Muriuetus hodie appellatur) & littora maris, ne claſſis Romanorum veniens poſſet vrbe[m] inuadere. Erat & inſuper dux quidam Carthaginenſium, alias Pœnis fidus, natione Hiſpanus, Abelox nomine, qui callido potius quam fideli cōſilio Boſtarem aggreditur, dicens ſe duorum arbitrari ſtatum Carthaginenſium; nec modicum periculum, ſi vltorius apud eum ſit violenta obſidum detentio, conſultiusque putare ſe Pœnis, ſi obſides gratia Carthaginenſium patribus remitterentur, qui cum viri maiores

urbium forent, fortius beneuolentia aduersus Romanos dimicarent. Quumque hoc satis Bostari placuisset, cum huiusmodi genere ministrum fecit. Præsciuerat enim Abelox, Scipiones Saguntum versus venisse, quibus per quendam transfugam innotuit, se ad maxima quæque acceptissimaque Romanis paratum esse. Qui quum obfides a custodibus accepisset mandato a Bostare dato, ut eos genitoribus atque propinquis redderet, ipse data notitia Romanis in eorum manus se finxit incidisse. Vnde quod facere Bostar Carthaginensesque de Hispanis obsidibus statuerant, fecere Romani, qui magnam inde populorum Hispaniæ captauerunt beneuolentiam. Redditis enim filiis patribus atque propinquis, Romanorum nomē quod per antea ferum crudeleque credebatur, clemens ac liberale habitum est. 10 Communis itaque omnium ciuitatum defectio secuta a Carthaginensibus fuisse, nisi hyems superuenisset, quæ Romanos Carthaginensesque, ne in castra prodirent, detinuisset. Dum hæc igitur a Scipionibus in Hispania agerentur, Hannibal primo a Q. Fabio magistro militum victus est. Deinde Hannibal apud Cannas Apulix vicum Romanos vsque ad finalem interitum vicit, adeo ut si victoriam secutus fuisset, nō dubium est quin Romanos penitus deleuisset. Per ea tempora Ptolemæus Philopater sextus Ægyptiorum Rex, qui annis decem & septem regnauit, annis ab orbe condito quatuor millibus nongentis octoginta decessit.

Quomodo duo Scipiones, alter terra, alter mari prælia ex concordia gesserunt.

INTEREA dum hæc sic in Italia agerentur, acriter bellum in Hispania gerebatur. Sed ad eam vsque diem magis prospere pro Romanis Publius Scipio & Gneus frater communi concordia decreuerunt, ut exercitibus partitis Gneus terra, Publius mari bella gererent. Hasdrubal Pœnorum imperator neutri parti terra marique satis fidens procul ab hostibus ducebat exercitum. Et quum sæpius ac sæpius a Carthaginensibus auxilia postulasset, tandem quatuor sibi a Carthagine missa sunt equitum millia, & pedites quantum sufficerent. Tunc Hasdrubal resecta spe propius castra mouit, classemque & ipse instrui pararique iubet ad insulam maritimamque oram tutandam. Nunquam enim ex illa ora Hasdrubal nautis nauiumque præfectis fidem habuerat, qua ad Iberi oram turpiter pugnarunt, vel potius classem deseruerunt: illis tamen plurimum increpatis classem de integro instaurat, & motis aduersus hostem Romanum castris Galbum nobilem Tricenorum ducem, qui se in castris valido exercitu detinebat, aggredi statuit. Præmissa igitur leui suorum comitua, ut illum posset ad prælium concitare, partem etiam ad vehementius excitandum ad agrorum deuastationem laxauit. Tumultus interim oritur, & per agros fuga simul & cædes fit. Quum interea Tricenorum dux ad castra se recepisset magna trepidatione, hostem Pœnum aggredi statuit, nedum se ab eo tueri. Quumque Hasdrubal eorum animos deprehendisset, copias in altum locum retrahere curauit, qui clausus flumine satis fortis erat: nec se etiam tutum confidens, castra vallo muniuit. Iterum quum Hispani sæpius Pœnos ad prælium incitassent, pari fortuna ac pauore vtrinque pugnatum est. Quum vero Hispanus vidisset Pœnos non posse ad bellum elicere: A sena urbem aggressus est, quam vicepit, agrosque hostiū deuastauit. Ea enim ciuitas A sena apud fluiuium Iberum sita, hodie Ascho dicitur.

Literæ Carthaginensium ad Hasdrubalem, ut in Italiam transeat relicta Hispania.

IS igitur sic se habentibus, a Carthagine ad Hasdrubalem literæ delatæ sunt, ut primo veris tempore exercitum in Italiam traduceret. quæ res vulgata per Hispaniam, omnium Hispanorum animos ad Romanos conuertit. Ita Hasdrubal statim literas Carthaginem mittit, dicens & indicans

cans quanto damno profectiois suæ fama fuisset. His addebat, si a provincia discederet, Romanorum Hispaniam fore, seque non habere præsidium, minusque ducem quem præficere prouinciæ posset, atque duos esse Romanorum imperatores, Scipiones Publium & Gneum, quibus vix æquis viribus resistere posset. Itaque si vllam Hispaniæ curam haberent, orabat, ut successorem sibi cum valido exercitu mitterent. cui si omnia prospere euenirent, non tamen opus esse eum ociofum morari in prouincia. Hæc literæ quanquam primo aspectu Carthaginensium Senatus animos mouissent, tamen quia eis de Italia potior cura erat, nihil de Hasdrubale & copiis eius mutatum est, Amilco successor Hasdrubali, & imperator missus est in Hispaniam valido cum exercitu, classemque instructa ad retinendam terram, maritimamque oram tutandam. qui cum exercitum classemque in Hispaniam traiecisset, castris communis, & vallo circumdatis, nauibusque subductis, ipse cum quibusdam delectis militibus festinater, & quantum accelerare potuit, per dubios infestosque populos ad Hasdrubalem peruenit. Quumque decreta Senatus exposuisset, edoctus ab Hasdrubale, quem admodum bellum in Hispania gerendum esset, retro in sua castra rediit, arbitratus nihil adeo quam celeritate opus esse, ne hostes eius reditum præferrent. Hasdrubal igitur prius quam castra moueret, pecuniam omnibus Hispaniæ populis imperat, non ignorans quem admodum Hannibal ipsius frater transitu pecunia mercatorum comparasset, nec auxilia Gallica aliter quam conducta habuisse, in opemque tantum iter ingressum vix ad alpes penetraturum fuisse. Pecuniis igitur raptim exactis ad Iberum flumen descendit. Vbi vero decreta Senatus & Hasdrubalis iter Romanis innotuit, omnibus omissis rebus ambo duces iunctis copiis ire obuiam Hasdrubali cœperunt, ut ei obisterent, rati si Hannibali Hasdrubal in Italia iungereur cum Hispano exercitu, finem Romano imperio fore. His anxii curis exercitus ad Iberum ducunt, & transacto flumine quum diu consultaissent, an deliberarent castra castris coniungere, tandem urbem propinquam flumini, quæ Ibera dicebatur, quam ex illius situ quidam Derusam arbitrantur, obsidere cœperunt. Quod ubi Hasdrubal intellexit, opem ferre urbem parat, quæ paulo ante in amicitiam Pœnorum venerat. ita cœpta obsidio a Romanis omissa est, & in ipsum Hasdrubalem verteretur bellum. Quumque quinque milliarium interuallo castra posuissent vtrinque, singulis diebus commissis hinc inde præliis, tandem vno eodemque die velut ex composito vtrinque signum pugnae propositum est. Triplex eo die fuit Romana acies, peditum pars ante inter signa locata, pars post signa, equites cornua cinxere. Hasdrubal vero mediam aciem Hispanis firmat: in cornibus, dextero Pœnos locat, læuo Afros. non longe vtraque acies viribus distabat, tum equitum, tum peditum numero, sed vincendi dispar Pœnis animus. Romani quidem persuadebantur pro patria, pro republica, pro reditu in Italiam pugnare. pro aduersa Pœnorum parte non ita pertinaces animi erant, quasi mallent in Hispania vinci, quam in Italia vincere. Primo igitur concursu cum solum pila coniecta essent, retulit pedem media acies, inferentibusque sese magno impetu Romanis, media Hispanorum acies quæ cum Hasdrubale erat, terga vertit: & tantum in cornibus prælium committitur. hinc Pœnus, hinc Afer vrgent, & accipiti prælio pugnant. iamque duo prælia esse videbantur, quoniam sub motis mediis ad alterutram partium pugnabatur. Iam Romana acies, media Hasdrubalis acie submota, satis virium habebat ad dimouenda Pœnorum cornua, quum & numero, & viribus potiores hostibus forent. Hasdrubal vero ad vltimum euentum pugnae moratus, ex media cæde solum cum paucis aufugit. Romani victo Hasdrubale Pœnorum castra cepere atque diripere. Ea pugna, siqua dubia in Hispania erant, Romanis adiunxit: Hasdrubalique non solum in Italiam traducendi exercitum, sed ne manendi quidem satis tuto loco in Hispania spem reliquerat. Quæ posteaquam literis duorum Scipionum Romæ nunciata sunt, non tam victoria, quam prohibito in Italiam Hasdrubali transitu lætabantur. Post priores igitur literas Publii & Gnei Scipionum, aliæ sunt delatæ literæ eorundem ad Senatum, nunciantes quales quantasque res gesserint in Hispania prospere, sed primum stipendia, vestimentaque, & frumentum exercitui, & naualibus focis deesse. Deinde

postquam de publico ærario, & pruitata pecunia a populo Romano prouifum fuit, conducta omnia magno animo fuerunt. Factum est hoc anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo octogesimo primo, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo secundo. Postea vero anno secundo, quum duobus sequentibus annis pene nihil memoria dignum egisset Hasdrubal, cū Magone fratre & Amilcare Bomilcaris filio urbem Illiturgum obsidere cœperunt, quā urbem Medinam cæli hodie vocitari arbitror. Hanc enim obsidionem Hasdrubal, Mago, & Amilco fecerunt propter defectionem, quam a Carthaginensibus fecerant ad Romanos. Quum vero ea vrbs frumēto maxime indigeret, duo Scipiones inter tria hostium castra maxima cum angustia com meatum frumenti afferentes ad urbem peruenerunt, cohortatique sunt ciues, vt eo animo, quo prius, se defenderent, etiam mœnia tutarentur. In eo autem transitu com meatus magnam suorum stragē, cædem, ac ruinam passi sunt Romani. Quum vero Carthaginenses maxima eruptione in duos Scipiones irruissent, grauis pugna commissa est. Fuerunt enim eo die in Carthaginensium exercitu vltra sexaginta millia hominum: Romanorū vero sexdecim millia tantum. Eoq; die ex Carthaginensibus plures occisi sunt, quam essent Romani numero. Ceperunt & insuper eo die ex Carthaginensibus circiter tria millia equorum, & sexaginta signa militaria, quinque etiam elephantis mortuis. atq; omnibus Carthaginensium castris in direptionem adductis Illiturgum ab obsidione liberatum est. Hanc Illiturgi obsidionem fecerunt Carthaginenses in odium vrbs quæ Castulo dicitur, propinqua Illiturgo, quæ quum olim affe&issima Pœnis esset, ab eis tamen defecerat ad Romanos, quorum præsidium a Scipionibus positum in Illiturgo erat. Longe maiora hoc anno in Hispania gesta sunt, quam in Italia. Inde Carthaginenses reparatis statim exercitiis, nouis deniq; auxiliis ab Africa traductis Burgiam urbem, quæ Romanis fociata fuerat, Carthaginenses oppugnare cœperunt. Quam obsidionem veniens Gneus Scipio soluit. Ad Mundam exinde urbem castra Punica mota sunt. Est autem Munda vrbs (quam hodie Colymbriam appellamus) in qua denuo Sextus Pompeius cum Agrippa Cæsaris duce pugnavit. Quum vero Romani intellexissent, ad Mundam urbem castra mouisse, statim se eo contulerunt, ibiq; collatis signis ad bellum ventum est, & per quatuor horas fere pugnatum est. Vincentibus Romanis signum receptum datum est, quod Publius Scipio tragula in femore vulneratus esset. pauor ceperat milites, ne vulnus mortiferum esset. Nisi casus vulneris Scipionis occurrisset, castra Punica eo die capta fuissent. in hocque prælio dicuntur occisa ex Carthaginensibus duodecim millia, & capta tria millia. Interim Pœni ad Auringen urbem recesserunt, quos, vt territos, non deseruit sequi Scipio, quoniā lætacula aduectus iterum cum Pœnis prælium cepit, atq; in hac secūda pugna circiter sex hominum millia fuere cæsa, & mille quingēti capti. His igitur peractis Hasdrubal Magonem fratrem pro reparandis exercitiis ad conquisitionem militum misit: qui quidem breui exercitum repleuit militibus, animosq; ad instaurandum denuo certamen excitauit. Deniq; conferto prælio, eodē euentu fortunaq; pugnarunt. In eo enim plus quam octo millia Carthaginensium cæsa sunt, elephantum octo capti, tres occisi sunt. Rebus igitur Romanorum sic se prospere in Hispania habentibus, verecundia cepit Romanos Saguntum urbem quæ causa belli fuerat, non obsidere, quæ per multos iam annos in hostium potestate fuerat. itaque ad illud exercitus duxerunt, quod modica vi expulso præsidio obtinuerunt, indeq; Turditanos qui Saguntinis parauerant bellum, vendiderunt, illorumq; urbem, precio inde recepto. Turditani ea gens Hispaniæ est secundum Claudium Ptolemæum, quæ a flumine Bæti est & vrbe Hispali vsq; ad flumē Anam (quod hodie vulgo dicitur Godiana) ibi enim vrbs erat a nomine prouinciæ dicta, quæ ob istam ipsius vrbs hominum venditionem deleta dicitur, & prouincia manet. Apud eandem enim urbem & prouinciā Hannibal quum primo a Carthaginensibus dux exercitus creatus est, dicitur exercitum instruxisse, vt Saguntum urbem populi Romani amicissimam oppugnaret. Hæc autem gesta sunt anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo octogesimo quarto, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo sexto.

De mor-

De morte duorum Scipionum in Hispania, Publii videlicet & Gnei.

SEQVENTIBVS igitur duobus post annis, videlicet anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo octogesimo sexto, & ab vrbe condita quingentesimo tricesimo octauo, quum in æstatem tenderent transactis hyemalibus turbinibus, ambo Romani imperatores, Publius & Gneus Scipiones duos exercitus coniunxerunt consule, & decreto consilio, vt Hasdrubalem quem censebant in Italiam transiturum, totis viribus impedirent. Ad hoc credebatur satis virium, quum ad eorum exercitum & potentias accessissent viginti millia Celtiberorum, qui transacta hyeme ad arma fuerant concitati. Tres enim fuerunt Carthaginensium exercitus: duces vero duo Hasdrubales, quorum alter maximus erat Pœnorum dux in Hispania, Amilcaris filius, & frater Hannibalis, alter vero Hasdrubal Gisconis filius, & Mago etiam Amilcaris filius. Hi etiam omnes tres exercitus iungere statuerunt. Hasdrubal Gisconis filius ambos exercitus iam simul iunctos habebat, distabantq; dierum quinque itinere ab Romanis. propior ipsis Romanis erat Hasdrubal Amilcaris filius, magnus Hispaniæ imperator, qui exercitum ad urbem Astorgum habebat. Eam igitur urbem imperatores Romani maxime obrinere cupiebant, & Hasdrubalis Amilcaris filii exercitum delere, rati si illum frangere possent, facile alterum Hasdrubalem, & Magonem per deuia & saltus fugere compulsiuros. Itaque decreuerant copias in duos exercitus diuidere, vt scilicet Publius Scipio duas Romani exercitus partes assumeret dimicaturus cum Magone & Hasdrubale Gisconis filio. Gneus vero Scipio cum reliqua tertia parte adiunctis Celtiberis bellum aduersus Hasdrubalem Amilcaris filium assumeret. Sic igitur rebus compositis Gneus cum fratre Publio adiunctis Celtiberis pariter omnes cum duobus exercitiis aduersus hostes itinere arrepto ad Astorgium urbem castra posuerunt ex opposito Hasdrubalis, eos diuidente vrbe, quibus castris firmatis Publius ad decretos hostes progressus est cū duabus exercitus partibus, Gneo ibi cum Celtiberis remanente. Hasdrubal vero quum conspexisset imminutum exercitum Romanorum ex discessu Publii, solāq; vim exercitus Gnei Scipionis consistere in Celtiberis, quorum duces ex diuturno bello atq; consuetudine linguæ cognitos habebat, quum totum exercitum plentū Hispani haberet: cum eis pacificatur, & occulta colloquia tractare cœpit, vt Celtiberi illorumq; principes ad patriam decederent, atq; copias inde abducerent magna mercede eis promissa. Illis vero tum illectis præmio, tum ob dubiū euentu futuri belli, spe etiam remeandi ad propria suosq; visendi, nō atrox iniuria videbatur, quod non vertendi belli opus videbatur, sed abstinenti ad tēpus. Hæc res Celtiberis haud dubia facta est propter Romanorum metum, quum adeo pauci Romani essent in exercitu, vt Celtiberis resistere non valerent. Ex qua re hæctenus Romanis restat prouerbium, vt nunquam adeo debeant in exteris fidere, quin in suis fiant etiam potiores. Signa itaque mouentibus Celtiberis, mirantibusque instantibus, rogantibus, ac contradicentibus Romanis, vt remanerent, nullam aliam causam allegarunt, nisi se domestico bello renocari. Quum vero Gneus Scipio vidisset, nec hortatu, nec vi posse Celtiberos compellere vt remanerent, cum anxietate cogitans quid inde acturus esset, quum nec ibi tutus esse posset, nec etiam fratri ob distantiam se coniungere, nullum aliud consultius in promptu visum est remedium, quam retro paululum exercitum ducere. Nec minor anxietas terrorque fratrem premebat, periculumque maius ex nouo hoste, quoniam interea Masinissa Rex Numidarum eo tempore socius Carthaginensium factus est, quem postea Romana amicitia fecit clarum. Is quum venisset valido Numidarum exercitu, Publius Scipio aduenienti occurrit, qui deinde diebus ac noctibus Romanis adeo infestus erat, vt non sineret eos longius lignatum pabulatumque ire, quoniam sæpe inuentus inter medias Romanorū stationes omnia ingentium multum miscebat. Noctibus quoque eorum incurfu repentino in portis & vallo Romano trepidatum est, nec vel locus, vel tempus vllum vacuum a metu ac solitudine erat Romanis compulsi intra vallum, adempto omnium rerū vsu, consistere. Quum igitur prope esset obsidio, eamque a ratione conciperet, dux cautus

ac prouidus Scipio victus necessitatibus temerarium capit consilium, vt nocte hosti obuiam iret, & quocunq; loco occurrisset, prælium caperet. relicto igitur modico præsidio in castris, præpositoque Tito Fronteio legato, media nocte profectus cum hostibus obuiis manus conferuit, agmina magis, quam acies pugnabant: nec tempus noctis, nec hostium impetus ordinari acies permittebat. Superiores vero ex tumultuaria turba Romani erant, sed quum venissent a lateribus equites Numidarum, quos repētino incurſu fefellisse Scipio arbitrabatur, ut magnum terrorem Romanis intulerunt. Contracto insuper nouo certamine aduersus irruentes equites Numidas, superuenerūt etiam noui hostes duo duces Pœnorum a tergo pugnantibus. anceps & dirum committitur prælium. Quumque diutius prælium ad vtranque partem dubie perdurasset, prouidus & strenuus imperator hinc inde prouidebat, vbi maxime videret occurrendum esse. interim dum strenue ad alteram commissi certaminis partem prælium ageret, latus eius dextrum lancea transfigitur. Quumque hostes qui in imperatorem Romanum dimicabant, eundem ex quo labentem prospexissent, alacres ac magno gaudio exultantes cum clamore per totam aciem nunciauerunt imperatorem Romanum cecidisse. Quæ vox vulgata passim, Carthaginenses victores, Romanos victos effecit. Fugam igitur Romani amisso imperatore statim arripere cœperunt, multoq; plures ex Romanis in fuga quam in prælio cæsi sunt, quoniam velocitate equorum Barbarorum statim fugientes comprehensi fuerunt. nullusque eo die Romanorum euasisset, nisi nox occurrisset. Quum vero Pœnorum duces victoriam ex hostibus conspexissent, eam ociosam esse noluerūt. Statim enim citato gradu exercitum Hasdrubali Amilcaris filio coniungere decreuerunt, pro indubitato tenentes, si illi coniungerentur, alterum Romanum imperatorem Gneum Scipionem deleturos esse. Nec eos spes fefellit. læti enim ex priore victoria in alterum imperatorem Romanum vnitum exercitum ducere parant. Gneus vero quam primum fratrem occisum intellexit, auctumque exercitum hostium, suumque imminutum, & socios territos ex amisso fratre, nihil consultius esse duxit, quam paululum retrocedere, vt interim ad aliquem tutiorem locum se reciperet, quo deliberare valeret, quid ei agendum esset. Vnde vna nocte ignorantibus hostibus exercitum illinc eduxit. Capto igitur aliquantulo itineris antequam recessus imperatoris Romani ad hostes peruenisset, Hispani statim cognita fuga præmissis Numidis, quantum poterāt citatis agminibus, sequi cœperunt. quos ante noctem assecutos Numidæ, nunc a tergo, nunc a lateribus incurſantes Romanos consistere coegerunt. Gneus vero Scipio imperator prouide suum tutabatur exercitum, nunc agendo, nunc consistendo expectatis pedestribus, vt simul omnes iuncti cōsigerent. Quum vero aliquandiu non multum procederetur, & iam instaret nox, Scipio suos e prælio reuocat, & in vnum tumultum collegit, qui locus non satis tutus erat timore concussio exercitu, sed tamen tutior quam aliquis ex circumstantibus. Ibi igitur impedimentis in medium receptis, & pedibus circumstantibus, vix exercitum ab impetu incurſantium Numidarum tutabantur. Postquā igitur omnes tres imperatores Pœnorum aduenerunt cum eorum exercitibus, imperatori Romano visum est in loco sine præsidio & vallo non posse tuto consistere: & quum locum accuratius circumspexisset, minime aptum iudicauit, vt vallo circumdari posset. Nam adeo nudus erat ac asperi soli, vt nec in eo virgulta essent, nec terra effodi, nec vlla opera aptari posset, vt hostibus difficilem aditum præberet. Cui nullum præsentius remedium fuit, quam locum sarcinulis exercitus circumdare, vt ipsis obiectis hostes nō tam facile valerent inuadere. Quum id factum esset, imperatoresque Pœnorum clausum vidissent Romanum exercitum, vociferantes acclamantesq;, quasi capti intra sarcinulas Romani tenerentur, inuadere Romanos curant. Et quum magno impetu irruentes hostes nec illa clausura, nec defensione possent ab aditu prohibere, multi ex Romanis militibus in syluas, quidam in castra Publii Scipionis mortui quibus præerat T. Fronteius legatus, confugerunt. Ferunt aliqui ipsum Gneum Scipionem imperatorem in primo congressu ac impetu mortuum fuisse: quidam vero, eum in propinquam turrim cum paucis effugisse: quam circumdatam quum

nulla

nulla vi possent superare, igne foribus succenso, cum ipso imperatore omnibusq; qui intus erant, crematam dicunt. Sicque Gneus Scipio imperator Romanus tricesimo die post Publii fratris obitum interfectus est. Luctus ex morte eorum non tantum Romæ, sed & per totam Hispaniam fuit. Lugebant Romani amissos duces, dissipatum exercitum, & alienatam prouinciam. Hispani vero ipsos lugebant desiderabantque duces, Gneum tamen magis qui diutius prouinciæ præfuerat, maioremque ex diutiori morâ fauorem populorum fuerat consecutus, experimentumque iustitiæ ac temperantiæ Romanæ primus Hispanis fuerat. His itaque peractis quum deletus esset Romanus exercitus, amissæque Hispaniæ viderentur, vir vnus Lucius Martius Septimii filius, qui erat Romanus, impiger iuuenis, animique & ingenii aliquanto maioris, quam pro fortuna in qua erat natus. huic ad summam indolem accesserat Gnei Scipionis disciplina, sub quo tot annos militiæ arrem edoctus fuerat. qui ex fuga collectis militibus, & quibusdam ex præsidiis vrbium adductis, non contemnendum exercitum fecerat, cōiunxeratque cum Tito Fronteio Publii Scipionis legato, tantumque ei omnes Romani equites tribuerunt, vt ad eum summam imperii detulerint. Commutatis igitur & cōmunitis castris circa Iberum amnem, modico temporis intervallo omni re necessaria, victualibusque, & comestibus referta sunt. adeo omnia per nōtum imperatorem Lucium Martium cum impigro tū præstanti animo exequiebantur. Cæterum postquam Romani milites intellexerunt Hasdrubalem Gisconis filium ad delenda reliquias belli venisse, Iberumque transisse, appropinquasse, signum pugni datum esse, recordati quos prius imperatores habuissent, quibusque ducibus & copiis freti prodire in campum ad pugnam soliti essent, flere omnes repente offensareque capita cœperunt, & alii manus in cœlum tendentes, & Deos incusantes, alii strati humo suum quisque ducem inuocantes erant. nec sedari poterat lamentatio, excitantibus tamē centurionibus, & increpante Martio porrectis manibus, quod in muliebres & inutiles se proiecissent fletus, potius quam ad tutandos semetipsos ac republicam hortarentur, vt secum acuerent animos, & ne intulos imperatores suos sinerent iacere. His verbis aliquantulum excitati, quum repente clamor tubarumque sonitus audirentur (iam enim hostes prope vallū erāt) omnes a luctu ad arma discurrunt, & in hostem negligenter & incompote venientem occurrunt. Quæ res improuisa primò aspectu terrorem intulit Pœnis, admirantibus vnde tot hostes delecto paulo antè exercitu tunc occurrissent, vndeq; tanta audacia, vt duobus victis imperatoribus, in bellum ire præsumerent. percutantibusque quis castris præflet, exercitumque duceret, quis pugni signū dedisset, omnia admirationis erant. Deinde facta in eos valida impressione retro fugam capere Pœni cœperunt, & magna eo die fuisset cedes fugientium, nisi Martius incurſantes suos repressisset, concitatamque aciem, ad prima signa se oppositis, cædis ac sanguinis auidam ad castra retraxisset. Carthaginenses (vt diximus) primò aspectu trepidantes vallo se munierunt. Quumq; vidissent Romanos substitisse, metu id fecisse arbitrati, lento gradu in castra redeunt, contemptiue Romanos habentes, grandis illis negligentia in custodiendis castris erat: quoniam etsi vicinos hostes sciebant, occurrebat tamen illis esse reliquias duorum exercituum ante paucos dies delectorum. Quum ergo omnia apud Pœnos neglecta essent, exploratis his Lucius Martius ad consilium magis temerarium quam audax animum adiecit, vt scilicet castra hostium inuaderet, consultius arbitratus vnus Hasdrubalis aggredi castra, quam, si se omnes tres exercitus ac duces iunxissent, in sua illorum expectare oppugnatione. Ne tamen subita res militum animos turbaret, alloquendos milites statuit, & aduocata cōiōne declarat, quid faciendum sit, hortans vt constanti animo pugnent, neque etiam si difficillimum videatur, pauerant, quum rem facillimam commoditate captata aggrediantur. Statuit etiam eis tertiam vigiliam noctis, in qua exploratum habere dicebat, nullum vigiliatum ordinem in castris hostium esse, stationes denique ac custodias non visas fuisse. Quum igitur hora aduenisset, primo impetu castra hostium cepit. Tum in omnes passim grassatur mucro, qui semisomnes, trepidique ob inopinatum tumultum,

f

& inermes trucidabantur. Erant ultra eos proxima Pœnorum castra distantia intervallo sex milliarium. Itaque Lucius Martius silenti agmine proximos hostes aggredditur, quum nullam in castris portam, neque in vallo custodiam forent. in qua, velut in sua castra, nullo usquam obfistente penetrauit. inde tubæ canunt, signa procedunt, rumor tollitur & clamor. Pars Romanorum semisomnes hostes cædunt, pars portas occupant, pars ignem succendunt, pars obruunt tecta, ut fugam aggreffis intercludant, ignis, clamor, cædes velut alienatos sensibus hostes reddebant. incidunt inermes inter cateruas armatorum, alii ruunt ad portas, alii interceptis itineribus superfaliunt vallum, & ut quisque euadere poterat, ad alia sociorum castra fugiebat, inter quæ Romani cohortem in mediis syluis stauerant, quæ fugientibus præcludere viam posset. Quum igitur aliqui a trucidatis castris euadere crederent, ad alia castra fugientes interceptiebantur a cohorte media Romanorum, a qua cæsi ad vnum omnes sunt. si qui tamen euaserunt in ipsa proxima castra, non prius ab eis renuntiari potuit sociorum cædes, quam priori exercitu cæso Romani milites adessent. qui feroces ex nocturna victoria facti, quum eis in castrorum portis obfistere non valerent, graue atroxque intra portas incunt prælium. Quumque Pœni cladem alterius exercitus intellexissent, terrore veisti sunt in fugam. itaque die ac nocte Pœnorum castra expugnata sunt ductu Lucii Martii. Ex quibus septem & triginta millia hominum cæsa sunt secundum Claudium, qui annales Acciales de Græco in Latinum vertit: capti vero mille ostingenti ac triginta, præda ingenti parva, in qua non absuit clypeus argenteus Hasdrubalis librarum centum ac triginta, in quo desuper imago Barcini ferebatur: ob quam causam Hasdrubal Barcini ab autoribus appellatus est. Magnum deinde Lucii Martii nomen fuit. eius insuper victoriae quidam addunt, ex eius capite flammam igneam emicuisse qua hostes debebat. Tantum Romæ de eius victoria exultatum est, ut in templo Iouis eius statua locata fuerit cum imagine Hasdrubalis, tantusque ignis pro lætitia accensus est, ut pene Capitolium conflagratum sit. Post hæc vero res aliquanto tempore pacificæ in Hispania fuerunt. Dum hæc tamen in Hispania geruntur, omnis belli cura a Romanis versa est in obsidione Capuæ in Italia, quæ iam ante diutius ab Hannibale tenebatur. quam quum Romani fortiter oppugnarent, Hannibal ad eam obsidione liberandam occurrit: quam tamen quum non posset liberare, urbem Romam obsidere decreuit. Ad eam igitur veniens castra firmavit ad tertium milliare apud amnem Anienem. Fuluius Flaccus imperator Romanus inter Collinam & Exquilinam portam extra urbem castra posuit. Caium Calphurnium Prætozem Capitolio Consules præfecerunt & arci: Senatum frequenter in foro contineri ordinarunt, ut si in tam dubiis rebus aliquid occurrisset, prouideretur. Altero vero die postquam Hannibal ad eum locum castra firmasset, cum duobus millibus equitum a porta Collina usque ad Herculis templum discurrit, propius quæ potuit mœnia explorando. Quod Fuluius Flaccus ubi vidit adeo licenter Hannibalem hoc facere, indignum existimans, iussit equitum submoueri, & in castra hostium exerceri. Ad pugnam igitur venientes illo & altero die, pluuia immixta grandine utrumque exercitum semel & secundo diremit, ita ut alteruter in propria castra compulsus sit remeare. Quam rem Hannibal ad miraculum capiens, credidit Romam ex eo aduentu sibi nullatenus debere, ut ab ipso vinceretur. Sic post paucos dies abire statuit, spoliatoque templo Feroniæ quod multis ditatum donis, auro, argentoque erat, discessit, per Reatemque in Samnium profectus est. Interim Capua capitur a Romanis.

Caius Nero a Senatu imperator in Hispaniam mittitur.



RDINATIS igitur quæ ad urbis Capuæ tuitionem pertinebant, Romani patres cum Senatu Caium Neronem qui ad Capuam urbem militauerat, cum duabus peditum legionibus quas Capuæ habuerat, & equitibus, adiunctis sibi totidem peditibus, ac equitibus octingentis quos ipse legisset Latini nominis, Puteolos miserunt, ut inde in Hispaniam

Hispaniam nauibus transfret. Qui ut Puteolos exercitum adduxit, naues exercitum conscendere iubet, indeque traiecit in Hispaniam, ad Iberumque fluum venit, atque exinde cum Lucio Martio ac Tito Fronteio coniunctus est, statimque properauit ad hostes ire. Hasdrubal Amilcaris filius interea ad Lapides atros castra habebat in Aufetanis. Is enim locus est inter oppida Illiturgum, quod Medinam cæli ex illius situ hodie appellari arbitror. Emenus alios montes iam huius saltus Nero fauces occupauerat. Quam rem quum prospectasset Hasdrubal, legatum mittit ad Neronem, dicens, si secum colloqui vellet, omnem suum exercitum ex Hispania educiturum. Quam rem cum læte suscepisset Claudius Nero, colloquium ad posterum diem cum Hasdrubale petiuit, ut Romæ leges componerentur de tradendis arcibus, urbibusque, dieque statuenda, ad quam præsidia deducerentur, omniaque sua Pœni sine fraude asportarent. Hoc enim Hasdrubal egisse probatur, dubitans, ne restringeretur in arcto, excogitans si quo modo hostem fallere posset, ut inde exercitum educeret. Quod colloquium quum a Nerone non minus libenter quam auide expectaretur, Hasdrubal interim exercitum nocte parat educere. Primumque quod in exercitu grauissimum erat, prima noctis hora iubet e castris educi: dataque opera est, ut pauci simul, ut hostem silentio aprius fallerent, egrederentur. Nam euadendum per arctas ac difficiles vias erat. Quum vero iam maior pedestrium pars ex saltu euassisset, iamque fide decrecente, non sine maximo metu stari posset, prima luce omnem aciem simul cum elephantibus educit. Ea hora nebula densa omnem agrum montesque texerat. quod videns Hasdrubal, nuncium mittit ad Neronem, orans ut in alterum diem differat colloquium, asserensque illum diem religiosum Carthaginensibus, ac feriatum esse. Exacta deinde hora diei quarta, nebula abeunte, & claritate diei facta, fraus detecta est. Tunc enim Hasdrubal instructa acie omnibusque elephantis rurus extra saltus angustias per campos apparuit. Quum vero Nero clarescente die Punicam fraudem agnouisset, proficiscentem hostem insequitur, acieque instructa ad pugnam cogebat. Sed Hasdrubal detrectabat pugnam: leuia tamen conferebantur prælia per Romanos & extremam Punicam aciem. Inter hæc Hispaniæ populi qui post cladem Scipionum a Romanis defecerant, nec redibant ad Romanos, nec ulli deficiebant.

Publius Cornelius Scipio filius alterius Publii annos natus XXIII. creatur Consul, & in Hispaniam mittitur.



CAPTA igitur Capua in Italia a Romanis anno ab orbe condito MMDCCC.LXXXVII. ab urbe vero condita DXXXVIII. iam misso in Hispaniam Nerone, eodem anno Senatus Romanus decreuit, ut exercitus auerentur, imperatorque item alius in Hispaniam mitteretur. Non tamen quem mitterent, idoneum aliquem censebant,

animo volentes, quod duo adeo insignes imperatores intra dies triginta ceciderant, quorum loco deligendus imperator substitueretur. Quumque alii alios nominarent, postremo decursus est, ut populus super imperatore creando qui in Hispaniam iret, comitium haberet. Dicitur autem comitium, congregatio in qua omnes magistratus & Romanus populus descendebant in campum Martium Romæ pro creandis imperatoribus & reliquis magistratibus. Statutoque die ad comitium interim consultant, quem dignum imperio tanto arbitrantur. Quumque destituta expectatio videretur, neminem idoneum inueniendo, redintegratus est luctus acceptæ cladis, desideriumque amissorum imperatorum. Quæ ex re mœsta ciuitas erat, inopsque consilii videbatur. Die tamen statuta omnes in campum conueniunt. Tum magistratus versi circumspiciunt ora primatum accipius populi, illique illos intuentes dolent fremuntque, adeo perditas res videri, desperatumque de republica esse, ut nemo vel non inueniatur, vel non audeat imperium in Hispanos capere. Tunc statim Publius Cornelius Scipio alterius Publii Scipionis qui in Hispania occubuerat, filius, adolescens quatuor & viginti annos natus, in alto eminentique loco, ut videri prospicique ab omnibus posset,

consistens, imperium aduersus Hispanos petiit. In quem omnium ora vultusque conuersi, cum maximo assensu totiusque comitii fauore proclamatur dignus eo imperio vt in Hispaniam mitteretur. Cæterum post rem actam dum ardor animorumque impetus quicquid esset, silentium statim & tacita cogitatio suborta est, considerantes quidnam fecissent, pœnitebatque eos quod plus valuisset fauor, quam ratio ætatis. Quin etiam fortunam domus horrebant ac Scipionum nomen. Scipio vero ad rem tantam delectus ita de ætate sua, imperioque mandato, quomodoque bellum gerendum esset, magno elatoque animo disseruit, vt ardentissimum omnium in se amorem excitaret, certosque redderet omnes considerantes de futura victoria. Fuit autem Scipio non tantum veris suis virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam adiutus, & in ostentationem earum compositus, ita vt multitudinis quadam superstitione de ipso capta mētes occupasset. Postquam enim togam virilem suscepit, nullo vnquam die vllam rem aut publicam aut priuatam egit, quin in Capitolium iret, ingressusque penitiorum templi locum quasi cum Diis consultaturus, solus diutiuscule manebat, ita vt stirpis diuine eum fuisse fama retulerit. Multa alia eiusdem generis, alia vera, alia simulata, admirationis humanæ in eo iuvene excefferant modum. Adhas itaque copias quas Claudius Nero a Puteolis traiecerat, decem millia peditum & equites plurimi adduntur, & Marcus Iunius Syllanus prætor, adiutor ad res gerendas datus est. Ita cum triginta nauium, id est quinqueremium classe, a Tiberis ostio solucens, per mare Tusculum sinumque Gallicum Emporiam peruenit, ibique descendens; nauibus iussis sequi, terrestri itinere Tarraconam urbem petiit. Audita igitur fama sui aduentus legati ad eum ex omni prouincia concurrerunt. Naues in Tarraconæ portu consistere iussit, remis quatuor triremibus Massiliensium, quæ causa officii Scipionem secuta fuerat. Tum responsa legationibus dare cœpit, suspenso tamen suspensis prouisionibus varietate tot casuum, ita elato animo ab ingenti virtutum suarum fiducia, vt tamen nullum ferox verbum excideret, ingenque omnibus quæ diceret, cum maiestas inesset, tum fides. Profectus a Tarracone ad Iberi ostia exercitum duxit, vbi Nero & Titus Fronteiis exercitum habebat, ibique collaudauit milites, quod a duabus tantis cladibus perpeffis deinde prouinciam obtinuissent, neque passi essent hostes fructus habere fecundarum rerum, atque ipsos hostes coercuissent ab omni agro cis Iberum, sociosque Romanorum cum fide tutati essent. Lucium vero Martium secum cum tanto honore habebat, vt facile appareret, nihil magis vereri, quam ne quis obstaret gloriæ illius. Successit inde Syllanus Neroni. Deducto itaque nouo exercitu ad Iberum amnem vt alteri exercitui iungeretur, compositis ordinatisque rebus Scipio Tarraconam rediit, qui ob quandam futuri diuinationem non minori fama apud hostes fuit, quam apud ciues sociosque suos: cuius diuinationis ratio reddi nullatenus poterat. Erat per idem tempus iam hyemis principium, antequam obtineretur Capua, & Scipio in Hispaniam mitteretur. in hac hyeme Romanus exercitus cis Iberum hybernauit: Scipio vero Tarraconæ, Hasdrubal Amilcaris filius apud Saguntum oraque Iberi vltra amnem, alter Hasdrubal Gisconis filius ad Oceanum & Gades, Mago vero apud Mediterranea circa saltus Castulonum cum suis exercitibus hybernauerunt.

Diva & maxima prodigia.

RODEM anno multa prodigia visa nunciataque sunt Romæ. Nam in vrbe Roma idolum Victorie in culmine templi Concordie locatum, fulmine percussum corruit, omniaque victorie signa quæ ante idolum pendebant, a fulmine succensa sunt. Idemque fulmen Anagninam percuciens, muros ac portas vrbis arsit. in foro in super Suedertano sanguinis riuulos per diem fluxisse ferunt, & lapides immixtos grandini pluuisse in Reate vrbe, mulamque peperisse. Quæ prodigia Romani plurimum metuentes hostiis placare Deos statuerunt, & multiplicatis sacrificiis per nouem dies hostias immolarunt.

Captio

Captio noua Carthaginis in Hispania a Scipione.

SEQVENTI igitur vere, videlicet ab orbe condito MMM. DCCC. LXXVII. & ab vrbe condita quingentesimo trigesimo octauo, quum iam ver esset, præfectos militum qui in classe apud Tarraconam hyemabant, accersit, illisque edixit vt cum omni classe oneratisque nauibus ad amnem Iberum traicerent. Ipse vero terrestri itinere cum quinque millibus sociorum in exercitum profectus est ad Iberum amnem. Vbi quum iunxisset omnes exercitus ac Romanas legiones, conuocata concione milites alloqui statuit, præcipueque eos qui tantis superferant cladibus. Quos omnes ad oppugnandam nouam Carthaginem excitat, bonoque animo ac magna spe esse iubet. Quinque omnes vna voce id faciendum conclamarent, eos Carthaginem duxit. Quo viso Mago dux Pœnorum qui ad præsidium vrbis erat, statuit cum Scipione inire certamen, si urbem aggredi auderet. quam militibus ordinans, duo millia oppidanorum ex aduerso, vbi castra Romana erant, opposuit, vt eis ad eam vrbes partem resisti valerent. quingentos insuper milites in arce constituit: alios item quingentos disposuit ad quendam tumulum, qui ad partem Orientis in ea vrbe loco eminenti fortissimus erat: reliquam vero multitudinem instruit, vt vndique occurrat, hostique resistat. Patefactaque porta vrbis eos quos ordinauerat in via ad Romanorum castra, mittit. Romani duce suo præcipiente parumpet cessere, vt propiores subsidiis in certamine submitendis essent. Tum imperator Romanus dato signo copias immittit, quæ facto impetu in oppidanos eos vsque in urbem propulerunt, adeo vt nisi ipse imperator eis consistendi signum dedisset, commixtæ oppidanis in urbem confugientibus irrupissent. Magna trepidatio tum Carthaginensibus militibus, tum etiam toti vrbi fit, multæque stationes a militibus deferuntur. Scipio vero circumspecto quod erat in vrbe locus, cui ob fortitudinem nullum aderat præsidium, occupatis omnibus ad ferendam opem militibus ad ciuitatis portam configentibus, cui loco stagnum suberat. Ad eam igitur partem scalis admotis paucos quosdam milites conscendere iubet, quibus conscensis sine vlllo certamine obstaculoque, quanto potuerant cursu, ad eam portam concesserunt, circa quam omnem contractum certamen erat. adeo fuerunt omnium non solum oculi, sed etiam animi intenti ad prælium, vt non prius intelligerent a tergo captam urbem, quam porta interitus exteriusque infringeret. ad quam Romanj impetum facientes ea disrupta in urbem irruunt, in forumque acie instructa prodeuntes magnam hominum cædem faciebant. Deinde quum hostes alii in tumulum serciperent, alii in arcem confugerent, in qua ipse Mago erat cum omnibus armatis qui e muris expulsi fuerant, ipse Scipio partem militum ad oppugnandum tumulum, partem ad oppugnandum arcem mittit. Tumulus primo congestus captus est. Mago vero qui arcem conabatur defendere, quum vidisset omnia hostibus plena, nec in arcis præsidio satis fideret, se, arcem, & præsidium dedit. Quum vero arx data est, cædes maxima per totam urbem facta est. nulli etiam puberum qui obuiam repertus sit, parcitum est. tum signo dato vt a cædibus abstinerent, ad prædam victores versi sunt, quæ ingens omnis generis fuit. Liberos capitum virilis sexus decem millia capta sunt. Inde qui ciues erant nouæ Carthaginis, dimisit, urbemque reliquam quæ illis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant. eos populi Romani fore cum propinqua spe libertatis edixit, si enixe ad ministeria belli darent operam. Cæteram multitudinem incolarum iuuentum ac validorum seruorum in classem ad supplementum remigum mittit. Ex his captiuis auxerat octo quinqueremibus classem. Extra hanc multitudinem Hispanorum obsides erant, quorum perinde cura suscepta est, ac si liberi vel socii essent. Captus est & ibi apparatus belli maximus. Machinæ ferreæ cccxx. minores cccxi. balistæ maiores xxxiii. minores lxxx. Scorpiones, minorumque armorum ac telorum infinitus numerus. Signa militaria lxxxiiii. auri & argenti relata ad imperatorem magna vis. Patinæ aureæ cclxxvi. singulæ ponderis fere vnus libræ, argenteæ vero decem & octo millia & trecenta. Vasorum argenteorum infinitus numerus. Hæc omnia Caio Flaminio quaestori

f iij

assignata numerataque fuerunt. tritici modiorum quadraginta millia. Hordei
 c. lxx. millia, & naues onerariæ lxxiii. in portu expugnatae captæque cum suis
 oneribus, frumento, armis, ære, ferro, linteis, & sparto, aliaque nauali materia ad
 classem ædificandam. Eo die Scipio C. Lælio cum focis naualibus urbem custo-
 dire iussit, ipseque in castra milites ac legiones adduxit. Postero vero die commi-
 tonibus naualibusque focis conuocatis, primum Diis immortalibus laudes &
 gratias egit, qui se non urbis solum opulentissimæ omnium in Hispania vno die
 compotem fecissent, sed quod ante eo congesissent omnes Africa & Hispaniæ
 opes, ne hostibus aliquid relinqueretur, ac sibi & suis omnia superessent. Militum
 deinde virtutem collaudauit, quod eos non eruptus hostium, non altitudo mœni-
 um, non explorata stagni vada, non castellum in alto tumulo situm, non munitis-
 sima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia perumperentque. Ita-
 que omnes laudans, omnibus se debere dicebat, præterea muralis coronæ decus
 eius esse qui primus murum ascēdisset. Deinde Scipio pronunciauit se satis com-
 pertum habere Quintum Trebellium, & Sex. Digitium pariter in murum ascen-
 disse, seque eos virtutis causa coronis muralibus donare, tum reliquos, prout cu-
 iusque meritum virtutis erat, donauit. Postremo Scipio vocatis obsidibus Hispani-
 arum, vniuersos bono animo esse iussit, dicens ipsos venisse in populi Romani
 potestatem, qui beneficio potius quam metu obligare homines malit, exterisque
 gentes fide ac societate vinctas habere quam tristi seruitio subiectas: deinde acce-
 ptis nominibus ciuitatum recensuit captiuos, nuncioque ad easdem ciuitates mi-
 sit, vt ad suos vnusquisque recipiendos veniret. Si quarum forte ciuitatum legati
 præsentibus erant, suos cuique restituit: curam vero aliorum benigne tuendorum C.
 Flaminio quaestori dedit. Inter hanc mediam turbam obsidum mulier magni ge-
 neris, quæ Mandonii vxor erat fratris Ilgerum principis, flens ad pedes impera-
 toris procedit, supplicare ac obtestari cepit, vt curam cultumque sceminarum im-
 pensius custodibus commendaret. Cum vero Scipio nihil defuturum præfecto di-
 ceret: tunc rursus mulier, Haud magni ista facimus, inquit. Quid enim huic, cui nos
 commisit, non satis est fortunæ? ætate enim & forma florens est, & extra periculū
 mulierum ætas eum stimulat. Ipsi autē omnes obsides nobilitate clari eam vti pa-
 rentem colebant, venerabanturque. Tum Scipio, Meæ, populi Romani disciplinæ
 causa facerem, inquit, ne quid quod sanctum vsquam esset, apud vos violaretur:
 nunc vt curem id impensius, vestra quoque virtus dignitasque facit, quæ ne in malis
 quidem oblitæ decoris matronalis estis. Spectatæ deinde integritatis viro tradidit
 eas, tuerique non secus verecunde ac modeste iussit, quam hospitem coniuges aut
 matres. Captiua deinde a militibus ducitur ad eum adulta virgo adeo eximia for-
 ma, vt quacunq; parte se verteret, omnium ad eam conuertere. oculos. Scipio
 percunctatus patriam parentesque, inter cætera accepit desponsatam eam principi
 Celtiberorum adolescenti, cui Lucio nomen erat. Hæc a Scipione honestissime
 pudicissimeque seruata est. Interim vocato sponso parentibusque per dies, cum in-
 terim audiret sponsum deperire sponsæ amore: vbi primum venit, accuratiore eum
 sermone prius quam parentes alloquitur: Iuuenis (inquit) cū sim, appellor Iunior.
 sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego cum sponsa a militibus nostris ad me
 deducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, & forma faceret fidem, voluissem pro
 ætate mea secum luisse læto legitimoque amore, nisi cura reip. meum animū occu-
 passer. Nunc autem eam tibi sponso amanti impensius conseruauit. Fuit enim spon-
 sa tua apud me eadem, qua apud foceros tuos parentesque suos verecundia, atque ser-
 uata est tibi, vt inuiolatum & dignum me teque dari tibi donum posset. hanc merce-
 dem vnā pro eo munere paciscor, vt amicus populi Romani sis. Et si me virū bo-
 num credis, quales patrem patruumque meum, scias multos nostri similes in ciuitate
 Romana esse, nec vllum in terris populū hodie dici posse, qui tibi tuisque minus ho-
 stis esse velit, aut amicus malit. Adolecens vero simul pudore gaudioque perfusus,
 dexterā Scipionis tenens, Deos oēs inuocare cepit ad gratiā illi pro se referendā,
 ad quā iam sibi neque satis facultatis pro suo animo atque illius erga se merito esset. Pa-
 rētes inde cognatique virginis appellati, quoniā gratis sibi redderetur virgo, ad quā
 redi-

redimendam satis magnam attulissent auri pondus, orare Scipionem cœperunt,
 vt id a se donum acciperet, neque ob id minorem a se susceptam gratiam arbitrarer-
 tur. Scipio quoniam tantopere peterent, accepturum se pollicitus, auri pondus
 poni ante pedes iussit, vocatoque Lucio, super dotem (inquit) quam accepturus a
 focero es, hæc tibi a me dotalia dona accedant, aurumque inde tollere, ac sibi habe-
 re iussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, impleuit laudibus Scipio-
 nis populares, & congregato delectoque maximo comitatu, ne ingratus Scipioni
 tanti beneficii fieret, cum mille & quadringentis equitibus intra paucos dies ad
 Scipionem venit. Interim Scipio Lælium, postquam captiuos obsidisque ac præ-
 dam ex consilio eius disposuerat, omnibus satis compositis, ei data quinquereme
 cum captiuis, Magone, quindecimque Senatoribus Carthaginensibus, nuncium
 victoriæ Romam mittit. Ipse paucos dies quibus morari in noua Carthagine sta-
 tuerat, exercendis naualibus pedestribusque copiis absumpsit, ne otiose vacarent.
 Primo enim die legiones spatium quatuor millium decurrerunt, ne otiosis, dum
 in armis essent, anhelus deficeret: secundo vero die arma curare & tergere ante
 tentoria iussit: tertio die sudibus inter se in modum rusticæ pugnæ concurrerunt,
 conglobatique iaculati sunt: quarto die quies data est: quinto insuper die iterum in
 armis decursum est. Hunc ordinem laboris quietisque quandiu apud Carthaginem
 morati sunt, seruauerunt. Remigium etiam classis: ac ciues in altum euecti agilita-
 tem nauium simulacris naualis pugnæ experiebantur. Hæc extra urbem terra ma-
 riq; corpora simul, animosque ad bellum acuebant. Res ipsa publica strepebat ap-
 paratu belli, fabris omnium generum in publica officina inclusis. Dux cuncta pa-
 ri cura subibat, nunc operibus aspiciendis tempus dabat, quæ in officiis, quæ in ar-
 mamentario, quæ in naualibus fociorum fabricorum multitudo plurima in singu-
 los dies certatum faciebant, considerans. Urbis itaque inchoatis refectionisque muris, dis-
 positisque prædiis, Tarraconam profectus est. Cui multæ etiam in via legationes
 occurrerunt, quas partim ex itinere dato responso remisit, partim distulit in Tar-
 raconam urbem, ad quam omnibus suis veteribus focis edixerat conuentum, cū-
 ctique qui cis Iberum erant, multique ex vltiori Hispania ad eum conuenerunt. In-
 terim de industria Carthaginensium duces famam captæ nouæ Carthaginis com-
 presserunt: tandemque quum vulgari cœpisset, aiebant, nec tanti momenti esse ipsis
 captam urbem vnā in Hispania ab adolescente inexperto vna die, furtiue, & non
 vi oppugnatam, ipsi vero tacite considerabant, quanti esset nouam Carthaginem
 in Hispania amisisse. Facto igitur conuentu Hispanorum Tarraconæ a Scipione
 tota illa ætas consumpta est ad reconciliandos Hispanorum animos partim do-
 nis, partim remissione obsidum, captiuorumque solutione. Clarus inter Hispanorū
 duces ad Scipionem venit Indibilis, Mandoniusque, erat enim cōiux liberique eius a-
 pud Romanos, sed præter eam causam etiam fuit fortunata inclinatio animorum,
 quæ Hispaniam omnem a Punico imperio auertens ad Romanos trahebat. vnde
 quasi omnes Hispanorum principes cum omni populari manu ad Romanos con-
 fugere videbantur. Sicque Scipio tota hyeme Tarraconæ hyberuauit.

Prelium Publici Cornelii Scipionis contra Hasdrubalem.

QUUM vero iam altera ætas aduenisset sequentis anni, & Hasdrubal
 cernebat res Romanas tot augeri incrementis, suasque imminui, &
 quod, nisi forte aliquid audendo tentaret, frui forte ex toto possent:
 dimicare igitur cum Scipione quam primum statuit. Scipio autem
 certaminis audior erat, considerans quod sibi res prospere succe-
 derent, consultiusque existimabat cum Hasdrubale Barcini præliari, quam si om-
 nes simul Pœnorum exercitus, ducesque iungerentur. Igitur irritatis ad certamen
 animis Romani castra posuerunt nocte. Hasdrubal in quodam plano castra habe-
 bat. qui quum appropinquasse Romanos intellexit, copias in quendam tumulum
 in plani summitate constitutum recepit, habens a posteriori parte flumen, & hinc &
 inde ripæ quæ tumulū omni ex parte cingebat. Cum vero Romani ad iactū lapidis
 f. iiii

tumulo appropinquassent, omnis generis telorum copia iactata est: Pœni vero e contra. saxa etiam quibus tumulus omnis resperfus erat, iactabantur non solum a militibus, sed etiam a multitudine magna colonum eis immixta. Verum licet ascensus difficilis esset, licet pene telis saxisque Romani obruerentur, tamen quadam audacia, & consuetudine succedendi muros, primo aliqui ripam conscenderunt quadam pertinacia animi, qui simul ceperunt aliquid in eo loco, quo firmo gradu perstiterunt. Quumque modico intervallo ibi aliquandiu perstitissent, Pœni imperu facto eos inde expulerunt. Scipio vero quum in mediam hostium aciem irrumperere cuperet, assumpto Lælio qui ad dexteram tumuli partem deceraret, ipse vero ad læuam, inde vterque altitudine loci explorata, qua ascensus facilis in tumulum fieret, Scipio apto satis ascensu in altum prodit. Dumque instructas acies ordinesque in Scipionem Pœni voluere volunt, ex alia parte Lælius subiit. Dum vero ipsi retro ordines auertere curant, ne a tergo vulnerentur, dilatatur prima acies, locusque datus medius ad peruadendum aciem. Quumque inter medias copias præliarentur, quia locus eis ad prælium difficilis erat, partitis hinc inde stationibus, elephantisque in medio constitutis & ante signa locaris, magna Romanorum cædes fiebat: neque inde euadere potuissent, nisi Scipio qui a læuo cornu in dextrum incurrerat, acriter in nuda hostium latera pugnasset. Et iam adeo a Romanis fortiter retro, læuoque cornu pugnabatur, quod fugæ non dabatur locus. Præcluserant enim vias & portas castrorum, clauerant & elephant

10

20

30

40

50

nat, tunicam insuper admodum ornata cum Hispano sagulo, fibulaque, ac aurea zona, equo quoque ornato iussit, quo vellet, progredi.

De trans-

De transitu Hasdrubalis in Italiam ab Hispania.

NNO itaque ab orbe condito quarto milleno nongentesimo nonagesimo primo, & ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo secundo, Scipio post hanc victoriam consilium de bello habuit. Et dum quidam consulerent, vt fugatum Hasdrubalem insequeretur, diu super consultatione huiusmodi anceps fuit, dubitans ne alter Hasdrubal Gisconis filius, ac Mago eidem Hasdrubali Amilcaris filio iungerentur. Tandem consultius remanere ratus, quasdam exercitus copias misit, vt Pyrenæus intercideretur, ne ad illum posset Amilcar descendere. Interim Scipio Tarraconam venit, vbi reliquum ætatis in recipiendis in fidem Hispaniæ populis consumpsit. Interæa paucis post prælium diebus Hasdrubal Gisconis filius & Mago, imperatores Carthaginensium, & Masinissa Numidarum Rex ad Hasdrubalem Amilcaris filium cum magno exercitu venerunt. tardum post rem male gestam auxilium, consiliumque ad cætera belli opportuna. Consultantibus itaque de progressu belli, qualesque Hispanorum animi erga se essent in quacunque prouincia, vnus Hasdrubal Gisconis filius ignorabat eam vterioris Hispaniæ partem quæ ad Oceanum & Gades vergit, Romanorum esse, quam ipse satis fidam Carthaginensibus credebat. Constabat tamen alteri Hasdrubali, & Magoni, eandem Scipionis beneficiis occupatam esse: & ne Hispani milites quorum defectionem timebant, ad Romanos transferrentur, nihil eis consultius visum est, quam vt omnes ab Hispania Hispani milites amouerentur, atque in Italiam vbi caput belli erat, transferrentur, etiam si Senatus Carthaginensium decreta obstarent. Itaque Hasdrubal Amilcaris filius cum omnibus Hispanis militibus in Italiam transferretur, vbi Hispanos milites a Scipionis nomine alienos non aliter quam strenue bellicum opus acturos credebat. Interim Mago decretus est, vt tradito exercitu Hasdrubali Gisconis filio cum magna pecunia in Baleares insulas ad congreganda auxilia mitteretur. Masinissaque ex omnibus decretus est, vt lectis ex vniuerso exercitu tribus millibus equitum, expeditus prouinciã peragraret auxilia sociis præstiturus, ac hostium agros depopulaturus. Hasdrubal vero Gisconis filius cum omni exercitu ad tutandam prouinciã ordinatus est. Deinde Hasdrubal Amilcaris filius magna pecuniæ vi congregata transiit Pyrenæum, mercede Gallorum auxilia conducturus in suo transitu. Ita quibusque in opus suum digressis in hyemem ventum est. Quum indies cura de transitu Hasdrubalis in Italiam creuisset, mittuntur legati Massiliensium Romanis, nuntiantes Hasdrubalem in Galliam transisse, attractosque ad se plurimorum Gallorum animos esse, quia magnum auri pondus attulisse diceretur ad conducenda Gallorum auxilia. Missi deinde ab Roma legati sunt Sextus Antistius, & Marcus Retius ad rem inspiciendam, qui in urbem rescripserunt, misisse se cum Massiliensibus ducibus, qui per principes Gallorum & hospites Carthaginensium omnia explorata referrent: qui redeuntes dixerunt, Hasdrubalem ingenti coacto exercitu proximo vere Alpes transiturum, nec eum tunc quicquam morari, nisi quod clausa niuibus Alpes essent. Romæ igitur creantur Consules Claudius Nero, & Marcus Liuitus. Magna vrbi trepidatio fit pro aduentu Hasdrubalis in Italiam, creatis Consulibus magna Romæ sacrificia præter solitum fiunt. per nouem enim dies ducebantur ab æde Apollinis boues binæ albæ, quas sequebantur duo signa cupressæ. Deinde virgines viginti septem longa induta veste cæcumen Iunoni Reginæ cantabant. Virginum ordines sequebantur omnes prætextati, omnis Senatus, & a porta per Iugarium vicum in forum venere. In foro vero omnis pompa constitit. per manus recte datas virgines sonum vocis pulsû pedum modulantes intercesserunt. Inde vico Tusco in ædem Iunonis peruentum est, & his duabus hostiis Deos Romani placatos crediderunt. Decreuerant enim his peractis Consules, eundem obuiam Hasdrubali esse ab Alpibus descensuro, ne eius aduentus Cisalpinam Galliam & Tusciam rerum nouarum auidam turbaret. Dicitur autem Gallia Cisalpina ea pars, quæ hodie Longobardia dicitur, ab ipsis Alpibus vsque in Padum Ra-uennamque, inclusis vrbibus Mediolano, Pergamo, Brixia, Verona, Vin-

50

centia. Datum insuper consulibus fuit, vt ex omnibus prouinciis exercitibusq; eligerent eam exercitus partem quæ tantæ rei necessaria foret, ne Hannibal qui Tarentum obsidebat, suo domestico prælio occupatus, fratri Hasdrubali in occursum venire posset. Magna ex omnibus prouinciis Romæ missa sunt auxilia: ex Hispania vero cum Publio Sulpicio ac M. Liuius ad octo millia peditum, equitumq; duo millia, cum multis sagittariis ac fundibulatoribus, mari Romam transmissa sunt. Similiter & ex aliis omnibus prouinciis. Interim vere superuento, annis ab orbe condito quatuor millibus nongentis nonagesimo primo, & ab vrbe condita quingentis quadraginta duobus exactis, tumultus Romæ factus est ex literis Lucii Portii, quæ nunciarent Hasdrubalem ex hibernis castra mouisse, Alpesque transuectum, Ligurum nouem millia conduxisse, qui secum ducerentur, nisi eos prius prælio occuparet. Liguria enim Genuam urbem continet, eamq; partem quæ a Pado flumine in maritimam & Apenninum vergit. Consules vero accelerantes eorum digressum ire obuiam parant. Interim Hasdrubal urbem Placentiam obsidere cæpit. credebat enim campestrum urbem facilius obtinere. Est enim Placentia vrbs hodie Longobardorum, Romanorum colonia, ex cuius expugnatione sperabat magnam suo exercitui gloriam, commoditatemque fieri, spemque Hannibali fratri futuram, ex ea quoque rumorem sui transitus ad Hannibalem perducere. Quilicet diu firmatam obsidionem tenuisset, ab ea tamen amoueri compulsus est.

De prælio ac morte Hasdrubalis.

INTERIM quum Hasdrubal ab obsidione Placentiæ discessisset, quatuor Gallos equites & duos Numidas ad fratrem Hannibalem mittit cum literis, qui in itinere ab exploratoribus militibus capti, ad Quintum Claudium proprætorem deducuntur. qui quum interrogati varia responsissent, facto metu tormentorum veritatem dicere compulsi sunt, atq; cum ipsis signatis literis traditi sunt Lucio Virginio tribuno militum, adducendi ad Claudium Consulem peruenerunt. literæ per interpretem lectæ sunt, & ex captiuis percunctatio facta. Quibus intellectis non opus mora ordinatis iam rebus censuit, sed aliquid ex inopinato in hostem tentare. Scribebat enim Hasdrubal occursum se fratri Hannibali in Umbria. Consul igitur Romam mittit, dicens, vt lectum militem ex urbano exercitu in arma ad se mittant. atq; idem Claudius ex omni suo exercitu sex millia peditum, & decem millia equitum legit, occursum Hasdrubali. Dimisso itaq; omni reliquo illic exercitu Quinto Tatio pronunciat, se proximam in Lucanis urbem cum præsidio capturum: & arrepto itinere quam maxime properat, vt collegæ Marco Liuius iungat exercitum. Terror vrbi non minor fuit ac trepidatio, quam ante biennium, dum castra Punica vrbi obiecta erant. Festinato igitur gradu Claudius Nero Consul per Picenum in occursum Hasdrubalis properat, maximeq; vt iungatur alteri Consuli Marco Liuius. Missis itaq; literis nunciisque ad alterum Consulem de suo aduentu, Liuius ordinat vt tribunus tribunum, centurio centurionem, miles militem, pedes peditem hospitaretur, quoniam Claudius per literas indicasset, nihil cum exercitu ferre se præter arma. Interim quum per agros vrbesq; pertransiret, occurrebant viduæ ac matronæ, quæ Deos precabantur pro victoria, simulq; cantantes virgines, cæteri q; necessaria ministrabant. Claudius vero Consul monebat, vt nihil nisi ad victum necessaria susciperent, & ita citato gradu iter accelerabat. Quum igitur Claudius prope Liuii castra venisset, nocte clam hospitaliter ab exercitu Liuii recepti sunt omnes, & quotcumq; erant, alter alterum ad prælium inuitabant: qui omnes validissimo corpore, ac robustissimo ad cenam conscripti sunt. Postero die concilium habitum est, cui Lucius Portius Prætor affuit. multi in eam sententiã declinabant, vt dum Claudius resciceret fatigatos milites, ad cognoscendum hostem paucos sibi sumeret dies. Erant autem Pœnorũ castra ad quingentos passus. Claudius vero necdũ huic sententiæ acquieuerat, sed consilium

silium tutissimum in celeritate putauit, in morando temerarium arbitratus est, signumq; dari pugnae iubet. concilio dimisso signum pugnae proponitur. Hasdrubal quum signa belli audiuit, suspicatus ne nouis auxiliis Romanorum castra aucta essent, & ipse suas acies instrui iussit. Quumq; iam ante signa fuisset Hasdrubal, quædam scuta vetera hostium notauit, quæ ante non viderat. strictior acies, ac multitudo maior solito visa est. Sciscitatus quid hoc esset, acies stare iussit, ac cecinit, misitq; milites exploratores ad flumen vbi aquabantur, vbi & accipi possent, & notari oculis, si qui forte adustioris coloris, vt ex recenti via, essent: simulq; se circumuehi procul ad eorum castra iubet, speculari q; num aliqua ex parte auctum sit vallum, atq; attenderent vtrum semel, an bis, signum caneret in castris. Ea omnia quum per ordinem relata essent, castra nihil aucta errorem faciebant, quod bina erant, sicut ante aduentum consulis alterius fuerant: vna Liuii, altera prætoris Portii. in neutra enim aliquid de nouo adiectum erat, sed omnes qui cum Claudio Nerone altero Consule venerant, apud alios Liuii Consul, & Prætoris fuerant hospitati. Illud autem dubium maxime referebant, quod in castris Prætoris signum datum semel, in Consulibus vero castris bis referebant cecinisse. Cura quam maxime Hasdrubalem angebat, quidnam Hannibal ageret, cum quo castra collocata haberet ignorans, serumq; ei suum auxilium dubitabat, timens ne Romanis eadẽ in Italia, quæ in Hispania fortuna belli foret: vel suas ad eum literas non peruenisse credebat, interceptisq; litteris Consulem accelerasse ad eum opprimendum. His anxius curis, extinctis ignibus, prima noctis vigilia dato signo, vt taciti vasa colligerent, signa afferri iussit. Ita in trepidatione ac nocturno tumultu duces parum intenti, inconsiderati in recessu, quidam in destinatas animo iam latebras concesserunt, quidam per vada vltra Metaurum fluuium transatarunt. ita desertum agmen. primo vagi per agros ac palantes eunt, fessiq; aliqui somno & vigilia sternunt corpora passim, atq; infrequentia relinquunt signa. Hasdrubal vero dum lux viam ostenderet, in ipsa fluminis ripa signa ferri iubet: & per tortuosus amnis sinus flexusque cum errore voluens, quum non multum processisset, impeditus altioribus fluminis ripis vadisq; altioribus ne transiret, spacium dedit Consulibus ad eum insequendum. Claudius Nero primum cum omni equitatu aduenit insequens Hasdrubalem, Portius deinde secutus cum leui armatura. qui quum fessum exercitum Hasdrubalis attigissent, ab omni parte incurfantur. omisso itinere quod fugæ simile erat, Pœni in montem qui ripa fluminis propinquus erat, castra metati sunt. Tum aduenit secundus Consul Marcus Liuius cum omnibus pedestribus copiis ad conferendum prælium instructis armatisque. Sed vbi omnes copias coniunxerunt, directa est acies. Caius Claudius Nero dextro cornu, Liuius a sinistro pugnam instruxerunt, media acies prætori Lucio Portio tuenda data est. Hasdrubal vero omnia castrorum munitione, postquam necessario pugnandum videret, suas acies instruxit. In prima acie autem signa collocat & elephantos, circa vero leuum cornu aduersus Claudium Neronem Gallos opponit, neque tantum in illis fidebat, quantum putabat illos a Romanis timeri, dextrum cornu aduersus Marcum Liuium sibi atque Hispanis reseruauit (& ibi maxime in veteribus suis militibus spem habebat) in medio post elephantos sumpsit Ligures. Interim ea frons quam Hispani tenebant, concurrat cum sinistro Romanorum cornu, in quo Liuius præsidebat. inter Hasdrubalem & Liuium ingens prælium certamenque contractum est, atroxque cædes vtrinque fiebat. ibi Duces ambo, ibi pars maior peditum equitumque, ibi Romanæ pugnae, & Ligures, asperimum hominum genus in armis, in eum locum versi, elephantis insuper qui primo impetu ante signa turbauerant Romanos, etiam signa a suo loco mouerunt. Deinde crescente certamine & clamore, iam regi milites inter duas acies non poterant, pugnantque velut incerti quatuor essent, non aliter quam nauibus sine gubernatore vagis contingit. Claudius ergo clamabat militibus, Quid ergo milites tam celeri cursu tam longum iter mensi sumus inaniter? Quum in aduersum collem frustra signa erigere conatus esset, videns eam in partem penetrari non posse ad hostem, cohortibus aliquot subductis e dextero cornu, vbi cruentum magis præ-

lium iudicabat, a tergo hostium suis etiam inopinantibus in sinistrum hostium latum incurrit, tantaque celeritas fuit, ut quum ascendisset a latere, mox in terga iam pugnaret. Ita ex omnibus partibus a fronte, a latere, & a tergo trucidantur Hispani, Liguresque: & ad Gallos iam caedes penetrabat. ibi enim minimum certaminis fuerat. ipse autem Hasdrubal pugnantes nunc hortando, nunc ad eundo pericula sustinuit. ille fessos, abeuntesque, radio & labore, nunc precando, nunc castigando accendit. ille fugientes reuocauit, omissamque pugnam aliquot locis restituit. Postremo quum iam victoria Romanorum notissima esset, ne fracto tanto exercitu tanti nominis dux superesset, concitato equo in cohortem Romanorum irruit, ibique ut patre Amilcare & Hannibale fratre dignum erat, pugnantem cecidit, & interfectus est. Nunquam vna acie tantum Pœnorum interfectum est, quantum eo bello. reddita est pugna Cannensi æqua caedes & vindicta. sex enim & quinquaginta millia hominum, & quadringenti ceciderunt. Præda insuper magna, tum auri argentique, tum alia omnis generis: capti insuper sunt Romanorum qui serui apud eosdem tenebantur, supra triginta millia capitum, illique pro solatio amissorum in prælio militum recepti sunt. Nam ipsa victoria nec sine sanguine fuit. octo enim millia Romanorum occisa sunt. Die vero postero quum nunciatum esset Livio Consuli, Gallos Cisalpinos, Liguresque, qui aut prælio non interfuissent, aut inter caedem effugissent, vno agmine abire sine certo duce, sine signis, sine ordine vello aut imperio, atque posse deleri, si vna militum ala mitteretur, sine (ait) ut supersint aliqui nuntii & hostium cladis, & nostræ virtutis. Claudius vero Nero Consul secuta nocte post pugnam citatiori itinere, quam inde venerat, die sexto ad castra sua quæ obiecta Hannibali dimiserat, peruenit. Hic igitur dicenda restant, quæ per Claudium cum Hannibale gesta sunt iuxta Titii Liuii narrationem. Sed quoniam ad res Italicas pertinent, subsisto. Obitum enim Hasdrubalis, licet in Italia contigerit, inferere volui, quia de eo res maximæ in Hispania prædicantur.

Hanno Pœnorum imperator ex Africa in Hispaniam mittitur.

H quoniam paululum digressi sumus ab Italia, iam ad propria, id est ad Hispaniam, reuertamur. Post transitum Hasdrubalis in Italiam, quantum in Italia eius transitus turbauerat, tantum alleuare in Hispania Romanorum statum visum est. Nihilominus statim bellum in ea par priorum exortum est. In eius enim transitu (ut dictum est) duo in Hispania Pœnorum duces remanserunt, Mago Hamilcaris filius, fraterque Hannibalis & mortui Hasdrubalis, & Hasdrubal Gisconis filius. Hi enim duo duces post Hasdrubalis transitum ad Oceanum Gadeseque concesserunt. Mediterranei vero maris nostri oram & quicquid Orientem versus pertinet, Scipio Romanique tenebant. Interim nouus imperator ex Africa in Hispaniam mittitur Hanno nomine, qui traiecto ex Africa in Hispaniam exercitu in Celtiberia Magoni coniungitur. Dicitur autem Celtiberia ea omnis regio quæ ad Iberum fluium inter utrumque mare est usque in nouam Carthaginem. Hanno igitur coniunctus Magoni in Celtiberia breui tempore magnum gentium numerum armauit aduersum Romanos duces. Scipio M. Syllanum cum decem millibus equitum peditumque misit, qui quam festinatiori poterat iussu properabat, ut Pœnorum castris occurreret. Sed plurimum impediebatur, tum saltibus, tum asperitate viarum angustiisque, quibus ea omnis regio inclusa est. ex quo factum est, ut non solum fama, sed nuntii aduentus Syllani ad Pœnos peruenirent. Vnde factum est, ut ex ipsis Pœnis transfugæ venirent ad Syllanum, qui nuntiarent, decem millia a Pœnis abesse, atque bina esse castra eorum: ad læuam itineris, quo irerent, castra esse noui exercitus Pœnorum, nouem millia hominum habere: dextera vero Punica castra esse tuta ac firma militari custodia, altera vero noui exercitus soluta neglectaque esse, ut pote barbarorum actyronum. Ea prius Syllanus aggredienda censuit, & signa ad læuam afferri iussit, ne a stationibus Punicis conspicerentur: ipse vero Syllanus præmissis speculatoribus tacito agmine ad hostem pergebat. ad tria iam prope erant milliaria (quæ vna leuca mo-

ca more Gallico dicitur) & nemo Pœnorum Syllanum senserat, quoniam confragosa loca & obsita virgultis tenebant: ibique in caua valle, ac propterea occulta, confedere, cibumque cepere. interea speculatores transfugæ dicta affirmantes venerunt. Tunc itaque sarcinis in medium coniectis Romani arma sumpserunt, instructaque acie in pugnam vadunt.

Prælium M. Syllani cum nouo imperatore Pœnorum Hannone, Magoneque.

A M quum instructa acie in bellum Romani properarent, quum ad mille passus hosti appropinquarent, ab ipsis hostibus conspecti sunt, & Mago ex castris citato equo ad primum clamorem deuehitur. Erant autem in Celtiberorum exercitu quadraginta scutati, & equites ducenti. hæc igitur legionem, & quicquid roboris erat, in prima acie locat, leuem vero armaturam in insidiis posuit. Quum vero ita instructos ex castris adduceret, vix dum vallum egressus, in eos Romani pila iniecta coniecerunt: subdideruntque Hispani Celtiberos aduersus immissa tela a Romanis, ad immittenda ipsi consurgunt. quæ cum Romani densatis excepissent scutis, tunc pes cum pede collatus, & gladiis res geri cœpta est. Asperitas vero locorum Celtiberis propter eorum velocitatem sperem faciebat euadendi, sed angustia & internata virgulta ordinis dirimebant: & singuli, biniue velut cum paribus conferere pugnam cogebantur. quod ad fugam impedimento Carthaginensibus erat, id eos velut victos ad caedem ducebat, præbebatque. & iam pene omnibus scutatis Celtiberorum interfectis, leuis armatura, & Carthaginenses qui ex aliis castris subsidio venerant, percussis caedebantur. Denique duo amplius millia peditum, & equitatus omnis, & ex veteribus peditibus euaserunt fugientes, qui decimo die in Gaditanam provinciam ad Hasdrubalem Gisconis filium reliquum imperatorem peruenierunt. Noui vero milites Celtiberorum in proximas sylvas dilapsi, inde in domos diffugerunt proprias. Scipio igitur collaudato benigne Syllano cum animaduertisset, si promptus fuisset, & reliquum Pœnorum exercitum facile deleturum: in vltimam Hispaniam aduersus Hasdrubalem Gisconis filium pergit. Hasdrubal vero per antea cum visitasset vrbes sociorum in Bætica, ut contineret illos quos in fide habebat, sublati signis in modum fugæ potius quam itineris, ad Oceanum Gadesque confugit. Veruntamen antequam fretum Gades traiceret, exercitum omnem passim in ciuitates amicorum dimisit, iussitque ut muris seipsos, & ipsi armis muros tutarentur. Scipio vero cum vidisset dissipatum exercitum, ac singulas vrbes debellare diuturni magis quam magni operis, retro vertit iter, & ne hostibus eam relinqueret regionem, Lucium Scipionem fratrem suum cum decem millibus equitum peditumque ad oppugnandum opulentissimam iis in locis urbem, quam Ortigem Hispani appellabant, dimisit.

Obsidio & captio Ortigis vrbs per Lucium Scipionem.

R A T enim eo tempore iis in regionibus vrbs opulentissima, qua Ortigis dicebatur, agro fertilis (quam Oriolam moderni appellant) in eaque fodiebatur argentum. Hanc igitur Lucius Scipio obsidere decreuit. In ea arx erat Hasdrubali ad faciendas circa Mediterraneos populos incurfiones. Scipio castris prope urbem positus, priusquam vallaret urbem, nuncios misit ad portas, qui ex propinquo colloquio tentarent animos, suaderentque ut amicitiam Romanorum potius quam arma experiretur. Vbi vero nihil pacati responderunt, fossa duplici valloque circumdata vrbe in tres partes exercitum diuisit, ut vna semper pars, quietis interim duabus, oppugnaret. Prima igitur pars adorta est urbem oppugnare, scilicetque muro admotis, quidam qui ascenderunt, vel a muris deiecti fuerunt, vel suspensi videbantur. Magna itaque telorum ac saxorum vi a muris ruente, anceps bellum ducebatur. Tunc animaduertens Scipio nimia suorum paucitate inæquale certamen esse, duabus simul partibus urbem est aggressus. quæ res tantum pauorem iniecit animis iam fessis, ut oppidani nimia trepidatione moenia re-

pentina fuga desererēt, & Punicum præsidium, metu ne vrbs prodita esset, relictis stationibus in vnum se colligeret. Timor inde oppidanos inuasit, ne si Romani urbem intrassent, siue Pœnus, siue Hispanus foret, obuii passim cæderentur, atq; patefacta repente porta frequentes se ex oppido eiecerunt scuta præ se tenentes, ne tela procul post se proiicerentur, dexteræque suas nudas ostentantes, vt appareret gladios abiicisse. Id vero cum dubitaretur an dolus esset, impetu hostili in transfugas factis, non secus quam si aduersa foret acies, cæsa est, eademq; porta signa infesta in urbem illata sunt, & aliis partibus securibus dolabrisq; cædebatur porta, & vt quisq; intrauerat eques, ad forum occupandum currebat citato equo. sic enim præceptum fuerat. Carthaginenses omnes in custodiam dati sunt, ex oppidanis ij 10 qui clausis portis euaserunt, libertate donati sunt, & sua omnia reddita sunt. In ea oppugnatione tam ex oppidanis, quam ex Carthaginensibus ceciderunt circiter duo millia, ex Romanis vero octoginta. Lata igitur fuit iis qui rem ipsam gessere, eiusdem urbis expugnatio, & imperatori Publio Scipioni, cæteroque exercitui spatiosus ac iocundus aduentus: collaudatq; fratrem Lucium cum quanto potuit verborum honore, & Carthagini a se captæ Ortigem æquat. Cæterum quia instabat hyems, nec Gades tentari poterat, nec dispersum exercitum Hasdrubalis per totâ prouinciam consecrari expediebat, in citeriorem Hispaniam ad Iberum fluium omnes suas copias exercitumq; reduxit. Ipse vero imperator Scipio cum Lucio fratre, & Hannone Pœnorum imperatore, & aliis nobilibus captiuus Tarraconâ venit. 20

Pugna Scipionis cum Hasdrubale Gisconis filio, & fuga Hasdrubalis in Oceanum & Gades insulam.



NNO ab orbe condito quarto milleno, nongentesimo, nonagesimo secundo, & ab vrbe condita cccc. xlii. quum in Italia prospera omnia essent, de retinenda Hispania solliciti erant Romani, quæ tamẽ eandem quasi fortunam habebat exercitus Romani gestis feliciter cedentibus. Nam Pœni amisso Hannone duce exercitus, vsq; ad ultimam Oceani oram Gadesq; per fugerant, qui tamẽ tum situ locorum, tum hominum ingenii ad bellum reparandum idonei videbantur. Itaq; cum Hasdrubal Gisconis filius, tertius post Barcinos Hannibalem scilicet, ac Hasdrubalem fratres, Pœnorum dux maximus eo bello haberetur, regressus a Gadibus rebellandi spem Hispanis dedit. Aduuanteque Magone Hamilcaris filio, directis per vltiorem Hispaniam literis nunciisque, ad quinquaginta millia peditum, quingentosq; ac quadraginta milites armauit. Deinde fama vulgata quod ad lxxx. millia peditum comparasset, ad Alpiam urbem concessit, in cuius agro Pœni positis castris eo animo erant, vt nullo pacto detrectarent certamen. At Scipio cum ad eũ fama tanti comparati exercitus perlata esset, præmissis Syllano qui milites a locis quibus per hyemẽ degebant, acciperet, ipse protinus a sociis contrahendo auxilia Castulonem peruenit, ad quem adducta sunt a Syllano auxilia peditum equitumque tria millia. Inde ad Betulam urbem cum omni exercitu progressi sunt, in quo erant equitum quinque millia, & peditum quadraginta millia, quibus castra ponentibus, eos Mago & Masinissa cum omni equitatu aggressi sunt, turbassentque munientes castra Pœni incurstantes in Romanos, nisi a Scipione in tumultum propinquum loco adducti fuissent. Interim graue committitur prælium ad eam partem, vbi signa locata erant. Interim cum omnis multitudo ex Romanorum castris efflueret, Pœni ordinibus iam confusis in fugam versi sunt, profugientes hac & illac, vbi propior vnicuique salus videretur. Inde cum iam ex ea pugna Romani potiorem partem obtinuisset, aliquibus tamẽ postea diebus licet tertiati essent, abstinerunt ab incursionibus. Deinde quũ tentati a Romanis Pœni essent, Hasdrubal primo e castris copias in aciem eduxit, & Romani inde sequuti sunt. Quumq; vtraque acies vallo aspero intermedio astitisset instructa, a neutrisq; pugna caperetur, iam die ad occasum vergente, a Pœnis prius, deinde a Romanis in castra copiarum adductæ sunt. Hoc etiam postea per dies aliquot factum est, quoniã Pœni primo e castris copias educebat, & prior fessis

fessis instando signum receptui dabat, quũ a neutra parte procursum esset, telũue immissum, aut vox exorta. Hoc sic per dies aliquot perperã acto, cũ iam Hasdrubalis tyrones Hispani & lixæ matutino tumultu a militibus Romanis mado Scipionis oppressi pugna deficerent, Pœnorum duces, priusquam corpora cibum reciperent, raptim in aciem copias extraxerunt. Scipio hæc contẽplatus detardare, & in vesperũ differre prælium statuit. Nam hora septima primo cornua cœpit instruere, & longe tardius ad medias acies peruenit. Æstus a meridiano sole, laborque armorum, ac in super fames, & sitis, prius quam manus ad prælium confererent, corpora non mediocriter affecerunt. Ita vtraq; acies innixis scutis signisque diutius 10 perstiterunt. Cum vero dies declinaret, pugnaque e cornibus, & quidem valde tumultuosa inciperet, cum elephanti aliquantulum a leui armatura Romanorum in mediam aciem se intulissent, Pœni fessi corporibus animisque retulere pedẽ castra versus, ordinem tamẽ seruantes, non secus, quam si hoc ducis arbitrio fieri contigisset. & sic aliquantisper seruata sunt integræ acies, quum tamẽ Romani eas in fugam inclinatas viderent, impetuque ab illis nõ posset facile sustineri, quanquam Hasdrubal quantum poterat retineret, resisteretque cedentibus. qui videns collem esse a tergo, vbi tutũ esset receptaculũ, si modico suos interuallo retraxisset, clamitabat, vt in eũ se collem reciperent. Interim cum verecundia vicisset metũ, Hasdrubale paulisper in vna montis radice exercitũ continere, atq; in ordinẽ suos 20 milites reuocante, citato Romani gradu signa in collẽ quem prius Hasdrubal occupare cogitauerat, exierunt: cũq; hoc Pœni vidissent, integra fuga in castra per fugerunt, ne interciperetur a Romanis iter. Superuenit interea post vehementẽ solem tanta vis aquarũ, vt vix Pœni in castra se reciperent. nec, dũ introirent, procul a vallo Romani erant: qui proculdubio castra cepissent, nisi vi aquarũ fuissent prohibiti. Ex eo itaq; die Carthaginenses vltius aliquid tẽtare non sunt ausi. ipsi enim licet labore fessis ac vulneribus essent, noxq; & imber ad pernecessariam quietẽ eos traheret, tamen quia metus & periculũ cessandi tempus non dabant, prima statim luce castra saxis vndiq; ex propinquis vallibus aduectis augent vallo, quoniam in armis parum fidebant. Castra itaq; Punica oppugnaturi Romani quamprimũ e- 30 rant, sed impediti sunt ob defectionem Hispanorum ad Romanos. Nam Athenas Regulus Turditanorum cum magna populorum manu transfugit. duo insuper munitissima castra cum eorum præsiidiis sese Romanis dedere. Turditani ea gente & prouincia continentur, quæ a Bætis flumine (quod hodie Guadalcauir appellatur) per oram Oceani vergit ad oram fluminis Anæ (quod hodie Guadiana dicitur) vsque ad sacrum Herculis promontorium in Portugallia secundum descriptionem Claudii Ptolemæi. Interim Hasdrubal Gisconis filius cum intelligeret animos suorum ad defectionem inclinatos, ne alii ex suis transfugerent, silentio noctis factis castra inde mouet. Quum vero dies aduenisset, & ab iis qui in stationibus erant, relata esset Hasdrubalis cum toto exercitu profectio, Romani præ- 40 misso equitatu signa moueri ac ferri iubent, adeoque citato agmine ducebantur, vt si recta via issent, proculdubio eum fuissent assecuti: sed ducibus creditum est, qui dixerunt breuius esse iter aliud ad Bætis fluium (qui, vt diximus, Guadalcauir dicitur) vt transeuntes aggredierentur. Hasdrubal vero cum intellexit clausum esse transitum fluminis, ac interceptũ a Romanis, flectit ad Oceanum exercitum, qui fugientium more dispersi abibant. Tandem assequuntur eos equites Romani, & ii qui leuiter armati erant, Pœnos nunc a tergo, nunc a lateribus incurfabant, fatigabant, & morabantur, adeo vt legiones Romanorum ac signa iam appropinquarent. Cum enim ad crebros tumultus signa consisterent, & nunc equestres, nunc pedites prælium confererent, superueniunt legiones ac signa Romanorum. iam non pugna, sed trucidatus velut pecorum fieri cœpit, donec ipse dux & fugæ autor in proximos colles cum sex millibus fere inermium profugit atque euasit: cæteri vero caesi captique sunt. Interim Pœni in ipso colle castra tumultuaria communi- 50 erunt. Romani vero cum in collem subire tentassent, iniquo ascensu impediti nequiuertunt. Præterea considerantes quod obsidio in loco inopi atque nudo vix ad paucos dies tolerabilis esset, obsidionẽ firmauerunt. Interea multi ex Pœnis ad Ro-

manos confugiebant. Postremo Hasdrubal ipse dux acceptis nauibus, quū nocte clam fugisset, Gades traiecit. erat enim locus ipse non longe a mari. Scipio vero fuga Hasdrubalis audita, decem milia peditum, & mille equites Syllano ad obsidionem castrorum reliquit. Ipse enim cæteris copiis causa recognoscendorum regulorum, populorumque, ut præmia pro meritis posset elargiri, Tarraconam rediit. Post profectiōnem vero eius Masinissa rex Numidarum clam nocte ad colloquia venit cum Syllano, in quibus se gentemque suam amicā Romani populi spondit. in qua amicitia vsque ad finem vltimamque senectutem permansit, indeque concilio factō in Africam reuersus est.

Quomodo Carthaginenses vltimo ex Hispania sunt expulsi.

ROSTEA vero quam Hasdrubal in Gades profugerat, naues Magoni remisit, quæ eundem in Gades asportarent. Mago igitur dimissis iis qui ex exercitu superfuerant, in Gades transit, quorum pars ad Romanos confugit, pars a ducibus deserta per vicinas vrbes & oppida dispergitur nullo robore munita. Postea vero quam Syllanus vidit omnes Carthaginenses ab Hispania pulsos, & dissipatum exercitum duce (sue fugatos, Tarraconam ad Scipionem properat. Qui cum venisset, Lucius Scipio Magni Publii Scipionis frater Romam a fratre nuncius missus est cum multis Hispaniarum nobilibus captiuis quos in victoriæ signum secum attulit, qui res mirifice in Hispania gestas atque victorias Senatui nunciaret.

Quomodo Scipio & Hasdrubal ad Syphacem Massylorum Regem venerunt pro fœdere.

QVVM fama Scipionis ingenti gloria celebraretur, vulgoque Hispaniarum victor proclamaretur, vir magnanimus, inexplebilique laudis amore captus, iam Africam magnamque Carthaginem petere statuit, ut maiorem suo nomini honorem gloriamque compararet. Et ut voti compos facilius euadetet, reconciliandos animos Regum ac gentium partium illarum tentare decreuit. Primumque aggredi Syphacem Massylorum Regem curat, quæ gens est ad finem Maurorum nouæ Carthagini obiecta, diuidente sinu Mediterranei maris. Erat enim cum Carthaginensibus ipsi Regi ac genti fœdus, ipsique præ cæteris barbaris de obseruatione fœderis præclarior nomen erat, cum ipsis barbaris (ut multi dixerunt) fides ex fortuna esse consueverit. Ad eundem itaque Regem Caium Lælium oratorem mittit cum donis, qui iocunde receptus est ab eo, quia res tam prospere Romanis successissent, maximeque Scipioni. Cumque etiam in Italia Pœnis aduersæ res essent, in Hispania nullæ, amicitiam Romanorum Syphax Lælio annuit firmandam: eam tamē nec dare, nec recipere posse, nisi coram ipso Romanorum duce Scipione. Itaque Lælius accepta fide a Rege ad Scipionem reuertitur. Erat enim Syphax Rex opulentissimus, bello aptus, Carthaginique magnæ vicinus, illique suis finibus coniungebatur, modico maris freto ab ipsa Hispania distans. Scipio igitur audito Lælio ratus rem dignam non posse sine maximo periculo agi, Tarraconæ Lucio Martio, nouæ vero Carthagini Syllano ad præsidium Hispaniæ relictis, ipse terrestri itinere a Tarraconā nouam Carthaginem venit, & a noua Carthagine cum duabus triremibus tranquillo mari in Africam traiecit: casuque accidit, ut eadem hora Hasdrubal ab Hispania pulsus, septem cum triremibus ad Syphacem veniens, iactis ancoris in terram descenderet. Ita prior in terram Hasdrubal, mox Scipio & Lælius egressi, pergunt ad Regem. Ut Syphaci visum est, duorum opulentissimorum populorum duces ea tempestate eademque die suam pacem amicitiamque petentes venisse ad eum, vtrunque ad hospitium inuitat. Et quoniam eos sub vno eodemque tecto fors perduxit, conatus est eos ad colloquium deducere causa dirimendarum inter se factionum. Scipio hoc renuit, dicens nullum cum Pœnis priuatum odium esse quod

quod colloquendo finiret, neque de republica se cum hoste agere quicquam nisi iussu senatus posse. in illudque magnopere Rex tendebat, ne alter hospitium exclusus mensa videretur, ideoque Scipionem ad eandem mensam cum Hasdrubale inuitat, quod Scipio non abnuit, & quia id maxime Regi placebat, Scipio & Hasdrubal simul cœnati, eodem etiam lecto simul dormierunt. Tanta autem comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenii claritas, & facundia erat, ut non modo Syphacem barbarum, insuetumque Romanis moribus, sed etiam hostem quencunque infestissimum alloquendo sibi conciliaret: mirabilioremque aspectum ac maiestatem præ se fecerat, quam gestatam rerum gloriam. Nec dubium est Regem regnumque sola Scipionis allocutione in Romanorum esse potestare, tantam artem ad conciliandos animos eidem natura tribuerat. Itaque non tantum quomodo Hispaniæ amissæ essent, sed quomodo Africa retineretur, Carthaginensibus necessarium fuit cogitare. Inuit igitur Scipio fœdus cum Syphace Rege, nec postea diutius immorans statim provinciam a se derelictam cum duobus exercitibus repetiit. Non enim peregrinandi causa, neque solatii, Africam petierat, sed desiderio ea potiendi, hocque cum iam diutius in animo reuoluisset, tandem pacem efficere voluit, ut quemadmodum Hannibal in Italia bellum gereret, sic Scipio in Africa, qui a recessu suo dubiis plerumque & contrariis ventis in alto iactatus, quarto die nouæ Carthaginis portum tenuit. Hispani vero licet a Punico bello quieti essent, in quibusdam tamen ciuitatibus non bonus animus erat, quæ metu tranquillæ manebant. conscientia enim illos premebat commissorum delictorum, inter quas maxime insignes erant magnitudine simul & culpa Illiturgum & Castulo opulentissimæ vrbes. Cum enim prosperis rebus Romanorum locii fuissent, post casos tamē Scipiones cum exercitibus defecerunt ad Pœnos. Illiturgitani vero defectioni hoc addiderunt, quoniam Romanos qui ex illa clade ad eos profugerant, hostibus prodiderunt interficiendos. In eos itaque populos, cum dubiæ adhuc Hispaniæ foret, sæuitum fuisset, nisi vtiliter potius quam merito factum distulisset. Cum vero res tranquillæ visæ sunt, tempus expectandæ vindictæ non amplius dissimulauit: aduocatumque Lucium Martium a Tarraconā cum tertia parte copiarum ad expugnandum Castulonem mittit. Ipse vero Scipio cum reliquo exercitu quinq; castrorum stationibus ad Illiturgum peruenit, cuius portas conclusas reperit. Tum omnibus instructis ad oppugnationem faciendam ipse Scipio milites adhortari cœpit, ut multo infestioribus animis cum suis quam cum Carthaginensibus bellum gerendum esset, quippe cum illis de imperio & gloria sine ira certabant, cum istis vero, ut perfidiæ, crudelitatis, ac sceleris pœnas luant, quo & nefandam commilitonum necem vlciscerentur, ut in omne tempus documentum ac prouerbium fierent, ne quis vnquam Romanum militem ciuemque in qualibet fortuna constitutum iniuria premeret. Ab hac exhortatione ducis incitati milites, electis viris qui per manipulos scalas erigerent, partito exercitu, ut alteri Lælius præesset legatus, duobus simul locis ancipiti terrore urbem aggrediuntur. Non enim dux vnus aut princeps oppidanos ad defensionem inuitabat, sed sola conscientia & culpæ metus, ex quibus non gloriam, nec imperium, sed supplicium quærebant Romani. Quapropter seipsos oppidani animabant ad pugnam, dicentes melius esse in acie mori, vbi Mars omnibus communis esset, qui sapius victum erigere, ac victorem affligere solitus esset, quam postmodum cremata direptaque vrbe ante ora captarum cōiugum liberorumque, inter verbera & vincula, omnia fœda atque indigna passos expirare. Igitur non militaris tantum ætas & viri, sed fœminæ quoque ac pueri supra animi corporisque vires ad sunt, pugnantibusque arma telaque ministrant, saxa quoque ad murorum munitionem adducunt. Accendebantur ita animi certamine, labore, ac periculo, atque ipso inter se conspectu, adeoque magno ardore certamen initum est, ut a iuuentute oppidanorum exercitus Scipionis a muris repulsus sit. Quod factum ut Scipio vidit, veritus ne vanis conatibus hostium animus cresceret, & remissiores sui fierent, sibimet conandum esse censuit, partemque periculi capeffens ferri scalas iubet, & seipsum ascensurum, si cæteri recularent, comminatur. Tum a multis partibus cœptæ sunt scalæ erigi, ex

aliaque parte vr̄bis Lælius vehemēti conatu instabat. Tunc viſta eſt viſ oppidanorum, deiectiſque propugnatoribus occupantur muri. Arx inſuper ab ea parte quæ in expugnabilis videbatur, capta eſt. Viderant enim eminentiſſimam eius partem quæ alta rupe tegebatur, neque vllō opere munitam, & a deſenſoribus vacuum. Hanc partem leuium corporum homines, & multa exercitatione diſpoſiti clauos ferreos ſecum portantes per inæqualiter prominentia rupis ſcandebant. Vbi per modica interualla diſtantes figebant clauos, quibus, velut quōſdam gradus facientes, ita in ſummum peruenerunt. Capta igitur vr̄be, Romani iram in eos odiumque euomūt. Nemo enim viuos capiebat, nemoque prædæ memor erat. Trucidatur paſſim inermes ſimul cum armatis, infantulique cum mulieribus, ignemque inſuper tectis iniiciunt, diruūt quæ ignis abſumere nequiuit. ita enim memoriam vr̄bis penitus extinguere voluerunt. Caſtalonem deinde Scipio exercitum duxit, quam non modo oppidani defendebant, ſed etiam reliquæ exercitus Pænorum qui ex diſſipata fuga paſſim in eam confugerant. Sed cum Scipio adueniſſet, fama cladis Illiturgitanorum eis pariter terrorem ad deſperationem intulit. Et quum in diuerſas ſententias quiſque, prout ſibi videbatur, cōſuleret, diſcordia inter Pænos ac Hiſpanos orta eſt. Oppidanorum atque Hiſpanorū caput erat Cerdubellus autor deditiois, qui propoſuerat vr̄bem Romanis tradere, Pænis vero præerat Amilco. Cerdubellus vero fide accepta a ciuibus Hiſpaniſque, vr̄bem clā Romanis prodiit, quæ quoniam non tantum deliquerat, partemque indignationis Romanis abſtulerat cruenta Illiturgi vaſtatio, & voluntaria ipſorū deditio, humaniter tractata eſt.

Scipio patri patriſque exequias facit, & reddit diis vota pro vindicta.

SCIPIO igitur nouam Carthaginem rediit redditurus diis vota, ac daturus munera gladiatoribus haſtiluſoribusque, pro vindicta patris patriſque. Statuit igitur diem ad munera gladiatorum. conueneruntque ad ſtatutum diem non ſolum obſcuri generis, ſed etiam reguli, illuſtreſque & clariores viri, quorum aliqui per ſe pugnaverunt, aliqui per alios, alii profeſſi ſunt ſe pugnaturos ob gratiam ducis, alios æmulatio traxit, vt certamen prouocarent, prouocatiſque non abnuerent. Quidam controuerſias quas inter ſe terminare non potuerant, pacto inter ſe inuito, vt victorem reſ ſequeretur, ferro terminare decreuerunt. Spectaculoque ludi funebres additi ſunt. Interim Martius inultas ciuitates in deditioem accepit ſine vllō certamine.

Aſtapa vr̄bis Carthaginēſium igne ferroque vaſtatur.

ASTAPA erat vr̄bis (quæ hodie Aſcho dicitur) quæ ſemper Carthaginēſium fuerat, quæ ſingulare quoddam odium ſemper habuit in Romanos, & tamen vr̄bem nec ſitu, nec munimento tutam habebant, quæ ferociores illis animos faceret, ſed ingenia incolarum latrociniiſ dedita: qui ob excuſiones quas in finitimum agrum ſociorum populi Romani faciebant, ad Romanorum odium prouocati ſunt. Ii etiam vagos Romanorum milites ac mercatores diem intercipientes, & magnum quendam Romanorum comitatum per eorum fines tranſgredientem, iniquo loco circunuentum interfecerant. Ad hanc igitur vr̄bem expugnandam quum ad motus exercitus eſſet, oppidani conſcientia ſcelerum, quia nec deditio tuta ad tam infeſtos hoſtes videbatur, nec ſpes in mœnibus aut armis tuendæ ſalutis erat, facinus in ſe ac ſuos ferum ac tetrum excogitant. Locum enim in foro ordinant, in quo pretioſiſſima rerum ſuarum congerent. ſuper eum tumultum coniuges ac liberos conſidere quum iuſſiſſent, ligna fa- cesque virgultorū circa eum extruunt, vt donec incertus euentus pugne eſſet, præſidium in eo loco fortunarū ſuarū corporumque, quæ cariora omnibus fortunis erant, ſeruarent: ſi vero rem inclinaram viderent, atque in eo eſſe, vt iam ciuitas caperetur, ſcirtetque omnes quotquot in prælium iſſent obituros, eos per ſuperos inferoſque

feroſque deos orauere, vt memores libertatis quæ illo die aut morte honeſta, aut miſera ſeruitute finienda eſſet, nihil relinquerent in quod ſeruire hoſtis poſſet. ferrum ignemque in manibus eſſe: manuſque amicæ ac fideles potius ea quæ peritura erant, abſumerent, quam hoſtes ſuperbo ludibrio inſultarent. Hiſ adhortationibus excitati, ne quem a propoſito ſpes mollitiæ animi fleckeret, die adiecta cōcitato agmine, patentibus portis, ingenti tumultu erumpunt. nec enim erat aliqua oppoſita ſtatio firma, quia nihil minus timeri poterat, quam vt ex vr̄be oppidani egrederentur. Per pauca igitur turmæ equitum leuiſque armaturæ repente e caſtris ad id ipſum accurrunt. acrior impetu atque animis, quam compoſitior pugna fit, quoniam ſine ordine vllō ab vr̄be plebs egreſſa eſt. Itaque pulſi ſunt equites qui prius ſe oppidanis obtulerant, cæteriſque terrorem non leuem intulerunt: trepidatumque parumper eſt circa ſigna, quum robur legionum præ anguſto tempore dato ad inſtruendum non potuerit tempeſtiue occurrere, quoniam ipſi oppidani in vulnera, hoſtes, ac ferrum vehemēti vecordia ruebant. Occurrerunt tamen interea probati ac electi milites, qui temeratioſ impetus cæde primorum ſuppreſerunt. Patefacta itaque acie quoad fieri poterat, multitudo armatorum abſtinebat a cædibus: nec tamen poterat propter obſtinatos oppidanorum animos, qui ſic paſſim in eos inſultabant, vt in vr̄bem pugnando intrantes coacti ſint omnes vſque ad vnum occidere. Hoc itaque bellico more decertando actum eſt in prælio, ſed cædior in vr̄be trucidatio fuit, quoniam proprii ciues omnem ſcæminarum turmā, puerorumque imbecille inermemque multitudinem occiderūt, & in cenſo rogo ſemiuiua adhuc corpora in ignem iecerunt. Præterea ipſi etiam ſuorum cæde miſerandi cum armis in medium ſe iecerunt incendium. Cæterum iam cæde perpetrata ſuperuenerunt Romani, ac primo conſpectu tam atrocis rei mirabūdi parumper obſtupuerunt. Deinde quum aurum argentumque, flamma liquefaciente, tumultu rerum aliarum interfluere, auiditate ducti milites, dum capere velent, alii correpti flamma ſunt, alii combuſti a flamma, quum primi vrgente turba retrocedere nequirent. Ita Aſtapa ſine militum præda, igne ferroque aſſumpta eſt. Martius vero cæteris eius regionis partibus in deditioem acceptis, victorem exercitum reduxit.

Infirmiſ Scipionis, & que mala pertulit.

SCIPIO interea graui morbo impeditus eſt, grauiorem tamen ægritudinem reddebat, quum plerique adiecerent, ei corruptionem humorum ex nimia caſtitate accidit. Vnde factum eſt, vt prouincia omnis, & maxime longinqua turbaretur. Ex quo deprehendi potuit, quid ſubſequutum fuiſſet, ſi vera fuiſſet mors, quum vanus rumor tantas excitaret procellas. non enim ſocii ac cæderati in fide manſerunt, non exercitus in officio. Mandonius enim & Indibilis Celtiberorum principes (qui Aragonenſes hodie dicuntur) quum Scipioni expulſis Carthaginēſibus adhæſiſſent, nihilque ex eo proſperum obtinuiſſent, congregata magna Celtiberorum iuuenum manu agrum Sederanum (in quo ciuitas Soria ſita eſt) & agrum Sueſitanum (in quo & Sanguella oppidum eſt in Nauarræ prouincia) ſociorum populi Romani multipliciter inſeſtarunt, atque hoſtiliter pene depopulati ſunt. Deinde alius, & quidem maximus, ciuiliſ rumor in caſtris ortus eſt. Erant enim ad præſidium octo millia militum in caſtris, iis gentibus quæ cis Iberum morabantur, ab imperatore impoſitum. moræ ſunt autem eorum mentes, quum primum de vita imperatoris dubii facti ſunt: ſed per antea cœperunt ex diuturno, vt fit, ocio, quum arctiores in pace reſ eſſent, occulte diſſeminare, quid eſſet, ſi debellata cōſeſtaque prouincia eſſet, quid item inter pacatos facerēt, quidve ſi bellū in prouincia eſſet, quomodoque in Italiam remearent. Peritumque eſt ſtipendiū ſæpius procacius ac auidius ſolito ex more ac modeſtia militari, & a cuſtodibus in circuneunteſ vigilias

tribunosque opprobria iactabantur, & nocte multi in agrum pacatum prædatum ibant: deinde iam crescebatur licentia, sine mandato a signis abibant, omnia libidine ac licentia militum infestabatur, nihilque instituto, aut disciplina militari, aut imperio eorum qui præerant, gerebatur. Fortuna autem Romanorum castra seruebantur, eo quod tribuni a principio iura reddere omiserant ex cōtagione furoris, non ex parte seditionis defectionisque. Postquam vero tribuni reprehendere atque improbare ea quæ fierent, ceperunt, & propalam dicere se furoris eorum nō futuros socios, statim erupit seditio. Fugatis itaque principibus, ac deinde tribunis e castris expulsis, ad duos principes seditionis, Caium Albium, & Caium Arrium delatum est imperium omnium consensu, qui nequaquam tribunitiis contēti ornamentis, insignia etiam summi imperii fasces securesque attrētare ausi sunt, neque in mentem veniebat suis tergis cervicibusque virgas illas ac secures imminere, quas ad metum aliorum præferrēt. Mors enim Scipionis falso credita erigebat eorum animos, ob cuius vulgaram famam mox non dubitabāt totam Hispaniam arsuram bello. In eo enim tumultu nec focii pecunias imperatori afferre, nec adire propinquas vrbes poterant propter turbatas res, quum omnia omnes auderēt. Expectabant enim singulis horis non tam nuncios mortis, quam funeris, neque superuenire aliquid posse arbitrabantur quod eorum posset propositum evacuare. Verum quum viuere primum, mox etiam valere Scipionem, certi nuncii affererēt, tribuni militum septem ab ipso Scipione sunt missi, ad quorum aduentum primo 20 factionis viri exasperati sunt animo. Percunctati igitur, quæ causa iræ consternationisque subita esset, dissimulando stipendium ad diem non datum iactabant: & quum eodem tempore, quo scelus Illiturgitanorum extitisset, post duorum imperatorum duorumque exercituum stragem sua virtute defensum nomen Romanorum ac retenta prouincia esset, Illiturgitanos pœnam noxæ meritam habere, suis vero non esse qui gratiam exoluat recte factis, talia quærentibus responderūt tribuni vere se oraturos, ac ad imperatorem delaturos. Læti in super se fingebāt seditionis autores, quod nihil tristius insanabiliusque euenisset, & quod superesset Scipio qui Deū benignitate reipublicæ gratiam reddere posset. Scipioni itaque in principio leuiter agi placuit, & missis circa stipendiarias ciuitates exactori- 30 bus, stipendii spem propinquam dedit. Edictumque subinde positum est, vt ad stipendium petendum conuenirent in nouam Carthaginem, spemque maximam suæ factionis seditionisque abstulit Mandonio & Indibili. qui audito quod uiueret & valeret Scipio, omisso incepto in suos fines redierunt, neque videbant quenquam, non principem, non priuatum, apud quem recipi possent. Omnia enim circumspectantes, nihil reliqui habebant, præter vulgatissimum a malis consiliis receptum, dubiique erāt, an imperatoris iussu pro stipendiis irent, vel de eius clementia desperarent, quum scirent eum etiam hostibus ignouisse, cum quibus dimicasset, suamque seditionem sine sanguine, sine vulnere esse, ac propterea nō atrocem, aut atroci pœna dignam. vt humana ingenia sunt, ad suam quisque leuandam culpam 40 declinabat. Maior tamen inter eos illa erat dubitatio, an eorum tribuni & cœturiones, an vero omnes pro recipiendo stipendio irent, & valuit sententia, vt omnes irent, quia tutius esse censebant.

Quomodo puniti sunt tantæ seditionis autores.

QUUM vero per eosdem dies hæc illi inter se consultarent, cōsiliū de his nouæ Carthagini agebatur, certabaturque sententiis, vt in autores tantum seditionis animaduertetur, an vero omnium supplicio culpa vindicanda esset. erant enim autores paulo plures quinque ac triginta. Vicit tandem pœna leuior, vt vnde culpa esset, ibi pœna cōsisteret: ad multitudinem vero satis esse castigationem verbalem. Cōsilio itaque dimisso parari expeditio cepit aduersus Mandoniū Indibilemque, cibariaque exercitui qui Carthagini erat, parari iubentur. Et cum tribuni septem qui per antea Sucronem missi fuerāt ad le- 50 niendam

niendam seditionem, obuiam exercitui irēt, singulis data sunt nomina principum seditionis, vt eos p idoneos homines benigno vultu & sermone prius lenitos Carthaginem adducerent. Qui quum venissent, ad concionem vocati, in forum ad imperatoris tribunal ducuntur. Imperator vero sedit paulisper tacitus, tum silentio per præconem factō, pluribus verbis de eorū seditione habitis, atque errore confutato, tum ex præparato omnium rerum terror oculis auribusque omnium est offusus. Inter hæc exercitus qui corona concionem circundederat, gladiis & scutis concrepuit. Tum præconis audita vox est citatis nomina damnatorum, qui statim in concilio nudi in medium protrahuntur, & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. Deligati igitur ad palum, virgisque cæsi, & securi percussi sunt, adeo concussis metu qui aderant, vt circumstantium gemitus exauditi sint. Tracti inde de medio omnes sunt, purgatoque loco, citati milites nominatim apud tribunos militum in verba Scipionis iurarunt, stipendiumque ad nomen singulis persolutū est. Hunc finem seditio militum habuit.

Fugatur iterum Hanno præfectus Magonis a Lucio Martio.

RER idem tempus Hanno præfectus Magonis, missus a Gadibus cū parua manu Afrorum, data mercede Hispanos sollicitando ad quatuor milia iuuenū armauit. Castra deinde parās, ab Lucio Martio dissipatis castris, multis captis, cæteris in fugam datis, ipse Hanno cum paucis effugit, reliquos per deuia vagos palantesque persecutus est. Dum hæc agerentur ad Bætium fluuium (qui hodie Guadalcauir dicitur Arabica lingua) Lælius cum classe in Oceanum nauigauit ad vrbe[m] quæ Carteia dicitur. Erat enim ea vrbs in Oceani ora ad eam Hispaniæ partem, quæ ex angustis faucibus panditur mare ad Gades. Causa autem aduentus Lælii erat, quia Gaditani missi ad Romanos nunciis in castra, obtulerant vrbe[m] sine certamine tradere. Romanis interim vulgata proditio est, quoniam Mago qui in ea vrbe erat, comprehensos eos omnes Adherbali Prætori Carthaginem deuehendo tradidit. Adherbal vero coniuratis in quinqueremibus impositis, præmissisque ipsis quinqueremibus, quæ tardiores quam triremes erant, ipse cum octo triremibus modico interuallo secutus est. Iamque fretum intrabat quinquerem Carthaginensium, & ecce Lælius cum classe affuit, qui quum quinquerem Carthaginensium capere conatus esset, sequentibus septem triremibus ad Adherbalem euectus est. Quinqueremis vero Pœna videns se deprehensam, & obstitente æstu freti in aduersum reciprocare non posse, in re subita parumper timuit, an videlicet suæ triremes sequerentur, an vero hostis rostra conuerteret. ipsa enim dubitatio moram fecit detractandæ pugnæ. Iam enim sub iætu teli erant, & vndique stabant hostes. æstus quoque moderandi naues adimebat arbitrium. neque enim erat simile nauali pugnæ, quum nihil voluntarium haberet, nihilque artis vel consilii esset, quoniam & natura freti æstusque suis alienisque nauibus pariter inuehebat, vt remigi vllus locus non esset, si in contrarium æstus tetendisset. fit igitur coacta pugna. Quum igitur quinquerem Pœnorum coacta, infestaque in Romanam rostro decurrisset, inuasissetque, obliqua Romana iæctum alterius rostri recipiebat. interim anceps prælium cōmissum est. Quinqueremis vero Romana, seu pondere tenacior, seu quia pluribus remorum ordinibus referta facilius regeretur, duas triremes suppressit, & vnus ex aliis remos detorsit oppressa, cæterasque quas adepta esset, mulcasset, nisi Adherbal cum quinqueremibus extensis velis in Africam transfretasset. Lælius vero victor cæterarū reuersus, auditis quæ acta Gadibus essent, ob patefactam proditorem, coniuratosque Carthaginem missos, spe ad irritum redacta, nuncios ad Lucium Martiū misit, de cunctis certiore[m] faciens. & quia frustra ibi tempus tererēt, assentiēte Martio redire ad imperatorem decreuerūt, postque paucos dies ambo nouā Carthaginem redierunt. Ad quorū discessum nec ociosus Mago fuit, quæ poterat terra marique ordinans, vt in Hispaniam rediret. Audita enim Ilgeretum rebellione (quæ Nauarorū gens est, vt supra diximus) spem recuperandæ Hispaniæ cepit.

Missis igitur nunciis ad Senatū Carthaginensium, qui simul seditionem ciuilem in castris Romanis, defectionemque sociorum in maius verbis auferent, imperiū Hispaniæ posse repeti persuasit.

Prælium Scipionis, & Indibilis ac Mandonii Celtiberorum regulorum, qui aduersus Romanos rebellant.

MANDONIVS itaque & Indibilis audita Scipionis sanitate, quia in fines suos regressi fuerant, visuri paulisper quid seditio incepta statueret, quoniam si conspiratis ciuibus in castris indulgeretur, sibi quoque ignosci non dubitabāt. Postquam vero vulgata est atrocitas supplicii, suam quoque noxam pari poena vindicandam arbitrati, vocatis rursus ad arma popularibus, contractisque quæ ante habuerant auxiliis, in Sedetanum agrum, vbi defectio primum exordium habuerat, cum viginti millibus peditum, & duobus millibus & quingentis equitum transcederūt. Scipio vero quum omnibus noxiis innoxiiisque stipendium dedisset, vultu & sermone in omnes placato, facile reconciliatis militum animis, prius quam castra a noua Carthagine moueret, concione aduocata multis verbis in perfidiam regulorum verba faciens asseruit, non se eo animo ire ad vindicandum hoc scelus, quo ciuilem errorem nuper sanauerat: quoniam id fecit non secus, quam sua viscera secans cum gemitu ac lachrymis, triginta hominum capitibus liberasse octo millium siue imprudentiam, siue noxam: nunc vero læto & erecto animo in cædem Ilergetum ire. Deinde se ad iter præparare in diem alterum iubet, profectusque decimis castris peruenit ad Iberum flumen: deinde quarto die castra in conspectu hostium posuit. campus enim erat ab interiori parte montibus circumseptus. In eam vallem Scipio quum pecora multa ex hostiū agris rapi iussisset, ad irritandos barbarorum animos, velites (qui proprie Hispano nomine Ginecarii appellantur) immisit. Vbi vero per excursionem commissa fuit pugna, Lælius cum equitatu impetum ex occulto facere iubet. mons enim præeminens equitum insidias texit. nec vlla mora ad pugnam facta est. Hispani cernentes eorum pecora tolli, in velites Hispanos præda occupatos incurrere cœperunt. Vnde quum cœpisset iam pugna, & gladiis nudatis, collatoque pede certamen fieret, superuenere equites. & maiores inde cædes fiunt, quam per excursionones ac leuia certamina fieri soleant. ita magis accenduntur ira Hispani ad vindictam, qui ne pulsi viderentur, postero die prima diei luce in aciem processere. neque capiebat omnes copias angusta vallis: duc namque peditum partes, & omnes denique equitatus in aciem descenderunt, reliqua vero peditum pars in vnum ex obliquo collem constitit. Scipio considerans loci angustiam pro se esse, quia in arcto pugna aptior Romanis, quam Hispanis futura videbatur, quodque in eum locum retracta eorum multitudo esset, qui omnes minime capere posset, nouo consilio animum adiecit, vt scilicet tam angusto spatio circundaret cornibus hostium aciem, quo peracto Hispanis inutiles foret pedestres copias. Itaque imperauit Lælio vt per colles occultissimo itinere circunducat equites, sequegetque quantum possit equestrem a pedestri pugna. ipse quoque Scipio statim omnia peditū signa in hostes vertit, quatuorque cohortes in fronte statuit, quia latius non poterant aciem pandere, neque moram pugnandi vllam fecit, vt cum certamine auerteret conspectum equitum transeuntium per collem, neque ante conspicerent circumductos esse, quam a tergo inuasos se esse sentirent. ita duo prælia, duæ peditum acies, & duo equitatus per longitudinem campi. nam misceri non poterant, quia vallis angustia hoc non patiebatur. pugnabātque adeo, vt neque pedites equitibus, neque equites peditibus auxilio esse possent, quoniam quum pedites qui in fronte erant, pugnarent, putantes equites a tergo eis auxilio esse, trucidantur, quoniam equites ipsi a Lælio & Romanis ab ipso tergo inuasi etiam debebantur. Quumque ipsi equites aliquandiu Lælii impetum sustinuisent, finaliter tamen ad vnū omnes cæsi sunt, nec quisquam equitū peditumve superfuit, eorū scilicet qui in valle pugnauerunt. Tertia vero pars quæ super collem secesserat, & potius ad spectaculum quam ad

quam ad pugnam steterat, & locum, & tempus ad fugiendum habuit. Inter eos enim Mandonius & Indibilis reguli fratres ipsi fugerunt, prius quam a tergo tota circumueniretur acies, elapsi inter tumultum. Castra itaque Hispanorum eo die præter aliam prædam, cum tribus ferme millibus hominum capiuntur. Ex Romanis vero eo die ac prælio circiter mille ac ducenti ceciderunt, vulneratique sunt amplius quam tria millia hominum. Neque enim adeo cruenta fuisset victoria, si patientiore campo decertassent, & ad fugam capeßendam facilitas fuisset. Indibilis itaque abiectus bello & fugatus, consilium cepit, & afflictis prostratisque rebus nihil tutius esse duxit, quam vt in Scipionis clemētia speraret. Experta itaque eius fide Mandonium fratrem ad Scipionem mittit, qui aduolutus genibus eius, fatale rabiem temporis accusat, quum velut cōragione quadam pestifera, non Ilergetes modo & Læcetani, sed castra quoque Romana insanierint. suam itaque, & fratris, & reliquorum popularium eam conditionem esse, vt, si velit, reddant spiritum Scipioni: vel si seruare malit, tanquam ab eo acceptum, illum pro eius volūtate deuouerent, tanquam ab eo seruatum. In causa enim fuerat eatenus, ipsam clementiam non petiisse, quum de ea, eius inspecta magnanimitate, non haberetur fiducia: nunc autem e contra, quoniam quum victor euaserit, non est dubium in eius maxima clemētia sperare. Ille enim semper Romanis mos fuit, parcere prostratis, & debellare superbos. Scipio igitur, licet vetus mos Romanorum fuisset, vt eis quos nō

10 fœdere, sed armis superassent, non prius daretur amicitia tanquam in pacatum populum, quam omnia diuina & humana dedissent, obsides insuper acciperentur, adimerentur arma, præsidiaque vrbibus composita forent: multis verbis detestatus Mādonium presentem, Indibilemque absentem, illos merito perituros fuisse suo ipsorum maleficio asseruit, victuros populi Romani beneficio. Itaque eisdem regulis, & illam pugnam, & rebellionem liberam esse voluit, eisque velle præter Romanum morem, & arma relinquere, nec obsides petere, ne si iterum deficerent, in obsides innoxios, sed in seipos sequeret, atque eorū esse, an pacatos, an iratos Romanos velint. Ita dimissus est Mādonius, pecunia tantum imperata, qua militibus subsidium parari posset, qui Lucio Marrio in vltiore Hispaniam præmisso, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Ilergete numerarent, cum expeditis Lucium Martium iam Oceano appropinquantem assequitur. inchoata enim res erat de Masinissa, vt ad colloquium cum Scipione veniret. vulgatum est in castris Scipionis Masinissam cum Scipione velle congregi, ad hocque dexteris sibi inuicem dedisse. Masinissa vero quum Gadibus esset, certior factus a Martio, Scipionem aduentare, causando dixit corrumpi equos in insula, penuriamque rerum omnium pati, & ideo se velle traicere ad depopulandos Mediterraneos agros: vtque imperator Mago hoc pateretur, marcescere se dixit equitum desidia. Transgressus itaque tres principes Numidarum præmittit, ad tempus locumque pro colloquio statuendum, duos pro obsidibus retineri a Scipione iubet, remisso tertio, qui quum iussus esset, adduceret Masinissam. cum paucis itaque ad colloquium venerunt. Ceperat enim Numidam Scipionis fama, gestarumque rerū admiratio, qui animos ad speciem corporis eius amplam atque magnificam erexerat. ceterū maiorem venerationem præsentia fecit, & præterquā quod a natura multa in eo erat maiestas, adiuuabat tamen promissa cæsaries, habituque corporis, non cultus ex exquisitis munditiis, sed virilis, ac vere militaris (quod plenius nitidiusque ex morbo apparebat, velut renouatus flos iuuentæ) prope attonitus ipso primo congressu Numida est. Agit igitur Masinissa primum Scipioni gratias de fratris filio remisso, ex eoque tempore eam se quæsisse occasionem, quam tandem oblatam deorum immortalium beneficio non omiserit, cupereque se illi populoque Romano operam nauare, ita vt nemo vnus externus magis enixe adiuuerit rem Romanam, seque diu hoc facturum parauerat in Hispania ignota, alienaque sibi patria: cum autem hoc fieri non valuerit, se id in Africa, ac propria patria facturum, quoniam si Romani eundem Scipionem in Africam mittant, non est dubium, sperare posse, se breui illam adepturos. Lælius enim vidit eum Scipio, audiuitque, cum caput rerum in omni hostiū equitatu Masinissam sciret: qui & iuuenis erat, & decorem

præ se ferebat. Fide igitur data receptaque, Scipio regressus est Tarraconam. Maximissima vero permisso Scipionis, ne sine causa traiecit se videretur, depopulans vicinos agros Gades rediit.

Mago Pœnorum Dux a Gadibus ad minorem Balearium insulam cum classe hybernaturus venit.

MAGO igitur desperatis in Hispania rebus, quoniam eum spes se fellerat, quam primum in militari seditione concipiēs, in defectione Indibilis ac Ilergetum posuerat (quæ duo eius animi diu sustinuerāt) 10 dum pararet classem in Africam traicere, nūcium a Carthagine accepit, iubere Senatum, ut classem quam Gadibus haberet, in Italiam traiceret, conducta ibi quanta posset Gallorum ac Ligurum iuuentute, coniungeretque Hannibali, ne sineret senescere bellum maximo impetu ac fortuna cœptum. Ad eam rem maxima pecunia a Carthagine magna adducta est, & ipse quantum potuit a Gaditanis exegit, nō modo publice ab eorum ærariis, sed etiam templis spoliatis, priuatim ab omnibus, eos cogendo ut eorum ærariis, sed etiam publicum conferrent. Qui cum a Gadibus cum classe discessisset, ac præteruheretur ad Hispaniæ oram, non procul a noua Carthagine expositis in terram militibus proximis depopulatur agros, inde ad urbem classem appulit, ibique cum die milites 20 in nauibus tenuisset, nocte in littus exposuit ad eam muri partem qua capta a Romanis noua Carthago fuerat, pro constanti habens, eam urbis partem nullo saltem valido præsidio teneri, & aliquos oppidanorum ad spem nouandi res moturos. Interim nuncii ex agris trepidi simul depopulationem, aggressumque fugam, & hostium aduentum retulerunt. Tum visa est classis, nec sine causa electa ante urbem statione apparuit. armati igitur oppidani instructique ad portam mare versus ac stagnum cōcurrerunt, ubi circumfusi hostes ad muros, tumultu maiore quam vi, subierant, patefactaque repente porta Romani cum clamore erumpunt, turbatosque hostes ad primum incursum cōiectumque telorum vsque ad litus cum multa cæde 30 depersequuntur: & nisi naues littori appulsæ trepidos recepissent, nō superfuisset fugæ aut pugnæ quisquam. In ipsis quoque nauibus trepidatum est, ne hostes cum suis simul in naues irruerent. Retrahunt igitur scalas, anchorasque ne moram nimiam facerent, præcidunt. quorum multi in littore derelicti, ut naues natando assequerentur, incerti præ tenebris quid peterent, aut vitarent, fluctibus obruti sunt. Postero vero die cum classis retro in Oceanum vnde venerat, fugeret, circiter duo millia ac octingenti homines cæsi inter muros littusque reperti sunt. Mago autem in Gades cum classe reuersus excluditur, inde ad Cimbim non longe a Gadibus classe appulsa clauduntur illi portæ, inde ad Pityusam centum pene miliaria amplectens, quam Pœni adhuc obtinebant incolebantque. In ea classis bona cum pace suscepta est, nec modo cōmeatus ab ea benigne præbiti sunt, sed etiam in sup- 40 plementum classis iuuentus armaque data sunt, quorum fiducia Mago in Balearum insulas quinquaginta abinde miliaribus distantes transfretauit. Duæ enim sunt Balearum insulæ, vna maior, quam Maioricam a maiori parte insulæ, ut supra diximus, altera minor, quam a minoritate respectu maioris Minoricam dicunt, armis hominibusque copiosior, ac portum habens pulcherrimum, in quo se hybernaturum sperabat. ad extremum enim autumnus erat. Quum itaque ad maiorem insulam cum ipsa classe transfretasset, cum fundis insulani omnes hostiliter occurrerunt (quo solo armorum genere, sicuti in aduentu Herculis supra narratum est, vtebantur, & inde etiam Balearum dictæ sunt) tantaque vi lapidum appropinquantem 50 classem obruebant, ut introitum portus eis omnino vetuerint. Inde igitur recedentes ad minorem Balearum insulam traiecerunt. In cuius portu locum munientes, sine certamine urbe agroque, & quidem fertili, portiti sunt. in qua tota hyeme residens Mago, duo millia auxiliarium ex eis conscripsit, urbemque ipsam ampliās, & portui, & urbi nomen dedit, Magoque vsque in hodiernum appellantur. Gaditani vero post eius ab Oceano discessum Romanis se dediderunt.

Scipio

Scipio obtenta Hispania Romam reuertitur, atque Consul creatur, ei que Sicilia & Africa assignata sunt.

HIS itaque peractis anno ab orbe condito quarto milleno, & ab urbe condita D. AC XLIII. Scipio obtenta Hispania Romam rediit, & iterum Consul creatur, & multis in Senatu contradicentibus Sicilia illi prouincia decreta est, & insuper Africa Romanis armis aggredienda. Magnus itaque Romæ apparatus fit ad bellum in Africam transferendum, Scipioque traicere exercitum in Siciliam, & inde in Africam parat. Sed quoniam hæc ad Hispaniam pertinere non videntur, illa prætermitto, de quibus satis abundeque Romanis scriptores meminerunt. Nos autem de nostris videamus.

Mago Amilcaris filius a portu & urbe Magone minoris insule Balearum exercitum Genuam traiecit, & urbem vi cepit, Indibilisque defectio ac pugna.

MAGO igitur cum hybernasset (ut diximus) in minori insula Balearium, sequenti vere anno ab orbe condito quarto milleno nongentesimo, decimotertio, & ab urbe condita DCLIII. ex ipsa minore insula Balearium iuuentute lecta, & in classem imposita, in Italiam triginta rostrata nauibus & multis onerariis duodecim millia peditum duoque ferme equitum traiecit, Genuamque nullis præsidii maritimam oram tutantibus repente aduentu cepit. In Hispania denuo bellum exortum est consentiente Indibili, ac iterum rebellante nullam aliam ob causam, nisi propter admirationem virtutum, Scipionemque solum militari peritia clarum putabat superfuisse Romanis, cæteris omnibus ab Hannibale interfectis. Contēnens itaque reliquos, intra paucos dies concitatis finitimis populis ad Hispaniam liberandam, triginta millia peditum & quatuor ferme equitum in Sedetanum agrum cōgregauit. Romani quoque imperatores L. Lentulus & L. Manlius exercitum contra Indibilem 30 duxerunt: & commissa pugna tandem cum vidissent turbatos hostium ordines, trepidantesque atque fluctuantia signa, hortantur milites, ut percussos inuadant, nec restitui aciem patiantur. Neque sustinuisent impetum Hispani, nisi Indibilis ipse cum equitibus pedes digressus ante prima signa peditum se obieciisset. ibi enim aliquādiu atrox pugna fuit. Tandem postquam ii qui circa regem semimortuum, ac deinde terræ confixum, pugnant, obruti telis occubuerunt, tunc fuga passim cœpta est, pluresque cæsi equites, quia eis conscendēdi equos spatium non dabatur, & quia Romani percussis Hispanis institerunt acriter. nec ante abcessum est, quam a castris hostem penitus expulissent. Tredecim millia Hispanorum eo die cæsa sunt, octingenti vero capti: at Romanorum sociorum paulo amplius quam du- 40 centi, & præcipue in læuo cornu ceciderunt. Pulsi itaque e castris Hispani sunt, & qui ex prælio effugerunt, dispersi primo per agros, inde ad suas ciuitates redierunt. Tum a Mandonio regulo fratre Indibilis ad concilium euocati, conquesti sunt ibi clades suas, valdeque detestari cœperunt auctores belli Indibilem, cæterosque Principes, quorum plarique in acie occidissent. Qui cum legatos ad arma tradēda deditioemque faciendam misissent, responsum est a Romanis imperatoribus, in deditioem ita accipi, si Mandonium cæterosque belli concitatores viuos traderēt: sin aliter facerent, exercitus in agrum Ilergetanum, moxque Ausetanum, & deinceps aliorum populorum se ducturos cum maximo eorum malo. Hæc dicta ubi a 50 legatis renunciata sunt, Mandonius, cæterique principes in concilio comprehensi, traditi sunt Romanis ad supplicium. Sic pax Hispaniæ populis reddita est, stipendium insuper duorum, & frumentum sex mensium imperatum est, & obsides a triginta ferme populis accepti sunt. Ita Hispaniæ rebellantis tumultus magno metu intra paucos dies concitatus & compressus est, & omnis terror in Africam versus.

h

IOANNIS EPISCOPI GERUNDENSIS PARALIPOMENON LIBER
SEXTVS DE IIS QVÆ GESTA SVNT IN HISPANIA, & quomodo Pœnis expulsis vsque ad tempora ciuilibus belli quieuit Hispania a bellis annis fere decem, in quibus Carthago magna capitur a Scipione.

De Lege Oppia.



AMITAQ; a superiori anno, id est ab vrbe condita quingentesimo quadagesimo quarto vsque ad eiusdem annū DLIIII. nil memorabile in Hispania gestū est, sed quieuit a bellis. Quo decennio Scipio in Africam cū exercitu traiectus, Carthaginē vniuersamq; Africam debellauit, ex qua re Africanus est cognominatus. Moxq; exacto tēporis huius curriculo, ciuilibus contentio in vrbe commota est, instātibus mulieribus, vt lex Oppia quæ mulierū ornatū prohibebat, abrogaretur. Tulerant enim eam Marcus Oppius, & Titus Romuleus tribuni populi, Quinto Fabio, & Tito Sēpronio Consulibus, in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plusquam semunciam aurigestaret, neque vestimento diuersi coloris vteretur, neque vehiculo curruque in vrbe oppidove ad mille passus, nisi sacrorum causa vteretur. Tulerūt enim ad plebem de abroganda lege Marcus Fundanius, & Lucius Valerius tribuni populi. Brutus & Titus Iunius legem Oppiam tuebantur, nec etiam abrogari se passuros aiebant. Ad suadendū vero dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum fauentiū aduersantiumque legi complebatur. Matrone nulla nec auctoritate, nec verecundia, nec virorum imperio cōtineri limine poterant. Omnes enim vias vrbis aditumque in forum obsidentes, viros descendentes ad forum orabant, vt florente republica, ac per consequēs crescente in dies etiam priuata, omniumque fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi pateretur. Augebatur hæc mulierum frequentia in dies. nam etiam ex oppidis conciliabulisque conuenerant. Iamque consules & prætores publice rogare audebant, habebant tamen alterum Consulem Marcum Portium Catonem innoxabilem, qui pro tuenda lege publice orationem habuit. Contra vero Lucius Valerius pro rogatione mulierum confutauit Marci Portii Catonis orationem. Vicit itaque mulierum petitio, vt lex abrogaretur. Omnes enim vrbs matronæ & mulieres vna acie in Capitoliū conscendentes rogarunt omnes magistratus ac tribunos. ex qua re tantus fuit mulierum fauor, quod omnes pariter iudicauerunt legem Oppiam esse abrogandam, quæ vicefimo, postquam lata fuerat, anno abrogata est.

Marcus Portius Cato Consul cum exercitu in Hispaniam venit.

POSTQVAM igitur lex Oppia abrogata est anno ab orbe condito quinto milleno tertio, & ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo quarto, Lucio Valerio Flacco, & Marco Portio Catone Consulibus, idem Marcus Portius Cato cum exercitu ad Lunæ portum cum quinque ac viginti nauibus venit. Deinde nauibus omnis generis hinc inde contractis proficiscens, edixit vt ad portum Pyrenæi omnes sequerentur, indeque ad vrbe Rhodam ventum est. Hæc enim vrbs in Gerundensi erat dicecesi, cui nunc præsidemus, & a sexcentis annis Episcopos habuit. quæ vrbs iuxta Claudii Ptolemæi descriptionem non longe a Pyrenæo distabat, sita ad littus maris portu a vulgo vocato Lalena, quæ omnino deleta est: extat tamen in ipso vertice montis cœnobium,

nobium, quod sancti Petri de Rhodis accolæ dicunt ab ipsa vrbe Rhoda. Erat autem in ipsa vrbe arx quam Hispani tenebant. eam itaque vi expugnatam Cato cepit. Indeque secundo vento Emporias vrbe a Rhoda non longe distantem venit, quæ in tres diuisa erat. Primam enim mari vndique circumdatā tenebant Græci, qui a Phocensibus, vnde Massilienses, ortum habuerant, de quorum origine Iustinus post Trogum Pompeium late diseruit, quod Græcum oppidum pene mare hinc inde cingebat, cuius muri quadringentorum passuum spatio protendebatur. Secundam Hispani tenebant, cuius trium milliariū spatium muri amplectebantur, quæ distans a mari milliario prope vno magnum Hispanorū ferocissimorumque virorum numerum continebat. Tertiam vrbe oppidumque incolebant Romani ad littus maris quod Oceanum respicit. Hanc itaq; tertiam refert Zozomenus Pistoriensis historicus Iulium condidisse, postquam deuicit in Hispania Pompeii liberos: quoniam cum primum a Gerunda Sextum Pompeium fugasset, inde etiam vsque ad Ilerdam venit. Postquam Brutus eum apud Mundam vrbe (quæ nunc Colimbrium dicitur) in Portugallia victum interfecisset, Iulius Cæsar oppidum ex Romanis, Italicis, qui primum (vt opinor) cū Cornelio Scipione venerant, construxit, coloniamque Romanorum effecit. Sicque enim Emporiū vrbs in tria oppida diuisa diuersis linguis voluntatibusque consistebat. Per eadem enim tempora rebellarat citerior Hispania omnis, ac Romanum oppidum quod apud Emporias erat, vi occuparat. Ad hanc igitur rebellionem perdomandam Cato Consul in Hispaniam venerat. Græcorum vero oppidum non modo non est rebellionem secutum, verum seruata Romanorum fide seruatum legimus. Accurata enim disciplina (quæ potissimum, vbi metus accidit, seruatur) eos eatenus conseruarat. partem enim murorum ad Hispanos versam optime munitam habebat, vna tantū porta ad eam regionem vtebantur, in qua semper alter ex magistratibus vrbs præsidebat. Noctē vero qualibet tertia ciuium pars in muris excubabat, tanquam si hostis ad portam esset, & seruabant vigilias semper, & circuibant ciuitatem diligētī cura, Hispanum neminem intra vrbe recipiebant, nec ipsi temere ab vrbe exibant. Ad mare enim patebat omnibus exitus ad portam ad Hispanorum oppidum versam, a qua non nisi frequentes egrediebantur. Causa vero exeundi tantum erat commercium cum Hispanis. Hispani enim tanquam maris imprudentes in expertique mercari gaudebant, vt ex iis quæ mari afferebantur, haberent, suosq; fructus illis venderent. Huius igitur desiderii causa Hispana vrbs Græcis patebat. Sic Græcum Emporiæ oppidum seruatum est. Erantque eo tutiores, quod sub specie Romanæ amicitie tutabantur, quam sicut Massilienses, a quibus descenderant, minoribus licet viribus, pari tamen colebant fide. Sic cōsulem Catonem ad eam declinantem comiter ac benigne susceperunt: paucosque dies ibi moratus est, dum explorare cepit, vbi, & quantæ hostium copie essent. Vnde ne mora ipsa inutilis esset, omne id tempus exercendis militibus consumpsit. erat enim tempus, quo frumentum in horreis coaceruatur. Redemptoribus itaque vetitis ne frumentum exportarent, vrbe Græca eidem repleta ad bellum se parat, ac profectus ab Emporiæ agros hostium vrit vastatque, omnia fuga & terrore complens. Qui cum castra nō longe ab Emporiis in agro qui est inter medios fines Gerundæ vrbs & Emporiæ, posuisset, cum hostibus qui ex reliqua Hispania confluxerant, conseruit prælium: quos deuictos cæcidit, ac dissipauit. qui exuti castris, signa armaque abiicientes vsque ad vicinorum oppidorum portas fugantur, in quibus ipsi Hispani suo se agmine ac pressura perimebant, cædentibus Romanis a tergo, ac eos comprimētib; quorum castra omnia Romani diripuerunt. Refert Valerius Antias historicus eo die supra quadraginta millia Hispanorum caesa. Cato vero ipse gesta sua cōscribens, detractor laudum suarum, multa millia hominum ait se interemisse, sed numerum non expressit. Nihil denique a victoria cessatum est. Quum enim receptui signum datum esset, suosque spoliis onustos ad castra reduxisset, paucis horis noctis ad quietem datis, ad prædandum in agros hostium sparsos reduxit ad comprehendendum hostes hinc inde sine ordine fugientes. quæ res non minus quam pugna prioris dici Emporitanos, Hispanos, accolæque eorum in deditiōem cō-

pulit. Sic Cato urbem Emporiam Hispanorum obtinuit deditioe recepta, ex aliisque vicinis urbibus eos qui Emporiam profugerant, Cato benigne ad se vocatos in sua quenque dimisit. Inde castra mouit, ac itinere recto per Gerundam Barchinonamq; Tarraconam peruenit. Interim ad quemcumq; locum Cato cum exercitu applicuisset, occurrebant vndiq; legati ciuitatum se illi dediturum. Ita per Cato nem omnis cis Iberum Hispania perdomita, & Romano nomini restituta est. Capriuiq; non modo Romani, sed etiam sociorum & Latini nominis variis casibus in Hispania oppressi, ad domum Consulis ducebantur. Fama deinde vulgatur, Consulem velle in Turditaniam proficisci cum exercitu, & inde ad deuos montanos esse venturum: quem rumorem falso vulgus iactauit. quam ob causam ciuitates se-
10 ptem cis Iberum, & castella plurima defecerunt, ad easque deducto exercitu in potestatem redegit, quas cum pacatas reliquisset, ac Tarraconam reuertisset, iterum rebellauerunt. quas iterum subiugauit: & ne pari indulgentia relinquerentur, eos iussit venundari, & redigi in seruitutem, atq; quaestori, vt venundarentur, traditi sunt.

Rebellio Turditanorum & provincia cis Iberum, propter quam illis arma adempta sunt.

RE quoniam Turditani interim rebellauerant, qui sunt incolę maritimę orę Bætis fluminis, & per Mediterraneum vsque Castulonem, vt supra factis declarauimus (hęc enim gens præ ceteris Hispanis imbellis erat, & armis insueta) audita rebellione Publius Manlius qui Q. Minutio successerat, accepto veteri exercitu Romano ab eodem Q. Minutio, adiunxerunt Appio Claudio Nerone, ex vltiore Hispania cum exercitu in Turditaniam proficiscuntur. Turditani igitur audito Romanorum aduentu, freti sua multitudine ire obuiam Romanis parant: quumq; ipsis Romanis occurrissent, equites Romani in agmen Turditanorum immissi statim eos turbauerunt, atque in fugam conuersos plurimos simul & ceperunt, & trucidarunt. Nec prælio locus fuit, sed in prædam & fugam prælium conuersum est. Quumque Romani indubitata victoriam obtinuissent, neq; ob id Turduli paruerunt, sed conductis decem millibus Celtiberorum, alienis auxiliis bellum parant. Interea Catoni consuli in Turditaniam properanti nunciatum est rebellasse Bargustanos, quę gens ea est quę inter Valentiam & Carthaginem Spartariam, siue nouam Carthaginem sita est. ipseq; consul ratus ceteras Hispaniæ vrbes itidem facturas, si non provide-
20 retur, omnibus Hispaniæ urbibus quę cis Iberum erant, arma ademit. quam rem adeo provinciales egre passi sunt, vt multi ex eis mortem sibi intulerint (gens siquidem ferox, vt ab antiquis scriptoribus traditum est, nullam vitam sine armis esse arbitrantur) quod vbi Consuli nunciatum esset, Senatores omnium urbium ad se euocari iussit, quibus in hanc sententiam verba fecit: Nō quidem nostrum, nec vestrum interest rebellare, multoque maiore malo vestro id quam Romanorum sit a vobis. Verum vno modo fieri posse video, vt vltius nō rebelletis, voloq; id quam
40 mollissima via consequi, vos quoq; me adiuuare debetis. nullum enim consilium libentius sequar, quam quod vosmet ipsi attuleritis: tacentibusque omnibus tempus respondendi dixit. Quumque acciti secundo consilio tacuissent, vno die muri omnium illarum urbium Catonis edicto disrupti sunt. Ad eosque deinde omnes qui nec sic parebant, cum exercitu profectus est: ita in quancunque regionem veniebat, omnes sese debebant: Sygestam tantum grauem & opulentam ciuitatem vi cepit. Deinde Lacetanos (qui hodie Barchinonensis ager dicuntur) in deditio-
50 nem recepit. Inde victor ad Regium castrum castra direxit, quod receptaculum prædonum erat. inde enim excursions in agros pacatę provinciæ fiebant. Transfugit interea Princeps Largustanus, & purgare se ac populares suos coepit, dicens non esse in manu ipsius prædones expellere, castrumque illud suę potestatis non esse. cum Consul domū redire iussit, postquam cum eo ordinasset, vt quamprimū secum exercitum castrum muros subire cerneret, intentosque prædones ad tuenda moenia, ipse cum suę factionis hominibus eniteretur arcem occupare. Id, vt præceperat, factum repente est, hinc muros ascendentibus Romanis, illinc arce capta.

Cato

Cato eos qui arcem obtinuerant, cum cognatis suisq; omnibus liberos esse iussit, omniaque sua habere. Largustanus ceteros Quaestori, vt venderet, imperauit: de prædonibus vero supplicium sumpsit. Ex ferrariis argentariisque fabris, a quibus prouincia locupletior fiebat, consilio expectato vsque in diem tertium, nihil supplicii sumens, eos conuenienti modo disposuit. Postmodum vero sequentibus duobus annis, anno videlicet ab orbe condito quinto milleno quinto, & ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo sexto, Caius Flaminius in citeriori Hispania bella gessit, & Lunam in Oretanis cepit. Inde exercitum ad hibernandum ad Iberum amnem adduxit, & per hyemem bella aliquot gessit, vario euentu, non tamen memoratu digno, quia potius aduersus incursions latronum quam hostium pugnatum est. Multo maiores res fuisse Marci Fuluii, qui apud Toletum oppidum cum Vaccæis, Veetonibus, Celtiberisque signis collatis dimicauit, earumque gentium exercitum fudit, atque Ibernum Regem viuum in prælio cepit.

Prælium Heluii cum Celtiberis.

IN Terea Heluius missus a Publio Claudio prætor ex vltiore Hispania cum exercitu sex millium occurrit, vt Catoni Consul iugeretur. Quo audito Celtiberi intercidere viam Heluioparant, atque ad oppidum Illiturgum occurrentes cum viginti millibus armatorum, prælium cum Heluiio fecerunt. in quo (vt refert Valerius Antias) eo die duodecim millia Hispanorum ceciderunt, indeque Romani ad oppidum Illiturgum occurrentes, quod receptum hostibus præbuerat, puberes omnes ipsius oppidi Romani interfecerunt, ac deinde Heluius ad castra. Catonis peruenit. Et quia iam ab hostibus tuta regio erat, præsidio in vltiorem Hispaniam remisso, Cato Romam rediit, & ob rem feliciter gestam urbem triumphans intrauit. At tamen de triumpho sibi concedendo fuit aliquantisper disputatum. Atiebant enim qui sibi triumphū negari dicebant, quod fortuito casu, & nō in propria, sed aliena prouincia pugnasset. Vicit tamen sententia, vt decerneretur triumphus. Magnūque argenti pondus attulit, & in ærarium vrbis misit.

Capitur Toletum parua vrbs, & Oliba, quę nunc Oliba dicitur, & oppidum Lycabrum, ac Rex Corbilio.

SE quentis vero anno, videlicet ab orbe condito quinto milleno sexto, & ab vrbe condita DLVII. Caius Flaminius oppidum Lycabrum multum vineisq; refertissimum expugnauit, ac regem Corbilionem viuum cepit, & Marcus Fuluius Proconsul cum duobus exercitibus hostium duo prælia fecit, oppidaque duo cepit, Vesceliam & Eleonam (quę nunc Legio corrupto vocabulo dicitur) & castella multa expugnauit. Ad eundem de alia voluntate defecerunt qui Nauarrę confinia tenent. Progressus vero duobus potitur oppidis, Oliba (quod hodie Oletum dicitur) & altero eius vicino: indeque pergit ad Tagum amnem, Toletumque, quę parua vrbs erat, sed tamen munita, oppugnatur. Quumque eam oppugnaret, Vaccæorum, Veetonum, Celtiberorumque magnus exercitus Toletanis subsidio venit. Cum his igitur signis collatis prospere pugnauit, quibus fufis Toletum cepit.

Lucius AEmilius Paulus contra Lusitanos tumultuario exercitu pugnat.

QU VM anno ab orbe condito quinto milleno decimo, & ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo primo Romani Lucium Belum Prætorem in Hispaniam missent cum exercitu, in Liguria (quę terra Genuensium ac vicinarum est urbium) a Liguribus circumseptus magnam exercitus partem amisit, ipse cum paucis vulneratus aufugit, Massiliamque perue-

h ij

nit, vbi spatium trium dierum expirauit. Quod vbi Romæ nunciatum est per legatos, decreuit Senatus, vt Publius Mumius Brutus, qui cum exercitu in Tuscia erat, diuiso exercitu, cui vellet ex legatis, ipse in vltiorem Hispaniam iret, eaque provincia illi cederet. Hocque quum egisset Brutus, per antea Lucius Æmilius Paulus (qui postea vir maximus fuit, & Perseum Macedoniae Regem maxima cum gloria cepit, & Macedonicus appellatus est) iam virtutis sue prælagium faciens tumultuario exercitu coadunato, signis collatis cum Lusitanis pugnavit, & ab eo fufis atque fugatis, octodecim millia armatorum ab eo cæsa sunt, & tria millia capta.

Publius Catinus Prætor in Hispania moritur ex vulnere.



INDE secundo post anno, videlicet ab orbe condito quinto milleno duodecimo, & ab vrbe condita ccccclxiii. Caius Catinus per biennium ante Prætor cum Lusitanis in agro Astensi signis collatis pugnavit. in qua pugna Hispanorum sex millia cæsa sunt, cæteri vero fugati fusi que sunt. Inde ad Astam urbem oppugnandam exercitum duxit, quam non longe minori vi cepit, sed dum incautus muros subiret, ictus ex vulnere paucos post dies moritur. Statimque Senatusconsultum Calphurnium Prætozem, ac successorem misit, ne provincia sine imperio esset. Per eadē tempora P. Manlius Acinius, qui eodem tempore, quo C. Catinus, in provincia erat, cum Celtiberis acie conflixit, & tandem incerta victoria discessum est, nisi quod Celtiberi nocte proxima mouerunt castra. Quæ res Romanis, & suos sepeliendi, & spolia legendi ex hostibus potestatem fecit. Paucos post dies Celtiberi maiore coacto exercitu Romanos ad Calagurum oppidum lacesserunt. Neque traditur, quibus auxiliis Celtiberi firmiores potentioresque facti fuerint. Tandem inito certamine duodecim millia cæsa, & plus quam duo millia capta ex eis referuntur, & Romani Celtiberorum castris potiti sunt. Post hæc quum Calphurnius applicuisset, Prætores ambo exercitum ad hyberna redixerunt. Duobus vero post annis, videlicet anno ab orbe condito quinto milleno decimo quarto, & ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo quinto, quum Lucio Manlio successisset in prætoriam dignitate Lucius Quintus, & Caius Calphurnius, primo vere ambo Prætores pariter in castra prodierunt, in Carpetaniamque vbi hostium castra erant, progressi, iunctis copiis, communi animo consilioque rem gesserunt. Quum enim non longe a Tolero inter pabulatores pugna exorta esset, dum iis vtrinque subuenitur, a castris paulatim omnes copiarum in aciem adductæ sunt. in eo enim tumultuario certamine, & loca sua, & genus pugnae pro Hispanis fuere. Nam Romani duo exercitus fusi, atque in castra compulsi sunt, vbi non perstiterunt Romani Prætores, hæ postero die castra oppugnantur. In silentio igitur proxima noctis tacito signo tubæ exercitum abduxerunt. Luce itaque prima Hispani acie instructa ad vallum accesserunt, vacuaque castra præter spem ingressi, quæ relicta inuenerunt inter nocturnam trepidationem, diripuerunt, regressique in castra sua, paucos dies quieti ibi manserunt. Romanorum atque sociorum in hac pugna ad quinque millia occisa sunt, quorum spoliis Hispani se armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti sunt. Interea Prætores Romani omne tempus in cōtrahendis ex ciuitatibus Hispanorum sociis, reficiendisque auxiliis dederunt. Vbi vero satis virium conduxisse visum est, excitatis militum animis ad delendum priorem ignominiam se preparant, profecti itaque cum toto exercitu ad duodecim miliaria a Tago flumine castra posuerunt. In de tertia vigilia sublati signis ad Tagi ripam peruenerunt: trans fluium enim in colle castra hostium erant. Deinde ab omnibus clamor & pugna incipit. Romani fundunt sternuntque Hispanos, perculsosque metu ac fugientes in castra persequuntur, immixtique turbæ hostium intra vallum penetrauerunt. vbi ab Hispanis in præsidio castrorum relictis prælium instauratur: cogunturque Romani equites ex equis descendere. Dimicantibus his, legio quinta Romanorum superuenit, aliqueque, vt quæque poterant, copiarum affluebant. Tum cæduntur passim Hispani per tota castra, nec plures

plures quam quatuor millia hominum effugerunt. Ex quibus tria millia fere qui arma retinuerunt, montem propinquum ceperunt, mille vero semiermes per agros vagi, palantesque fugerunt. supra enim quinque ac triginta hominum millia fuerunt, ex quibus tam exigua pars pugnae superfuit. Cruentæ maxime victoriæ causam tribuit subita castrorum inuasio, ex qua Hispani aggressi non habuerunt spacium sua communiendi castra. Ex Romanis tantum centum ac duo & triginta ceciderunt, ex sociis paulo plus quam sexcenti, & ex provincialibus auxiliis centum fere quinquaginta ceciderunt, tribuni militum quinque amissi, & pauci equites Romani. Postero die laudati donatique sunt milites a Caio Calphurnio, qui pronunciauit eorum opera maxime hostes fufos, expugnata castra, & signa capta esse. Quintus alter Prætor suos itidem milites donis affecit, & centuriones maxime, qui in vtroque exercitu mediam aciem tenebant.

Prælium 2. Fuluii Flacci cum Celtiberis.



IN ceteriore Hispania magnum bellum exortum est sexto post anno, quam superiora gesta sunt, anno ab orbe condito quinto milleno decimo octauo, & ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo nono. Celtiberi enim comparauerant quinque ac triginta hominum millia, quantum nunquam antea coadunauerant. Quintus enim Fuluius Flaccus provinciam obtinens, quum armari iuuentutem Celtiberorum audisset, & ipse quantum poterat auxilia a sociis contraxit, sed tamen hostem non æquabat numero militum. ac deinde pugna ab vtriusque cepta est, in qua tria & viginti millia Celtiberorum eo die cæsa sunt, quatuor millia & septingenti capti cum equis plus quam quingentis, & signa militaria octingenta septem. Magna quidem fuit Romanorum victoria, non tamen sine cruore. Ex Romanis enim militibus ex duabus legionibus paulo plus quam ducenti superfuerunt, sociorum Latini nominis octingenti ac triginta, externorum auxiliorum mille ferme & quadringenta ceciderunt. Prætor igitur victorem exercitum in castra reduxit: Attilius tamen manere in castris a Romanis captis iussus est. Postero die spolia de hostibus lecta sunt, & pro conditione donati sunt omnes quorum insignis virtus fuerat. Saucis vulneratisque in Eburum oppidum missis per Carpetaniam ad urbem Cantabriam (quæ hodie Santroniogo appellatur) inde ductæ sunt legiones, vrbeque circumfessa, quum a Celtiberis auxilia postulassent, morantibus iis, non quia auxilia dare renuerent, sed quia adeo inexplicabiles pluuia imbresque ceciderunt, & amnes intumuerunt, vt subueniendi illis potestatem impedirent, ab auxilio suorum desperati ciues in deditiōem venerunt. Flaccus vero tempestatibus scedis coactus, exercitum omnem in urbem introduxit. Celtiberi demum deditiōis ignari, vbi primum viæ aditum viderunt, imbresque cessarunt, Cantabriam cum auxiliariis copiis venerunt, ibique nulla castra extra moenia videntes, alioque hostem commigrasse credentes, negligenter ad oppidum peruenerunt. In eos itaque Romani patefactis duabus portis eruptionem fecerunt, in compositoque aggressi fuderunt, & ex Celtiberis tandem duodecim millia cæsa sunt, & capti plus quam quinque millia, equi quadringenti, signa militaria sexaginta duo: cæteri vero per vicos & castella sua dilapsi sunt. Deinde Flaccus a Cantabria profectus per Celtiberiam legiones duxit, multa castella expugnando. Sic maxima pars Celtiberorum in deditiōem venit. Hæc in ceteriore Hispania gesta sunt.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON LIBER SEPTIMVS DE TERTIO PVNICO BELLO.

Quomodo Scipio Cornelius AEmilianus Carthaginem ac Numantiam euerit.



DOSTEA vero quam supradicta gesta sunt, exacti sunt anni tres ac triginta, quibus nihil memorabile de Hispania scriptu comperio. Post quod tempus, quum euersa Carthago esset per Scipionem Cornelium AEmilianum, iterum bella surrexerunt, qui Consul eam deleuit anno ab orbe condito quinto milleno ccccccii, & ab vrbe condita dccii. ex cuius euerfione Africanus appellatus est, qui quidem fuit nepos alterius Publii Scipionis, qui eandem urbem primo subiugauerat. Hic enim adoptatus est filius a Scipione filio Scipionis Africani maioris, qui uxorem habuerat AEmiliam Lucii Pauli AEmilii filiam, quæ fratrem habuit Paulum AEmilium, qui Perseum Macedoniæ Regem & ipsam Macedoniam subiugauit, qui paulus AEmilius duos filios habuit ex priori coniuge Papyria Nafonis viri cõsulatis filia, quæ licet illi prolem nobilissimam genuisset ipsos duos filios, tamẽ ab eodem paulo AEmilio repudiata est. Post eius diuortium aliam duxit uxorem, ex qua dum alios duos genuisset filios, tamẽ priores duos aliis duabus maximis nobilissimisque familiis per adoptionem insetuit, quorum maior a Fabio Maximo quinquies cõsule, & Scipio minor a Scipione filio maioris Africani adoptati sunt, videlicet a Publio Scipione alterius Publii Scipionis filio: & quod AEmilius Papyriam repudiauerit, non traditur ab autoribus. Sed quum a multis consanguineis, & amicis impeteretur dicentibus, Nonne hæc pulchra est? nonne honesta? nonne fœcunda? quibus ille calceum porrexit in medium dicens, Nonne pulcher hic calceus? nonne nouus? sed tamen nemo vestitum vider, qua ex parte me premat. Hic igitur Scipio Pauli AEmilii filius naturalis a Publio Scipione Africani maioris filio adoptatus, Scipio AEmilianus appellatus est, & quia vltimo Carthaginem funditus euerit, etiam Africanus appellatus est. Hic, quum Carthaginenses contra fœdus initu arma sumpserunt, Consul creatus est ad eam euertendam. De qua euertenda quum pluries in Senatu cõtrouersa haberetur, Cato censebat eam euertendam: Scipio vero Nasica Pontifex eam seruandam esse censebat, prædicens illius ruinam interitum vrbi minari, quia non stantibus vrbi æmulis ac hostibus, facile vrbs in multa vitia laberetur. Vicit tamen Catonis sententia, vt deleteretur. Scipio igitur AEmilianus ad eandem euertendam Consul creatus est. Quam tandem quum funditus euertisset, post diuturnum bellum (de quo apud plerosque autores de tertio bello Punico agitur historia) in urbem rediit.

De Viriato Hispanorum Duce.

INTEREA in Hispania Romanis res non prospere successerant. surrexerat enim per eadem tempora Viriatus quidam Hispanus ex Lusitania (de quo Cicero in secundo Officiorum mentionem fecit) qui primum pastor fuerat, inde latro: & quum latronum copias coadunasset, vias primum inuadere, ac deinde prouincias vastare cepit, postmodum vero etiam Prætorum exercitus superare, & in fugam vertere, adeo vt magnum terrorem Romanis intulerit. Huic primum Caius occurrit, ac eius exercitum pene profligauit. Deinde idem Viriatus Caium Plantium multis præliis victum fugauit, & ipse Prætor cum paucis euasit, ac denuo quum Claudius Numidianus cum magno belli apparatu, quasi ad delendam superiorum Prætorum infamiam, a Senatu missus cum Viriato congressus esset, pene vniuersas quas secum adduxerat, copias Romanorum amisit. Viriatus deinde tot ex Romanis ducibus victoriis habitis

bitis trabeas, falces, cæteraque insignia Romana, in suis montibus trophæa, quasi de Romanis triumphans, præfixit. ita minus prospere aliquandiu in Hispania belatum est a Romanis, adeoque confusæ res videbantur, vt vix aliqui reperirentur, qui aut tribunatum in Hispania suscipere vellent, aut legationis munere fungi. Tū Scipio Cornelius AEmilianus in medium processit, seque accepturum quodcumque militiæ genus imperatum fuisset, professus est: quo exemplo omnes ad studiū militandi cõcitauit. Per antea enim in vltiori Hispania Lepidus Proconsul Vaccæam gentem (quæ in Castellæ confiniis ad Nauarram spectat) quæ gens innoxia fuerat ac simplex, prohibete Senatu expugnare tentauit. Vnde tam memoris audaciæ pœnas luit. nam ab eis prælio victus, sex millia Romanorum amisit, atque exustis castris vix cum paucis fuga euasit. Isto etiam tempore Caius Mancinus apud Numantiam infelicissime bellauit, pro vt infra dicetur. Interea mittitur contra Viriatum Brutus Consul, qui eum pugnando vicit, & in fugam vertit, ac Laconiam oppidum quod idem Viriatus cum suis obsederat, liberauit. Post cuius fugam Viriatus a suis dolo interfectus est, cuius interfectores quum a Romanis præmium postulassent, indigni præmio iudicati sunt, ex eo quod eorum ducem dolo interfecissent.

Brutus vniuersam Galleciam occupat.

BRUTVS itaque post Viriati interitum per totam vagatus Hispaniam vsque ad Oceanum peruenit, quadragintaque millia Gallorum & Græcorum, qui Viriato & suis auxilium præbuerant, atrocissima pugna deleuit. ob quam victoriam vniuersæ Galliciæ populos in deditioem recepit. Hæc quæ dicta sunt de Viriato, & Bruto, cæterisque Romanorum ducibus a Viriato deuictis, acciderunt anno ab vrbe condita sexcentesimo nono.

De Numantia vrbe quæ fuit quondam Hispaniæ decus, & eius situ.

RAT in Hispania citeriore vrbs nobilissima, Hispaniæ decus, vltima Celtiberorum, inter vltimos fines Galliciæ, Cantabriæ, Vaccæorum. De cuius situ hæsitatur a multis: quoniam Pomponius Mela libro secundo dixit illam esse Cæsaraugustam, & Rodericus Toletanus dicit esse Zamoriam: ego vero testimonia antiquorum adducam ad illius situm comprobandum. Vnde Lucii Annei Flori in secundo libro Epitomatum Titi Liuii verba audiamus, quæ sunt hæc: Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, & Corinthi opibus inferior, tantum virtutis nomine & honore par, simulque si viros existimes Hispaniæ decus: quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed sæuius aliquanto perculit, pudendisque vulneribus affecit. Ex his enim constat Numantiam in Celtiberia conditam. Hoc idem de eius situ meminit Claudius Ptolemæus in sua cosmographia, & Strabo de situ orbis libro tertio sic ait: Sunt & Lusones qui ad ortum spectantes, & ipsi ad Tagi fontes pertinent. oppidum est Areuacorum Segida, & Pallantia, Numantia, quæ ab Augusta Cæsarea (cuius super Iberum situm esse diximus) abest ad stadia octingenta. Ad hanc itaque expugnadam fuerat decretus Consul Caius Mancinus, qui quum exercitum apud Numantiam suscepisset, adeo cuncta prælia infeliciter gessit, vt in supremam desperationem redactus, fœdus cum Numantinis componere coactus sit, quod Senatui populoque Romano molestum ac irritum fuit. quo non acceptato Mancinum tam turpis fœderis autorem nudato corpore, ac manibus post tergum ligatis ante Numantinorum portam iusserunt exponi, ibique vsque ad noctem manens, a suis derelictus, & ab hostibus non receptus, vtrisque miserandum spectaculum præbuit. Videtur autem quod Scipio AEmilianus Africanus qui per hoc tempus potes in republica habebatur, & Tiberius Gracchus qui cum Mancino quæstor erat, ad salutem profuerunt. Sed nihilominus aduersus Scipionem querelæ iactabatur, quod nõ etiã Caium Mancinũ seruasset.

Numantia vrbs, Hispania decus, igne crematur a ciuibus suis.

DELETA itaque Carthagine a Scipione Æmiliano qui Consul erat iam creatus, Senatus circumspecta infamia, qua iam diu Romani in Hispania militauerant, Scipionem Æmilianum qui secundo Africanus cognominatus est, in Hispaniam, maxime aduersus Numantinos mittere decreuit. Quumque profectus esset, primo infelicitissimos insolentissimosque Numantinorum animos, superiorum Romanorum ducum culpa auctos, contundere curauit. Sed quum reperisset exercitus voluptatibus omnibus ante eius aduentum occupatos atque corruptos, non magis cum hostibus, quam cum Romanis militibus pugna fuit. Præcepit enim, ut omnia quæ ad voluptatem atque lasciuiam aderant, de castris abicerentur, & cõfestim scortorum multitudo de castris amota est. itaque coquorum & scortorum ultra duo millia expulsi, adire culinas & tabernas inhibuit, atque iumenta exonerantia fessos venundari iussit, militemque cotidiano labore exercuit: & sic a turpi libidine purgatus est exercitus, nam tantæ est exercitus virtutis, quantæ imperator. Igitur Scipio non ilico cum hostibus pugnavit, ut quasi incautos circunueniret, sciens nunquam Numantinos ociofos, sed iugiter ad bella paratos ac expeditos. Vnde milites suos in castris tanquam tyrones exercuit in ludis, & sic totam æstatem hyememque sine pugna transegit, ac deinde redactis, siue exercitato exercitu, ad prælium cum Numantinis descendit. Sed Numantini imperu factio iam Romanos cædebant, & vertebant in fugam, nisi Scipio fugientes vi coactos ad pugnam redire coegisset. Ac tandem cum difficultate maxima Romani fugassent Numantinos, Scipio Numantiam urbem fossa & obsidione circundedit. Numantini itaque sic obsessi, ac fame coacti, ad vltimum humanis carnibus vescentes, de ditionem postremo Scipioni obtulerunt, si tolerabilia & humana iuberet. Quæ postquam a Scipione repudiata sunt, pugnam Numantini perierunt, ut saltem, non ut pecudes, sed ut homines trucidarentur. Quod etiam quum a Scipione negatum esset, Numantini primum vino calefacti cõfestim duabus portis erumpunt, & contra Romanos acriter insurgunt. atrox diu certamen fuit: & fortasse Romani cecidissent, nisi Scipionis virtus affuisset. Numantini igitur sic certantes, non tamen tanquam fugientes, in urbem reuertuntur, suorumque corpora a Scipione oblata recipere noluerunt. Postremo de salute desperantes, ne in Romanorum ditionem venirent, clausis ianuis vrbs, totam ciuitatem igne consumpserunt, ipsique pariter vel igne, vel ferro, venenoque mortem oppetierunt. Et sic Romani nulla de Numantinis spolia reportarunt. Nec vnum solum Numantinum victum in triumpho suo adduxit, nec etiam aurum, argentum, arma, atque vestes, quæ omnia ignis cõsumperat, sed tantum de nomine triumphatum est. Numantinum enim victoris catena non tenuit.

Mors Scipionis Æmiliani.

OST deletas vero vrbes, Carthaginem scilicet, ac Numantiam in Hispania, Scipio Æmilianus Africanus cognominatus quum in urbem rediisset, & graues inter eum, & Caium Gracchum, ceterosque Gracchos discordiæ ac simulates successissent, quadam die quum fortis validusque se domum recepisset, mortuus nocte in cubiculo repertus est. Suspecta de ea re fuit vxor Sempronia, tanquam illi ministrasset venenum, & hoc ex eo creditum est, quum præfata vxor soror Gracchorum fuerit: de morte tamen eius nulla quæstio facta est. Post cuius mortem multum ciuiles contentiones exarserunt, quo viuente tanta erat eius autoritas apud Romanos, ut nullo pacto sociale ac ciuile bellum oriri posse crederetur. Pro huius autem Scipionis morte Tullius librum de Amicitia composuit, in quo introducit Lælium cum Mutio Scæuola, & Fannio generibus suis de amicitia disputantem.

IOANNIS

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON

LIBER OCTAVVS DE GESTIS IN
ciuili bello inter Marium & Syllam.

De origine Caii Marii & eius moribus.

IN superiori hucusque libro actum est de iis quæ gesta sunt in Hispania a Romanis post Pœnos eiectiones a prouincia vsque ad tempora ciuilis belli, quæ duo fuerunt, Marii videlicet ac Syllæ, & secundo Cæsaris & Pompeii. Et quoniam alterum ab altero dependet, de eorum initiis aliquid nobis dicendum est. Quoniã eorum strages non modo urbem, sed vniuersum quoque orbem infecerunt, diuersisque cladibus impleuerunt. Cæperat enim & perantea ciuiles contentiones in vrbe, quæ eã cruentis cædibus maculauerat, a Gracchi initium fumentes ob leges Agrarias. Tulerant enim Gracchi, ut agri inter plebem diuiderentur, quos nobilitas perpetam possidebat. cuius rei contentio multos necauit viros illustres in vrbe, inter quos fuit Lucius ille egregius Consul Scipio Æmilianus. qui quum Tito & Graccho aduersaretur, nocte sanus dormiens mane in lecto defunctus est compertus, & creditum est, quod vxor eius quæ Gracchorum foror erat, venenum ei ministrasset. ex hoc etiam plurimus sanguis nobilium effusus est. Ex quorum interitu deficiente nobilitate Marius ad cõsulatam euectus est. De quo nobis primo, deinde de Caio Cæsare, & Pompeio nobis dicendum est. Caius Marius obscura satis origine ortus, patrem habuit Marium, matrem Felicianam, pauperes homines atque mechanicos, qui in urbem proficiscens studia vrbana aliquantulum degustauit, reliquo tempore in villa Ticesate, quæ erat in agro Arpinati vitam ab vrbis viuendi moribus alienam, sed modestam, & priscis Romanorum institutis propriam egit. Primumque in Hispania militauit sub Scipione Æmiliano Numantiam obsidente, vbi & præstantia, & fortitudine videbatur cæteros adolescentes superare. cuius præstantia Scipionem non latuit. Recepit enim eum Scipio apud se egregium forma, sed corruptum rei militaris disciplina emendauit, quem ferunt cum bellicoso hostium duce cõgredientem, illum ante ora Scipionis interfecisse, quapropter plures dignitates sub Scipione consequutus est. Et cum aliquando post cenam sermo de imperatoribus fieret, dum iocose Scipionem interrogasset, quem ducem post illum Romanus populus habiturus esset, Scipio leuiter percusso Marii humero, Hunc, inquit. nam magnam de se in adolescentia exhibet experientiam. ab ipsis enim cunabulis futuram auguramur virtutem. Fertur hac Scipionis voce Marium elatum, animum ad rem publicam applicuisse, tanquam diuino quodam oraculo. Inde Marius tribunatum obtinuit fauente sibi Metello Cæcilio, cuius in domo ipse a pueritia ac pater eius ministri fuerant. Inde quum ædilitatem petuisset, non obtinuit. Quumque Iuliam ex insigni Cæsaris familia ortam in vxorem duxisset, Prætor creatus est, & in prætura mediocres laudes consecutus: post præturam vltiorem Hispaniam assecutus est forte. Quumque Cæcilius Metellus contra Iugurtham creatus esset Consul, Marium legatum in Numidiam duxit, ibique quum strenue bellasset, magno etiam militum consensu Consul creatur ad bellum contra Iugurtham, cõtradiciente sibi vniuersa vrbs nobilitate, populo vero assentiente. Opponebatur Mario, quod antecessorum imagines non haberet, atque etiam nouus homo potiores honores in vrbe consequi non deberet: qui septimum cõsulatam obtinuit, qui primum Consul creatus in Libya erat, ad eumque Sylla Quæstor cum exercitu venit in Libyam. De cuius Syllæ natalibus aliquid etiam nobis dicendum est, ut vtriusque ori per quos incendium ciuilis belli in vrbe cæcepit, nobis nota sit.

De origine Syllæ & eius conditionibus.

SYLLA igitur patritiæ gentis nobilis fuit (eius familia iam prope extincta erat maiorum suorignauia) qui litteris Græcis atque Latinis doctissime eruditus fuit. Animus illi erat ingens, cupidus voluptatis, sed tamen gloriæ cupidior, & licet otium luxuriosum sectaretur, a negotiis tamen eum nunquam voluptas abalienauit. Causa autem paupertatis parentum Syllæ fuerat, quia vnus ex antecessoribus suis Rufinus nomine cum Consul esset, re-
 10 pertum est in eius domo argentum non bonum, immo falsificatum (quod veteres stultum dicebant) ad libras decem: & quia a lege vetitum erat, a senatu cum omnibus suis remotus fuit, cui deinde progenies vitam fatis tenuem vixit. Qua ex re Sylla pauperimis parentibus ortus, domum non habuit propriam. Cui etiam pro conuitio dictum fuit, quod postquam diuitias consequutus fuerat, indigne prosperabatur, quomodoque vir bonus esse posset, postquam ex hereditate paternâ nihil accepit. Erat præterea Sylla oculis ardentibus & terribilibus, vultuque albus & rubeus, quo terribilior reddi videbatur. Fuit etiam in adolescentia alacer, cum histrionibus & cum sodalibus rixabatur, ac etiam postquam in ætatem processerat, diuesque ac potens factus fuit, in theatris & in cœnis cum eis bibebat, & amore captus Nicopolim vxorem duxit: quæ postea moriens eum reliquit hæredem, & similiter bona nouerçæ suæ post eius mortem ex testamento suo consequutus est, & sic ex consecutis hereditatibus diues factus fuit. Facundus etiam, & callidus, & amicitia facilis erat, ad simulanda quoque negotia aptus, altissimi quidem ingenii incredibilisque, multarum rerum largitor erat, ac maxime pecuniæ, & omnium fidelissimus fuit ante ciuilem victoriam. nunquam enim fortuna industriam eius superauit, multi que de eo dubitauerunt, fortior, an foelicior esset. Igitur Sylla (vt superiori capite dictum est) postquam in Africam venit ad castra Marii cū exercitu & equitatu, rudis antea & ignarus belli, expertissimus omnium paucis diebus effectus est. Ad hoc milites benigne appellare cœpit, solitus multis rogantibus, & ex se, beneficia dare, & inuitus accipere, sed ea propensius curare, vt si quod muruum reciperet, redderet, ipse vero a nullo repetere, idque laborabat, vt ipsi quâ plurimi deberent, loca cum humilibus exercebat, neque quod multorum praua ambitio facere solet, Consulis aut cuiusquam boni viri famam lædere satagebat, tantum modo neminem neque consilio neque manu priorem pati. Quibus rebus breui Mario militibusque charissimus fuit.

De causis dissensionis inter Marium & Syllam.

GEBAT Marius Romanorum Consul & imperator bellum aduersus Iugurtham Numidarum Regem, quem quum regno pene expulisset, Iugurtha ad Bocchum Getulorum Regem sibi vicinum confugit, ab eo auxilia postulans, promittensque tertiam Numidiæ partem si auxilia præstitisset. Quo audito Bocchus maximo gentium numero collecto in Numidiam venit, & Iugurthæ coniunctus est. Qui ad prælium cum Mario venientes, obtinuit Marius, Numidiæque ac Getuli superati sunt. Quo facto legati a Boccho ad Marium venerunt, petentes vt idem Marius duos fidelissimos de suis ad eundem Regem Bocchum mitteret, atque velle de suo ac reipublicæ Romanæ commodo differere. ille statim Syllam & Aulum Manlium ire iussit. Qui cum celeres
 40 issent, Sylla ad Regem orationem habuit, cui cum Bocchus respondisset, impetrauit Bocchus ea legatione, vt per Marii medium legati Bocchi Romam mitterentur ad senatum. Habito quidem de infra scriptis pluribusque aliis inter Marii & Bocchum tractatu, Bocchus a Mario per literas petiuit, vt item Syllam ad se mitteret, cuius arbitrato communibus negotiis consulere. Is igitur Sylla missus est cū præsidio militum atque peditum, sagittariis insuper, & fundibulariis, qui accepta tantum leui armatura muniti erant. Postquam enim Bocchus Rex & Sylla congressi sunt,

sunt, Sylla dicit se missum a Consule, ac venisse quæsitum ab eo, pacemne an bellum agiturus esset? Tunc Rex post decem dies iterum venire iubet. Exactis deinde decem diebus Rex Bocchus prætextu pacis vocatis Iugurtha & Sylla, statim signo dato, vndique simul ex insidiis Iugurtha capitur, ac cæteri socii sui obtruncantur, atque idem Iugurtha viuus ac victus Syllæ traditur a Boccho. Hinc graues & nefariæ seditiones inter Marium & Syllam, quæ fere Romam & vniuersum orbem funditus euerterunt, primordia habuerunt. Nam multi qui contra Marium propter inuidiâ accensî erant, Syllæ opera captum esse Iugurtham, ac sibi a Boccho traditum: Marius vero qui neminem parem in gloria patiebatur, decerrabat.
 10 Aduersarii vero Marii qui primas maximasque belli laudes Metello, secundas autem & vltimas tribuebant Syllæ, in illum vehementer agebant. Itaque populus qui in primis Marii partibus fauebat, perculsus terrore Marium deserebat.

De cædibus quas Marius in vrbe fecit.

VGVSTINVS in tertio libro de Ciuitate Dei, de malis quæ in Mariano bello Romæ secuta sunt, sic ait in capite 26. Quum vero Marius ciuili sanguine, iam multis aduersarum sibi partium peremptis, victus vrbe profugisset, vix paulum respirante ciuitate (vt verbis Tullianis vtatur) superauit postea Cinna cum Mario. Tunc vero clarissimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta sunt. Vltus est huius victoriæ crudelitatem postea Sylla, nec dici quidem opus est quanta diminutione ciuium, & quanta calamitate reipublicæ. De hac enim vindicta, quæ perniciosior fuit, quam si scelera quæ puniebantur, impunita relinquerentur, ait & Lucanus:

*Excessit medicina modum, nimiumque secuta est:
 Qua morbi duxere manus, periere nocentes.
 Sed cum iam possent soli superesse nocentes,
 Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
 Frænis iraruit.-----*

30 Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis iis qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoque vrbe cadaueribus vici, plateæ, fora, theatra, templa completa sunt, vt difficile iudicaretur, quando victores plus funerum ediderint, vtrum prius, vt vincerent, an postea quam vicissent: cum primum victoria Mariana, quando de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaqua versum cædibus factis, caput Octauii Consulis poneretur in rostris, Cæsar & Fimbria in domibus trucidarentur a suis, duo Crassi pater & filius in conspectu mutuo mactarentur, Bebius & Numitorius vnco tractis visceribus interirent, Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula Flamendialis incisis venis loui etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisse.

De malis quæ Sylla Romæ operatus est.

DE Syllano quoque bello Augustinus dicto tertio lib. de Ciuitate Dei sic profequitur cap. 27. Syllana vero victoria secuta, huius videlicet vindex crudelitatis post tantum sanguinem ciuium, quo fuso comparata fuerat, finito iâ bello inimicis viuentibus crudelius in pace grassata est. Iam etiam post Marii maioris pristinas ac recentissimas cædes, additæ fuerant aliæ grauiores a Mario iuvene atque Carbone earundem partium Marianarum. Qui, Sylla imminente, non solum victoriam, verum etiam ipsam desperantes salutem, cuncta suis alienisque cædibus impleuerunt. Nam præter stragem late per diuersa diffusam, obsesso etiam senatu, de ipsa curia tanquam de carcere producebantur ad gladium. Mutius Scæuola Pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Vestæ sanctius habebatur, aram ipsam amplexus, occisus est, ignemque illum qui perpetua cura virginum semper ardebat, suo pene sanguine extinxit. Urbem deinde Sylla victor intrauit, qui in via publica, non iam bello, sed

ipsa pace saeuiente septem millia peditum vndecimq; inermium non pugnando, sed iubendo prostrauerat. In vrbe autem tota, quem veller Syllanus, quisque feriebatur. Vnde tot funera numerari omnino nō poterant, donec Syllę suggereretur finendos esse aliquos viuere, vt essent, quibus possent imperare qui vicerant. Tūc iam cohibita quæ hac atq; hac passim furibunda ferebatur licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione propofita est, quæ hominum ex vtroq; ordine splendido, Equestri scilicet atque Senatorio, occidendorum ac proscribendorum duo millia continebat, contristabat numerus, sed consolabatur modus. Nec quia tot cadebant, tantum erat mīseris, quantum lætitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibusdam eorum qui mori iussi erant, etiam licet ipsa crudelis cæterorum 10 securitas, genera mortium exquisita congemuit. Quendam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt, immanius homines hominem viuum, quam bestię solent discerpere cadauer abiectum. Alius oculis effossis, & particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu viuere, vel potius diu mori coactus est. Subuastatæ sunt etiam tanquam villæ, quædam nobiles ciuitates. Vna vero, velut vnus reus occidi iuberetur, sic tota iussa est ciuitas trucidari. Hæc facta sunt in pace post bellum, non vt acceleretur obtinenda victoria, sed ne contemneretur obrenta. Pax cum bello de crudelitate certauit, & vicit. illud enim prostrauit armatos, ista nudatos. Bellum erat, vt qui feriebatur, si posset, feriret: pax autem, non vt qui euaserat viueret, sed vt moriens non repugnaret. Quæ rabies exterarum gentium? quæ saeuicia barbarorum huic de ciuib; victoriæ ciuium comparari potest? Hæc Augustinus loco iam dicto.

De origine Gnei Pompeii Magni, & eius successu.

NAM ad Gnei Pompeii Magni & Caii Iulii Cæsaris ortum ac gesta veniamus, qui e superioribus ciuilibus bellis ortum trahentes, aliam noquam pestem orbi effuderunt. Et quoniam diuersa, ac maxima eorum gesta Hispania habuit, de eis ac de eorum origine, vt clarior nobis eorum notitia fiat, aliquid describamus. Gneus Pompeius Magnus ap- 30 pellatus alterius Pompeii filius Romæ natus est, quum Marius (de quo supra diximus) Consul cōtra Ingurtham in Africa bellū ageret, anno ab orbe condito quinto milleno nonagesimo sexto, & ab vrbe condita DCXLVII. Cuius superiori anno M. Tullius Cicero vir præclarus Arpinati natus fuerat. Hic igitur Gneus Pompeius Magnus primo sub patre Pompeio, ac deinde sub Sylla militauit. illi ab initio omnes Romani populi beneuolentiæ plurimum contulerunt. fuit enim bellicosissimus, & imagine videlicet ex coma protenta, & lineamento oculorum adeo persimilis Alexandro, vt a multis Alexander nominaretur. illi vna labes tantum fuit, quæ totius odii ciuilib; fuit seminarium, inexplata cupido & auaritia, quoniam sicuti Cæsar neminem superiorem, ita & ipse neminem parem volebat. Eibene- 40 uolentia plures astricti erant, vitæ continentiam habebat, armorum insuper peritiam, linguæ persuasionem morum, fidem, & conueniendi modestiam. Aderat etiam eius gratiis, nihil cum fastu dare, nihil nisi ample recipere. Adhuc enim adulescens, & sub patre militans, Aristiam Aristii filiã accepit vxorem. Erat & insuper populari gratiæ plurimum accommodatus. Postea vero quam adoleuisset mortuo patre sub Sylla militauit, & cum Sylla fuisset secutus, ipse Sylla obrenta victoria contra Caium Marium Iunioem cæterosque partium suarū Dictator factus multa in vrbe fecit. Primo enim quod nemo vnquam fecerat, cum XXXI. fascibus processit, & rebus nouis temp. confirmauit. Tribunorum plebis potestatem minuit, & omne ius legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegiū 50 ampliauit, vt essent quindecim. Senatū ex equestri ordine suppleuit. proscriptorum liberis ius petendorum bonorum eripuit, & bona eorum vendidit, ex quibus plurima rapuit: constituitque, quod de nullo maleficio homicidioque facto atque fiendo posset cognosci, nisi per ipsum. Bona præterea proscriptorum formosis mulieribus, & in cātu eruditis, & histrionibus, ac salibus distribuit. Puellas irem innu- ptas

ptas ac nobiles, inuitas hominibus facinorosis ac vilibus matrimonio coniunxit. Omnes insuper sui exercitus præfectos insigniuit meritis, hos ad diuitias, alios ad dignitates magistratusque prouehens, alios abunde donis erexit. Gnei vero Pompeii magnam virtutem admiratus, magnumque præsidium sibi fore existimans affinitate eum sibi iungere curauit. Cui rei cum Metella vxor nutu consilioque faueret, Pompeio suasisit, vt Aristia dimissa Æmiliam Syllæ priuignam, videlicet ex ipsa Metella & Scauro genitam ducat. Hæc enim Æmilia dudum viro nupta fuerat, & ex eo grauida erat. Vnde hoc coniugium magis tyrannicum, quam tempestati Syllanæ congruum fuit, quāquam Pompeio placeret. Ad ipsum itaque Pompeium Æmilia per quendam domesticum adducta, repudiata est Aristia proba ac 10 misera, quæ dudum etiam patre orbata fuerat, quoniam perante iugulatus fuerat in Senatu Aristius pater propter Pompeium qui Syllanam factionem sequebatur. Hoc repudium Aristiæ mater quum agnouisset, mortem sibi intulit. Vnde noua quædam materia tragicorum hæ nuptiæ visæ sunt, quum etiam nupta ipsa apud Pompeium mox e partu obiisset. Hic igitur Pompeius cum valido exercitu a Sylla aduersus Carbonem, Perpennam, atque Domitium, cæterosque Marianarum partium, qui in Siciliam traiecerant, missus est: quos deuicit, atque Perpenna a Sicilia fugatus est, & Carbonem ab exercitu Pompeii comprehensum tribunitio subfello sedens damnauit, ac occidi iussit, ciuitatesque afflictas recepit præter 20 Messanam. Dum itaque hæc Pompeius ciuilitate in Sicilia administrat, decretum Senatus, ac Syllæ literæ missæ sunt ad eum, quibus præcipiebatur in Africam traicere, omni que manu oppugnare Domitium, apud quem omnes eæ conuenerant copiæ, cum quibus nuper Marius ex Africa in Italiam rediens rerum potitus erat, tyrannus ex exule factus. Statim igitur Pompeius omni apparatu in expeditionem instructo, præfectum Siciliæ Mumium sororis suæ virum instituit, atque a Sicilia cum centum & viginti longis nauibus proficiscitur. Hæc quum partim ad Vticam, partim ad Carthaginem applicuissent, septem millia hominum ex Mauris ad Pompeium defecerunt. ipse enim Pompeius sex integras legiones in exercitu habebat. Domitius autem contra instructo exercitu vallem quandam grauem & 30 asperam superaturus, ab imbre validissimo, ventoque qui matutinis inspirabat, detentus est. Vnde ea die pugna desperata a Domitio ad stationes reditum est. Sed Pompeius ratus ad tempus sibi congruere, agmine citato vallem inuadit, tum Mariani tumultu facto, nullo ordine subistere, neque omnes plane manere. Ventus præterea circumstantabat, procellam insuper propellebat, nihil tamen minus ea hyemis Syllanos perturbabat, quoniam se adinuicem mutuo videre non poterant. Hocque Pompeius ferocius bellare satagebat, quum eius nomen adhuc fuisset incognitum, & sic magna cæde hostes vrgebat. Fertur enim ex tribus ac viginti millibus tria tantum millia effugisse. Deinde Pompeius Magnus appellatus est. Quum vero sic eum vniuersi milites appellare cepissent, exclamauit, Non sum 40 itaque dignus tali nomine, quo ad vsque vallum hostile stare: sique dignum eum tali appellatione iudicarent, vallum deiicerent. mox impetu facto in vallum iruere. quo in conatu Pompeius priori periculo monitus non sine galea certauit. Vallum tandem captum est, periitque ibi Domitius. Ciuitates vero aliæ confestim paruere, aliæ vero vi captæ sunt. Percurrit denuo Pompeius Africam Numidiamque. per quadraginta enim dies, postquam superius bellum gestum est, totam obrinuit Africam. concurrerunt deinde omnes Africa Reges ad Pompeium, & frequens inter eos factus est, & inter plures arbiter multa iudicauit.

Pompeius quomodo Magnus sit appellatus, & in Hispaniam mittitur.

POMPEIUS igitur quum Vticam confecto bello Africano rediisset, ecce literæ sibi a Sylla sunt redditæ, quibus iubebatur, vt reliquo dimisso exercitu successorem expectaret, & cum vna legione Romam venire properaret, in quibus tacite ipse tristatus est, ægreque id tulit, sed manifeste totus exercitus eius est motus indignatione maxima.

Deinde orante Pompeio ut iussa exequerentur, cœperunt obiectare Syllam, Pompeiumque non permiserunt sine exercitu vniuerso abire, dicentes, Syllam tanquam tyranno non esse credendum. Pompeius igitur tentauit eorum animos mollire sedareque, ac persuadere ut iussis obtemperarent. Sed postquam persuadere id nequit, a subtelio in stationem descendens cessit illachrymans, sed milites detestatum in suggestum reponunt. Suggestus enim est locus, in quo Reges sedere consueuerunt pro magnis rebus tractandis. Hac itaque altercatione plurima diei pars assumpta est, volentibus illis manere eum, & imperare. E conuerso autem Pompeio exhortante ut Syllam iussis absque seditione parerent, tandem non desinentibus illis, sed arctius urgentibus, precesque cum clamore admittentibus iurauit Pompeius se ipsum interfecturum, si vim afferrent. quo illos pacto vix acquiescere coegit. Cæterum ad Syllam per primum nuncium allatum est Pompeium defecisse. Retandem certius cognita compertaque, ut aduenienti Pompeio vndique viri omnes obuiam irent, eumque beneuolentia cum ampla pompa prosequerentur, mandat: præuenire tamen eum Sylla accelerauit. Profectus ergo, & illi obuiam factus, quam lætissime dexteram iunxit, eumque ingenti voce Magnum Pompeium salutauit, iussitque omnibus qui tum aderant, ut similiter Magnum eum appellarent. Alii dicunt cognomen hoc primum in Africa ab vniuerso exercitu illi inditum, deinde vim atque consuetudinem ex hac Syllam affirmatione habuisse. Pompeius tamen longo post tempore Proconsul in Hispaniam missus est aduersus Sertorium qui illam detinebat, & in eius epistolis actisque se Magnum Pompeium scripsit. Neque hoc cuiquam admirationi sit. nam consueuerunt Romani non hos solum qui præclara confecerant bella, quiue strenue manu vsi sunt, sed eos etiam qui rempublicam consiliis ac virtutibus suis decorarunt, huiusmodi cognomentis sæpe exornare. Duos enim populus Romanus cognominauit maximos: Valerium, quod patres a plebe dissidentes conciliauit: Fabium Tullium, quod diuites quosdam viros e libertis genitos e Senatu amouit.

De Sertorio & Appio Metello.

RAT in Hispania ea tempestate Sertorius qui illam diu tenuerat, & ciuili bello adhæserat partibus Marianis, tremendus hostis Syllam cæterisque suæ factionis. Aduersus Sertorium diuersi duces missi sunt, quos Sertorius valide superauit. Denuo aduersus huius rabiem Appius Metellus vir clarissimus missus est, & quidem bellicosissimus ac sapientissimus, satisque Marco Lepido dissimilis, sed nimis grandi cura implicitus propter senectutem. ob hanc enim tardus nimium erat ad bellum, Sertoriusque propter velocitatem ac promptitudinem sæpius grauitatem eius deluserat. Ex qua etiam re Senatus decreto Magnus Pompeius in Hispaniam missus est, ut Sertorium cōprimeret Pompeius. itaque Proconsula Senatu ordinatus contra Sertorium, iam Magnus cognominatus, quum in Hispaniam venisset Proconsul, primum Appio Metello se in præsidium disposuit. Interim tamen Hispanos populos Sertorio parum donatos seu beneolos sollicitare cœpit, & quosdam ad defectionem adduxit. ex quo fertur Sertorium dixisse quam insolentissime, virga & loro sibi opus esse ad puerum Pompeium castigandum, nisi vetulum pertimesceret, de Metello senes locus. Hoc itaque verbum iactauit: factus est tamen de cætero Sertorius cautior, metuque Pompeii cautius in hostem ferebatur. Metellus quidem (quod incredibile erat) propter senectutem deliciis omnibus & voluptati fræna laxabat. Vnde crescebat Pompeii gloria ac beneuolentia in ea militari disciplina, qua milites tenebat, quoniam non magno degebat apparatu. Natura enim sobrius fuit, & a cupiditatibus longe abstinens: verum belli fortuna varia est. Cœpit enim Pompeius Vylauronam urbem. nam putabat Pompeius Sertorium circumuenire, ex quo gloriam quam maximam sperabat, in cuius spem maxime elatus multa iactauit. prospexerat enim Pompeius ante suos oculos urbem captam & incensam, castraque

castraque sua a Sertorio circumdata. Sertorio enim spem fecerant Perpenna & Egninus maximi duces, qui a Pompeio ad Sertorium profugerant, illique se socios belli addiderant. Quo audito Pompeius eos vsque in urbem Valentiam fudit atque fugauit, in qua fuga ultra decem millia hominum interemit. Ex qua re Pompeius spem, simul & gloriam consecutus, elatus victoria, mox in ipsum Sertorium festinat irruere, ne gloria Metello impartiretur. iuxta ergo Sucronem amnem, sole iam ad occasum vergente, copias ad pugnam ambo duces instruxere. Metellus enim & Pompeius ambo cupientes belli gloriam, alter alterum præuenire in bello cupiebat. Sertorius etiam, ut cum solo pugnaret, studuit. Conferta itaque pugna est, tandemque æquo Marte dirempta. vterque enim alterum cornu strauit. verum ex duobus maiorem gloriam reduxit Sertorius: nam solus aciem oppositam in fugam vertit. In Pompeio vero cornu vir permagnus equo ex pedestri comitatu Sertorii obuiam Pompeio egressus, postquam ad conflictum ensium peruentum est, pugnavit cum Pompeio, dissimili tamen plaga, quoniam ad manus quum venissent, Pompeius saucius factus est ensis ictu, hosti vero a Pompeio est amputata manus. Quamprimum deinde postera dies illuxit, ambo duces simul acies instruxerunt, proximæ pugne victoriam quisque suam fuisse asserens, sed ex aduentu Metelli soluto exercitu abiit Sertorius. Cæterum Pompeius quum priuatim ad hoc bellum multa exposuisset, pecunias a Senatu postulat, addens, ni mittant, se cum copiis in Italiam reuerfurum. Lucullus tunc consularum gerebat, qui vir licet a Pompeio dissentiret, quoniam in Mithridaticum bellum mitti affectabat, in mittendis pecuniis studet, timens ne Pompeio redeundi materia esset, qui dimisso Sertorio cupiebat etiam Mithridatem inuadere, Regem gloria splendidissimum, hostemque: quod credebat facile obtinere.

De morte Sertorii & Perpenna.

SERTORIUS igitur post clarissimas res in Hispania gestas, sicut a principio omnium Hispanorum animos ad se flexerat, ita postea ab ipso desciuere. Huius autem defectionis autor Perpenna fuerat, qui tanquam nobilitate familiarum præstantior, Sertorio inuidebat, principatumque affectabat, sermonesque pandebat in detractationem Sertorii. Ex quibus inquinamentis ciuitates quædam Hispaniæ a Sertorio defecerunt, effecitque ut indies minus Sertorio pareretur: auxitque indignationem Hispanorum immensa Sertorii ab initio humanitas in crudelitatem conuersa. Is enim quum ab initio pueros Hispanorum obsides sibi assignari iussisset, & in Osca vrbe tenuisset, illos liberalibus studiis, aliisque bonis artibus erudiebat. Deinde vero in eorum indignationem crudeliter conuersus, quum alios necasset, alios vendidisset, magnam exinde populorum indignationem contraxit. Qua opportunitate comperta, Perpenna in eiusdem mortem cœpit conspirare. Qui quum multos sibi asciuisset, Manlium quendam ex Sertorianis ducibus ad hoc sibi adiunxit. Hic tum forte adolescenti cuius amore detinebatur, hæc omnia pandit, & hac spe elatus, cæteris amatoribus omissis sibi vni se addiceret, hortabatur, maximam confestim potentiam habituro. Adolescentes cuidam Aufidio amatori qui sibi gratior erat, hæc aperuit. Quæ quum audisset Aufidius, obstupuit (nam & ipse vnus ex coniuratis erat) ignorabat tamen Manlium ista sentire. Perpennam vero & quosdam alios de quibus sibi notum erat, nominante adolescente, conturbatus sermonem abruptit, & insanum contemnendumque Manlium dixit, qui ita vanas fictiones inducat. ipse autem ad Perpennam profectus, rem, pro ut audiuerat, & quanta celeritate opus foret, exposuit. Rem igitur aggressi conficiendam, nuncium induxerunt victoriam quandam vnus ex Sertorianis ducibus & eadem magnam inimicorum significatam. Ad quem exhilaratus Sertorius quum immolasset, Perpennam ipsum & alios qui aderant (hi erant omnes coniurati) ad cœnam inuitat exoratque. Mos erat Sertorio in conuiujs plurimam semper honestatem decoremque seruare, nec videre quicquam

quam turpe, nec audire sustinebat, docueratq; omnes suos ab omni maledicto ac iurgio abstinere, sed placide ac modeste ioco vii. Tūc igitur in medio cōiuii rixæ initium quærentes, aperte verba turpia flagitiosaq; iactabāt, & ficta ebrietate multa scelestè agebant, vt Sertoriū prouocarent. Sertorius vero siue quod grauer ferebat inconcinnitatē eorum, siue quod ipsorū mentes ex tarditate loquendi & inconsumto contēptu animaduerteter, mutato discūbendi modo se supinū disposuit, quasi nec videre quicquā vellet, nec audire. Perpenna autē phialā meri in mediū proiciēte, & strepitu inde factō, quod erat signū coniuratis datū, Antonius qui supra discumbēbat, gladio Sertoriū percutit. Cōuersi vero ad plagā, & insurgere conantis in pectus ruit, manusq; ambas capit, ne resistere valeret, per hunc modum a multis confossus occiditur. Maxima Iberiæ pars Metello & Pompeio post mortē Sertorii sese tradit. Eos qui manserant Perpēna suscipiens, aduersus inimicos bellū gerere adortus est, in quo statim sui experientiam dedit, vt viri nec ad parendum, nec ad imperandum apti. Nam fretus Sertorii apparatus aduersus Pompeium congressus, breui superatus fuit & captus. Nec vltimam quidem fortunam ingenue tulit: sed quum haberet Sertorii literas, Pompeio promisit, virorum consularium & qui plurimum Romæ poterant, epistolas propria manu scriptas, per quas cupidi nouarum rerum Sertorium in Italiam vocabant, se ostensurum. Sed Pompeius non vt iuuenis, sed vt grauis, & prudentis animi vir, eas quidem literas nec legere ipse voluit, nec a quoquam vt legerentur permisit, sed ipas omnes in vnum collectas cremauit. Quod eius factum multos ciues periculo, & magnis nouitatibus patriam liberauit. Perpennam insuper statim occidit, veritus ne vulgatis quorundam nominibus turbationes & scandala orirentur. Reliquorum vero qui Sertorianæ necis conscii fuerant, alii ad Pompeium deducti macati sunt, alii in Libyam profecti, a Mauruciis interfecti fuerunt: nec quisquam euasit præter vnum Aufidium Manlii riualet. Hic enim siue latens, siue neglectus in quadam barbariæ villa, inops inuisusque consenuit. Neq; præterire libet in factis Sertorii, quod dū ab Hispania venisset in oppidum Tanginum in Libya, ibique vidisset sepulchrum Antæi, non credidit facile vulgationi barbarorum de illius corporis magnitudine: quod vbi effodi fecisset, reperit illius ossa longitudinis septuaginta cubitorum. res quidem auditu stupenda. Post mortem itaque Sertorii Perpenna celsior habitus est, qui imperium occupās aduersus Pompeium se instruit. Pompeius igitur extemplo exercitum eduxit, decemque cohortes in escam hostium misit, iubēs vt paulatim per agros in conspectu Perpennæ vagarentur. quas videns Perpenna rerum incius, illas passim insequitur: Pompeius vero instructa acie irruens conferta pugna omnium victor fuit. Quum vero plariq; primorum Perpennam cepissent, Pompeius ad se adductum occidi iussit, non immemor eorum quæ in Sicilia contigerant, quemadmodum a nonnullis criminatus est. In huius enim captura Pompeius maxima arte ad omnium salutem vsus est. Perpenna enim quum in potestate literas omnes cæteraque Sertorii monumenta habuisset, epistolas quorundam clarissimorum virorum ciuium Romanorum propalauit, qui ad res vrbs in nouandas studebant, in Italiamque Sertorium vocabant. Pompeius ergo timens ne ex his maiora suscitarentur bella, quam quæ iam restinxerat, Perpennam trucidauit, & epistolas omnes a nemine inspectas incēdio tradidit. His peractis Pompeius quum Hispaniam, & maxime Celtiberiam deambulasset, omnes tumultus in natos oppressit, incendiaque rerum extinxit. Post hæc vero Pompeius Romam rediit, ibique triumphum petiit. cui se obiecit Sylla: Consul enim tantum, & non Proconsuli aiebat triumphum lege permitti. vnde Scipio quum magnis & arduis pæliis superauisset in Hispania Carthaginenses, triumphum non postulauit: nondum erat Consul, aut id bellum suis gerebatur auspiciis. Obstabat præterea triumpho Pompeii, quia vix pubescebat, quæ ob ætatem nondum in Senatum admittus fuerat. omnino sibi gloriam inuidiosam erat pariturus, principatusque suus ab vniuersis ciuibus ægre perferendus erat. Hæc aduersus Pompeium Sylla obloquebatur, veluti illi non assensurus, sed contentione sua impediturus rogationem. Non tamen Pompeius ob hoc territus est, sed quum denuo instaret Pompeius, admi-

admiratus iuuenis fiduciam bis acclamauit, Ergo triumphet. Qua ex re quum indignatio complures caperet, grauerque id ferretur, optans Pompeius eos gratiori molestia afficere, conatus est curru a quatuor elephantibus ducto triumphum ducere, angustiōri tamen porta vrbs prohibitus equis vsus est.

De Marii morte.



VONTIAM de ciuili bello Marii & Syllæ diximus, de eorū quoque factione ac morte dicendum videtur. Marius igitur postquam de exilio se restituit, quum magna Romanos strage, ac nece vrbs cecidisset, omnia pariter diuina ac humana cōfundens, septimum Consulatum assumpsit, quod nemini Romanorum adhuc contigerat. Qui quum magistratum cepisset ad Kalendas Ianuarias quibus annus incipitur, quendam Sextum Lucillum præcipitem dedit, quod ipsi & vrbi magnum fuit augurium ad futuras calamitates. Ipse autem Marius corporis laboribus atque sollicitudine perterritus, quia multa pericula expertus fuerat, animi ferocitatem amisit, existimans in se crimen rediturum. Nam Sylla qui ipsum Marium patria expulerat, ad Mithridatemque potentissimum Regem fugere compulerat, Romam repetebat. Huiusmodi mentis agitationibus Marius affectus, quum ante oculos errores, exilia, periculaque maris ac terræ adduceret, in varias dubiasque partes distrahebatur, & nocturnis turbulentisque somnis perterrebat. Videbatur enim continuo quendam audire dicentem, dura sunt cubilia leonum. Sed quum maxime vigilas pertimesceret, intempestiuis potationibus & ebrietatibus indulgebat, tanquam per somnum animi cogitationes viaturus esset. Cui quum quidam nunciaret ea quæ apud mare per Mithridatem ac Syllam facta erāt, nouis timoribus percussus, partim futura timens, partim tanquam præsentium vulnere male affectus, paulo post exilium restitutus, vt Posidonius Philosophus scribit, in malam valetudinem incidit. Caius autem Piso vir historicus memoriæ literarū tradidit, Marium post cænam cum amicis deambulantem in sermonem de rebus ab eo gestis venisse, & a rerum primordiis incipientem, sæpiusque de vtraque fortuna disputantem dixisse, non sanæ mentis hominem esse qui fortunæ sese committeret. Post hæc appellatis læto vultu qui aderant, quum per septem dies paulatim deficeret, diem obiit. Quidam ferunt eius ambitionem in ipsa mala valetudine omnino detectam in vanam spem euasisse. putabat enim se in Mithridatico bello imperatorem esse. Deinde (quemadmodum in ipso languore corporis accidere solet) varias in corpore mutationes cum gemitu ac multis vlulatibus patiebatur. Sic adeo ingens cupiditas magistratus illius belli cum ceperat, vt nulla consolatione curari posset. Duos ac septuaginta annos natus obiit, primusque omnium Romanorū fuit, qui septimum Cōsulatum attigerit, qui quum domum magnificam instruxisset, quæ multis regis adibus clarior erat, fortunam suam crudelem appellabat, quod priusquam consilia desideriaque sua peregisset, morte obiret. Septimo igitur die sui septimi Consulatus Marius diem clausit extremum, cuius mors statim Romam magna lætitia atque exultatione affectit, ex eo quod graui tyrannide liberata esset.

De Syllæ obitu.



VCIUS Sylla postquam omnia mala, quæ multis voluminibus descripta fuerunt, peregisset, voluptati ac ebrietati ad vltimum datus electis maximi pretii ferculis, potationibusque, in quibus vinis quadraginta annorum utebatur, inter quas potationes Metella vxor eius obierat, & cum aliam Valeriam quæ per antea diuortium cum viro suo fecerat, amore captus duxisset vxorem, ac vitam suam ageret cum cætoribus, tibicinibus, & histriionibus, cæterisque ad voluptatem pertinentibus, ad vltimū mala valetudine cor-

reptus est, atque grauatius propter phlegma, quod adeo viscera sua putrefecerat, ut foetorem emitterent, & quidem maximum. ac eius corpus pediculis totum abundans erat: nec tonsores continue radentes eos remouere valebant. Nam illis remotis alii plures pullulabant vestes eius implentes, & intra oculos eum etiam molestabant, cui nec balnea, nec alia remedia proderant, & sic pediculis afflictus erat quotidie. Pridie vero quam moreretur, quum Granium quendam potētissimum ciuem Romanum, qui magnam pecuniam populo Romano debebat, audisset solutionem tergiuersari, atque ipsius Syllæ mortem expectare, ad se accitum hominem in secretiorem locum adduxit, accersitis deinde ministris, ut illum necarent, præcepit. Ipse vero Sylla cum clamore ac totius corporis contentione laborasset, 10 disrumpo quod gestabat a postemate, maximam vim sanguinis effudit. qua de causa vehementer debilitatus, atque omnino viribus amissis, magna anxietate nocte illa vitam ducens mane obiit. Aderat enim eius morti Pompeius, qui licet contra Syllam simulates haberet, maxime quum Sylla ostendisset, se minus beneuole habere cum Pōpeio ex testamēto (aliis enim munera legauit, alios filiorū curatores instituit, sed Pompeiū omnino omisit) tulit tamen hoc Pompeius modeste nimis, placideque, non obstante quod Lepidus Consul, cæterique nonnulli contradicerent, ne Sylla in campo Martio sepeliretur, neve funus fieret publica impensa. Pōpeius suo præsidio gloriam simul defensionemque funeri attulit: & corpus eius in campo Martio sepultum est, & statua magna ad eius similitudinem posita est, & epitaphium positum, quod ipsemet fecerat, videlicet: *NVLIVS MEVS AMICVS 20 ME BONITATE SVPERAVIT, NEC INIMICVS MALITIA.* Filios præterea duos gemellos reliquit (ut dictum est) Faustum & Faustam, & ex Valeria post eius mortem nata est puella, quæ more Romano Posthuma est appellata.

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON

LIBER NONVS DE CIVILI BELLO

inter Cæsarem & Pompeium, & eorum
progressibus vsque ad Augustum Cæsarem.

30

De origine Caii Iulii Cæsaris.



AIVS Iulius Cæsar ex patre Lucio Iulio Cæsare ortus est, qui Marianæ factioni adhærebat. Erat enim Marius senior cognatus Lucii Cæsaris, quoniam Iulia foror Cæsaris vxor Marii erat, cuius respectu suæ factioni adhæsit, qui Lucius interfectus est a Sylla, dum vltimo in urbem intrauit. Erat quidem ex nobilissima Iuliorum familia, a Syluio Posthumo Æneæ Veneris & Anchisæ filii, & Lauinia Latini Regis filia ortum trahens. In cuius familiæ laudē Caius Iulius Cæsar dū orationē haberet, in laudem amitæ Iuliæ, vxoris siquidem Marii senioris, sic ait: Amitæ meæ Iuliæ Marii senioris vxoris maternū genus ex regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ex Anco Martio sunt Martii reges, & a Venere sunt Iulii, cuius gētis familia nostra est. Est ergo sanctitas in genere regum, qui plurimum inter homines pollēt, & ceremonia Deorū, quorum in potestate sunt ipsi reges. Erat itaque Caius Iulius Cæsar annorū sexdecim, cum illi mortuus Lucius pater, & cum a principio igno- 50 ratur, in quas partes declinaret. Cossutiam ex equestri familia, quæ primo Prætextato despōsata erat, duxit vxorē, ipse autem satis inops habebatur: postea vero Cossutia vxore repudiata Corneliam Cinnæ filiā, qui quarto Cōsul fuerat, vxorē duxit, posteaquam Pontifex factus est. Quam cum Sylla voluisset repudiari a Cæsare, quia hoc renuit, sacerdotium & vxoris dotem publicauit, & gentilitiis hæreditati- bus multatus.

bus multatus est. aduersarū enim partium habebatur. Ut etiam discedere e medio conaretur, tamen morbo quartanæ aggrauate prope per singulas noctes mutare latebras cogebatur, seque sepius ab inquisitoribus pecunia redimebat, donec per Mamercum Æmilium, & Aurelium Cottam confanguineos & affines, ac per Vestales virgines, quarum summa tūc erat autoritas, Sylla deprecatus multis tandem ac validis precibus acqueiuit. Vbi illud memorabile contigit, quod cum Sylla diutius obstitisset, neque vllus esset precandi finis, victus ad vltimum exclamauit vel diuino oraculo, aut cōiectura humana: Vincite itaque, atque habetote vobis cunctisque nobilibus hoc damnosum donum: prædico autem vobis, quoniam 10 hic quem adeo enixe saluum vultis, optimatum partibus quas vos mecum defendistis, erit quoque excidio. in Cæsare enim multi sunt Marii. Suetonius etiam Tranquillus vitam Cæsaris describens sic ait: Etiam cultu notabilem ferunt. utebatur enim lato clauo & nimium fimbriato, sed tamen supra eum cingebatur, & quidem fluxiore cinctura, quoniam Romanis mos erat, ut stricte cingerentur: unde emanasse dicitur Syllæ dictum ad Pompeium cæterosque nobiles suæ factionis, ut male præcinctum puerum cauerent. Vnde etiam legitur illud Ciceronis, cū post ciuile bellum interrogaretur, cur ita aberrasset Pompeium Cæsari præferendo, Præcinctura (inquit) me decepit. Militauit ergo adolescēs in Asia primum, deinde in Græcia, ac Cilicia, nunc clara fama, nunc obscura. Audita autem Syllæ 20 morte, & nouandarū rerum spe trahente, Romam rediit. Sed ciuili motu præter spem compressio ne nihil ageret, Cornelium Dolabellam virum consularem ac triumphalem accusauit, quo iudicio magnam sibi eloquentiæ famam acquisiuit, sed multum inuidiæ. Quam ut leniret absentia, absoluto reo rebusque præter vota fluentibus in insulam Rhodum se trāsferre disposuit, ut simul & otio operam daret & literis apud Apollonium Molonem virum clarissimum, tunc facundiæ præceptorem: sub quo Cicero ipse Romanæ princeps eloquentiæ didicisse creditur. Sed dum eo nauigat, captus est a piratis, & familiaribus omnibus præter tres Romanam remissis ad redemptionis suæ pecuniam procurandam, mansit cum prædonibus dies circa quadraginta non sine tristitia & indignatione grauissima. Cumque 30 illi ex conuictu familiaritate orta eum percontarentur, quid eis, si in sua potestate essent, faceret: respondebat iocanti similis, se illos crucibus affixurum, idque tacitus facere iurciurando etiam confirmauit. Cum vero comitibus & feruis Roma redeuntibus quinquaginta talenta pro redemptionis precio persoluisset, libertati redditus classe ilico conquisita illos attigit comprehenditque: in quibus iam tum securaturæ lenitatis & clementiæ gustum dedit. Nam quum & fontes plectere, & iuramentum seruare fixum esset, modum excogitauit, quo vtrunque leniore supplicio compleretur. Itaque iugulari illos primum, post exanimis crucibus iussit affigi. Nec per otium publicas res neglexit. Mithridate enim Asiam infestante congregatis auxiliis obstitit, & præfectum regis Asiæ pepulit, & prouinciam conseruauit. His exactis Romam rediit, primusque illi honor fuit tribunatus militum, in quo quidem imminutam a Sylla tribunitiam potestatem restituere summo studio nisus est.

Caius Iulius Cæsar Questor in vltiorem Hispaniam missus est.



POST præmissa igitur Cæsare a Senatu in vltiorem Hispaniam missus est Questor factus. Qui cum venisset in Gades, vbi Herculis erat templum summa veneratione celebratum, in quo erat imago Alexandri Macedonis, quam imaginem cum Cæsare diutius contemplatus esset, vehementer indoluit, quod atare illa, quam ipse tunc ageret, Alexander famam sui nominis in fines terræ extendisset, a se vero nihil adhuc dignum actum esset, ideo petiit a Senatu, ut pro eo mitteretur, cupiens esse, vbi maioris famæ materiam inuenisset. Romam itaque reuersus caedo ilico turbatus est somno. visus enim sibi est per somnium dormiens cum matre concumbere. Est hæc quidem vna humanarum miseriarum, ut quamuis verū sit quod ait Cicero, quodque de Homero

scribit Ennius, plerunque ea videre dormientes, de quibus sæpissime vigilantes sunt soliti cogitare & loqui: tamen illud certissimū est, solere se quieti hominū visiones, fœdas, ac turbidas, & a somniantē animā peregrinas offerre, vt quod nunquā vigilantes cogitarent, quodque potius quam facerent, mori eligerent, cōsopiti facere videantur. Patefacta igitur visione, illi quorum vaftrum fallaxque est artificium, ad coniecturas redigentes, æstimatis (vt credo) viri moribus ac natura, consentanea interpretatione magnalia terrarum & orbis imperiū significari somnio dixerūt, quod ea scilicet quam sibi subditam habuisset, nihil aliud esset nisi terra parens publica, sicut experientia perhibet. ad amplissimam itaque spem incitauerūt. Quod ego potius narro, quia sic ab aliis scriptum inuenio, quam quod verum credam, virum tanti animi, tantæque prudentiæ ad immensam spem somnio inani ac nocturno phāstmate, aut omnino circulatorū fallaciunculis incitatum. Ad quam implendam quanta fortuna, quanto ingenio, quantis bellicis artibus, quantisque laboribus, quantis denique rebus aliis opus fuisse quam somnio, quis non videt? Dehinc Aedilis factus est, quo tempore in suspicionem magnam venit, vt nō modo semel, sed pluries conspirasse crederetur cum viris insignibus, vt totum statum reip. perturbaret. Numerabatur enim inter Catilinæ coniuratos, sed vel pœnitentia, vel metu, seu morte conspiratorum effectu consilium caruisse. In ea enim ædilitate multa fecit insignia ad ornatum vrbs. quorum omnium ipse solus excluso collega populi gratiam consecutus est, speransque sibi nihil negatum iri, cētavit extra ordinem Ægyptum prouinciam adipisci, quod Alexandrini regem suum solio deieccissent. Sed ab optimatibus impeditus, vt quo poterat modo se de illis vindicaret, in illorum contemptum Caii Marii noui hominis trophæa de Iugurtha scilicet, ac Cimbris, atque Teutonis, quæ Sylla hostili superbia euerterat, reparauit. perdita itaque spe Ægypti Pontificatum maximum petiit non absque fluxu munerum ingenti. Ita iam ambitio Romanum orbem inuaserat, vt iam tunc Pontificatus pecunia venderetur. Quæ in re quum ipse sibi non sufficeret, alienum æs, & quidem non modicum mutauit. Quod deinde secum existimās, cum in campū mane candidatus descenderet, matrem deosculanti dixisse traditur, Domū nisi Pontifex non reuertar. Reuersus est autem Pontifex duobus clarissimis competitoribus superatis, ætate & dignitate præstantibus. Interea Cæsar de coniuratione Catilinæ, quod cum ipso Lucio Catilina cæterisque viris illustribus coniurasset, a Lucio Vedio, & Q. Curio accusabatur: assereratque Vedius se ostensurum chirographum Cæsarum Catilinæ pro coniuratione oblatum. quod tamen Cæsar agre ferens confutatis accusatoribus liberari obtinuit, & præmia illi decreta a Senatu, Vediusque & Curius grauiter mulctati sunt & priuati honore. Allegauit enim Cæsar innocentia suæ testem Consulem Ciceronem, cui præfatæ coniurationis multa reuelauerat. His peractis Cæsar Prætor in Hispaniam decernitur. Tanta vero fuerat eius inopia, vt sequestraretur Romæ a creditoribus, impedireturque, quominus posset in præturam proficisci, nisi quia oblati fideiussoribus permissus est in Hispaniā ire. quam profectioem quum peregisset, cōpositis prouinciæ rebus, pacatisque simultaribus quæ in ea fuerāt, etiam successore nō expectato, properat Romam redire petiturus consulatum triumphumque. Sed quū legibus vtrunque petere prohibitus esset, omisso triūpho consulatū petiit cupidus rerū gerendarum.

Caius Iulius Cæsar creatur Consul, sibi que decernitur prouincia Galliarum, & Illyricum.

ACTVS est itaque Consul cum M. Bibulo, quem collegam facta cōtentione legis Agrariæ, cum Bibulus dissentiret, foro armis eiecit. Vnde Cæsar solus remp. gubernabat nemine prorsus obstante, & si quis obstitisset, non tamen minis sed factis quoque exterreret. in quibus Marcum Catonem virum tantæ sapientiæ & virtutis actibus suis contradicentem, manu lictoris exactum curia mitti fecit in carcerem, quo euntem illum Senatus profectus est, non aliter quam si vnus in persona capti omnes viderentur. Sunt etiam qui

qui dicant, vestem quoque velut in luctu publico permutasse. qua quidem tanta veneratione ac pietate (nisi fallor) iniuria carceris compensata est, vt optabile fuisse videatur Catoni, sic in carcerem duci, vnde mox sic educeretur. Siquidem hæc Senatus tāta consensio Cæsarem ipsum mouit, vtque ait Valerius, diuini animi perseuerantiam flexit. Et quanquam hic aliquantulum fines Hispaniarum rerum egressi fuerimus, quia tamen rerum factorumque Cæsarum ac Pompeii in ipsa Hispania magna stat copia, ipsius Cæsarum vitam, originemque ciuili belli pernecessarium est attingere. Igitur Cæsar initio consulatus sentiens inuidiam contra se laborantem, & Consulibus a senatu prouincias nullius laboris & gloriæ decretas, idque in se vnum fieri cogitans, & ad suam, sicut erat, iniuriam trahens, quod collegam scilicet ista non tangerent, atque incensus cupiditate vindictæ, Gneum Pompeium Magnum, tunc Senatui infensum quod Mithridate perdomito ad ipsius Pompeii honores silentium habuisset, omni obsequio promereri studuit. Vtque solidior Gneus esset, M. Crassi amicitiam vetusto odio interruptam ex consulatu quem ambo dissidentissime gesserant, refarcire visus est. Effecitque solito ac solerti ingenio, vt ipsi tres in republ. vnū essent: ratus, vt quæ eis placuissent, nullus rescinderet. nec eum sefellit spes. Vtque amicitiam consanguinitate firmaret, filiam suam Iuliam Pompeio coniugem dedit, & vndique sibi adminicula coaceruans ipse Calphurniam Lucii Pisonis successuri sibi in cōsulatu filiam in matrimonium accepit, generique atque soceri suffragiis fultus ex omnibus prouinciis Gallias atque Illyricum prælegit, amplissimam quidem opum viam, atque vbertimā materiam triumphorum: non quod Senatus ei transalpinam Galliam libens daret, sed veritus ne a se negatam populus largiretur, & quod suum nollent munus, fieret alienum. Necdum itaque inuidia quiescente iam profectus in prouinciam accusatus ab ænulis procurauit, vt absens reipublicæ causa vocari ad iudicium non posset, posuitque in animum, omnes qui ad magistratum ascensuri essent, sibi amicos efficere, atque nullum adiuuare, sed pro viribus impedire, nisi qui sibi pollicerentur se eius amicitiam defensuros, ita vt a nonnullis iusturandum ac chirographum non vereretur accipere. Audiens vero Lucium Domitium Cōsularem candidatum, qui eum Prætor anno altero vexare voluerat, iactare solitū se, quod prætor nequisset, Consulem effecturum, sibi que exercitum erepturum, illius cōsulatum impediendi viam vnam meditatus, nouos amicos Pompeium & Crasum ad se Lucam iure amicitia euocatos induxit vt anni instantis consulatum peterent, quatenus tantis competitoribus ille succumberet. Prouidentisque in posterum, ne quid in se liuor posset hostilis, illud quoque suffragatoribus tantis obtinuit: imperium a senatu sibi in quinquennium prorogari, quæ quidem res & in Gallia, & in Italia, & in toto orbe magnorum motuum causa fuit. His enim ad vota fluentibus iam securior & despexit aduersarios, & legionibus nouis pro arbitrio conscriptis, omne quantumlibet periculosum & graue belli genus aggressus, Gallicum bellum per annos decem exercuit, de quibus ipse latius in suis commentariis meminit, quæ Franciscus Petrarcha lucidius & explanauit & abbreviauit in libro de viris illustribus, cum vitam & gesta Cæsarum latius descripsisset. Et quoniam in ciuili bello bis Cæsar Hispaniam ingressus est, vbi res bellicas mirifice gessit, primo aduersus duces Pompeianos, Lucium Afranium, Marcum Petreium, ac M. Varronem, secūdo aduersus Pompeii liberos progressus, eiusdem Cæsarum saltem summam & compēdiose narraturi sumus, ac deinde ciuili belli initium, ex quibus mala bellorum tum in Hispania, tum alibi successere.

Initium ciuili belli Caii Iulii Cæsarum, & Pompeii.

GIT itaque Cæsar (vt diximus) bellum Gallicum annis decem, cuius finis initium ciuili belli fuit. Patefacto siquidem bello Gallico, in ipso temporis discursu Pompeius qui Romæ remp. administrabat, ab antiqua Cæsarum amicitia discessit, amicosque Cæsarum cœpit multipliciter infestare. Hanc causam ciuili belli multi autores tradunt, quod Pompeius parem in rep.

Cæsar autem dominum recusarent. Præstitit autem causam dissensionis Iulia filia Cæsarum Pompeii vxor, quæ abortiuo vno filio obiit, vinculumque affinitatis solum, quo perantea fuerant fœderati. Soluta itaque coniunctione inter Cæsarem & Pompeium per obitum Iulie vxoris Pompeii ac filie Cæsarum, Pompeius solus remp. administrare cupiens amicos Cæsarum cepit multipliciter molestare, & etiam vrbe pellere. Multa itaque clam contra Cæsarem dicta tractataque sunt, inter quæ illud est de Labieni defectione. Procurauit itaque Senatus Pompeiusque, vt Labienus a Cæsare deficeret, quod effectum fuit. Erat quidem Labienus legatus Cæsarum, qui in Gallico bello multa & præclara peregerat. In Senatu quoque multa tractabantur in damnum Cæsarum, noueque viæ querebantur, quibus potestas Cæsarum quæ iam multis formidabilis esse cœperat, tolleretur, aut certe minueretur. Siquidem cunctis iam magnificentia & liberalitate Cæsare stupefactis, & quid his rebus tantis & tam late effusis sibi vellet secum multipliciter meditantibus, nec loqui aliquid audentibus, M. Claudius Marcellus Consul, cui aut amore publico, aut vero priuato odio dignitas Cæsarum ac potestas inuisa erat, frequenter Senatu testatur de salute reipublicæ se acturum definiuit: vt quum bellum in Gallia finitum esset, dimitteretur victor exercitus, & quisquam ante tempus successor Cæsari mitteretur qui in pace prouinciam gubernaret, ipse vero sine imperio rediret. Addidit etiam ne absentis ratio comitiis Cōsularibus haberetur, quod licet communi lege de omnibus cautum esset, lege tamen Cæsar exceptus erat. ita ergo sublata erat exceptio. Et non contentus Consul iniuria Cæsarum in personam illata, iis quoque quos Cæsar ciuitate donauerat, adimendam iudicauit, ambitiosam & immodestam concessionem asseuerans. His & aliis turbatus Cæsar, nec immerito, cogitansque quod sæpe dicere solitum fama fuit, operosius multoque difficilius principem a summo dignitatis gradu ad media deiici, quam a mediis ad extrema, non cedendum, vt Africanus maior fecerat, sed obstandum statuit inuidiæ, & turbare potius omnia quam exemplo illius, quamuis laudatissimo, inuictum ab hostibus vinci a ciuibus. Sed donec iure potius quam bello agendi spes superfuit, quiescendum statuens, patienter quidem, sed rectius dissimulante cuncta sustinuit, & quoniam nō nisi verbis offenderetur, adhuc verborum quoque defensionem parans, collegio tribunorū Caium Curionem multa sibi ac profusa largitione quaesuit, ne quando vel in Senatu, vel ad populum deessent suæ causæ defensores. Cū vero iam multi Cæsarum, nec non alii Pompeii formidarent potentiam, sæpe Curio ipse Senatu obtulerat, vt vterque simul ab armis abscederet, atque ad æquam ciuilitatem pariter remearēt, itaque demum securam liberamque remp. fore: idque non solum pollicitus, sed etiam contentiose nisus est efficere, certus de Cæsarum voluntate, qui id ipsum a Senatu literis petiit, vt scilicet aut sibi populi Romani beneficium integrum seruaretur, hoc est imperium cum legionibus, aut cæteri saltem duces in eadem conditione essent, exercitusque dimitterent. Ad hocque plurimum inducebat Cæsarem fides quam ad suos veteranos habebat, quod hoc facilliter poterat polliceri. sciebat enim eos quacunque sua necessitate ei non esse defuturos. Tantam enim cum eis Cæsar longo vsu familiaritatem cōtraxerat, vt que erat eis affabilis, & animorum rapax, quod hæc ab eis poterat sperare. Sed tamen neque per se, neque per tribunos quod petebat obtinuit, obstantibus fautoribus partis aduersæ qui nullum Pompeio parem pati poterant. Incidit in hoc tempus Senatusconsultum prima æquum fronte, re autem iniquum, vt duæ quidem, vna scilicet ex Pompeii, altera ex Cæsarum legionibus ad bellum Parthicum mitterentur. En in verbis æqualitas, in rebus autem iniquitas. Siquidem quum Pompeius vnā ex suis quibus ipse præerat amicitia iure Cæsari concessisset, illam bello Parthico deputauit verbo non animo, eamque repetiit: eam Cæsar remisit, & ex suis misit vnā. Ita Pompeium nulla, Cæsarem vero duabus legionibus imminutum nemo fuit qui non intelligeret. Tulit tamen cum etiam cum aduersariis pacifici voluit, vt transalpina Gallia & Illyricum cum duabus tantum legionibus, & nomen imperii remaneret, donec Consul fieret. Denique eo vsque submisit excelsum animum, vt qui Cæsarem non nosset, suspicari eum posset

posset belli metu ad ista descendere, quo nihil erat ab illius viri moribus ac mente remotius, sed tantum illi studium fuit, vel exercendæ, vel simulandæ modestiæ, vt quiduis videri potius eligeret quā publicæ tranquillitatis euerfor. Cumque obstinatos ad negandum cerneret, Senatum sibi aduersum, & e suis inimicis designatos iam Consules, audiretque Tribunos qui sibi adhærebant, nihil posse, imo propter se periculo atque odio expositos, non amplius differendum ratus: ne autem sui periclitaretur, aut ipse cunctatione vilesceret, dispositis more solito per hyberna legionibus, vltimo transitu ex Galliis in Italiam rediit. Quo cum venisset, inuenit illas duas legiones sub obtentu Parthici belli sibi ereptas, nec ad bellum profectas, sed in Italia detentas, quin & Pompeio assignatas. Quod ad euidentem Cæsarum iniuriam pertinere, non solum ipse vir talis, sed quicumque de populo perpendebat. adhuc tamen tacitus processit, conuentibusque peractis, vt solebat, Rauennam venit vrbe suæ prouinciæ ab ea parte nouissimam, vt neque terminos suos excederet, & proximus esset aduersariis, & paratus vlcisci, si quid forte sui odio in Tribunos inimici sui decreuissent. Et hoc quidem belli ciuilibus initium, hæcque fuerunt causæ, aliquam fortasse non paruam iustitiæ faciem habentes (si qua vnquam esse potest iustitiæ causa patriam oppugnandi) quamuis ab aliis minus iustitiæ causæ quædam afferantur, sed odium manifestum testimonii fidem leuat. Gneus igitur Pompeius gener atque hostis factus Cæsarum dicit eum, ideo quod non posset opera incepta perficere, neque de se populi expectationem adimplere, ideo turbare omnia voluisse, ne in turpitudine veritas appareret. Fuere qui timuisse illum dicerent, ne eorum quæ primo consulatu contra leges gesserat, rationem reddere graui suo periculo cogeretur, cum M. Cato ille vltimus, cuius virtus & grauitas cōminationem eius non minus terribilem quam cuiuscunque consulis faciebat, palam diceret ac iuraret, se nomen Cæsarum, mox vt priuatus ipse inciperet, inter reos delaturum, siue hoc publicæ ille iustitiæ studiosus, seu propriæ memor iniuriæ. Vnde iam in vulgus effusum erat, idem Cæsari euenturum quod Miloni, vt circūseptus armatis apud iudices, seu ex vinculis causam dicat. Aliis visum est, eum spatio plurimorum annorum imperio assuefactum dedidisse priuatum modum, & sola cupidine dominandi in bella ciuilia concessisse. Hæc est enim diuersitas opinionum in causa Cæsarum, quam Tullius diuersis in locis damnat. Franciscus vero Petrarcha in lib. de viris illustrib. Cæsarem excusat, adducens ad hoc plurimas epistolam signanter Tullii. Ad historiam igitur reuertamur.

Quomodo Cæsar a Rauenta fines populi Romani aggreditur, & in vrbe properat.

QUUM Rauennæ igitur Cæsar substitisset, ne prouinciæ suæ terminos transgrediendo aperte agere contra rempub. videretur, audiens Tribunos qui pro eo erant, contemptui habitos, & vel vi vrbe depullos, vel sua sponte digressos, Romæ omnes vnanimiter contra se sentire, omnia sui odio diuina atque humana misceri ac perueri, se quoque patientiam contemptum iri cogitans, neque iam amplius ferendum dissimulandumque aliquid existimans, euocatis legionibus vbicunque essent, præmissisque clam cohortibus quæ aderant: sero tamen clandestino egressu secretum iter paucis comitatus arripuit, in quo quum nocte tota decrasset, vix ad auroram duces aliquem casus obtulit. Quo primo ad rectum iter a perplexo ac difficili calle reuerso, inuentisque cohortibus quas præmiserat, ad Rubiconem venit amnem exiguum, sed magnarum tunc limitum regionum, ibique parumper cogitabundus substitit secum tacitus, examinans quantum opus aggredere. Tandem versus ad comites, Adhuc, inquit, cœptis resistere & reuerti licet: & si riuum hunc transgredimur, ferro nobis gerenda sunt omnia. ibi hærens dubiusque animi huiusmodi visione firmatus est. Quidam sibi & statura & specie corporis supra humanū modum subito visus est, qui amnis ad ripam sedens pastoriam modulabatur arundine. Ad quem, vt alias nō visum, cum pastores locorum & quidam quoque militum con-

uenissent, ille subito vnus e manu tubicinum erepta tuba, vehementi inflatu increpuit. Motus ergo tanto spectaculo, Eatur ergo, ait, eatur, quo deorum prodigia, atque hostium notat iniquitas. cœpta res est. Hæc dicens transit, ac traduxit exercitum, Ariminumque urbem proximam longa pace tranquillam attingit, & patentibus portis introgressus, tribunis plebis qui propter eius odium pulsi sibi obuiam veniebant astantibus, concionem habuit ad exercitum in medio fori. Fuit autem concio efficacissima, scissa (vt ferunt) veste veris seu fictis cum lachrymis ad suam dignitatem contra inuidiam hostium conseruandam, fidemque militum implorans, & ingentia promittens. Cæsarem itaque Arimini agentem Lucius Cæsar adolescens adiit, qui patrē habebat Cæsaris legatum. is a Pompeio ad Cæsarem missus erat iure amicitiae quæ inter eos erat. Ea vero huiusmodi fuerat: Excusare se Pompeium Cæsari, & poscere ne ea quæ pro Reip. studio atque amore gesserit, ad iniuriam suam trahat. carum enim esse sibi Cæsarem, sed Remp. rebus omnibus cariorem & esse, & semper fuisse. Similiter & Cæsari etiam caram esse debere, vt priuatus suas iniurias ac inimicitias Reip. remittat. ne tam grauiter irascatur, vt dum hostibus vult nocere, patriæ immeritæ noceat: idque ita facere, ad suum decus eximium pertinere. Ad ea Cæsaris responsio paulo longior fuit. Rememorauit iniurias pro multis in Rempub. meritis sibi illatas, paratum se tamen omnia Reipub. condonare, ita tamen, vt decedant omnes ab armis, & ad ciuilitatem solitam reuertantur. Proficiscatur ergo Pompeius in Hispaniam prouinciam suam, dimittantur exercitus omnes per Italiam, arma deponant, cessent motus & metus publici, sit togata ciuitas, non armata, se quoque æquissimo animo quieturum, iniuriasque omnes & contumelias obliturum. Ad hæc tamen faciendæ & iureiurando confirmandæ petiit, vt Pompeius accederet, vel se accedere pateretur. sperare enim se, colloquio & conspectu mutuo omnes controuersias finiendas. Hac itaque responsione in scriptis in Senatu redacta, responsum est a Pompeio, vt Cæsar quamprimum in Galliam reuertatur, exercitumque dimittat. quo facto iturum in Hispaniam Pompeium: alioqui nihil de delectibus armisque omisuros Consules. Hinc pacis desperatio & belli præludium visum est. Erat interea ad custodiam Arimini ciuitatis Aëtius Varus, quem decuriones Ariminiani summo ad eum consensu, dicuntque notum sibi esse Cæsaris aduentum, neque vero propositi sui esse suorumque ciuium, neque rationi consonum videri, imperatorem populi Romani, talem virum, de imperio sic meritum, tot victoriis insignem mœnibus amicæ urbis arceri: orant, vt famæ, vt suo suorumque discrimini, dum tempus est, consulat. His permotus Varus, & perniciem timens, fugam arripit, & insequentibus Cæsaris militibus prælio decernere coactus, ac desertus a suis solus abiit, quibusdam eorum domum, aliis vero ad Cæsarem confugientibus. quos Cæsar collaudatos benigne suscepit, & Lucium Pupium centurionem partis aduersæ ad se adductum ilico relaxari ac dimitti iussit. Ariminum ingressus ciuibus gratias egit, atque illorum erga eum caritatis non immemorem se futurum spondet. Quibus Romæ cognitis tantus paor omnium mentes inuasit, vt ab vrbe omnes fere abscederent, ipsique Consules, atque ipse Pompeius, actum suis de rebus opinantes, & ex vnus oppidi euentu omnia metuentes. Mirum valde, vnde in tam paruis animis tam magna superbia, vt eius viri meritos honores ac gloriam tam pertinaciter detrectarent, cuius nec conspectum certe, neque viciniam pati possent, & talem patriam solum ad illius nomen vniuersali animorum conseruatione desererent. sed vrgebat hinc inuidia, inde autem terrebat fama viri, quæ eousque creuerat, vt clementissimus omnium præ omnibus atque ab omnibus timeretur. His ad Ariminum gestis Picenum omne (cuius olim Asculum, hodie Ancon est caput) nullo vsquam contradicente peruagatur, sed cunctis sibi urbibus atque oppidis obuiam mittentibus, latoque eum atque exercitum eius obsequio ac fauore prosequentibus. Diffuso itaque metu, simul & fama virtutis, & vulgato horum de quibus diximus exemplo, cæteri omnes sequebantur. vndique fiebant deditiones, & si quis præfectorum contradiceret, capiebatur aut pellebatur. Itaque pulsus ex Hetruria Libo, Thermus ex Umbria, ex Asculo Lentulus, captus & Gneus Magius præfectus fabrûm. Et quæ

Magius

Magius ad Cæsarem ductus esset, & supplicium formidaret, Cæsar eum placato animo dimisit, & Vade (inquit) ad Pompeium, eique meis verbis nuncia, quoniam ad hunc diem non fuerit nobis opportunitas colloquendi, atque ego Brundisium, quo iuisse illum audio, profecturus sum, credo, vt colloquamur, expedire publicæ salutis, cuius curam gerere maxime nostrum est. Non est autem par effectus, per nuncios de longinquo, atque inter præsentis ista tractari, quod conspecti vultus, & viuæ voces ad mouendos animos multum possint. Occupato sine ictu gladii Piceno Corfinium progreditur. ibi contentionis plusculum fuit. Pendente tamē obsidione, Lentulus per murum egressus, & sinem metuens ad Cæsarem venit, sibi atque intrinsecis veniam petens. Ad quem Cæsaris responsio fuit: Non se, vt cuiquam malefaceret, venisse, sed vt ab inimicorum malitiis atque iniuriis tueretur, ac tribunus plebis sui odio in exilium actos in suam reponeret dignitatem, denique vt seipsum ac populum Romanum ex paucorum tyrannide conculcatum antiquæ redderet libertati. Oppido tunc præerat Lucius Domitius vir magni animi, sed exigue fortunatus, & bello promptus, sed infaustus. is defensionem parans, sed ab oppidanis ad deditiōnem coactus, quum mori mallet, venenum a seruo medico poposcit. quod ille nec dare volens, nec negare ausus, vt qui domini mores nosset, poculum somniferum pro veneno obtulit: quo ille hausto graui sopore resolutus conqueiuit. Experrectus postmodum, & delusum se intelligens, vixque a seruo manus abstinens, cum multis nobilibus qui secum sentiebant, vincens ad Cæsarem est perductus, mori appetens: quem Cæsar ilico solui iussit, neue quis eorum a militibus re vel verbis offenderetur, inhibuit, questusque breuiter, quod pro suis ingentibus & in illos & in Rempub. meritis referre sibi debitam gratiam neglexissent, & iniurias ac contumelias retulissent, cunctos dimisit incolumes. quin & pecuniæ pondus ingens Domitii depositum, & ab oppidanis oblatum, quamuis & pecunia publica esset, & in stipendium numerata, Domitio restituit, ne sanguinis, quam pecuniæ abstinentior videretur. Nihil postremo ex ea victoria, vel prædæ cuiuspiam, vel vltionis accepit, nisi quod Domitii milites sacramento ad eum inuitos (vt arbitror) sed eo libentius iurantes, quo foelicus est sub victore, quam fugaci duce militare. Vulgatis namque quæ ad Corfinium acta erant, multum merus omnibus demptum, multumque spei additum est cognoscentibus, Cæsarem nihil bello nisi victoriam petere. Vnde (vt diximus) & Tuscorum populi, & omnis Umbria pulsus inde præsidis ad Cæsarem transiere.

Pompeius a Luceria digressus Brundisium Apulia petiit, eum Cæsar insequitur & obsidet.

His itaque rebus more Cæsaris velociter gestis ac prospere, cum iam secum Gallia omnis Cisalpina sentiret, magnas Italiae partes primo occupauit aduentu. Sed cum spes cæteris omnibus, soli Pompeio ac Senatus additus timor fuisset, qui Pompeius ac Senatus in Domitio multum momenti reposuerant, & sæpe eum per literas euocatum expectabant. Itaque confestim his cognitis Pompeius Luceria digressus, vbi belli sedem constitui se videbatur, Brundisium petiit, vt Italiae littore in extremo promptior esset ad transitum. Ita enim animo decreuerat relicta Italia transmarina tentare, siue id solo metu pellente, siue intentione illa, quia ibi tutior esset ab hoste. Cæsar autem semper propinquus atque contiguus hostibus esse festinans, non nisi septem dierum mora ad Corfinium exacta, eo ipso die quo Domitium captiuosque dimiserat, motis castris in Apuliam perrexit. Et quoniam Cæsar inter omnes exactos de clementia laudatur, quum a quibusdam amicis Cornelio Balbo, Oppio fuisset per literas collaudatus de iis quæ Corfinii gessit, ipse sua illis epistola memoratu digna respondit per hæc verba: Cæsar Oppio Cornelioque salutem. Gaudeo me hercle, vos significare literis, quam valde probetis ea quæ apud Corfinium gesta sunt. Consilio vestro vtat libenter, & hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, vt quam lenissi-

k ij

mum me præberem, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. Tentemus
 hoc, si possumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti, quoni-
 am reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neq; victoriam diutius te-
 nere, præter vnum Lucium Syllam, quem imitaturus non sum. Hæc nostra sit ra-
 tio vincendi, vt misericordia nos muniamus. id quemadmodum fieri possit, non-
 nulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri possunt. De his rebus rogo vos, vt
 cogitationem suscipiatis. Gneum Magium Pompeii præfectum deprehendi, sci-
 licet meo instituto vsus sum, & eum statim missum feci. Iam duo præfecti partium
 Pompeii in meam potestatem venerunt, & a me missi sunt. Si volent grati esse, de-
 bebunt Pompeium hortari, vt malit mihi esse amicus quam illis, qui illi & mihi
 semper fuerunt inimicissimi, quorum artificijs effectum est, vt Respub. in huc sta-
 tum peruenerit. Ciceroni præterea qui etiam sibi de hoc scripserat, factumque
 laudauerat, qui se inter partes ad hæc medium, licet magna animi fluctuatione, &
 multa consiliorum varietate, constituerat, rescripsit per hæc verba: Cæsar im-
 perator Ciceroni salutem dicit. Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus
 sum) nihil a me longius crudelitate. Atque ego cum ex ipsa re magnam capio vo-
 luptatem, tamen meum factum probari abs te triumpho, gaudeo. Neque illud me
 mouet, quod ii qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur, vt mihi rursus bellum in-
 ferrent. Nihil enim malo, quã & me mei similem esse, illos sui. Quã itaq; Cæsar
 Apuliam attingisset, mox Brundisium adiit, Pompeiumque iam prægressum vali-
 da obsidione circumdedit. De quo idem Cæsar suprascriptis scribit per hæc ver-
 ba: Cæsar Oppio Cornelioque salutem. Ad septimum Idus Martias Brundu-
 sium veni, ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii, misit ad me Gneum
 Magium de pace. quæ visa sunt respondi. Hæc vos statim scire volui. Quum in
 spem venero, de compositione aliquid me conficere, statim vos certiores faciam.
 Et quoniam propter nauium penuriam mari eum obsidere non poterat, timens
 hostis fugam, famosissimum maximumque illum portum saxorum molibus inie-
 ctis obstruerenifus est, opus non tantum hominum, sed naturæ improbum atq; in-
 extricabile. Quum vero exitu eum prohibere illo modo natura ipsum prohibente
 non posset, catenis os portus præclusit. Sed nec sic detinere valuit Pompeium,
 quin mari Hadriatico Dyrrachium nauigaret.

Cæsar Romam intrat, & inde in Hispaniam properat.

QUUM itaque intellexisset Cæsar Pompeium a Brundisio digressum
 fugatumq; cum non posset eum commode sequi propter nauium pe-
 nuriam (vt dictum est) Brundisium ingressus est, ibique concionem
 habuit, qua iustitiam causæ suæ iniuriasque hostium omnibus aperit.
 Quo facto cum sua illis in locis inutilis mora esset, ne quod sibi
 tempus otiosum efflueret, urbem Romam versus iter arripuit, toto belli Gallici de-
 cennio non visam. Cuius aduentus fama cognita quantus Romæ terror fuerit,
 non facile dictu est: multo quidem maior, quam necesse fuerat. Iratus siquidem
 multis erat, & fortasse non immerito, sed iratiorem existimabant. Non enim natu-
 raliter, neque nisi magnis ex causis ad iracundiam pronus erat. Venit igitur Ro-
 mam Senatūque habuit ex iis patribus qui domi substitierant, ibi perpetuam di-
 ctaturam ipse sibi sua autoritate arripuit. Vnde Cæsar dictatoris nomine multa
 quoque constituit, in quibus pro lege voluntas fuit. Illud inter cuncta memora-
 bile est. nam ærarium populi Romani, quod tot victoriæ, tot secula compleue-
 rant, vno die exhaustit, interque alia (vt scriptum est) protulit ex eo latorum au-
 reorum viginti & sex millia, non thesaurizandi cupiditate, sed largiendi. Nam (vt
 alter ait) nemo liberalius victoria vsus est, nihil sibi retinuit præter dispensandi
 potestatem. Compositis itaque rebus urbanis, vt melius visum est, animum ad
 extrema conuertit, atque in primis Siciliam atque Sardiniam, illa duo horrea
 populi Romani, per legatos administrare disposuit, de Gallia nihil sollicitus, quam
 in summa pace reliquerat: solam respexit Hispaniam, cogitantemque quum primum
 classis

classis opportunitas affuisset, vestigiis Pompeium assequi, ne quid a tergo formi-
 dabile relinqueret. Decreuit ergo in ipsam Hispaniam proficisci, vbi Pompeii co-
 piæ ingentes erant, quarum præsidio Hispania omnis tenebatur sub legatis tribus
 M. Petreio, Lucio Afranio, & M. Varrone. Eo vero in Hispaniam pergente, Mas-
 filia fœderata ciuitas, & ab ipso principio amicissima populi Romani, non sui o-
 dio, sed ingent studio Reipublicæ portas clausit. quam ille quum obsidione cin-
 xisset, Decium Brutum adolescentem, & C. Trebonium legatum cum parte co-
 piarum ad eam oppugnandam reliquit. Caium Fabium legatum cum tribus legio-
 nibus quas Narbonæ circumque ea loca hyemandi causa disposuerat, præmittit ad
 occupandum Pyrenæi saltum, celeriterque ab eo occupati sunt, quicco tempore a
 Lucio Afranio præsidio tenebatur. Reliquas legiones, vt longius hybernabant,
 subsequi iubet. Afranius enim se continebat ad oppidum Castillionem non longe
 a Pyrenæi saltu, loco vocato a modernis Pertusio, supra collem vbi nunc arx con-
 structa est. Diuisa siquidem Hispania erat inter tres præfatos Pompeii legatos,
 quoniam Afranius præsidebat a Pyrenæo Castillioneque citeriori omni Hispani-
 niæ: Petreius vero ab Ana flumine (nunc Godiana dicto) vsque ad Cantabros
 (qui Nauarri sunt) Oceanumque: Marcus vero Varro Lusitaniam Bæticamque
 obtinebat. Fabius itaque (vt fuerat imperatum a Cæsare) a Narbona primo ad-
 uentu Pyrenæum occupat, præsidiumque a saltu deiecit, magnaque celeritate ad
 exercitum Afranii contendit. Afranius vero intelligens colle Pyrenæi occupato,
 patere aditum Cæsari in Hispaniam, ab agro Emporitaniensi properat coniungi Pe-
 treio ac Varroni, communicatoque consilio de aduentu Cæsaris statutum est, vt
 Petreius cum duabus legionibus coniungatur Afranio, Varro vero aliis duabus
 legionibus tutetur omnem ulteriorem Hispaniam: statutumque insuper est, vt bel-
 lum ad Ilerdam geratur propter loci opportunitatem. interim Petreius a Lusita-
 niâ per Vectones (qui Legionenses sunt) cum legionibus & omnibus amicorum
 auxiliis ad Ilerdam urbem citerioris Hispaniæ properet. Interea Cæsar occupato
 Pyrenæo a Fabio Emporium urbem ingressus est. Erat enim vrbs regionis metro-
 polis in duas diuisa vrbes & moenia: vna quidem fuerat ad mare, quæ Græcam ha-
 buerat originem cum Massiliensibus ex Phocensibus, & ea etiam Græco idioma-
 te loquebatur: altera, quæ fuerat Celtiberorum ad Occidentem versus, hæcque
 regionalium colonum fuit. Vtraque vero suo vallo, suisque moenibus, ac seiunctis
 custodiis tutabatur. In ea siquidem vrbe Cæsar ab vtrisque acceptus benigne, ti-
 mens ne si ab hinc digrederetur, vrbs propter Pompeianorum amicitiam Massi-
 liensiumque affinitatem deficeret, tertiam urbem addidit. instruxit siquidem vr-
 bem ad Meridianum vtrique, Græcæ & Celtiberorum vicinam, quam ex Roma-
 nis instruxit, & Romanorum coloniam effecit in præsidium regionis. Cæsar igitur
 his compositis occupato omni Emporitano & Gerundenfî agro ad Ilerdam pro-
 perat secutus Afranium Petreiumque.

Prælia Cæsaris apud Ilerdam urbem, cum L. Afranio, & Marco Petreio.

QUUM itaque peruentum esset ad Ilerdam, erant exercitus Afranii Pe-
 treiique cum vrbe coniuncti. Est enim Ilerda ciuitas sita inter duo flu-
 mina, Sicorim & Cingam. Cæsar itaque duos pontes astruxit ad Sico-
 rim amnem quatuor milliaribus inter se distantes, per quos exercitus
 pabulatum iret, quum magna pars eorum quæ fuerant citra Sicorim, consumpta
 fuerit. Itidemque Pompeiani fecere, propter eaque sæpius inter se equestribus
 præliis contendebant. Cæsar igitur castra posuerat inter duos amnes Sicorim &
 Cingam supra urbem, ad eam partem vbi oppidum Baleaquerum situm est. ibi in
 Sicori duo pontes erant a Fabio constructi. Quumque Fabii duæ legiones irent
 præsidio pro more eorum, qui vltra flumen pabulantur, quum transissent pontem
 vrbi proximum, præ multitudine iumentorum sequentium, & vi aquarum pons
 interruptus est. Quod vbi intellectum est a Pompeianis, quatuor legiones missæ
 sunt ab Afranio vrbi ac castris, vt fortunæ beneficio vterentur ad opprimendum

duas Fabii legiones. Re itaque nunciata Lucio Planco qui duabus legionibus Fabianis præerat, necessaria re coactus locum capit superiorem, omnemque comitatum in duas diuidit acies, ne ab equitatu circumueniri faciliter posset. Ita Planco hostium impetum satis dispari numero sustinet. Commisso itaque prælio ab equitibus, signa legionum duarum procul ab utrisque conspiciuntur, quas Fabius vteriori ponte subsidio suis miserat, suspicatus id quod accidit: quarum aduentu prælium dirimitur, ac uterque reducit suas legiones in castra. Post vero, die scilicet tertio, refecto iam prope ponte qui fuerat interruptus, relicto præsidio in castris pontibusque, triplici instructa acie ad Ilerdam proficiscitur, & sub castris Afranii constitit. At Cæsar ubi paululum sub armis constitisset, exhibet de se opportuno loco pugnandi facultatem: qua opportunitate facta Afranius copias educit, & in medio colle sub castris constitit. Cæsar autem ubi cognouit Afranium prælium respuere, ab infimis radicibus montis intermissis quadringentis circiter passibus castra ponere constituit, & ne milites in opere faciendo impedirentur incur sionibus hostium, propugnacula in castris fieri prohibuit, quæ a procul cernerentur, sed constitutis aciebus prima & secunda ante castra, fossam latitudinis pedum quindecim fieri iussit. Adstantibus itaque duabus aciebus ante castra ne opus inceptum videretur ab hostibus, tertia a tergo acies opus fossæ perficiebat. Sic omne opus perfectum est, antequam ab Afranio perciperetur. Vespere itaque facto Cæsar legiones intra hanc fossam reduxit, & omne per circuitum opus patentibus propugnandis a cæteris legionibus fieri iussit, & interim legiones expeditas contra hostes constituit. Afranius itaque atque Petreius quum intellexissent inceptum opus, terrendi & impediendi causa copias suas ad infimas montis radices producit, ut prælio Cæsarianos lacerant. Neque tamen Cæsar opus intermittit, confusus præsidio trium legionum quas in armis habebat, & fossæ: ipsi tamen non diu ibi commorati, nec ab infima collis radice digressi copias in castra reducunt. Erat itaque in vrbe Ilerda, ac prope ubi Petreius & Afranius castra habebant, mons planiciem habens desuper passuum trecentorum, atque in ipsius planicie medio planicies paulo eminentior. quem tumulum Cæsar cogitauit occupare, & communire, sperans ab eodem loco & occupare pontem, & commeatum ab vrbe castris Afranii & Petreii prohibere. Hoc cogitans legiones tres Cæsar a castris eduxit ad occupandum collem, acie in locis idoneis instructa, atque vnam legionem ad occupandum collem procurrere iubet. Qua re ab Afranianis cognita, celeriter cohortes Afranii breuiori itinere ad eundem occupandum locum mittuntur. Locus namque ab Afranianis præoccupatus est veloci cursu, atque Cæsariani compulsi sunt intra suas legiones recipere. qui hoc graue ferentes in hostes urbem versus prorumpentes, quinque horis præliatum est, & Afraniani in urbem compulsi sunt. Multi utrinque mortui sunt, multi vulnerati: Afraniani enim tumulum eo die retinuerunt, & plurimum magnis operibus munierunt, præsidiumque eodem in loco posuerunt, in quo nunc templum monasteriumque de Gaderni stare cognouimus. Interim post biduum vero accidit incommodum inopinatum. Tanta enim vis tempestatis exortitur, ut nunquam maiores aquas illis in locis fuisse constaret. ex omnibus enim montibus niues maximæ profilierunt, adeo ut omnes ripas fluminum superassent: pontesque ambos quos Fabius in Sicori cõfecerat, vno die interrupit, quæ res maximas incommoditates attulit Cæsarianis. Castra enim Cæsaris posita erant inter duo flumina Sicorim & Cingam, neutrum transiri poterat pro commeatu, necessarioque omnes intra has continebantur angustias, neque ciuitates quæ ad Cæsaris amicitiam accesserant, frumentum portare, neque ii qui pabularum ire longius decreuerant, interclusi fluminibus reuerti poterant, neque maximi commeatu qui ex Italia & Gallia veniebant, transire. Tempusque erat difficilimum, quo frumenta non comperiebantur hyemis decurso tempore, neque frumenta noua multum a maturitate distabant, atque omnes ciuitates frumentis exinanitæ fuerant, quoniã Afranius ante Cæsaris aduentum, omne frumentum Ilerdam duci iusserat. Reliqui si aliquid fuerat, Cæsar ipse cum ipso exercitu cõsumperat. Exercitus autem Afranii rebus omnibus abundabat, causam ad id præstante ponte vrbe Ilerdæ, per quem

quem commeatu ab omni parte ad Afranii castra poterant asportari: & frumentum per antea superioribus temporibus iam prouisum. Permanerunt itaque aquæ dies complures, Cæsarque conatus est pontes reficere, sed nec magnitudo fluminis & aquarum, & expeditæ cohortes aduersariorum ad ripam fluminis ad defensionem paratæ hoc permittebant. Interim magnus commeatu qui ex Gallia & Ruthenis cum multis curribus Gallico more, cum multisque iumentis ad Cæsaris castra portabatur, inuaditur a Pompeianis, frumentum capitur, & multi ex iis qui comitabantur. Nunciatur res per literas Romæ, magna hinc inde laus Afranii Petreiique prædicatur, multique ad Pompeium currunt, finis belli ex illo incommodo breuissime speratur. Interea Cæsar, quo melius poterat, incommoda supportabat, colonos urbium remittebat ciuitatibus quæ ad eius amicitiam accesserant, quæ blado carebant, pecus imperabat. His sic se habentibus, interque has angustias Cæsar positus, naues & scaphas militibus fieri iubet, cuius generis superioribus annis eum Britannia vsus docuerat, ex leui primum materia viminibus contextas, corioque cooperatas, piceque linitas, quas perfectas curribus suppositas deducit ad flumen loco a castris duobus & viginti millibus passuum distanti, militeque trans flumen in proximam ripam transportat, collemque ripæ proximum occupat, ipsumque collem, antequam intelligeretur ab Afranio, summa celeritate communiuit, legionemque statim traiecit, pontemque ab utroque latere biduo perfecit. Ita commeatu & eos qui frumenti causa proceperant, tute recipit ad se, & rem frumentariam incepit expedire. Eodem die equitum magna pars traiecit flumen, qui pabulatores inopinantes & sine vilo dissipatos timore aggressi, quam magnum numerum hominum atque iumentorum intercipiunt capiuntque. Missi que aliis centuriatis cohortibus in subsidium, in duas se partes diuidunt, ut alii videlicet prædæ sint præsidio, alii vero ut venientibus resistant, eosque propellant: circumueniuntque cohortem vnam quæ ante alias procurrerat seclusam, atque eam interficiunt, incolumesque cum magna prædâ eodem ponte in castra reuertuntur. Itaque perfecto ponte statim fortuna mutatur. Afraniani namque perterriti virtute equitum, minus libere ac minus audacter vagabantur. Interim Oscenses & Calagurritani confederati ad inuicem legatos ad Cæsarem mittunt, se facturos quicquid per eum fuerit imperatum, hostiam sequuntur Tarraconenses, & Lacetani (qui & Barcinonenses sunt) & Aufetani (qui & Vicensenses) & post paululum Iarqueones (qui & Dertusenses fuere, oraque Iberi obtinent) Hos Cæsar hortatur, ut eius castra frumento iuuent: quod ipsi se facturos pollicentur, conquisitisque hinc inde iumentis in Cæsaris castra deportant. Eratque cum Afranio cohors vna Illurgauonensium siue Iarqueonum, quæ cognito consilio ciuitatis ad Cæsarem transit. Magna quidem celeriter fit rerum commutatio perfecto ponte, magnis quidem ciuitatibus ad amicitiam adiunctis, extinctis rumoribus de auxiliis legionum quæ cum Pompeio per Mauritaniam venire dicebantur. Multæ longiores ciuitates ab Afranio deficiunt, & Cæsaris amicitiam sequuntur. Quibus rebus perterritis animis aduersariorum, Cæsar, ne semper magno circuitu equitatus per pontem esset mittendus, compertis idoneis locis fossas xxx. pedum in latitudinem complures fieri iubet, quibus partem aliquam Sicoris auerteret, vadumque in eo flumine efficeret. Quibus effectis Afranius Petreiusque in magnum timorem perueniunt, ne omnino frumento pabuloque intercluderentur, quoniam multum Cæsar equitatu valebat. itaque constitunt ipsi locis excedere, & in Celtiberiam bellum transferre. Iuuabat hoc propositum Valentia, nonnullæque ciuitates quæ olim a Lucio Sertorio defecerant, adhererantque Pompeio, in eiusque amicitia permanerant multis receptis ab eo beneficiis, & enixe eum diligebant. Cæsaris enim in Celtiberis & Hispanis erat nomen obscurius, illiusque plurimi faciem pertimebant. Ab his itaque ciuitatibus magnos equitatus, magnaque auxilia expectabant, differuntque bellum in hyemem, in quo potuissent hinc inde plurima auxilia contraxisse. Hoc inito consilio per totum annum Iberi naues congregari iubent, atque effetri in oppidum Octogesima (quod hodierno idiomate Hitona dicitur) ibique pontem instrui iubent ad transitum Iberi, distabatque oppidum Octogesima siue Hitona a castris miliaribus xxx. Interim

legiones duas pontem Ilerdæ transire iubet: trans Sicorim castra muniuntur fossa latitudinis pedum xii. Quare per exploratores cognita, summo labore militum Cæsar continuato opere die noctuq; in auertendo flumine huc reduxerat rem, vt equites etsi difficulter ac ægre possent, tamen auderent flumen transire, pedites vero tantummodo humeris ac summo pectore extarent, & tam magnitudine aquæ, quam etiam rapiditate fluminis ad transeundū impedirentur. Eodem tamen tempore pons in Ibero ab Afranius effectus nunciabatur, & in Sicori iam vadum reperiebatur, & ideo iam magis Afranius atq; Petreius festinandum iter existimabant. Itaq; duabus auxiliariis cohortibus Ilerdæ pro præsidio relictis, cum omnibus copiis Sicorim transeunt, & cum duabus legionibus quas superioribus diebus traduxerant, castra coniungunt. Cæsar enim nihil sperabat nisi equitatum aduersus Pompeianos, & cum pons eius magnum habuisset circuitum, multo breuiori itinere Pompeiani poterant ad Iberum peruenire. Equites itaq; a Cæsare missi flumen transeunt, & cum tertia vigilia Afranius & Petreius castra mouissent, repente Cæsariani ad vltimum agmen ostenduntur, atq; magna multitudine circumfusa morari atq; iter impedire incipiunt: atq; ipsi Cæsariani Pompeianos aggrediuntur, insultant, & incurfant, adeo vt nunc sustinere, nunc in eos irrumpere, nunc fugere compellerentur, sæpius rumpere alas cogebant, inferri signa. Totis vero castris milites circulari, & dolere hostem e manibus dimitti, bellum necessario longius duci: hortabanturq; milites centuriones tribunosq; militū, vt per eos certior Cæsar fieret, ne labori suo, neve periculo parceret, paratos sese audere ea omnia quæ expedirent, transire flumen vado eo modo, quo traductus fuerat equitatus. Quorum studio & vocibus excitatus Cæsar, etsi timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum obicere, conandum tamen atq; experiendum iudicauit. Itaq; infirmiores milites ex omnibus centuriis deligi iubet, quorum aut animus, aut vires viderentur sustinere non posse, quos cum legione una castris præsidio reliquit, reliquas omnes legiones expeditas educit, magno numero iumentorum in flumine supra infraq; constituto traduxit exercitum. Pauci tamē a flumine erepti sunt, qui statim ab equitatu suscepti sunt, & nemo ibi interiiit. Traducto itaq; in columi exercitu copias instruxit, triplicemq; aciem ducere incipit, ac tantū fuit studii in militibus, vt sex milliaribus ad iter per vadum de circuitu factis, magna; fluminis mora interposita eos qui tertia vigilia exissent e castris, ante horam diei nonam attingissent & consecuti fuissent. Quos vbi Afranius & Petreius procul vidissent, noua re perterriti locis superioribus constiterunt, aciesq; instruxerunt. Cæsar tunc in campis exercitum refecit, ne defessum prælio obiceret. rursus conantes progredi insequitur, & detinet, & moratur. Properant maturius atq; consultius quam constituerant, castra ponunt (suberat enim montes, atq; a millibus passuum quinque itinera difficilia atq; angusta excipiebant. hos montes intra se recipiebant, vt equitatum Cæsaris effugerent, præsidiiq; in angustiis collocatis exercitum itinere prohiberent, & ipsi sine periculo ac timore ad Iberum copias traducerēt. quod fuit illis conandum, atq; omni ratione efficiendum) & totius diei pugna & itineris labore defessi rem in posterum diem distulerunt. Cæsar quoq; in proximo colle castra ponit. media circiter nocte ii qui aquandi causa longius e castris processerant, ab equitibus Pompeianis correpti sunt. Fit certior Cæsar, duces Pompeianos silentio copias ex castris educere. quo cognito signum dari iubet, & vasa omnia castrorum militari more conclamari. Illi exaudito clamore, veriti ne nocte impediti non pari conditione configere cogentur, aut ne ab equitatu Cæsaris in angustiis itinerum tenerentur, iter supprimunt, copiasq; in castris continent. Postero vero die Petreius cū paucis equitibus occulte ad exploranda loca proficiscitur. hoc etiā idem fit ex castris Cæsaris. mittitur Lucius Decidius Saxo cum paucis qui loci naturā perspiciant. vterq; idem suis renunciat, esse quinque milliaria campestris itineris, inde incipere loca saxosa atq; montuosa: vnde qui prior has angustias occupauerit, hostem ab eodem itinere prohiberi. Disputatur igitur in Petreii & Afranii concilio, & tempus profectiois quaeritur. pleriq; censebant, vt noctu iter fieret: sic enim eos posse prius ad angustias peruenire quam sentirentur. alii sumebant

bant argumento ex nocturno conclamatu in castris Cæsaris, ex eo loco non posse clam exiri, atq; circundari noctis tempore equitatum Cæsaris, omniaq; loca & itinera obsideri, nocturna; prælia maxime esse vitanda, quoniam perterriti milites timori magis quam religioni consulere consueverint: ad lucem multum prodesset pudorem omnium oculis, multum etiam tribunorum militum & centurionum præsentiam afferre, quibus rebus coerceri milites, & in eorum officio contineri soleant. Hæc tandem post multa euicit in concilio sententia, vt omni ratione esset interdiu prorumpendum, etiamsi aliquo accepto incommodo, tamen coniectabant salua summa exercitus locum quem petebant, capi posse: & prima luce postero die constituunt proficisci. Cæsar exploratis regionibus, albente cælo omnes copias e castris educit, magnoq; circuitu nullo certo itinere exercitū educit, quoniam itinera quæ ad Iberum & Octogesimam siue Hitonam ducunt, castris oppositis Pompeianorum tenebantur, erantq; transcendendæ valles, maximeq; difficilima saxa multis locis prærupta iter impediabant, ita vt præ difficultate viarum arma de vno in alium per manus necessario traderentur, militesq; inermes subleuatiq; alii ab aliis magnam partem itineris conficerent. sed hunc laborem nemo recusabat: existimabant enim eum esse laborum finem si Pompeianos Ibero intercluderent, & frumento potuissent prohibere. Pompeiani e contra milites loci videndi causa ex castris procurrebant, contumeliosiq; verbis Cæsarianos prosequabantur, quod coacti victus inopia cogentur Ilerdam reuerti. quod satis erat a Cæsaris proposito alienum. Duces enim Pompeianorum consiliū eius summe laudabant, si se in castris tenuisset, considerantes quod Cæsar sine iumentis atque impedimentis ad iter profectus esset, ideoq; nō posse diutius eum inopiam sustinere confidebant. Sed vbi viderunt paululum retorqueti agmen ad dexteram, iamq; primos Cæsarianorum superare locum, & regionem castrorum Pompeianorum, nemo ex Pompeianis fuit adeo tardus, aut laboris fugiens, quin statim castris exeundum, atq; occurrendum putarit. Conclamabant ad arma, atq; omnes copiarum paucis præsidio relictis exeunt, rectoq; itinere ad Iberum contendunt. erat in celeritate positum omne præsidium, ideo vtriq; prius angustias montemq; præoccupare contendebant. Sed exercitus Cæsaris viarum difficultate superata prius iter confecit, atq; ex magnis rupibus nactus planiciem, in hac contra hostem Cæsar aciem instruit. Res a Pompeianis huc erat necessario deducta, vt etiam si priores montes quos petebant attingissent, ipsi quidem periculum vitarent: impedimenta tamen totius exercitus, cohortesq; in castris relictas seruare non possent. Afranius autem quum ab equitatu Cæsaris in nouissimo agmine premeretur, & ante se hostem videret, collem quendam nactus ibi constitit. ex eo loco quatuor cohortes in montem excelsum qui erat in conspectu omnium, mittit. Hunc magno concursu concitatos iubet occupare, eo consilio vt ipse cum omnibus copiis ad illum conscenderet, & mutato itinere Octogesimam siue Hitonam per iuga montium concederet. Hunc cum obliquo itinere cohortes peterent, conspicatus equitatus Cæsaris in cohortes impetum fecit: nec minimam quidem partem temporis equitum impetum cohortes sustinere valuerunt, sed omnes ab eis circunuenti in conspectu vtriusq; exercitus interficiuntur. Quæ res maxima fuit occasio Cæsari bene gerendæ rei. Neq; hoc Cæsar ignorabat, perterritum exercitum tanto in conspectu omnium, & sub oculis accepto tali detrimento eum sustinere non posse, præsertim quum eorū exercitus esset circundatus equitatu magno, tum quia loco apto atq; aperto esset configendum. Concurrabant insuper legiones, centuriones, tribuniq; militum, hortantes ne dubitaret præliū conferere, ad hocq; omnium militum animos esse paratissimos: e contrario autem Pompeianos multis rebus sui timorem ostendentes, quod suis, dum interficerentur, non subuenissent, quod denuo de colle non recederent, quod vix suorum equitum incursum sustinerent, collatisq; in vnum locum signis neq; ordines neq; signa seruarent. Quod si iniquitatem loci timeret, futurum esse vt aliquo opportuno loco pugnandi facultas captaretur, quoniam in eo loco essent Pompeiani, vbi re aquaria laborantes diutius esse non poterant. Cæsar tamen in eam spem deuenerat, se sine

pugna ac sine vulnere suorum rem conficere posse, quum iam rem frumentariam eis interclusisset: hocq; sit munus imperatoris, non minus consilio superare quam gladio. Mouebatur etiam Cæsar misericordia ciuium Romanorum aduersariorum suorum, quos interficiendos videbat, quibus saluis atq; incolumibus rem obtinere malebat. Hoc autem consilium Cæsar a plerisque non probabatur, militesq; inter se palam loquebantur, quod non daretur talis pugnandi occasio: ipse tamen Cæsar in sua sententia permanebat, & paululum ex eo loco digreditur, ut timorem aduersariis minueret. Petreius atq; Afranius data pugna facultate in castra se referunt. Cæsar interclusis omnibus itineribus, præsidiiq; in montibus relictis, ad Iberum castra ponit, quam maxime potest castris hostium coniuncta, illaq; communiuit. Postero vero die duces Pompeianorum, perturbati quod rei frumentariæ & Iberi spem omnem amississent, de reliquis rebus consultabant. Erat enim vnum iter Ilerdam, si reuerti vellent: aliud Tarraconam. hoc ipsis consultantibus nunciatur aquatores Pompeianos ab equitatu Cæsariano premi. Quare cognita diuersas stationes equitum disponunt, vallumq; a castris ad aquam facere incipiunt, ut intra munitionem & sine munitione ac stationibus aquari possent: idq; opus Petreius & Afranius inter se partiuntur, ipsiq; perficiendi causa operis longius progrediuntur. quorum discessu nacti milites colloquiorum facultatem procedunt, & quem quisq; in castris notum ac municipem habebat conquirunt atq; euocat. Primum itaq; agunt gratias omnes omnibus, quod sibi perterritis pridie percussissent, eorumq; se beneficio viuere, deinde de Cæsaris fide inquirunt, an ne illi se possent tuto committere. Queruntur præterea, quod arma sumpserint in homines amicos & consanguineos. His prouocati sermonibus fidem a Cæsare petunt de Petreii atq; Afranii vita, ne quod in se scelus concepisse, neq; suos duces prodidisse viderentur. quibus confirmatis rebus se statim signa transluros confirmant, Legatosq; de primo ordine centurionum ad Cæsarem mittunt. Interim alii suos in castra inuitandi causa adducunt, alii a suis adducuntur, adeo ut vna eademq; castra esse facta viderentur. Compluresq; centuriones & tribuni militum ad Cæsarem veniunt, seq; ei commendant. idem etiam hoc fit a principibus Hispaniæ quos illi euocauerant, & secum in castris habebant obsidum loco: hi suos notos & hospites quærebant, per quem quisq; eorum aditum commendationis haberet ad Cæsarem. Afranii etiam filius adolescens de sua ac parentis sui salute per Sulpicium Legatum agebat. erant plena lætitia & congratulatione omnia, & eorum qui tanta pericula vitasse, & eorum qui sine vulnere tantas res confecisse videbantur: magnumq; fructum suæ pristinæ lenitatis omnium iudicio Cæsar ferrebat, consiliumque eius a cunctis probabatur. Quibus rebus nunciatis Afranio, ab instituto opere discessit, seque in castra recepit, sic paratus, ut videbatur, ut quicumque accidisset casus, hunc quieto & æquo animo ferret. Petreius vero non deserit se, armat familiam: cum hac, Prætorique cohorte, & paucis Hispanis beneficiariis suis quos custodiæ causa habere consueuerat, ad vallum aduolat, colloquiaque militum interruptit, Cæsarianos repellit a castris, & quos deprehendit interficit, reliqui vero recipiunt se inter se, & perterriti inopinato periculo sinistris vestimenta inuoluunt, gladiosque distringunt, atque ita se a militibus defendunt, castrorumque propinquitate confisi se in castra recipiunt, & ab iis cohortibus quæ erant in stationibus ad portas castrorum, defenduntur. Quibus factis, stens Petreius circuit, militesque appellat, obsecratque, ne se, neque Pompeium absentem imperatorem suum tradant Cæsari ad supplicium: sitque celeriter concursus in tabernaculo ducum. postulat Petreius, ut iurent milites omnes se exercitum ducesque non deserturos, neque prodituros, neque separatim a reliquis consilium capturos. Iurat itaque princeps Ilerdæ primus, secundus Petreius, tertius Afranius. Afranium sequuntur tribuni militum, centuriones centuriam producant, milites idem iurant, & dicunt, penes quem quisque sit Cæsaris miles, ut eos palam producant, productosque interficiant. Sed plerique quos ceperant, celant, noctuque per vallum emittunt. Sic terrore oblato, a ducibus crudelitas facta in Cæsarianos, noua insuper iuramenti religio spem instantis deditioem sustulit,

stulit, mentes militum conuertit, & rem in pristinam belli rationem redegit. Cæsar milites aduersariorum qui per tempus colloqui ad sua castra venerant, perquiri summa diligentia, ac remitti iubet, sed ex numero tribunorum militum, centurionumque nonnulli sua voluntate apud eum remanserunt. quos Cæsar postea in magno honore habuit, centuriones amplioris ordinis & tribunos in tribunitium honorem restituit. Premebantur Pompeiani pabulatione, aquabantur ægre. Frumenti copiam nonnulli Legionarii habebant, quoniam frumentum viginti duorum dierum ab Ilerda iussi portare fuerant. auxiliariorum quorumque erant facultates tenuiores, & corpora insueta ad portandum onera, magnus cotidie numerus ad Cæsarem perfugiebat. Res itaque eorum erat inter has angustias, ut vel Tarraconam contenderent, cuius itinere loci nimium in longum protrahi videbantur, vel Ilerdam reuertent. Probatur vltima sententia, & probato consilio ex castris proficiscuntur Ilerdam versus. Cæsar equitatu præmisso qui nouissimum agmen carperet atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur, neque vllum intercidebat tempus, quin extremi cum equitibus præliarentur. Tali igitur dum pugnatur modo, lente atque paulatim proceditur. Quum igitur milliaria pene quatuor progressi essent, ibi vnanimi fronte hostis contra hostem castra muniuit: neque tamen iumentis onera deponunt. Vbi vero Cæsaris castra posita sunt, tabernaculaque constituta, & dimissi equites pabulandi causa animaduertunt Pompeianos iter facere, sese subito proripiunt, & illos more solito insequuntur. Erat enim quasi hora diei sexta. Spem igitur eis fecerat euagatio militum Cæsarianorum qui ad pabula digressi fuerant. Quumque iter facere incepissent, Cæsar subsequitur, relictis quibusdam cohortibus præsidio impedimentis: qui pabulatores reuocari, & hora decima subsequi iubet. & celeriter equitatus ad cotidianum itineris officium reuertitur. Pugnatur itaque acriter ad nouissimum agmen, adeo ut pene terga conuerterent, pluresque milites & centuriones Pompeianorum interficiuntur. Instabat agmen Cæsaris, & ab omni parte premebat, adeo ut neque ad explorandum idoneum locum ad castra ponendum, neque ad progrediendum data esset facultas. Tandem necessitate coacti consistunt, & castra ponunt loco iniquo, & procul ab aqua. Cæsar autem iisdem de causis quæ supra sunt demonstrata, prælio amplius non laceffit, & eo die tabernacula statui passus non est, quo omnes paratiores essent ad insequendum, siue nocte, siue die erumperent. Pompeiani vero animaduerso loco quo castra posuerant, de vno loco in alium castra mutare satagunt. hoc & sequenti die faciunt, eorumq; diem in ea re consumunt, sed quantum a priori loco discesserant, tanto longius ab aqua distabant. Prima itaq; nocte nemo aquandi causa a castris egreditur. Proximo die præsidio castris relicto, vniuersas ad aquam copias educunt, pabulatum emittitur nemo. His eos supplices malis Cæsar necessariam subire deditioem quam prælio decertare malebat: conatur tamen vallo fossaq; eos circummunire, ut quam maxime eorum repentinas eruptiones demoreretur. Illi vero & inopia pabuli adducti, & quo essent ad id expeditiores, omnia sarcinaria iumenta iubent interfici. in his operibus consiliisq; biduum consumitur. Tertio iam die magna pars operis Cæsaris processerat. Pompeiani vero impediendæ rei quæ munitionis causa fiebat, hora circiter nona signo dato, legiones e castris educunt, aciemq; sub castris instruunt. Cæsar legiones ab opere euocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem instruit contra opitionem militum, qui dicebant Cæsarem prælium diffugere. consistunt itaq; armatæ acies ab utriusq; vsq; ad solis occasum. Cæsar statuerat non pugnare certus de victoria. Pompeiani aggredi metuebant, scientes pugnam satis esse disparem: illis satis erat operam impedire, ne circumdarentur vallo. Post vero occasum solis utriq; in castra se recipiunt. Postero vero die, Cæsar parat munitiones perficere, Pompeiani amnis Sicoris vadum tentare satagunt, si transire possent. Quare animaduersa Cæsar Germanos equitumq; partem flumen traicere iubet, plurimosque in ripis fluminum disposuit & ordinauit. Tandem omnibus rebus obsessi, quarto iam die sine pabulo relictis iumentis & equitibus, aquæ, lignorum, ac frumenti inopia colloquium

petunt, & id, si fieri potest, semoto a militibus loco. Vbi id a Cæsare negatum, & palam si colloqui vellent, concessum est, datur obsidis loco Cæsari Afranii filius. Venitur itaq; in eum locum quem Cæsar delegit, & audiente utroq; exercitu loquitur Afranius. Cuius orationem Cæsar in Commentariis libro primo ciuili belli explicat prolixo sermone: quam Franciscus Petrarcha in libro de viris illustribus adeo compressit, vt multa effectualia omiserit in explicatione Afranii, & replicatione Cæsaris. ideo Cæsarem sequar in Commentariis, quem in omnibus potissimum sum secutus. Loquitur ergo Afranius in hanc sententiam: Non est aut mihi aut militibus his Cæsar irascendum, quod fidem erga imperatorem nostrum Gneum Pompeium conseruare vouerimus: sed iam satisfecimus officio, satisq; 10 supplicii tulimus perpeffi omnium rerum inopiam. Nunc vero quoniam pene, vt foeminas, circũuentos nos intelligimus, prohibiti aqua, prohibiti ingressu, neq; corpore dolorem, neq; animo ignominiam ferre possumus. itaq; victos nos confidentes oramus atq; obsecramus, vt nobis locus aliquis misericordie relinquatur, ne ad vltimum supplicium veniendum nobis sit. Hæc q; exponit Afranius quam dimississime & subiectissime potest. Ad eaq; Cæsar respondit: Nulli hominum has miserationes & querimonie preces minus conuenire quam ipsis. reliquos enim omnes officium suum præstitisse, qui etiam bona conditione, & loco, & tempore congruo configere noluerunt, vt quam integerrima ad pacem essent omnia. Exercitum vero suum in iniuria accepta suisq; interfectis conseruauit & texit, illius 20 deniq; exercitus qui per se de concilianda pace egerant. Quia in re omnium suorum vitæ consulendum putarunt, sic omnium ordinum suorum partes in sola misericordia constituisse, ipsos duces a pace abhorruisse, eosq; nec colloqui, neq; induciarum iura seruasse, & homines imperitos per colloquium deceptos crudelissime interfecisse. Accidisse igitur eis quod plerunq; nimia pertinacia & arrogancia viris accidere solet, vt eo recurrant, & id cupidissime petant, quod paulo ante contempserant: neq; nunc se illorum humanitate, neq; aliqua temporis opportunitate postulare quibus rebus opes suæ augeantur, sed eos exercitus quos contra se annos iam multos aluerant, velle dimitti. Neq; enim sex legiones in Hispaniam per Pompeium missas, ac septimam in ipsa Hispania conscriptam, neq; tot tantaq; 30 classes paratas, neq; submissos duces rei militaris peritos, nihil eorum ad pacandas Hispanias, neq; ad vsu prouinciæ comparatum esse, quæ propter diuturnitatem pacis nullum auxilium desiderarit. Omnia hæc iam pridem in se parari, in se noui generis imperia constitui, vt idem ad portas vrbis præsideat rebus, & duas bellicosissimas prouincias absens tot annos obtineat: in se iura magistratum commutari, ne ex prætura & consulatu, vt semper sit, sed per paucos probati & electi in prouincias mittantur: in se ætatis excusationem nihil valere, quod superioribus annis probati ad obtinendos exercitus euocentur: in se vno non seruari, quod sit omnibus datum semper imperatoribus, vt rebus feliciter gestis, aut cum honore aliquo, aut certe sine ignominia domum reuertantur, exercitumque 40 dimittant, quæ tamen omnia & se tulisse patienter, & esse laturū: neq; id agere, vt ab illis abductum exercitum teneat ipse, quod tamen difficile non sit, sed ne illi habeant, quo contra se vti possint. proinde, vt esset dictum, prouinciis excederent, exercitumq; dimitterent: sed si id sit factum, se nociturum nemini. hanc vñ atq; extremam pacis esse conditionem. Id itaq; pergratum fuit militibus & iocundum, vt ex ipsa significatione cognosci potuit. Nam cum de loco & tempore huius rei controuersia inferretur, & voce & manibus vniuersi ex vallo vbi constiterant, significare cœperunt, vt statim dimitterentur, neq; aliter firmum esse quod promittebant, si in aliud tempus differretur. Et cum paucis verbis esset in vtranq; partem disputatum, res in hanc conclusionem deducta est, vt ii qui habent domicilium aut possessionem in Hispania, statim dimitterentur, reliqui vero ad Varum flumen, quod est in ingressu Italia, dimitterentur, neq; eis a quoquam noceretur, neq; quis inuitus astringeretur sacramento militiae Cæsari. Atq; Cæsar eis qui ad Varum fluuium dimittendi erant, se frumentum necessarium daturum pollicetur. Addidit etiam Cæsar, vt cuiq; qui in bello aliquid quod sit penes milites amisisset,

amisisset, hoc illi restitueretur, data satisfactione ei apud quem res ipsa esset: quam æstimationem ipse Cæsar ex proprio soluit militibus. Itaq; post biduum pars ipsa quæ ad Varum flumen dimittenda fuerat, dimissa est, ordinatumq; est, vt duæ legiones præcederent, & reliqua postea sequeretur, ne simul castra ponerent: illisq; vsq; ad Varum flumen præfectus est Quintus Fufius Calenus: & reliqua pars quæ ad Hispaniam pertinebat, statim dimissa est.

Superatis Lucio Afranio & M. Petreio, Cæsar M. Varronem insequitur in vltiorem Hispaniam.

10 **V**PERATIS itaq; Lucio Afranio & Marco Petreio cum eorum exercitibus apud Ilerdam, statuit nullam belli rationem in Hispaniis relinquere, sed M. Varronem, tertium Pompeii legatum, qui vltiorem Hispaniam tutabatur, insequi. Comparauerat autem Varro multa ad belli opus. indixerat enim ciuitatibus vltioris Hispaniæ cohortes octoginta, nec non & argenti pondera viginti millia, frumenti modios centum & viginti millia: illisq; ciuitatibus quas Cæsaris amicas arbitrabatur, grauiora onera iniungebat, prouinciæq; omnem in Pompeii fidem adiecit: cognitissq; rebus quæ ad Ilerdam gerebantur, bellum parabat. Ratio autem & summa gerendi hæc erat, vt duas legiones 20 quas secum haberet, Gades conferret. Gadibus enim sex cohortes præsidii causa reliquerat, omnemq; pecuniam, atq; thesaurum, & ornamenta ex templo Herculis rapuerat, & in Gades contulerat. Cui prouinciæ Gallonium equitem Romanū familiarem Domitii præfecerat. cognouerat enim prouinciam omnem rebus Cæsaris fauere. Vnde desperabat, frumento in insulam transportato nauibusq; faciliter bellum duci. Itaq; Cæsar duas legiones præmittit in vltiorem Hispaniam cum Q. Cassio tribuno, & sexcentis equitibus. qui magnis itineribus progreditur, edictumq; præmittit ad certum diem, quo omnes magistratus principesq; omnium ciuitatum præsto sint Cordubæ. quo edicto per totam prouinciam promulgato, 30 nulla fuit ciuitas quæ non ad id tempus partem Senatus mitteret Cordubam. Corduba vero per se nunciato edicto Cæsaris portas claudit, Varroniq; custodias ac vigiliam in turribus muroq; disposuit, & cohortes duas quæ Colonicæ appellabantur, & cum Varrone venerant, tuendæ vrbis causa penes se retinuit. Iisdem interea diebus Carmonenses, quæ est longe firmissima totius prouinciæ ciuitas, deductis in arcem oppidi cohortibus a Varrone pro præsidio, per se eiecerunt cohortes, portasq; præcluserunt. Hæc magis properare compulerunt Varronem, vt cum legionibus Gades veniret, ne itinere aut traiectu intercluderetur. tanta ac tam fecunda in Cæsarem voluntas prouinciæ reperiebatur. Progressoq; ei paulo longius literæ a Gadibus redduntur, continentes, quod simul cum esset cognitum de edicto Cæsaris & eius Cordubam aduentu, concordasse Gaditanos principes 40 cum tribunis cohortum quæ essent in præsidio, vt Gallonium ex oppido expellerent, vrbemq; ac insulam Cæsari seruarent, hocq; inito consilio denunciauissent Gallonio, vt sua sponte, dum sine periculo liceret, a Gadibus excederet, & si id non fecisset, consilium esse executuros. hoc timore adductum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis altera ex duabus legionibus, quæ Vernacula appellabatur, quæ cum Varrone fuerat, ex castris Varronis adstante & inspiciente ipso, signa sustulit, seseq; Hispalim recepit, atq; in foro & porticibus sine maleficio confedit: quod factum adeo conuentus ciuium Romanorum qui ibi aderant, probauerunt, vt eos quisq; ad propriam domum hospitio cupidissime reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, certior a suis factus præclusas esse portas, tum vero omnium interclusus itinere ad Cæsarem mittit, paratum se esse legionem, cui iusserit, tradere. Cæsar vero ad eum Sextum Cæsarem mittit, atq; huic illam tradi iubet. tradita vero legione Varro Cordubam ad Cæsarem venit, relatis ad eum publicis cum fide rationibus, quod penes eum fuit pecuniæ tradidit, & quod habebat vbiq; frumenti ac nauium ostendit. Cæsar concione habita Cordubæ omnibus generatim gratias agit: ciuibus Romanis, quod oppidum in sui potestate stu-

duissent habere: Hispanis, quod praesidia expulissent: Gaditanis, quod conatus hostium infregissent, seseque in libertatem vendicauissent: tribunis militum centurionibusque qui eo praesidii causa venerant, quod eorum consilia sua virtute confirmauissent. Pecunias quae erant in publicum ciuium Romanorum, Varroni remittit, ac bona restituit iis qui in eius fauorem liberius sunt locuti, & poenam tulisse cognouerat. tributis quibusdam publicis priuatisque praemiis, reliquos in posterum bona spe complet: biduoque Cordubae commoratus Gades proficiscitur, pecunias ac monumenta quae ex phano Herculis ablata fuerant, & in priuatam domum Gallonii collata, referri in templum iubet. prouinciae Q. Cassium praefecit, illique quatuor legiones assignauit: ipse vero iis nauibus quas M. Varro, quasque Gaditani iussu Varronis fecerant, Tarraconam paucis diebus peruenit: ubi totius fere prouinciae citerioris Hispaniae legiones Caesaris aduentum expectabant, ut redederent rationem de pecuniis ad suffragia belli priuatim ac publice exactis: ibique paucos commoratus dies ab ea discedens terrestri itinere Narbonam, atque inde Massiliam peruenit.

Caesar obtenta omni Hispania, & Massilia, Pompeium insequitur.



CAEsar itaque (ut diximus) a Tarracona Narbonam terrestri itinere peruenit, & a Narbona Massiliam, quam olim in transitu in Hispaniam obsidione cinxerat, relictis ibi Legatis: quam suo aduentu cepit & dirupit quibusdam interiectis discriminibus. Deinde classe & nauibus paratis Pompeium insequi studet, missoque ad occupandum Hadriaticum sinum, ipse cum copiis traiecit in Epirum, quem perantea Pompeius occupauerat, prouinciam sibi ad bella gerenda aptissimam. Receperat se igitur Pompeius in Dyrrachium urbem Epiri. ad hanc igitur contendit Caesar, Pompeiumque ibi obsedit. qua obsidione firmata, Caesar diuersis tractatibus de pace agere cepit, & ubi hoc a Pompeio obtinere non potuit, pugnae opportunitatem exhibet, quam Pompeius recusauit. Vbi vero neque hoc eum iuuare videt, cogitauit Pompeii castra vallo circumdare, & paucioribus plures constringere. Fossa itaque circumdare incipit & vallo Pompeii castra, turresque ac propugnacula instruit, ut intercederent eruptiones in castra Caesaris. Cupiebat enim Caesar, ut quicumque belli futurus esset exitus, statim esset: omnia tamen frustra erant. Nam & Dyrrachium inexpugnabile erat, & Pompeius immutabilis, ut qui contrario Caesaris consilio nitetur, sperans dilatione victoriam propter inopiam rei frumentariae, quae valde Caesarem premebat, neque diutius tolerari posse videbatur: insuper & quod simillimum veri erat, ut virtus animosissimi imperatoris taedio atque expectatione senesceret, impetumque lentesceret, ac ardor tepesceret. hac spe pugnam recusabat, neque rationis partes fortunae committere volebat. Sic quum Pompeio cunctatio, Caesaris celeritas grata esset, statuit Caesar, quum non posset praelio, vincere obsidione. propterea (ut dictum est) Dyrrachium & castra Pompeii sexdecim millium passuum fossa circumduxit ac vallo, impositisque castellis ac turribus cum paucioribus obsedit plures, si modo obsideri dici possunt, quibus maria patent. Idcirco crebre fiebant eruptiones, & sepe erumpentibus funestae succedebant, pugnabaturque etiam saepius diuerso Marte: quoniam quum semel Caesar profecturus Publium Syllam castris praefecisset, & ille audisset cohortem unam ab hostibus vurgeri, duarum legionum auxilium tulit laborantibus, quarum occursum versi sunt in fugam Pompeiani, & si insequi perfugos victoribus licuisset, creditum fuit die illo confici bellum potuisse. Sed Sylla suorum impetu continuit, cecinit receptuique cuius consilium a scriptoribus excusatur, quoniam aliud est legati, & aliud imperatoris officium. Imperator rei totius exitum expectat, & consilio metitur: at legatus solum imperatoris sui iussum aspicit, & mandati finibus se continet. Sylla enim castrorum a Caesare custodia commissa fuerat, contentus fuit custodisse, & suos periculo liberasse. Multa praeterea eruptiones hinc inde fiebant, & in Dyrra-

Dyrrachium, & a Dyrrachio in castra Caesaris, adeo ut vno die sex in locis pugnaretur. Quibus in praелиis de Caesarianis viginti duntaxat, Pompeianorum vero duomillia periere, inter quos multi erant centuriones, & insignes viri. in quibus congressibus insignis virtus laudatur Volcatii Tullii, qui cum tribus cohortibus Pompeianam legionem pertulit repulitque: necnon & quorundam Germanorum, qui e munitionibus erumpentes multis hostium caesis sospites rediere. In castello autem quodam quod Pompeius inuaserat, tantus fuit sagittarum imber, ut sine vulnere defensorum nullus euaderet: quin & centuriones quatuor oculis capti sunt: & quum sero diurni laboris & periculi summam representare decreuissent, triginta sagittarum millia numerarunt. Inter cuncta Scavae caesi centurionis admirabilis virtus fuit, cuius scutum relatum Caesari cum centum viginti foraminibus est inuentum, de quo quidem varia fama est. Quidam enim tradunt, Caesarem viri & de se & de Republica (ut aiunt) meriti eximia virtute permotum, qua castellum prope sua seruatum esset, pecuniariis eum donis ingentibus & magnis honoribus compulasse: & inter caetera ab Octauis ordinibus ad primipilum prouexisse, cohortem vero totam duplici stipendio, & donis militaribus prosecutum. Apud alios Scava idem duce absente cedentibusque suis, clypeo centum viginti telorum ictibus transfixo, mirisque ac incredibilibus rebus gestis occubuit. Sic igitur rebus se habentibus, Caesar neque prosperitate tumidior, neque aduersitate contractior, cotidie in aciem ducebat exercitum, & pugnae copiam faciebat. Quotidie interim congressus fiebat in praелиa, & vtrinque caedes, atque insignium virorum casus miserabiles: pacisque consiliis male repudiatis locus irae atque odio datus erat. Fuit dies vnus Caesari satis aduersus, quo eruptio ab hostibus violentissima facta est. Fuitque eo die Aquiliferi illius virtus insignis, ac spectata dies, qui quum lethali vulnere transfixus morti proximum se sentiret, versus ad comites, porrigensque aquilam quam iam aegre sustinebat, Hanc, ait, o commilitones mei viuens multis annis & multa cura seruaui, & nunc moriens eandem Caesari pari fide restituo: vos autem per communis imperatoris amorem oro atque obtestor, cauete dedecus Caesaris castris insolitum, ne forte hostium in manus veniat tanti ducis signum, per manuum vestra salua ad Caesarem reuertatur. Haec dicens corruit, centumque alii prima suae cohortis cum principe ceciderunt, multaque diuersis in locis caede edita, vicit Pompeius illa acie, & imperator est appellatus. Quumque cedentes fugientesque non sequeretur, negauit Caesar aut vincere, aut victoria uti scire. Caesi sunt autem eo die de Caesarianis (ut refert Orosius) militum quatuor millia, centuriones viginti duo, plurimique equites Romani. Labienus vero in stum olim duce in expiabili odio accensus, a Pompeio captiuos sibi dono dati petiit. quod quum impetrasset, productos omnes in medium, & contumeliosissimis verbis increpitos in conspectu omnium interfecit. Hoc enim euentu Pompeianis tantum spei accreuerat, ut non de bello amplius, sed de victoria cogitarent, & multa varia decernerent: & quasi nil iam incidere posset aduersi, famam victoriae per terrarum orbem nunciis ac litteris diuulgant. Caesar concione aduocata milites consolatus est, hortatus ne deficerent animis. debere enim eos vnum, & id ipsum non nimis graue praelium ac infaustum, multis foelicibus compensare, & fortunae gratiam habere, quod Romam, quod Italiam, quod Hispaniam vtrinque sine sanguine quasi diuinitus recepissent: non posse praesertim in bello, prospera omnia prouenire, verum tristia laetis temperanda esse, aduersamque fortunam virtutis ope leniendam. & haec quidem ad exercitum. Quosdam vero signiferos quorum culpa clades accepta fuerat, notatos infamia a gradu militiae suae amouit. exercitum reliquum tantus pudor & tantus dolor inuaserat, tantumque desiderium abolendae ignominiae, ut non expectato superioris imperio vltro quisque pro supplicio grauissimo sibi labores assumeret, omniumque animi arderent incredibili quadam cupiditate pugnandi, viam illam expurgandae infamiae vnicam existimantes. Quin & legati, & qui ad consilium vocabantur, oratione Imperatoris & pudore tacti, persistendum pugnandumque censebant, & acceptam praelio hostibus refundendam cladem. Solus Caesar erat in contraria sententia. nam neque victis tam cito in aciem

reuerſuris ſaris fidebat, & reparandis animis ſpacio opus eſſe: neq; præterea tam hoſtem, quam frumenti inopiam eſſe metuendam eo loco manentibus iudicabat. Illico igitur ſauciorum & ægrotantium cura ſuſcepta, noctuq; impedimentis præmiſſis, Apolloniam profectus eſt: his vna legio præſidio relicta, & hinc in Theſſaliam fatiſ impellentibus commigrauit.

Prælium Cæſaris & Pompeii in Theſſalia.

QUANTUM hęc Cæſaris geſta nullatenus ad Hiſpaniam illiuſq; geſta pertineant, quia tamē geſta Cæſaris in Hiſpania plurima & magna ſunt, viſum eſt & alia alibi facta innectere duplici conſideratione: prima, quoniam eius facta adeo magna ſunt, & a viris illuſtribus commendata, vt debite debeant interſeri, ne ab Hiſpaniſ ignorentur: ſecunda, quia res Cæſaris in Hiſpania geſtæ magnæ ſunt, & plurimæ quadruplici tranſitu, vt illorum facta & geſta continuentur ad ea quæ apud exterarum nationum & prouinciarum ab eo geſta ſunt, quoq; ordine geſta ſint perneceſſarium eſt intelligere. Hunc tamen in eis explicandis obſeruabimus modum, vt res extra Hiſpaniam geſtas breui relatione perſtringam, cæteræ vero quæ ad Hiſpaniam pertinent, copioſa relatione deſcribentur. Intellecto itaq; a Pompeio diſceſſu Cæſaris, concione facta ſuis rebus bene geſtis gratias agit, eos vero qui cum Metello Scipione ſocero Pompeii paucis ante diebus venerant, hortatur non tam ad bellum, quam ad præmia belli, ipſi autem ſocero & claſſicum & prætorium tribuit, quæ fuerant imperatoris inſignia, omniſq; & honoris & imperii eum participem fecit. Duobus enim tantis exercitibus in eadem caſtra coniunctis nemo erat qui de victoria dubitaret, vſq; adeo vt iam omnes de præmiis & honoribus, & quod ſtultius eſt, de Cæſaris contumelia plurimum inter ſe agerent. Pompeius quidem ſolitis artibus bellum trahe- re cunctando erat intentus, vt cœperat: principes vero ipſius ambitionem in prorogando bello arguebant. tot vocibus conſiliuſq; ſuperat vnuſ omnibus ceſſit inuitus, decreuitque pugnare: adhuc tamen rem trahebat. Cæſar vero dilationem oderat, neque ſperabat Pompeium poſſe vſlo ingenio ad pugnandum induci, hac difficultate perplexus vtilimum belli genus elegit, vt motis caſtris in perpetuo motu eſſet, neque vnquam amplius quam vnum diem vno ageret in loco. hoc ſibi conſilium vna ratio ſuggerebat: nouerat enim exercitum iuum fortem, duratumque laboribus, Pompeianum vero molliorem, verſatum in urbibus, & diſcurſibus inſuetum, itaque circunducendo illum poſſe fatigari. Præterea mutatione locorum, quod frumenta iam in agris eſſent, victurum vberius exercitum conſidebat. illa autem ſpe potiſſimum mouebatur, ſi forſitan ſe vagante hoſtis eriam moueretur, & ſic inter eundem caſus aliquis atque occurſus exoptata pugna tribueret facultatem. Ex his enim omnibus hoc vltimum euenit, vt ſine amphore diſcurſu pugna daretur occaſio. Vnde quum ab Apollonia Cæſar caſtra metatus eſſet in Theſſaliam regionem vicinam, & vt decreuerat, ſignum dediſſet itineris, & iam tentoria vellerentur, ecce iam mota Pompeii caſtra proſpiciunt. Qui (vt diximus) victus omnium vocibus ſuo abiecto aliena conſilia ſequebatur, & aſſumpta, vt ſit, multorum hortationibus fiducia, paulo ante hunc diem in concilio dixerat, euenturum vt ante congreſſum exercitus Cæſaris vinceretur. quibusdam mirantibus, non ſe neſcium incredibilem rem videri prima facie, de hinc latius ingreſſus expoſuit, quum equitatu abundarent, circunueniri omnes Cæſaris copias eſſet per facile. Quod quum pluribus verbis explicauiſſet, Labienus incepit Pompeii ſententiam atque potentiam laudibus ad cælum ferens, & Cæſaris imbecillitatem oratione deprimens inſolenti. Quibus dictis, ne quid deeſſet inſaniæ, iurauit ſe niſi victorem nunquam e prælio reuerſurum, cæterosque ad id iuſurandum verbis incitauit, nec minus exemplo Pompeii dictum laudans iurauit ſimiliter: & ſic omnes pariter iurauerunt, vt neceſſe fuerit multos ibi fieri periuros. Ingenti gaudio, tanquam feliciter rebus geſtis, nec minori ſpe a conſilio diſceſſerunt, iuramentum tanti imperatoris de tam

tam magna reuelut arrham victoriae tenentes. digreſſi autem e concilio, non ita multo poſt (vt diximus) in aciem ſunt progreſſi. Quos vbi Cæſar, quum ipſe etiam caſtra mouiſſet, aduertit in eum locum deſcendiſſe, vbi æquo Marte certari poterat, ſubſtitit, & conuerſus ad ſuos ait: Non eſt modo amplius de itinere, ſed de prælio laborandū: adeſt ecce nobis occaſio quæ ſemper optauimus, pugnandi, & ſine laboribus imponendi. Hęc dicens, inſtruire acies cœpit omni militari arte, cuius peritiſſimus erat, ſuoſq; interim admonere, ne ſe a multitudine hoſtium circunueniri ſinerent, omnibus iubens ne ſine iuſſu eius inciperent, ſe in tempore quid agendum ſit, ſigno indicaturum. Circunuenire inde acies, & animos verbis accendere, virtutemq; inſitam excitare commemoratione ſua erga illos ſemper optimæ ac beneficiæ voluntatis. Inter alia non omiſit ſe modis omnibus pacem quaſiuiſſe, & humilius forte etiã quam deceret: nominabit etiã per quos de pace Pompeium & Scipionem interpeſſaſſet, atq; hęc omnia non metu aliquo, ſed pietate, vt ciuili ſanguini parceretur, ne Reſpublica paucorum furoribus in magnas calamitates incideret. Ex aduerſo autem quam ſuperbe ac impie petitiones ſuas neglexerunt, telorumq; miſſione repulerunt, magnam nobilibus animis indignandi materiam præbuiſſe. Hiſq; explicitis obſecrantibuſq; militibus, pugnae ſignum dedit. Erat in exercitu Craſſinus quidam, qui priori tempore ſub Cæſare honeſto gradu militauerat, tunc vero non militiae ſacramento, quo ſolutus erat, ſed iure quodam amicitiaē euocatus aderat, vir bellica virtute memorabilis. Hic Cæſaris concione intellecta, & ſigno prælii audito alacri vultu & voce, Sequimini, inquit, me manipulares olim mei, imperatori noſtro quam debetis operam exhibere. vltimum hoc prælium eſt, quo peracto ille ſuam dignitatem, nos noſtram recuperabimus libertatem. Dehinc verſus in Cæſarem, Faciam, inquit, hodie imperator, vnde vel viuo, vel mortuo mihi gratias agas. Hęc dicens, primus in hoſtes imperum fecit, eumq; delecti milites circiter centum viginti voluntarie proſecuti ſunt. Concurſumq; eſt in campis Theſſaliam quos Philippicos vocant, ad Pharfalum oppidum: illum ſibi locum Romæ inuidens fortunã delegerat. De numero vero copiarum longe autores diſſentiunt, Annei quidem Flori qui hanc rem breuiſſima oratione perſtrinxit, verba ſunt hęc: Nullo vnquam loco tantum virium Romani populi fortuna vidit, trecenta & amplius millia bellatorum hinc atq; illinc præter auxilia Regum & Senatus. Eutropius vero deſcribit in eo bello fuiſſe cum Pompeio peditem quadringenta millia, milites vero mille & centum, ſexcentos videlicet in ſiniſtro cornu, in dextero vero quingentos. Cæſar vero habuit peditem non plene trecenta millia, equites vero mille. Huic autem concordat Oroſius. Cæſar vero in Commentariis numerum copiarum non exprimit, ſed aſſerit eodem bello interfuiſſe mille viginti duas cohortes, ex qua expreſſione de ſupradicto numero facilius poteſt haberi credulitas. Petrarcha vero in libro de viris illuſtribus tranſiſſe eum aſſertione Annei Flori. Hic exitus pugnae ad Pharfalum fuit.

De morte Pompeii, & bello Alexandrino & Africano a Cæſare geſto.

POMPEIUS igitur viſo aduerſo belli euentu fugiens in Lariffam urbem ad Ægæum mare in oſtio Penei amnis onerariam nactus in Aſiam tranſiit, inde in Cyprum, poſt in Egyptum venit. Ibiq; mox, vt littus attigit, iuſſu Ptolemæi regis Egyptiorum in gratiam Cæſaris victoris occiſus eſt. Pompeii filii fugerunt. Cætera Pompeiana claſſis direpta eſt, omnibus qui in ea erant crudeliſſime trucidatis: ibiq; & Pompeius Bithynicus occiſus eſt. Lentulus vero vir conſularis etiam apud Peluſium interfectus eſt. Cæſar compoſitis apud Theſſaliam rebus, Alexandriam venit, prolatoq; ad ſe per Ptolemæum, ac viſo Pompeii capite anuloq; ſtetit. Cùmq; Ptolemæus in regiam ſe domum recepiſſet, hortabatur a tutoribus, vt pecuniam omnem acciperet, ac templâ ſpoliaret ſuis ornamentis, & regios theſaurus vacuos eſſe oſtenderet, & in odium Cæſaris populum excitaret. Præterea Actillas dux Regius imbutus ſemel

Pompeii sanguine, & Cæsaris meditabatur. nam iussus exercitum dimittere (præerat enim viginti millibus armatorum) non modo spreuit imperium, verum etiam aciem direxit. in ipso prælio regia classis quæ ad terram adducta fuerat, iubetur incendi. ea flamma pars quoque bibliothecæ Philadelphi proximis ædibus constructa exarsit. Cæsar postea insulam vbi Pharos est, cepit. Achilles deinde cum Gabinianis militibus venit. ingens vbi pugna commissa est. magna quidem ibi Cæsarianorum militum multitudo cecidit: omnes etiam interfectores Pompeii interfecti sunt. Cæsar vi insistentium hostiū pressus scapham ascendit: qua mox subsequenti pondere grauata ac merfa, per ducentos passus ad nauem vna manu eleuata, qua chartastenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine in toto magna facilitate classem regiam depressit, & Alexandriam cepit, petentibusque Alexandrinis Regem suum reddidit, monitum vt magis amicitiam Romanam quam arma experiri studeret, qui tamen ilico vbi liber fuit, bellum intulit, sed continuo cum toto exercitu suo & ipse deleris est. Nam viginti millia hominum in eo bello cæsa referuntur, duodecimque millia cum septuaginta longis nauibus dedita, & quingenti ac duo ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex vero ipse adolescens scapha exceptus vt fugeret, multis insipientibus merfus ac necatus est, corpusque eius ad littus euolutum, indicio lorice aureæ cognitum fuit. Quo peracto Cæsar Alexandrinis omnes desperatione ad deditionem compulit, regnumque Egypti Cleopatrarum regi forori ob in eam illecebrarum amorem conceptum dedit. Inde Syriam peruagatus, Pharnacem in Ponto vicit. Postea vero quam Romam venit, in Aphricam transiit, & apud Thapsum cum Iuba & Scipione pugnavit, maximamque ibi hominum multitudinem interfecit, castraque vtriusque diripuit, ac sexaginta elephantos cepit. Cato sese apud Vticam occidit: Iuba Rex percussori iugulum dato precio præbuit: Petreius eodem se gladio perfodit: Scipio in nauis qua ad Hispaniam fugere contendens vento coactus in Africam redierat, semetipsum iugulauit: in eadem nauis etiam Titus Torquatus occisus est. Inde quatuor triumphis urbem ingressus, disposito recuperatoque Reipublicæ statu, continuo in Hispanias contra Pompeianos Pompeii filios profectus est.

Cæsar iterum in Hispaniam venit ad prosequendum Pompeii filios.

NAM igitur quarto Cæsar intrat Hispanias, persecuturus ultimo Pompeii filios. Hæc enim quæ ad Hispaniam non pertinerent, cursim pertigimus, vt Hispaniæ gesta quo ordine constarent, facile quisque intelligeret. Nunc vero paululum digressi ad nostram Hispaniæ propositum reuertamur. Decimo igitur septimo die postquam ab vrbe egressus fuerat (vt ait Orofius) Saguntum Hispaniæ (nunc Muriuetus) peruenit, & inde septimo die terrestri itinere videlicet xxxiiii. die, postquam ab vrbe discessit (vt refert Petrarca libro de viris illustribus) Cordubam urbem vltioris Hispaniæ attigit. Duo enim superfuerant filii Pompeii, Gneus & Sextus. Sextus perantea in Hispaniam se receperat post patris mortem, Gneus vero, quum Cæsar bellum Africanum ageret, pulsus ab oppido Sturro in littoribus Africanis per Baleares insulas in Hispaniam peruenit. Sextus Cordubam cum præsidio tenebat, Gneus vero circuibat prouinciam, & quarundam ciuitatum amicitiam petebat a patre receptis beneficiis, quarundam vero amicorum beneuolentia, aliarum precibus, cæteras vero etiam bello & armis tentabat. Interea Gneus nullum oppidum inter Hispalim Cremonamque quondam opulentissimam urbem oppugnare statuit. Oppidani quidem Vllæ portas Gneo Pompeio clauerunt. intellecto enim Cæsaris aduentu, duos ab oppido nuncios per media hostium castra miserunt, nunciates Cæsari, nisi citissime occurreret, oppidum in manus Gnei Pompeii esse venturum. Cæsar audiens urbem Vllam tam bene de ipso meritam, sexdecim cohortes totidemque equites ad illorum auxilia nocte secundaque vigilia misit, illisque præfecit hominem eiusdem patriæ, doctum rei militaris & practicum L. Viminium Patiecum. Qui quum

quum venissent ad Gnei Pompeii præsidia, quæ tempestate aduersa ac vento afflictarentur, adeo vt vix proximos conspiciere possent, maximam exinde opportunitatem assecuti sunt. Nam quum videri non possent, per media hostium castra bini emittuntur equites, qui simulantes esse de Pompeianis, ad oppidi portas venerunt, & signo dato tam ipsi, quam equites & pedites sunt recepti. Inde rebus dispositis in Pompeianos obsessores eruperunt, plurimaque illis tanquam insciis damna intulerunt. Cæsar igitur misso ad Vllam præsidio, vt Gneum Pompeium ab obsidione auerteret, Cordubam quæ principalis tunc vrbs erat illius regionis, concessit.

Bellum ad Cordubam a Cæsare secundo gestum.

CÆSAR (vt diximus) vt Gneum Pompeium ab Vllæ obsidione deduceret, Cordubam venit (venerant enim ad eum perantea legati a Corduba promittentes vrbs deditionem) Sextus vero Pompeius frater Gnei in ea se continebat. Præmisit igitur Cæsar nonnullos loricos viros fortes cum parte equitatus, qui quum ante conspectum vrbs se contulissent, ab oppidanis & ciuibus deprehensum est, Cæsarem proximum esse. Propterea erupit magna vrbs multitudo ad excitandum prælio loricos. Ipsi autem loricati ab equis descendentes, magnum ibi prælium commiserunt, superuenienteque equitatu Cæsaris, qui latebat in insidiis, maxima multitudo erumpentium cecidit, & capti sunt, ita quod pauci in urbem redierunt. Qua ex re timore commotus Sextus Pompeius literas misit ad fratrem Gneum, vt celeriter sibi subsidio veniret, ne prius Cæsar Cordubam caperet, quam ipse venisset. Itaque Gneus Pompeius Vllæ vrbe capta literis fratris excitatus cum copiis Cordubam venit. Est autem Corduba sita ad flumen Bætium (Guadalchaur moderna lingua vocitatum) estque posita vrbs ad Occidentem ad Lusitaniam partem. Ad eam itaque partem Cæsar castra posuerat, inde ad Bætium amnem pontem instituit quo in Baticam transiret, per eumque traiecit exercitum. Vrbs vero pontem habebat quo transitur in Baticam. Pompeius igitur quum venisset, castra posuit contra urbem, & Cæsar Lusitaniam versus, qui vt commeatum ab vrbe prohiberet, potem vrbs intercideret conatus est. Quod quum fuisset prospectum a Pompeio, ad pontem concursum est, ibique diuersis præliis pugnatum: quod vt expeditius fieret, Gneus Pompeius intra urbem se recepit. Per hos igitur dies pedites duo a Cæsarianis capti sunt, qui se seruos dicerent. Illis autem non licuit Cæsarem suam seruare consuetudinem. antequam enim ad Cæsarem ducerentur, quod ex Cæsariano exercitu transfugissent, a militibus interfecti sunt: & tabelliones capti qui ad Pompeium Cordubam mittebantur, & præcis ilico manibus sunt remissi. Similiter speculator Pompeianus captus, atque occisus est. Creditur enim milites hoc fecisse tanquam iratos bello, & cognito imperatoris sui more qui in hos semper consuevit esse clemens, hoc remedii genus excogitasse, ne quis faciem eius videret, vt sic nullus euaderet. Multis igitur & magnis in sultibus vtrique decertatum est in ea obsidione. Quumque die quodam ferro & flammis solito etiam grauius pugnaretur, ciues ira in furorem versa in hospites qui securi secum iure veteris hospitii morabantur, inspectante Cæsaris exercitu, iugulatos e muris precipitauerunt. Qua re audita ex gemitu morientium vnus, quidam qui ad muri custodiam stabat in cuniculo, scilicet ad murum perfodiendum, exclamauit: Terminus scelus, & immane flagitium, nullaque excusandum barbarie commissis absque vlla causa. nihil enim mali merebantur, quia nihil mali fecerant, qui ad vos, vestrasque aras, ac focos infausta fiducia se contulerant: ius hospitii sanctum genibus soli vos spreuistis, atque vtinam spreuisse sufficeret, inhumano illud scelere violastis. Multa quoque in hanc sententiam dixit, quorum verecundia repressi ciues ab hospitum cædibus se continerunt. Sic interdum vnus boni viri inter multos malos valuit oratio. Ea res relatu transfugæ in exercitu primū Cæsaris innotuit. Die proximo Tullius quidam cum Catone Lusitano quodam legatus ex oppido ad Cæsarem venit. Huius prima pars orationis fuit, optare vt suus porius fuisset quam

Pompeii miles, suamque constantiam in Cæsaris potius scelicitate quam in Pompeii miseria præstitisset. Finis autem fuit, se a Pompeio desertos, victos a Cæsare, seque & urbem dedere, atque orare ut clementiam quam victis gentibus præbuisset, suis ciuibus non negaret. Multa præter hæc loquutus est, quæ (vt refert Petrarcha libro de viris illustribus) librariorum culpa confusa vix intelligi possunt. Vñ tamen hoc intelligitur, quod multis vltro citroque dictis tunc urbis deditio non est facta. Sequenti tempore duo Lusitani fratres qui a Pompeio ad Cæsarem transfugerant, nunciarunt Gneum Pompeium concionem habuisse, quoniam urbi subsidium ferre non posset, qui ex Pompeianis essent, nocte se deducerent mare versus vrbe relicta. quod vbi quidam respondisset expedire potius, vt ad micandum descenderent quam fugæ signum ostenderent, eum Pompeius iussit occidi, secundum Petrarcham: quanquam Anneus Cirtius & Iulius Celsus (qui Commentaria Cæsaris de vltimo Hispano bello alter composuit, & alter emendauit) de hoc nullam faciant mentionem. Pugnatum est itaque pro his nunciatis ad murum acriter, donec turres ligneæ Cæsaris, altera vi telorum corruit, altera vero igne incensa est. Sequenti vero die quædam mater familias de muro se deposuit, & transfugit ad Cæsarem. Hoc præterea tempore tabellæ de muro sunt deiectæ, in quibus inuentum est scriptum: Lucius Mutius Cæsari. Si mihi vitâ tribuis, quoniam a Gneo Pompeio sum desertus, qualem me illi præstiti, tali virtute & constantia me tibi præstabo. Eodem tempore eisdem legati ex vrbe qui ante exierant, Cæsarem adierunt: si sibi vitam concederet, sese in sequenti luce urbem esse datos, quibus respondit, se Cæsarem esse, fidemque præstiturum. Ita ante diem vndecimam Calend. Martii Cæsar urbem obtinuit, & Imperator est salutatus. Quod vbi Pompeius ex profugis scisset, castra mouit, Vcubimque oppidum peruenit (quod quidam Vbedam, alii vero Baessam arbitrantur) illucque cum peruenisset, conuocatis quos in oppido fidos habuerat, seu arbitrabatur, imperauit discerni qui sibi, qui Cæsari fauerent. Quæ res quum sibi relata esset, & distincti essent, quasi foret scelus maximum amasse Cæsarem, septuaginta quatuor ictu securis occidit, reliquos intra oppidum inclusit, ex quibus centum & viginti elusis custodiis ad Cæsarem transfugerunt. Multaque per hos dies a Pompeio eiusque militibus crudeliter gesta sunt. Per hos etiam dies multa bella & prælia gesta sunt ad oppidum Theugam, Grimiumque, ac alia oppida, quæ Pompeius cum retinere non posset, incendit, & hodie non extant: de quibus late disserit Anneus Cirtius & Iulius Celsus in explicatione Commentariorum Cæsaris de vltimo bello Hispano. Pompeius igitur cum amicis magnanimitatem suam & metum Cæsaris dissimulabat. Inuentæ autem sunt literæ eius, continentes Cæsarem non audere copias in campum educere, suis tyronibus deficientem, qui si copiam æquis in locis aliquando faceret, se rem omni opinione celerius confecturum, idque se expectare. Ibat interea Hispanias ambiendo, & vt ipse dicebat, ciuitates suarum partium conseruando. Itaque Hispalim venit, contraque urbem in Oliueto castra posuit, indeque alias atque alias adiit. ad extremum Mundam venit, quam tutissimum belli locum delegerat, & quam fortuna vltimam prius cladibus conseruarat: ibique Pompeius substitit.

De bello Cæsaris ad Mundam gesto contra Gneum Pompeium.

PERVENIT ergo Pompeius ad Mundam urbem. Fuit autem Mundam ciuitas (quæ a nostris Coimbrium appellatur) in regno & regione quæ nunc Portugallia dicitur, ab antiquis Gallatia. Ad eam itaque urbem Cæsar applicuit, castraque castris Pompeii adiunxit. Erat autem locus vbi Pompeius castra posuerat altus, difficilis, atque præruptus, ne inuaderetur a Cæsarianis. In medio vero duorum castrorum planities erat pro parte Pompeii paludosa, voraginosa, atque difficilis, & per eam aditus habebatur ad castra Pompeii. Interim Pompeius Fausto scripsit, qui se intra urbem continebat: cui significabat Cæsarem non audere exercitum ad plana deducere, neque in vallem descendere, eo quod exercitus suus pro magna parte tyronum

tyronum esset. quæ literæ miris modis animos oppidanorum attollebant. Dum sic igitur Pompeius alios solaretur, & ingenti, quantum arbitror, solitudine agitatatus magna parte noctis instructis staret aciebus, Cæsar, nescio quonam iturus esset, castris egrediebatur. Cui cum status hostium nunciatus esset, constitit, ordinavitque aciem, & inde concursum est magnis hinc & hinc clamoribus, sed maioribus animis, ineffabilibus atque immensis odiis, pugnatumque est acriter atque pertinaciter. Et quod pene pendendum dixeris humanæ fragilitatis indicium, nesciam Cæsari neque cum hostibus, neque cum ciuibus aut tam anceps euentus, aut propius extremo periculo res fuit, vsque adeo, vt (sicut elegantissime ait Florus) plane videretur nescio quid deliberare fortuna. Tamque hæc fortunæ deliberatio diuturna fuit, vt inter moras prælii neutram in partem declinante victoria, quum iam veterana illa militum manus tot probata victoriis, Cæsareis oculis infuetum dedecus, sensim retrocederet, nec quominus palam fugeret, tam virtute, quam pudore teneretur, dubitare, quod nunquam ante illum diem fecerat, Cæsar cœperit, atque diffidere, & solito mœstior ante aciem stare, ita tamen, vt nihil penitus de imperatoria solita virtute remitteret. immo equo desiliens, & furenti similis in aciem primam peditum euolauit, clamans, increpans, obsecrans, atque exhortans, nec tantum voce, sed oculis, sed manu, & pectore fugam sistens, & fugere incipientes in prælium vi retorquens. Tanta denique trepidatio illius ducis seu imperatoris fuit, tamque diu ambiguis pugnae finis, vt cogitasse de extremis Cæsarem scriptorem plurimi tradiderint, & eo vultu fuisse, quasi iam iam mortem conscire cogitaret. Et quamquam apud eos qui in prælio fuerunt, nulla penitus huius rei sit mentio, dicunt tamen, & quidam etiam pro comperto asserunt, tam diu hanc rerum ambiguitatem durasse, donec quinque cohortes hostium a Labieno castris laborantibus auxilio directæ, mediamque per aciem properantes fugæ speciem portenderunt. O fortuna in omnibus potens, sed in bellis potentissima! siquidem Cæsar siue illas fugere arbitratus, siue credulitatem simulans, ducum sagacissimus, velut in profugos impetum fecit, animosque & suis addidit, & hostibus depressit: & hostes fugere, & suos hostes insequi compelleret: & dum Cæsarianos fugere suspicarentur, fugerent ipsi. Ita Labienus Cæsaris defertor & transfuga, & Actius Varus cum triginta milibus hominum ex Pompeianis ceciderunt eo prælio, ac mortui sunt: cecidissentque longe plures, nisi adeo habuissent propinquum refugium urbis. Ex victoribus vero Cæsaris ceciderunt ad tria milia, pluresque tam ex militibus quam ex peditibus fauciati. Itaque quum Cæsar muris urbis obsidionem admouisset, ager flebilis & horrendus ex cadaueribus erat, per quem ad oppugnationem urbis ascenderetur. in quo telis atque mucronibus tanquam calce compacti sibi inuicem cohærebant, murique officium exhibebant. Visuntur autem adhuc eo in loco sepulchra Labieni & Vari iussu Cæsaris facta, non respicientis ad iniurias ab eis, sed præcipue a Labieno receptas. Gneus quidem Pompeius humero & leuo crure faucio inter medias cædes prælio pulius excessit. Hunc inlectica, quum nec equo, nec vehiculo vti posset, per nemorosas vias penetrante, atque fuga humili & occulta in speluncis latitantem, Cæsonius Cæsaris Legatus ad Lauronam oppidum cōsecutum occidit, & obruncatum caput ad Cæsarem detulit, talibus donis & muneribus minime gaudentem. Hic vero autores dissentiunt, quoniam Anneus Florus, quem secutus est Petrarcha in lib. de viris illustribus, asserit Gneum Pompeium Mundensi prælio fauciatum, Iulius vero Celsus qui Commentaria Cæsaris emendauit, videtur dicere, quod alio loco & prælio fuerit fauciatus. Vt cunq; fuerit, satis est eum post Mundæ prælium tali morte occubuisse. Interea Mundam a Cæsare expugnata captaque est, & magna sanguinis diluione perfusa. Sextus itaque Pompeius frater intermedio tempore Cordubam urbem occupauerat, intraque eam se continebat. Quumque confugisset ad eum Phalorius adolescens cum paucis, Sextoque nunciaisset belli exitum, quicquid pecuniæ & bonorum habebat, distribuit militibus ac oppidanis, dixitque se ad Cæsarem pro componenda pace proficisci. sicque Corduba fugiens, vt Petrarcha post Anneum Florum refert, in Celtiberiâ concessit. Post eisdem dies expugnata est denuo Corduba, quæ qualiter a Cæsare defecerit, non inuenitur. magni in ea motus erant,

magnaq; diffensio, parte vna in Cæsarem, altera in contrarium inclinãte. Quumque esset ad arma concursum, vicit pars quæ Cæsarem colebat, sibi que oppidum cecidit: de parte vero Pompeiana viginti duo millia cecidere. magna siquidem in vrbe ciuilibus strages erat. His peractis Cæsar Hispalim venit, ibique Caninium cum præsidio reliquit. Philo itaque qui in ea vrbe defensor fuerat Pompeianorum partium acerrimus, vir per totam Lusitaniam notissimus, & ad comparanda auxilia aptissimus, in Lusitaniam proficiscitur, atque quodam Cæcilio Nigo nomine in auxilium aduocato, qui magnam Lusitanorum manum congregauerat, rursus Hispalim de nocte per murum aggreditur, vigiliasque iugulauit: Caninius partem vrbs cum præsidio defendit. Inde Cæsar cum in Gades traiecisset, auditis quæ Hispali gesta essent, iterum Hispalim rediit, Caninio & suis præstiturus auxilia. Interim Lusitani qui intra urbem erant, decreuerunt in castra Cæsaris eruptionem facere, sed Cæsarianis acriter resistentibus vltra progressi cogitarunt classem maritimam quæ intra Bætiam amnem erat, incendere. quod cum incepissent, a Cæsarianis repressi & intercepti pro maiori parte occisi sunt. Vrbeque denuo recepta, ad res Hispaniæ vltimo disponendas Cæsar concione aduocata ad Hispanos verba fecit: se videlicet cum primum Hispaniam Quæstor intrasset, eam prouinciam, scilicet vltiorem Hispaniam, inter omnes alias sibi peculiarem elegisse: inde cum secundo Prætor aduenisset, multa illis beneficia contulisse: inter quæ illud fuit, cum vestigal quod Metellus illis imposuerat, donari & eis remitti a Senatu obtinuit. Deinde Consul factus, ipsius prouinciæ curam atque patrocinium assumpsit, multis legibus in Senatu introductis, multis publicis ac priuatis odiis conceptis eos defendit ac iuuuit. Eorum omnium beneficiorum & commodorum eos fuisse & esse immemores, & ingratos & in se, & in populum Romanum, & hoc bello & præterito tempore cognouisse: quodque ipsi sæpius tractassent eum medio foro capere more barbarorum, eosq; semper odisse pacem, atque in eadem prouincia semper haberi maleficia pro beneficiis, eosque neque in otio concordēs, neque in bello virtute præditos vlllo tempore esse potuisse: quoniam venisset ad eos vt priuatus ac fugatus Gneus adolescens, ab eis que receptus esset, illique obtulissent fasces & imperium, multisque occisis ciuibus auxilia ei contra Romanum populum contulissent, prouinciamque suo impulsu vastassent. In quo ignorabant, quo freti auxilio sperarent Romanum populum superare. quoniam si sperarent eo mortuo finem belli, meminisse debuissent Romanum populum immortalem, ac sibi superesse decem legiones, quæ non modo Hispalenses & Hispaniam domare, sed cælum quoque euertere sufficientes forent. multa que alia in hanc sententiam protulit. Hisque peractis construxit in regione urbem ex iis regionalibus, & aliis qui eodem in loco confidere voluerunt, qui cum eo militauerant, quam Emeritam a merito ipsorum militum appellauit. Hispalim vero Romanis tam militibus, quam aliis impleuit, & ampliauit, & (vt multi referunt) Iuliam Romuleam appellauit. ex qua re vsq; in hunc diem remanet nomen, vt ab ipso Iulio Cæsare Ciuiilia moderno idiomate, id est ciuitas Iulia, nominetur. Et hic ciuilibus belli finis est.

IOAN-

IOANNIS EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIÆ LIBER DECIMVS DE GESTIS IN HISPANIA ab Augusto Cæsare, & aliis Imperatoribus vsque ad Theodosium.

Quomodo Octavianus Augustus Cæsar sumpsi imperium, & est cognominatus Augustus.



NONVS præcedens continet gesta in ciuili bello Cæsaris & Pompeii in Hispania, illiusque exordium, atque finem: nostri autem operis institutio est prosequi gesta sequentia temporibus Augusti Cæsaris, aliorumque Imperatorum vsque ad tempora Theodosii senioris, atque Honorii & Arcadii filiorum eius: quorum temporibus Gotthi ab Arcto venientes Hispaniam occupauerunt, quorum decursum Isidorus alique scriptores sunt profecti, vbi nos operi nostro finem proposuimus facere. ad historię igitur seriem redeo. Quum Cæsar obtenta Hispania (vt superiori libro late diximus) Romam rediisset, dum Reipublicæ statum contra exempla maiorum clementer cœpisset instaurare, auctoribus Bruto & Cassio, conscioque plurimo Senatu, viginti tribus vulneribus confossus interiit: in qua coniuratione fuisse amplius quam sexaginta conscios ferunt. Post Cæsaris vero mortem anno ab vrbe condita septingentesimo decimo, Octavianus qui testamento Iulii Cæsaris auunculi sui & hæreditatem & nomen assumpserat, creatus est Imperator, Panfa & Hircio Consulibus. Erat quidem Octavianus adolescens natus annos septendecim, qui cum duobus Consulibus Panfa & Hircio missus est a Senatu ad persequendum Marcum Antonium, qui pro Iulio Cæsare Africam tenebat, & multa nefaria committebat. Missi tres autem duces contra Antonium, cum apud Vticam vicerunt, acciditque vt ambo Consules Panfa & Hircius morerentur, omnesque simul tres exercitus vni Imperatori Octauiano cesserunt. Antonius amisso exercitu & fugatus confugit ad Lepidum, qui Cæsaris magister equitum fuerat, & secum copias militum grandes habebat in Sicilia, a quo benigne susceptus est, & statim Lepido operam dante Octavianus Cæsar cum Antonio pacem fecit. Et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorsit, vt sibi ad vicesimum annum Consulatus daretur, atq; Senatum proscript, & Rempublicam cum Antonio & Lepido armis tenere cœpit. Qui posteaquam vicisset Cassium & Brutum interfectores Cæsaris patris, Sextumque Pompeium in Sicilia, plurimaq; alia bella prospere gessisset, intellecto quod Antonius repudiata sorore Octauiani Cleopatram reginam Ægypti duxisset vxorem, aduersus cum bellum mouit. quo deuicto ac superato nauali pugna apud Actium, qui locus in Epiro est, post eam pugnam Ægyptus Romano accessit imperio. Atq; qui duodecim iam annis cum Antonio & Lepido imperasset ab eo anno quo primum Consul creatus est (vt placet Eutropio) Romam quum venisset, primum Augustus nominatus est: atque Consulatum (tunc enim rerum omnium summam, atque absolutam potestatem, quam Græci monarchiam vocant) adeptus est. Eoq; die hoc factum est, quo Magi ab Oriente venientes Christum Regem adorauerunt, videlicet octauo Idus Ianuarias: quem diem nos Christiani Epiphania, siue apparitionem appellamus, vt placet Orofio. Et tunc primus Augustus Cæsar, quia Ægypto & Oriente perdomito, victo atq; mortuo Antonio, quum cessassent ciuilia bella, claudi iussit portas Iani, quæ iam ab vrbe condita tertio tantum clausæ fuerant, vt refert Orofius libro sexto. Considerans tamen postea Cantabros, atq; Astures,

nonnullasque alias Hispaniæ vrbes quæ Romano non parerent imperio, iterum iussit aperiri portas Iani, translatisque victricibus armis in Hispaniam, ipsam prouinciam pacare instituit.

De aduentu Augusti Cæsaris in Hispaniam.



ASAR igitur iam cognominatus Augustus, considerans parum fuisse, bellum gestum esse in Hispania per annos ducentos, si Cantabros, atque Astures, duas potentissimas Hispaniæ gentes & prouincias, suis legibus uti sineret, aperuit portas Iani, atque in Hispaniam ipse cum exercitu suo profectus est, & (ut Iustini verbis utamur in ultimo libro) victricia arma Cæsar transtulit in Hispaniam. Et quoniam de portarum Iani apertione fecimus mentionem, eius rei rationem aperire libet. Erat in vrbe Romana templum dicatum Iano, cui offerebantur victimæ bellorum temporibus, cuius portæ tantummodo claudebantur, quum vrbs cessaret a bellis. Has autem portas a condita vrbe bis tantum clausas fuisse constat, primo quidem post Romulum temporibus Numæ Pompilii, secundo vero capta seu deleta Carthagine. iam enim tertio tunc portæ clausæ sunt Iano. Hic ergo Octavianus Cæsar iam cognominatus Augustus, videns parum sibi esse Asiam Africamque perdomuisse, si Cantabros, Vaccæos, Astures, Illiturgos, ferocissimas Hispaniæ nationes, Romanoque imperio non parentes, prætermisisset, apertis iam portis, redditisque sacrificiis, in Hispaniam venit debellaturus dictas quatuor regiones, ut placet Iustino in suo Epitomate. Inter has itaque gentes potentiores duæ erant Cantabri & Astures. Cantabrorum vero & prior, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem suam defendere, sed finitimis etiam imperare tentabant, Vaccæosque, ac Illiturgos, & alias eis vicinas nationes crebris incurfionibus fatigabant. Igitur ad Cantabros primum veniens, partito exercitu eos debellare cepit. Habebat enim classem ab Oceano, quæ terga hostium grauitè premebat, adeo ut ad Cantabriæ mœnia bellice pugnatum sit. Hinc Cantabri deficientes, nec vim Romanorum ferre valentes, fugam in eminentissimum vicinum montem arripiunt, in quem potius Oceani maria, quam Romanorum arma ascensura esse crediderant. inde Romani Aracillum oppidum magna vi repugnans capiunt. Cantabri vero quum Medullæ montis iuga occupassent, quæ faciliter expugnari non poterant, Octavianus Augustus ipsum montem fossa & vallo quindecim miliarium obsidione circumdedit, assistente circum vndique Romano exercitu. Quum vero obsessi extrema vitæ vidissent, dietimque fere certarent, certi de suo interitu, quidam qui ferro cum hostibus agere non poterant, veneno sumpto, quod ex arboribus taxeis exprimitur (quarum arborum in ipso monte copia magna est) mortem sibi conscuerunt: sicque illorum pars maxima obsessorum a captiuitate quæ imminere videbatur, subtracta est. Durauitque bellum hoc per annos quatuor, ut placet Orosio, & Lucio Floro. in hoc tamen autores dissentiunt, an per se Augustus Cæsar hoc bellum gesserit, an per Legatos: pluribusque placuit Augustum per se bellum gessisse, Lucio vero Floro in fine sui Epitomatis visum est Augustum hoc gessisse bellum per Antistium, Furnium, & Agrippam legatos hybernante Augusto Cæsare in Tarraconæ maritimis. Deuictis itaque Cantabris, Asturibus, Vaccæis, Illiturgibus, aliisque populis Hispaniæ inimicis Romani imperii, Augustus Cæsar ampliata vrbe Cæsaraugusta (quam ex suo nomine appellauit Cæsaraugustam, quæ etiam perantea Agrippa dicebatur) quum Tarraconam recessisset, & omnia bella humani generis cessassent pacatis omnibus, quum portas Iani iam secundo eo imperante claudi iussisset, illud decreuit edictum quod in Euangelio Lucæ legitur, & in nocte saluteri partus recitatur: Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur vniuersus orbis qui sub eo erat, &c.

Proba-

Probatio quod hoc edictum ab Euangelista Luca nominatum, decretum sit Tarraconæ, & de differentiis annorum edicti & Christi natiuitatis.

Tquia sicut Christi natiuitas Orientem, ita & Occidentem quoque, id est ipsam Hispaniam, illustrauit prophetarum vaticiniis ex tempore eius edicti effectum suum habentibus, ideoque quibus probetur testimoniis id Tarraconæ fuisse decretum, videamus. Primum quidem testimonium est a maioribus nostris traditum in Romanis annalibus, vbi in calce edicti legitur: *Datum Tarraconæ.* Secundum testimonium est Pauli Orosii presbyteri Tarraconensis viri clarissimi, & in historia summi, in eius Hormista libro sexto, qui sic ait: Post deuictos Cantabros, Vaccæos, Astures & Illiturgos, quod bellum annis quatuor expeditum est, quum Augustus Cæsar Tarraconam concessisset, iterum ac secundo, id est ab vrbe condita quarto Iani portas claudi iussisset, orbisque qui euisset a bellis, illa gloria Augusto Cæsari Tarraconam allata est de Orientis populis, quæ quondam Alexandro Macedoni de Occidentalibus Babylonem est allata. Ex quo constat tunc Augustum habuisse vniuersale dominium, completasque prophetias quæ cecinerant Christum pacis tempore esse nasciturum. Accedit etiam testimonium Titi Lii in historia clarissimi, ut refert Anneus Lucius Florus in fine tertii libri sui Epitomatis, postquam retulisset Cantabricum bellum per annos quatuor gestum, concessionemque Augusti Cæsaris ad urbem Tarraconam: Hæc per Antistium, Furnium, & Agrippam legatos hybernans in Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præfens hos deduxit montibus, hos obsidibus astrinxit, hos sub corona iure belli venundedit. Dignares lauro, digna curru Senatui visa est, licet Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant, & positis castris apud Asturam flumen trifariam diuiso agmine tria simul Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset anceps & eruentum & vltimum mutua clade certamen, nisi tam fortes tanque subito consilio venientes Brigæcini prodidissent, a quibus præmonitus Carisius cum exercitu adueniens oppressit consilia. Sic tamen non incruento certamine reliquias validissimi ac fusi exercitus ciuitas Lantia excepit: vbi adco pugnatum est, ut quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetraverit veniam, ut victoriæ Romanæ beneficio potius extaret, quam in vindictam destrueretur. Et post subdit Florus: Hic finis Augusto bellorum ac certaminum fuit, idem rebellandi finis Hispaniæ, mox certa fides. Et postea quibusdam adiectis subdit: Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoque duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem & victoriam gentium populi Romani. Nam & Scythæ & Sarmatæ misere legatos amicitiam petentes. Seres etiam habitantes sub ipso Sole, inclyti gemmis & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem viæ imputabant, quia in itinere quadriennium exegerant, quos ipse hominum color ab alio venire cælo fatebatur. Parthi quoque quasi victoriæ pœniteret eos, rapta classe Crassiana, signa vltro retulere. Sicque vbique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pæctio. Tandem Cæsar Augustus septingentesimo ab vrbe condita anno Ianum geminum clausit; bis ante se clausum, sub Numa Rege, ac vincta primum Carthagine. Et hæc de perpetua & æterna pace. De æris vero edicto subiungit idem Lucius Florus in fine: Hinc conuersus ad pacem, pronum, & in omnia mala luxuriamque fluens sæculum grauius seuerisque legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, & pater patriæ appellatus est. Tractatum etiam est in Senatu, an quia condidisset imperium Romulus, inter Deos relatus esset: an sanctius ac reuerentius visum esset nomen Augusti. Probatum etiam quod hoc edictum in Hispania & vrbe Tarraconæ sit decretum, quoniam ab illo edicto ac ætæ constitutione Hispania omnis semper postea computauit annos vsque vltra

m

millesimum ac ducentiesimum annum, & maxime in ecclesiasticis rebus, in quibus non a mundi creatione, non ab indictionibus, non ab Olympiadibus, nec a Christi natiuitate seu incarnatione, sed ab æra, illoque Augusti Cæsaris edicto, vt satis patet ex libro conciliorum, omnibusque Hispaniæ conciliis, ac cæteris veteribus ecclesiasticis Hispaniæ codicibus, hæc computatio solum ab Hispanis retenta est & obseruata, vt meminit Guilielmus Duranti in vltimo libro Rationalis diuinorum officiorum. Cur autem differat hæc computatio ab anno incarnationis seu salutiferi partus annis viginti sex, dicimus quod quum ipsum edictum decretum fuisset Tarraconæ, & pronunciatum per Augustum Cæsarem sextodecimo sui imperii anno, vel saltem decimo septimo, videlicet postquam annis duodecim imperasset cum Antonio, & denuo victo Antonio Romam rediens post annum duodecesimum, quum fuisset cōsalutatus Augustus, transfulissetque victoricia arma in Hispaniam, quod bellum aduersus prædictas quatuor gētes quum intra annos quatuor absoluisset, rediens Tarraconē ipso sextodecimo vel septimodecimo imperii sui anno, non fuit tamen executioni mādatum vsque ad quadragiesimum secundum sui imperii annum. Quoniam quum putaret pacem omnibus sæculis constitutam in emanatione decreti, quam secuta hominum salus & in terram venire debuerat, iuxta Esaia, Dauid, & cæterorum prophetarum vaticinia: ob eam edicti pronuntiationem nonnulli populi in Gallia & Germania rebellauerunt, suspensioque edicto missi sunt ad illos domandos a Cæsare Tiberius & Drusus, qui postquam omnia pacassent, Romanoque imperio subegissent, anno quadragiesimo secundo sui imperii, quo anno Christus natus est, a præside Syria Cyreno cæteroque orbe edictum Tarraconæ decretum executioni mandatum est. Cuius computationem Hispania omnis, nō a generali executione per vniuersum facta, sed a die decreti facti retinuit. Qua ex causa differunt computationes Christi incarnationis & partus salutiferi ab ipsa æra computatione ipsius viginti sex annis, quibus æræ computationis edictum præcessit, & si qui plures addunt annos, errant vehementer.

Ioannis Episcopi Gerundensis Paralipomenon
Hispaniæ finis.



RODERICI ARCHIEPI-
SCOPI TOLETANI OSTRO-
GOTTHORVM HISTORIA.

PROLOGVS.

QUUM Gothorum causa olim in Athanaricum & Fridigerum fuisse diuisa, ea lege in concordiam redierunt, vt Fridigerus Ostrogotthis & Athanaricus Vefegotthis regali excellentia preminerent. Hi autem qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti sunt Ostrogotthi, quasi Orientales Gotthi. Ost enim vocant in lingua Gothica Orientem, & inde Osteric, id est, Orientale regnum. West autem Occidens interpretatur, & inde Westgotthi, quasi Occidentales Gotthi. inde alia pars Teutonia Westfalia nuncupatur, quasi Occidentalis campus. Et ex tunc vsque ad Fridigeri interitum regni diuisio perdurauit. Post cuius mortem Athanaricus solus obtinuit principatum, sed & eo mortuo in Alaricum, & Redagarsum interim sunt diuisi. Vnde Redagarso in Tuscia interfecto Alaricus solus obtinuit curam regni. & sic postea res mansit, donec Ostrogotthi se iuncti ab aliis sedes proprias metabantur, & in Mysia, & ripa Danubii morabantur. Vefegotthi autem Pannoniam, Gallias, & Hispanias inuaserunt, in quibus etiam sedes vltimas posuerunt. Vnde quasi propheticè dicti sunt Vefegotthi, id est, Occidentales Gotthi. Ostrogotthi autem, qui Hunnis, Pannoniis, & Romanis graua bella gesserunt. Sed quia successiones & acta Vefegotthorum in alio libro digestimus, in hac parte Ostrogotthorum successiones & praelia prosequemur.

De Regibus Ostrogotthorum, & de actibus Theodorici. Cap. I.

MORTVO Attila, Valamer Rex Ostrogotthorum, & Ardarius Rex Gepidarum contra Hunnos qui remanserant, processerunt. Hunni autem ex aduerso venientibus occurrerunt, & conferto praelio Hunni cesserunt, & tot ex Hunnis cæsi fuerunt, quod deinceps Ostrogotthorum potentiam metuerunt. Post hæc Leo Imperator cum Ostrogotthis pacem firmavit, & Valamer Rex eorum dedit obsidem nepotem suum Theodoricum filium fratris sui Theudemiri. Mortuo Valamer frater eius Theudemirus regnum suscepit Ostrogotthorum, cui Leo Imperator statim restituit suum filium Theodoricum, quem obsidem receperat a Valamer. Mortuo Theudemiro successit in regno Ostrogotthorū filius eius Theodoricus: huius bonitas ita enituit, cum esset obses, vt tam ab Imperatore quam a Romanis charissimus haberetur, adeo vt famæ eius pura sinceritas ad aures Zenonis relatu celeri perueniret. Vnde & Zenon qui Constantinopoli imperabat, Theodoricum ad se venire suis epistolis inuitauit, & recepit iucundo applausu, & congruis honoribus venientem, & in consulem, & patricium exaltauit, & ei æream statuam ante Palatium collocauit. Cumque ibidem aliquanto tempore imperialibus deliciis teneretur, cœperunt Ostrogotthi aliquantulum murmurare, eo quod defectu viuarum vexarentur, nec licebat eis propter pacis fœdera a vicinis gentibus aliquid attemptare. Vnde & pacem in vitam causabantur: & Theodorico talia nunciarunt. Quæ audiens Zenoni continuo reuelauit. Zenon autem de Ostrogotthorum penuria contristatus, quia nolebat Theodoricum a se fieri alienum, quem tantis virtutibus compererat abundare, tradidit ei Italiam, vt ciborum inopiæ subueniret, & commendauit ei Senatū populūque Romanum. Egressus igitur a Zenone venit ad Ostrogotthos nunciatus eis, vt se pararent ad obtinendam Italiam sibi datam.

Cumque pergere inceperent, Gepidæ & Bulgaris illis itinere obiecerunt, sed ex eis plurimi ceciderunt: & victor Theodoricus exiens de Mysia, & transiens per Pannonias Italiam est ingressus.

De Odoacre & morte eius. Cap. II.



DOACER autem Rex Herulorum & Turingorum fugato Orreste patricio, & obtenta ciuitate Ticini deposuit ab imperiali purpura Augustulum qui imperialem usurpauerat potestatem, & Romam obtinuerat, & totius Italiae principatum. Hic cum audisset aduentum Theodorici, prope Aquileiam occurrit Theodorico, ibique pugna inita, Odoacer victus exiit, & fugatus. Theodoricus autem vsque Veronam eum persequi non cessauit. præsumptione denuo restaurata bellum iterum innouauit, sed eadem infelicitate, qua prius, pluribus de sua multitudine interfectis, ipse iteratæ fugæ subsidio est relictus, sed Theodoricus impetu persequens fugientes etiam Veronam locum refugii occupauit. Odoacer autem in urbem fugiens a ciuibus est abiectus, & ei introitus denegatus. Ipse vero quæ attingere potuit, gladio & incendio deuastauit, & Rauennam veniens ibi se clausit, gestiens rebellare. Theodoricus autem obtenta Verona venit Mediolanum, & eam obtinuit. Ibi que dimissis matre, & fororibus, & suppellectili familiari Rauennam iuit, Odoacrem profugum obfessurus, & cum obsidione diutina arctaretur, Odoacer sub fide se dedit Theodorico. Quidemum volens iterum rebellare, a Theodorico morte crudelissima est peremptus. Mortuoque Odoacre, frater eius Onoulphus cum residuis Odoacris Theodoricum voluit infestare, sed victus ab eo trans confinia Danubii est fugatus.

De regno Theodorici in Italia. Cap. III.



DOST hæc autem Theodoricus pacifice obtinuit Italiae principatum, & Romam veniens a Romanis omnibus voluntarie est receptus. Ipse vero, vt erat vir gratiæ & virtutum, sic se sciuit omnibus conformare, vt charus ab omnibus haberetur. Et quia tunc temporis stipendia victualium fuerant minorata, assignauit Romanis singulis annis cxx. millia modiorum, pro quo Romanis charior est effectus: & quæuis tot fauoribus redudaret, nunquam voluit Imperator dominio derogare, sed omnia quiete, omnia pacifice gubernabat, & per totam Italiã regalia habitacula opere nobili fabricauit, cuius virtutes & acta Sidonius & Enodius latius prosequuntur. Cum itaque in Italia annis decem & octo victor regnasset, audiens extinctum Regem Gotthorum Gisleicium, cæpit in Hispaniam proficisci, & in via Fracorum superbiam domuit, & prostrauit, & partem regni quam manus hostium occupauerant, Gotthorum restituit potestati. Et intrans Hispanias regnum tenuit annis quindecim pro Amalarico nepote suo qui paruulus adhuc erat, & totam Hispaniam & Galliam Gotthicam subiugauit. Cumque nepos Amalaricus ad ætatem legitimam peruenisset, Theodoricus regnum Gotthorum dimisit eidem, mandans filie, & nepoti, & quasi voce testamentali denuncians, vt Senatam populumque Romanum diligerent, & Imperatorem Orientalem haberent propitium & pacatum. Ipse vero reuersus est in Italiam, & per ipsum fuit Romæ dignitas restituta. nam partem murorũ quæ Alaricus, & Athaulphus Reges Gotthorũ, & Gisericus Rex Vandalorum vastationis tempore dissiparãt, ipse redintegrauit, & prospere regnum rexit. Vnde & a Senatu statuam meruit inauratam. Amalaricus autem nepos eius cæpit regnare æra dclxv. & quinque annis regnauit sine auo, & tam suam adolescentiam quam matris viduitatem Iustino Orientis Principi commendauit.

De Theo-

De Theodorici hæresi, & morte eius. Caput IIII.

MORTVO Zenone Iustinus Catholicus suscepit Imperium Orientis, tunc Hormisda Papa misit ad eum Germanum Episcopum Capuanensem, quem Iustinus propter sanctitatis præconium honorauit. Eo tempore hæresis Ariana adeo inualuerat, quod fere vtrũque Imperium infecerat viru suo. Gotthi etiam, Vandali, & Alani, & Sueui a tempore Valentis Imperatoris eadem perfidia tenebantur. Prædictus autem Germanus Episcopus multos apud Constantinopolim ad fidem catholicã reuocauit, & Iustinus mandauit catholicis Episcopis ecclesias restaurari, & per sacerdotes catholicos gubernari. Quod audiens Theodoricus Ariano veneno repletis ad Iustinum nuncios destinauit, vt Arianis Episcopis ecclesias restitueret, & eos in pace permetteret remanere, alioqui ipse in omnes de Italia defæuaret, nec se xui parceret, nec ætati. Nuncii autem cum lachrymis postularunt, vt petitioni annueret, & Arianos permetteret frui pace, & sic parceret Italis occidendis, quod & fecit compassione Italiae prouocatus. Hormisda Papa defuncto, Ioannes Constantinopoli ad Papalem apicem subleuatur. Et dum hæc fierent, Theodoricus præuarice hæretica concitatus Symmachum patricium, & Boetium senatorem gladio interfecit: nec in eo primis operibus vltima responderunt. Eo cum Ioannes Papa a Constantinopoli adueniret, inuenit Rauennæ Theodoricum, & cum ei verba salutis proponere inceperet, ipsum Papam cum iis qui cum eo venerant, interfecit, indignans quod Iustinus reueritum honorauit. Paucis autem diebus interpositis, Theodoricus sacrilegiis Arianis impiam animam Dei iudicio exhalauit. Tunc quidam solitarius eremita vidit Ioannem Papam, & Symmachum patricium eius animam deportare, quam in ollam Vulcani quæ ipsi littori est vicina, vt executores diuinæ sententiæ proiecerunt. Iustinus vero Imperator cum per vndecim annos apud Constantinopolim regnauisset, in pace quieuit.

De Gutide & successoribus eius. Caput V.

MORTVO Theodorico Ostrogothi nepotem eius Amalaricum in principem elegerunt, sed paruo post tempore in Hispania vitam finiuit. Post hunc etiam Ostrogothi cum voluntate Amalasuentæ Theudem elegerunt, sed quia Theudis Amalasuentam paucis diebus interpositis in balneo strangulauit, Ostrogothi Regem alium elegerunt, qui Gutis nominabatur. Hic ad regale fastigium eleuatus iuit Rauennam, & filia Euri Regis & Amalasuentæ Reginae, quam ibi auus Theodoricus reliquerat, abstulit violenter, & sibi matrimonio copulauit. Cumque Belesarius Neapolim inuasisset, & Gotthos cum incolis extinxisset, veniens Romam voluit Gotthos qui inibi habitabant, gladio simili extirpare. Sed qui fugere potuerunt, Rauennam ad Gutidem peruenerunt. Gutis autem vt cognouit talia, statim cum magno exercitu contra Belesarium venit Romam. Belesarius autem non ratus congruere opportunum, vi bis inuasit claudi, & introitus custodiri. Ostrogothi autem extra muros omnia euertebant, & incendio consumebant, & loca sacra bonis omnibus spoliabant, & quoscunque de Romanis habere poterant, trucidabãt, & ciuitatem vndique grauiter infestabant. Belesarius vero e contrario firmiter defendebat. Romani calamitate duplici tenebantur. nam foris eos gladius, intus famis penuria affligebat. Cumque per annum fuisset obfessa, in Rauennam cœlitus territu redierunt. Eo tempore tanta fames inuasit Liguriam, vt, secundum quod prædixerat Sanctus Dacius Mediolanensis Episcopus, matres filiorum carnes charissimas attererent. Post hoc iterum Gutis exercitum congregauit, & veniens cõtra Romanos a Belesario fuit victus, & crudelitatis suæ recipiens rationem multis de suis occisis, dum ipse fugeret, a Ioanne magistro militum fuit captus, & Belesario præsentatus. Belesarius autem tanta victoria gloriosus Gutim Constantinopolim secum duxit, & obtulit eum Iustiniano. Ille autem benigne recipiens honorauit patricia dignitate, &

m ij

factum patricium, quia strenuus esset, misit eum ad fines Persidis contuendos, ubi & vitam finiuit. Hoc tempore sanctus pater Benedictus in morte qui Cassinus dicitur habitabat, & gens Longobardorum Romani populi tunc amica Pannoniam possidebat, & habebat Regem qui Alboini dicebatur. Ostrogothi autem mortuo Gutide super se Regem alium leuauerunt nomine Heldebatum, & isto post annum occiso, alium praefecerunt, qui intra anni circulum vitam finiuit.

De Totila, & actibus eius. Caput VI.



EINDE Totilam elegerunt. Hic fuit strenuus & crudelis, qui 10
suorum exercitu congregato cepit Italiam impugnare, & per
Campaniam, & montem Cassinum, per Lucaniam, & per Bru-
tiam transeuntes ad regnum Calabriae peruenerunt, indeque
mare modicum transeuntes Siciliam occuparunt. Deinde Ro-
mam reuersi, quia fame grauissima laborabant, ut humanas car-
nes pro pabulis attentarent, tandem caede, inopia tabefacti, a
defensione penitus cessauerunt. Totila autem per portam ingressus est Hostien-
sem, & praecipit buccinis intonare, ut Romani se in latebris occultarent, aut ad
sanctuarium se transferrent, ut a gladio seruariantur, & fecit volens parcere sanguini
Romanorum. Post haec cum Romanis aliquanto tempore, ut pater cum filiis, ha- 20
bitauit, & cum antea crudelissimus haberetur, hanc humanitatem creditur Beati
Benedicti monitis induisse, ad quem iuerat, ut intelligeret, si haberet spiritum pro-
phetiae. Ciuitates autem Italiae variis incursionibus dissipauit. Ciuitatem, Castel-
lum, Perusium, & Fulginiam, & multas Aemiliae ciuitates, cum plurima caede ho-
minum diruit & euerit. In tantis vero excidiis aliqui Senatores tor calamitatibus
cruciati Constantinopolim adierunt, & Iustiniano excidium Italiae nunciarunt.
Imperator vero dolore repletus continuo misit Narsetem cubicularium eunu-
chum cum magna multitudine pugnatorum, qui ueniens in Italiam Ostrogot-
this oblata praeha reparauit, & ad extremam virtutis vltima coarctauit, & Regem eo-
rum Totilam interfecit, & eos ab Italiae finibus propulsauit. Ciuitates & oppida 30
quae Totila decem annis tenuerat, Romano Imperio restituit. Reliquiae autem
Ostrogothorum quae remanserant, ad ripam Danubii confugerunt, & ex tunc
Romani a Gothorum cladibus respirarunt. nec Ostrogothi leguntur Regem
postea habuisse, nisi quod se Vesegothorum coetu miscuerunt qui in Hispaniis
& Gallia Gothica regnauerunt.

RODERICI ARCHIEPISCO- PI TOLETANI HVNNORVM, ET VAN- 40 DALORVM, ET SVEVORVM, ET ALA- norum, & Silinguorum historia.

PROLOGVS.



VIA stylo flebili nostra gentis repetita sapius excidia recitauit, ne per
intercapedines digitorum mira desluant Hispanorum, descriptis cladi- 50
bus quas fere semper a sui principio est perpeffa, ad eorum tempora ver-
to stylum, qui licet breuiori, acriori tamen dominio seuerunt. Quo-
rum inhumanitas tanta fuit, ut omnem bestiarum rabiem superarent,
nec unquam humani generis ingluuie satiatu pietatis spiritum admi-
serunt, sed semper exterminio inbiantes, caedibus & excidiis intende-
runt. quod diuini iudicii talio sic euerit, ut parum aut raro in tutis sedibus remanerent:
& fere

& fere semper intestinis suppliciis penas criminum, ut oportuit, receperunt. quorum prin-
cipium, medium, atque finem, prout maiorum relatio docuit, si Dominus dederit, annotabo.
Gothorum originem, gloriam, & processum, quorum insignia super omnes barbaros efful-
serunt, in superiori volumine declarauit, prout docuit veritas primaeuorum. Verum quia
prater Gothos quatuor gentes ferocissimas secula habuerunt, scilicet Hunnos, Vandalos, A-
lanos, & Suenos, qui semper cadere, nunquam quiescere voluerunt, horum originem, sedes,
& acta cogit suscepti laboris ratio explicare.

De origine Hunnorum. Caput VII.

10



VNNORVM origo (ut refert antiquitas) ita cepit. Rex Gothorum
Gardarici Magni filius, qui post egressum a Scandia tertio loco Got-
thorum tenuit principatum, qui & terras Scythicas (ut diximus) occu-
pauit, in populo suo reperit quasdam magas quae in exercitu stupra
& maleficia procurabant, & factitiis strenuos euirabant, quas habens.
suspectas longe ab exercitu effugas in solitudine fecit exponi. At immundi spi-
ritus per deserta & inuia euagantes, ut multorum cogit ratio opinari, se earum com-
plexibus ad coitum miscuerunt, & genus hoc ferocissimum ediderunt. primum
minutum, tetrum, inter paludes exisse commemorant, & quasi genus hominum,
nec alia voce notum, nisi quod humani seminis imaginem exhibebat. Tali ergo 20
Hunni stirpe progeniti, procedente tempore magis humanae naturae vicini, licet
satis dissimiles, humanae formae imaginem praeferebant, & a rugitibus bestiarum
humanis vocibus se aptabant. Gothorum linguam quam a matribus didicerant,
in aliquibus imitantes. Et ut Priscus historicus refert, in vltiori ripa paludis Meo-
tidis insidentes non aliis laboribus, sed tantum venationibus & piscationibus insti-
tebant, nisi quod postquam creuit, fraudibus & rapinis vicinarum gentium com-
moda perturbabat. Erat autem eis species pauenda nigredinis, & velut ossa incō-
posita, & informis, non plene, ut facies, & figurata, sed habens in facie quasi puncta
pro luminibus oculorum, & saeuitiam animi toruus prodebat aspectus: etiam in 30
proles recenter natas impie sequebant. nam genas earum ferri calidi stigmatē figu-
rabant, ut ante vulnus, quam lactis suscipere nutrimenta. exigui quidem forma,
sed argutis motibus expediti, ad equitandum promptissimi, latis scapulis, ad arcus
sagittasque parati, ceruicibus & superbia semper erecti. Quadam autem die dū ve-
natores eorum in vltiori ripa Maotidis circa venationis studia laborarent, cer-
ua se obtulit improuisa, ingressaque paludem nunc progrediens, nunc subsistens,
ut index viae sollicita praecedebat, & venatores paludem imperuam quam ut pe-
lagus existimabant, pedibus transierunt, moxque ignotis apparuit Scythia nun-
quam visa, & creduntur spiritus illi unde progeniem traxerāt, id egisse. quod enim
in tam modico tempore a non multis foeminis quocunque concubitu tantus po- 40
pulus processisset, tamque ferox, non videtur humana posse contingere ratione.
Illi vero qui praeter Maotidem alium esse mundum penitus ignorabant, admira-
tione Scythiae stupefacti, ut erāt solertes, iter illud ostensum diuinitus crediderūt,
& ad suos in Maotidem reuertentes, gestum prout euenerat retulerunt, & terras
Scythiae laudauerunt. Et continuo Hunnorum exercitus paludibus procreatus Scy-
thiam adierunt, & quoscuque in principio inuenerunt, suae victoriae litauerūt,
& ingentem paludem Scythiae transierunt. Alpizuros, Lizuros, Iumaros, Boiscos
qui in ripa paludis Scythiae insidebant, quasi cum turbine rapuerunt. Alanos quo-
que pugna sibi pares, sed humanitate, victu, formaque dissimiles, frequenti certa-
mine subiugarunt. Nam quos bello forsitan minime superabāt, terrore vultuum 50
consternebant, & iam longa generatione veri hominis imaginem natura scientes
ferali saeuitia trahebantur. Hermanaricus autem Rex Gothorum, qui (ut supe-
rius retulimus) multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere saucius
ægram vitam imbecillitate contraxit, & tunc Voalamber Rex Hunnorum in O-
strogothos qui iam a Gothis seiuncti manebant, fecit insultum, eosque prostra-
uit. Hermanaricus autem dolore vulneris, & Hunnorum potius vitae suae anno
m iij

centesimo decimo est defunctus, cuius mors Hunnis occasionem præbuit præu-
lendi, ipsosque Gothos qui remanserant, & Ostrogotthos fere extinxit. Ostrogot-
thi autem & Gepidæ usque ad bellum Catalaunicum sub Hunnorum dominio re-
manserunt, a tempore Hermanarici Regis Gotthorum usque ad Voalamer Regis
Ostrogotthorum, & Ardaricum Regem Gepidarum, qui tempore belli Catalau-
nici rati posse restitui libertati, se Gotthorum auxiliis addiderunt. Post quod bellum
(de quo in superiori libro latius est expressum) Attila pro discessu hostium non re-
stitutus præsumit gaudia, meditatur grandia, erigitur ad coronam, oppressioni in-
hiat, Romanis insonat, & inde reuertitur in Pannoniam, ut maiorem ex-
ercitum congregaret. Et cum cœpisset Alanos infestare, Thurismundus adueniens vicin-
eum: & licet fugatus, post Thurismundi discessum virtutem animi non abiecit, sed
maiore exercitu congregato corde intimo reponens iniuriam Romanorum, per-
fectionem dirigit in excidium eorundem, habens secum quam prius exercitum
ampliolem. Primum partes Aquilegiæ deuastauit, quæ erat in Metropoli Vene-
torum. Deinde ciuitatem obsidionis ambitu coarctauit. Cumque obsidio diutius
traheretur, cœpit exercitus victualium penuria murmurare. Quadam autem die
cum ciuitatem Attila circuitet, ut videret, qua posset facilius impugnari, inspicit
ciconias in rostris filios deportantes egredi ciuitatem, & latus auspicio dixit suis:
Pugnate hilariter, quia transmigratio auium transmigrationem indicat obsecrorum.
& tunc fortius solito dimicantes obsecræ urbis muros & ianuas irruerunt. Et que-
dam domina nomine Digna, quæ in turre altissima habitabat, in Natissam flumi-
nem se proiecit, ne barbarorum ludibrio seruaretur. Inde vrbe euersa, & penitus dissi-
pata, vicina oppida diruit & castella. Concordiam, & Bellunum, & Feltrium, Vicen-
tiam, & Veronam, Bergamum, Brixiam, atque Cunam, Mediolanum metropolim,
Ligurum, & Ticinium, quæ nunc Papiam, omnes diripuit & euertit, cædi tamen & in
medio paruus instabat. Ipso talia perpetrante, & Liguriam & Venetias deuasta-
te, quæ erant quasi viscera Romanorum, proposuit Romam simili dispendio visi-
tare, sed suorum consilio dissuasus timuit sibi, ut Alarico, si Romam inuaderet, e-
uenturum, qui postquam Romam vastauerat, humanæ vitæ protinus sensit finem.
Dumque inter cõsilia fluctuaret, venit ad eum cum legatione placida sanctissimus
Leo Papa, in cuius aduentu sic furorem deposuit consuetum, ut sui & alii miraren-
tur in tantum, ut idem Papa recessum eius ab Italia impetraret. Fuerat enim Attila
Dei terribilis potestate. viderat enim dum sibi Papa cominus loqueretur, alium
prope stantem in similitudine sacerdotis tenentem gladium euaginatam, & mor-
tem terribiliter comminantem, si nollet Papæ beneplacitis obedire. Cumque suis
visionem huiusmodi reuelasset, pacem, ut Papa petierat, suaserunt: & in loco vbi
Ticinum Pado flumini admiscetur, ab inuicem discesserunt.

De Honoria & morte Attilæ. Caput VIII.

HONORIA autem Valentiniani germana Attilam incitauit per clande-
stinum eunuchum, ut eam sibi peteret in uxorem. Attila autem audito
nuncio est gauisus, & statim ad Imperatorem Valentinianum internun-
cios destinauit, ut sororem eius peterent supra dictam: quod si reueneret,
interminans minitauit se in Italiam reuerturum, & grauiora prioribus patratum.
Igitur Attila Danubium transiens contra Alanos mouit arma. Quod cum Thuris-
mundus Rex Gotthorum non imparis gloriæ præsensisset, in auxilium Alanorum
exercitui Attilæ mox aduenit, confertoque prælio sicut in campis Catalaunicis,
pauenda Romanis vexilla Attilæ effugauit, ipsumque Attilam fugientem cogit
oblitas olim repetere mansiones. Et præter alias quas habebat, duxit uxorem quæ
Ildico dicebatur, & inter conuiuia quæ sobrietatis terminos excefferunt, plus so-
lito bibit vinum, & cum sanguis per os & nares cœpisset effluere, fuit continuo
post breue spacium suffocatus. In ipsa nocte Imperator Martianus qui tunc Con-
stantinopoli morabatur, vidit in somnis arcum Attilæ esse fractum, & intellexit
eum mortuum, aut cõfractum. Vnde Etium patricium interfecit, eo quod in bel-
lo Cata-

lo Catalaunico eius cõsilio quod Thurismundo dederat, Attila euasisset. Sed eor-
um prælia & processus in superiori volumine descripsi calamo latiori.

De Vandalis.

Caput IX.

VANDALOS autem Scythas fuisse superioris libri auctoritas pro-
testatur, quos Gothi egressi a Scædia primo impetu prostrauerunt. Pars autem altera Vandalorum dicta Silingui per se exer-
citum faciebat, & speciali nomine vocabatur, licet a principio
vtrique vna gens fuerint Vandalorum. Alani similiter ex Scy-
thia oriundi, acti a Gothis in Vandalorum coloniam transie-
runt, ut Gothis impares possent cum Vandalis se tueri. Sueui
etiam qui a Germanis processerunt, eam partem Scythiæ inuaserunt, quæ a Sue-
uis & Scythis Suetia nominatur, in qua est metropolis ciuitas Vbsalensis. Horum
nomen & patria in Teutonia adhuc antiqui cœpitis nomē habet, quæ Sueuia no-
minatur. Hi itaque genitale solum egressi, & in obtenta Suetia habitantes, & Got-
thorum gladios formidantes, se Vandalorum & Alanorum cœtui miscuerunt, ut
simul iuncti Gotthorum potentia obuiarent, quibus tamen semper in bellis im-
pares sunt inuenti. Cumque enim Geberidus Gotthorum regeret principatum, &
Vimar Vandalorum, quos iuuabant Alani & Sueui, tanta strage fuere prostrati,
quod nunquam postea in Scythiæ sedibus præsumperunt remanere, nec nobilitati
Gotthiæ obuiare, sed a Constantino Cæsare Pannoniam petierunt, & per se-
xaginta annos terram ut agricolæ coluerunt, tributarii Romanorum.

Quod Barbari a Pannonia in Gallias transfugerunt. Caput X.

DEMVM Fridigerus Rex Gotthorum eis aduenit, sed morte præuen-
tus eos non potuit obtinere. Verum ipsi timentes Athanaricum qui
in Gotthorum regimine adhuc stabat, a Stilicone consule & patricio
Gallias petierunt, ut Romano imperio rebellantes sua multitudine
subiugarent. Cumque ad Gallias peruenissent, biennio ante irruptio-
nem vrbs Romanæ, vastatis prouinciis interiectis, in Gallias peruenerunt; Bur-
gundiones, & Francos, siue Gallicos, mirabili impetu prostrauerunt, & etiam A-
quitaniam subiecerunt. At postquam tyrannus Eugenius interfecerat Gratianum, &
Gallias occuparat, Vandali, Silingui, Alani, & Sueui cum tyranno Eugenio contra
imperium rebellauerunt. Sed Theodosius progrediens contra ipsos, duxit de Got-
this plusquam viginti millia armatorum, & Eugenio interfecto, prædicta gentes
fugaci compendio recesserunt, & Pyrenæis montibus se dederunt. Sed Didymus
& Veranianus, ambo fratres, de nobilioribus & potentioribus Romanorum, se in
eorum transitu obiecerunt, & fratrum obice potentatu a transitu sunt repulsi, &
tribus annis per prouincias Galliæ vagabundi a Romanis & Gothis cædes frequen-
tissime sunt experti. sed prædicti fratres qui claustra Pyrenæi potētī præsidio tue-
bantur, fuerunt apud Constantinum Cæsarem accusati quasi rebellionem Eugeni
consensissent, sed licet innoxii & infontes, a Constantino Cæsare sunt occisi.

De introitu Barbarorum in Hispaniam. Caput XI.

MORS autem fratrum Vandalis, Alanis, & Sueuis occupandi Hispanias
viam dedit, qui intrantes Hispanias, vastationes & neces cruentis incur-
sibus exercebant. Ciuitates & oppida, villas & pagos incendio consu-
mentes, spolia occisorum diuisione cruentissima partientes, ad tantam
cladē accolæ perdixerunt, ut humanas carnes famis periculo attentarent. Bestiæ
quoque cadaueribus afluere in viuorum interitum ferebantur: atque ita quatuor
plagis, bestiarum scilicet, famis, pestis, gladii, Hispania misere lacerata diuini iudi-

cii sensit iram. Tandem vero videntes Barbari terram extinctis cultoribus elanguere, & fructibus defraudari, & in ipsos penuriam redundare, non miseris incolarum, sed suæ cepserunt penuriæ condolere. Vnde & incolis conuocatis, cum eis prouincias diuiserunt, vt incolæ terram colerent, tributa dominis soluturi: ipsi autem prouinciarum dominia sorte sacrilega partirentur. Alani itaque Lusitaniam & Carthaginensem prouincias habuerunt: Vandali, qui Silingui, in Bætica resederunt: alii Vandali Galleciam occuparunt: Sueui maritima & occidua Oceani tenuerunt, & partem Celtiberiæ quæ ad montana Oceani tendebatur. Tot faucibus indulta laceratio Hispanorum, cum supereminerent guttura voratorum carnibus occisorû, nec subiectione, nec officio mitigari potuit crudelitas dominorû. 10

De regno & fuga Vandalorum, & primo introitu Gothorum. Caput XII.

POST QUAM autem Hispanias sunt ingressi, primus in Vandalis regnum obtinuit Gundericus, & in Gallecia posuit sedem regni decem & octo, & fœdere interposito ipse & Sueui pariter ibidem coregnabant. Alani enim qui Carthaginensem prouinciam & Lusitaniam occuparât, præminebant Vandalis & Sueuis. Sed quia Alani Celtiberiam in se stabât, quæ sola in Hispaniis in potestate remanserat Romanorum, Walia Rex Gothorum qui erat in amicitia Romanorum, per Constantium patricium qui in Celtiberia residebat, in auxiliû est vocatus, & intrans Hispaniam, adeo Alanos infestauit, vt Regem eorum Athacem extingueret, & relictis sedibus Carthaginensibus & Lusitaniam ad Gundericum Regem Galleciæ quem nuper prostrauerant, se transferrent, regni nomine iam obliuio. Omnes tamẽ in bello Walia superauit, & Silinguos qui in Bætica morabantur, bello simili coartauit. Walia autẽ victoriis inclitus ad Galliam Gothicam est reuersus. Post cuius discessum Gundericus Sueuorum fœdera violauit, vt eis subiectis ipse solus præesset Vandalis & Sueuis: sed Sueui obstinatione solita pertinaces in Nerualis montibus restiterunt. Vnde cum eos Gundericus aliquandiu obsedisset, cepit de victoria desperare, sed ne videretur desperatione siue impotentia recedere ab obsessis, causam maioris negotii simulauit, & obsidione relicta, ad Baleares insulas se conuertit, & eas prædis & cædibus deuastauit. Inde rediens ad Carthaginem cismarinam (quæ Spartaria dicitur) eam diruit & deleuit. Hanc olim Scipio Aphricanus deleta maiori Carthagine, vastatione simili dissipat, & ibi fuit antiquitus dignitas ciuitatis. Sed postquam ipsa a Vandalis fuit euersa, Gothorum tempore dignitas ad Toletanam ecclesiam est translata, & adhuc hodie Carthaginensibus dicitur prouincia Toletana. Euersa Carthagine, processit vt Bætica deuastaret, non parcens Silinguis, qui erant cum Vandalis vnus populus & gens vna. Sed cum Hispalim diruisset, & acta cæde diripuisset, in basilicam Vincentii martyris eius vr̄bis sacrilegus misit manus. Sed Dei sententia nolens tantum facinus tolerare, dæmonii impetu in foribus templi cecidit interfectus, æra quadringentesima sexagesima septima. Et tunc remanserunt in Hispaniis tria regna: in Carthagine & Lusitania Alanorum, qui ad mansiones suas post recessum Walix redierunt: secundum regnum in Gallecia Sueuorum: tertium in Bætica Silinguorum, quæ regio a Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluziam corrupto vocabulo vulgariter appellamus, & incolas Andaluzes. 20 30 40

De Giserico, & transitu eius in Aphricam. Caput XIII.

MORTUO Gunderico, frater eius Gisericus successit in regno, & regnauit quadraginta annis. Hic cum esset catholicus in apostasiam Arianæ perfidiæ est lapsus, & cum frater eius Gundericus verens vicinitatem Gothorum Regum qui in Gallia Gothica & Aquitania residebant, & partem Hispaniæ veniente Walia occuparant, proposuit in 50

fuit in Aphricam transfretare sperans freti obice a Gothorum insultibus fore tutum. Gisericus autem proposito conscius cum omnibus Vandalis eorumque familiis, relictis Hispaniis, ad Aphricam transfretauit, & continuo obsedit Hipponā. Cuius obsidionis anno primo beatus Augustinus, beati Ambrosij discipulus, eiusdem vr̄bis Episcopus migravit ad Christum inter impetus obsidentium Vandalorum, anno decimo post mortem Hieronymi, Episcopus sui trigesimo quinto. Cum autem Vandalorum transitû Valentinianus iunior qui occidētali imperio præerat, audiuisset, timuit ne totam Aphricam subiugarent, & cum obsistere non valeret, per Trigerium pacem misit, & partem Aphricæ, Hipponæ videlicet regionem, concessit ei pacifice possidendam, conditionibus interpositis, ne quid ultra inuaderent de Imperio Romanorû: & hoc ipsum firmavit iuramenti robore Gisericus. Sed fraternæ pertinaciæ non immemor obseruator, & sacramenti velocissimus violator, illico pacta fregit, & festinauit Carthaginem obsidere, & id residuum quod reparatum fuerat post tempora Scipionis, impetu inuadēs, Carthaginem pace deceptam diripuit & consumpsit. Carthago ante Romam fuit condita septuaginta duobus annis, & septingentis triginta septem annis, & diebus decē & septem a fundatione sua, a Scipione incensa in puluerem est redacta. Post centum & duos annos fuit denuo reparata, & post iterum a Giserico destructa, de cimo quarto Kalēdas Nouembris, & adhuc hodie simul irreparata. Et cum esset Arianæ sectæ perfidus obseruator, statim in exordio sui regni cepit persequi catholicos Christianos, & eorum Episcopos in exilium condemnauit, & eos qui ei resistere non timebant, pœna vltima condemnabat. Et tanta fuit tunc temporis persecutio in ecclesiis Aphricanis, quod vix poterat aliquis catholicus reperiri. Proscripsit etiam bona ecclesiarum, & seruitutem imposuit omnibus clericis, qui vtcunque sub eius dominio latitabant: ecclesias profanabat, & iumenta sua tam in ecclesiis, quam in porticibus religabat: & adeo per totam Aphricam Arianam heresim seminavit, quod loca sacra & Deo dicata in habitacula suis domesticis cõferebat, & viros sanctos Arianam hæresim detestantes ipse detestabatur, & sine intermissione eorû sanguinem procabatur, & cum poterat effundebat, ita vt vsque ad ostotam Aphricam sanctorum sanguine ebriaret. Per idem tempus quatuor viri Hispani in Arianam sectam transire nolentes, diuersis mortibus interempti illustri martyrio consummantur: Arcadius, Probus, Paschasius, & Euty chius: puer autem, Paulillus nomine, frater Paschasii, & Euty chii propter fidem catholicam damnatus est infimæ seruituti. 20 30 40 50

De transitu Vandalorum in Siciliam.

Caput XIII.

VERVM quia nec sacrilegiis, nec cædibus hominum poterat satiari, Aphrica cõculcata in Siciliam nauigauit, vt eam pari exterminio laceraret: & direptionibus iam peractis, obsedit Panormum eius insulæ regiam ciuitatem. Cumque hæc omnia Theodosius iunior qui Orienti præerat, percepisset, exercitum congregauit, vt Gisericum a Sicilia effugaret. Et dum hæc fierent, rumor aduenit, quod Hunni Thracias & Illyricum deuastabant. & hac necessitate Theodosius exercitum quem cõtra Vandalos destinauerat, reuocauit, vt Thracibus & Illyricis fieret in succursum. Martianus autem, seu Maiorianus, qui imperabat in Occidente, ab Italia in Hispaniam est profectus, & cum ad Carthaginensem prouinciam peruenisset, in eodem littore aliquantas naues ad transitum contra Vandalos præparauit: sed proditione suorum fuit Vandalis reuelatum, qui improuiso nauigio venientes ex eis aliquas succenderunt, & aliquas abduxerunt. Sicque Martianus dispositione frustratus in Italiam est reuersus, & Tertone a Richimiro patricio occiditur circumuentus, eo quod reipublicæ ignominiam intulerat & iacturam. Quod audiens Gisericus nõ contentus Aphricæ & Siciliæ vastatione, aggressus est patriâ Romanorû. Romanæ autem ecclesiæ adhuc præerat Leo Papa. Romani vero timentes aduentû principis Giserici, relicta ciuitate ad montium ardua confugerunt, & veniens Gisericus 50

ciuitatem habitatoribus vacuam, sed plenam diuitiis occupauit: sed nec incendere voluit occupatam, nec in eos qui remanserant, gladio desauire. Nam Leo Papa in introitu ciuitatis occurrerat venienti, & diuini verbi pabulo Giserici tyrannidē sic sedauit, vt a ferro & incendio abstineret: & suafus ab Eudoxia Valentiniani relicta, quæ eius commercium cupiebat, vt Romam ingrederetur, Romanorū copias cupiebat, & per quatuordecim dies exhaustis opes, & thesauros absconditos eorundem, & Christiani Valentiniani Eudoxiam relictam, & duas filias duxit captiuas cum multis millibus captiuorum. Roma itaque domina ciuitatum remāsit vidua, quasi terramotū tertio conuulsata, primo Alarici, secundo Athaulphi, tertio Giserici. Vandali vero Roma egressi se per Campaniam diuiserunt, omnia gladio & incendio dissipantes, Nolam & Capuam, nobiles Campaniæ ciuitates, impetu subuerterunt, & incendio consumplerunt, & similia in aliis ciuitatibus, ea stellanis, & ruribus peregerunt. Sanctus vero Paulinus Nolanus Episcopus quicquid habere potuit pro redemptione captiuorum patriæ, erogauit. Supplicanti etiam viduæ vt vnicum filium captiuum redimeret, cum nil haberet omnibus erogatis, se ipsum in seruum vendidit, & filium viduæ liberauit, & cum aliis captiuatis ipse quoque in Africam est delatus, vbi sanctis operibus gloriosus, meruit obtinere sibi & omnibus concaptiuis qui a patria sua ducti fuerant, libertatem: & sic cum omnibus in Campaniam est reuersus. De hoc beatus Augustinus in libro Dialogorum plenius declarauit. Et sic Gisericus victor & inclutus ad Carthaginem est reuersus, & mox misit nuncios ad Theodosiū qui præerat Orienti, & pace firmata remisit ei honorifice Valentiniani relictam, & vnā filiam, alteram retinens suo filio Hugnerico: & tamen persequi ecclesiam non omisit insistens hæresi Arianae. Paucis autem diebus interpositis, Gisericus iterum in Italiam voluit nauigare, sed repulsus a Basilisco patricio nauali victoria, in Africam est reuersus. Sicque vesaniae suæ virus vbi que refundens, frequenter victor, vltimo victus, quadragesimo regni sui anno vitam finiuit.

De Hugnerico. Cap. XV.



MORTVO Giserico, filius eius Hugnericus succedit in regno, & regnauit annis octo. Hic habuit vxorem Valentiniani filiam, ex qua suscepit filium nomine Heldericum. Initium autem regni sui consperxit viru perfidiæ Arianae, & sicut in regno, sic patriis in hæresi fuit hæres, & in persecutione catholicorum patre atrocior est inuentus, ecclesias infiscauit, sacerdotes & cæteros in ecclesiasticis officiis constitutos exilio condemnauit, monachos & laicos circiter quatuor millia durioribus pœnis arctauit, & eorū plurimos martyrio consummauit, plurimis confessoribus linguas abscondit, qui tamen linguis absconditis, Domino faciente, vsque in finem vsus loquelæ non amiserunt. Lætus etiam Neptensis Episcopus sub eo martyrio coronatur, & quia Ariani contagii labem noluit maculari, victor & martyr cœlesti consortio meruit adunari. Et quia Hugnericus calicem iræ Dei aliis propinauit, ea potione, qua & Arius doctor eius, effusus visceribus impiū spiritum suo restituit in centori regni sui anno octauo.

De Gutamundo, & Thrasamundo. Cap. XVI.

MORTVO Hugnerico Gutamūdus nepos ex filio Giserici succedit in regno, & regnauit annis vndecim, mensibus octo, qui statim pacem cum ecclesia reformauit, & omnes catholicos ab exilio reuocauit. Isto mortuo Thrasamūdus frater eius successit in regno, & regnauit annis viginti sex, mensibus nouem. Ille infaniæ Hugnerici successor & hæres, statim in catholicos misit manum, & eos abhortans, & euertens bona eorum fisci titulis assignauit, & ex omni Africā centum triginta Episcopos mittens Sardiniam exilio cōdemnavit: nec sui temporis hæresi satius, Hildericum filium Hugnerici iuramento astrinxit, ne catholicos exules reuocaret, ecclesiam restitueret aut foueret. Isto autem

autem Thrasamundo impiū spiritum Carthagine exhalante, Hildericus filius Hugnerici ex filia Valentiniani in regno substituitur Vandalorum, sed nolens transgredi iuramentum quod fecerat Thrasamundo, antequam regni culmine donaretur, Episcopos & ceteros catholicos ab exilio reuocauit, & ecclesiis restituit infiscata, & per totam Africam pacem datam ecclesiæ edicti præconio publicauit, & priuilegia quæ Thrasamūdus abstulerat ecclesiis, redonauit. Cum enim mater eius esset catholica, fidei opera suadebat. Gilimerius autem de potioribus Vandalorum, contra Hildericum prodicione & tyrannide insurrexit, & prælio victum cepit, & cum cum filiis custodiae carceris mancipauit, multosque nobilium Vandalorum, qui in Africā vt indigenæ residebant, & Hilderico vt domino obediebant, & propter captionem eius tyranno indebito resistebant, sustinuerunt a Gilimerio persecutionem varias & iacturas, ita quod multos ex eis cū Hilderico in carceribus coarctaret: aliosque proscriptis subiectis capitali sententia condemnauit, omnique scelere inquinatus, & venundatus ad malum, nulli malitiæ se subtraxit. His miseris Africā dissipata, sanctus Lætus Episcopus Neptensis, martyr eximius (de quo diximus) in visione apparuit Iustiniano Imperatori, vt succurreret tantæ cædi. quo oraculo incitatus Imperator confestim misit exercitum cum Belesario magistro militum contra tyrannidem Gilimerii, qui Belesarii aduentum verens, Hildericum Regem cum affinis sui generis & aliis nobilibus interfecit. Veniensque Belesarius Gutimirum & Gebanundum fratres Gilimerii primo prælio interfecit. Deinde prælio iterato ipsum Gilimerium fugæ exterminio propulsauit, sed insequens captiuauit, & ipsum captum cum diuitiis & rapinis nequiter conquisitis Imperatori Iustiniano Constantinopolim destinauit, & eo misso redegit totā Africam in prouinciam Romanorum anno nonagesimo septimo, ex quo Vandali Africam intrauerunt: & mansit postea Romanorum subdita ditioni, donec per Mahometi astutiā fuit reddita hæreticæ peruersitati, in qua peccatis exigentibus adhuc manet. Sicque regnum Vandalorum cum populo suo funditus extirpatur, quod a Gunderico Rege vsque ad interitum Gilimerii durauerat centū tredecim annis.

De historia Alanorum. Cap. XVII.

30



NVNC a Vandalorum historia liberatus, Alanorum me ingero seruituti. Eorum originem, processum, & acta, donec Gallias infregerunt, & Hispanias intrauerunt, superius enarraui. Postquam igitur Hispanias sunt ingressi, in Carthaginensi & Lusitania prouinciis, superbo oculo, corde auido, crudeli proposito sedes altissimas collocarūt, ita vt Silinguis in Bætica, Sueuis in Gallecia, Romanis in Celtiberia præminerēt, & Vandalos quos in vna prouincia concluderant cum Sueuis, potius impetuerunt, & incurfibus coarctauerunt. Romanis etiā in Carpetania quāa Carthaginēsi prouincia defalebant, intulerunt multas cædes, & abstulerunt multas vrbes. quorum necessitate Constantius patricius (vt dixi superius) Gothorum Regem Waliam inuocauit, qui mox veniens Alanos tanquam acie duræ silicis hebetauit, & quam in aliis exercuerant feritatem, venienti Walia reliquerunt, & regni nomine abnegato, se Gunderico quem deuicerant, subiecerunt, sed cum eo ad quem confugerant Gunderico, in conspectu Walia ceciderunt, & ciuitates suæ ditionis in Carthaginēsi prouincia Walia tradidit Constantio præsidi Romanorum, & sic fuit in Hispaniis eorum potentia dilatata, & Regis nomine apud Alanosiam extincto, cessere Romanis Vandali & Sueui, qui fere totam Hispaniam occuparunt, & facti ignaui pro maiori parte, non militiæ, sed ascripti populo remanserunt, nec vt magnanimi ad sedes alias migrauerunt, donec post temporis interuallum Gotthis venientibus, vt accolæ peruenerunt. Et hic finis regni & gloriæ Alanorum.

De regno Sueuorum. Cap. XVIII.

50



LIBERATI ab ignaui Alanorum, transire restat ad historiam Sueuorum. Horum originem & processum in superiori opere declarauit. Sueui autem cum Hispanias intrauerunt, Hermericum Principem habuerūt, & cum Vandalis Galleciam occuparunt, sed Vandalis nauigantibus in prouincias Africanaas, soli Sueui Galleciam tenuerunt. Galleci tamen in aliqua par-

te proprio dominio vtebantur, quos Hermericus assiduis incurſibus prædabatur. Tandem morbo chronico aggrauatus pacem inuit cum Gallecis, & tanquam inſufficiens filium ſuum Recilam regni ſubſtituit ſucceſſorem, qui armorum ſtudiis prouocatus raro a præliis quieſcebat. Cum autem Romani miſiſſent quendam militiæ ſuæ ducem nomine Andebodem cum multis copiis, vt Bæticam occuparet, occurrens ei Recila ad fluuium qui Silingius dicitur, in Bæticæ regione, conſeruo prælio Andebodem vicit & interfecit, magnis auri & argenti copiis occupatis, & Romanorum exercitu diſſipato Bæticam ſuæ ſubdidit ditioni, & volens Luſitaniam ſubiugare, obſedit Emeritam, & captam regno proprio adunauit. Hermericus autem pater ipſius interiit, poſtquam ſeptem annis fuerat morbo diutino fatigatus. Regnauerat autem annis triginta duobus. Carthaginenſem etiam prouinciã ſuæ ſubdidit poteſtati: & ita Gallecia, Luſitania, Bætica, Carthaginenſi prouincia ſuo dominio ſubiugatis, erat in Hiſpaniis fere monarchus, & vt in hac quiete ſecurior permaneret, Carthaginenſi prouinciæ regionem Carpetaniam, videlicet quã Romanis abſtulerat, reſtituit facta pace. Cumq; veniſſet Emeritã (prout fertur) ſub gentilitatis errore vitã inſœliciter conſumauit, cũ regnaſſet annis octo.

De Rheciario, & morte eius. Cap. XIX.



MORTUO Recila Rheciarius filius eius, & factus catholicus ſucceſſit in regno annis 11. Hic duxit vxorem filiam Theoderedi Regis Gotthorum, & pro tanto coniugio eleuatus eſt, ſuſpicatus non tantum Hiſpaniæ, ſed & Vaſconiis imperare, & ad Theoderedum ſocerum ſuum in Galliam Gotthicam eſt profeſt⁹, & ab eo rediēs honoratus Gotthorum auxilium ſecum duxit, & Taraconenſem prouinciã & Cæſarauguſtam Carpetaniæ quæ Romano Imperio ſeruiabant, impetens occupauit, Carthaginem, etiam regionem quas Romanis reddiderat Recila pater eius, præde incurſionibus deuſtauit. Mortuo autem ſocero ſuo Theoderedo in bello Catalaunico, & eius filio Thurisfundo, ſuccedente Theodorico ſecundo filio, Rheciarius cœpit in Hiſpaniis inſoleſcere. & Theodoricus Rex Gotthorũ filius Theoderedi, qui regnabat in prouincia Narbonenſi, contra eum citius properauit. Rheciarius autem de ſuis viribus plus præſumens occurrit Theodorico, & prælio adinuicem inchoato, Rheciarius effugatur, poſtea capitur. poſtea interiit interfectus.

De Suenorum Regibus. Cap. XX.

SVEVI autem bifarie diuiſi, alii Maſdram Maſſilæ filium in principem elegerunt, qui tantum duobus annis regnauit: alii Frantam. Maſdra autem ſtatim mortuo, pars Maſdræ filium eius ſubſtituit Remiſmundum, qui cum Franta ilico pacem fecit: & ambo pariter ſcederati partes Luſitaniz deuſtabant. Poſt biennium mortuo Franta, pars eius Frumarium ſibi præfecit. qui cum Remiſmundo ſuper regni præminetia litigaret, euerſit Flauiam, vaſtauit patriam. Remiſmundus etiam Lucum, & Auriã, & maritimã deuſtabat. Sed poſt biennium Frumario decedente, Remiſmundus pace cum Gallecis inita, Sueuorum in Gallecia obtinuit principatũ. Sueui enim eum ſibi in regulum præfecerunt. Qui ad Luſitaniam tranſiens Coimbriã pace deceptã diripuit & exhaust, Vlyſbonã etiam occupauit, Luſidio ciue & incola qui illic præerat, eam tradente. Poſt aliquot dies Remiſmundus his ſucceſſibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gotthorum nuncios deſtinauit, & pacem & amicitiam poſtulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit poſtulatũ, & in ſignum veri amoris coniugem miſit ei per Sallanum quendam ex officio palatino cum adiectione armorum & munerum copioſa. Et receptã coniuge & muneribus, cœpit amplius ſuperbire, & Sallanum muneribus honeſtatũ remiſit ad Theodoricum cum epiftolis ſuæ laudis. qui cum ad Gallias rediſſet, Theodoricum ab Eurico

Eurico fratrem ſuo reperiit interfectum. Huius tempore Aiax natione Galata, effectus apoſtata, Regis auxilio ſectę ſe contulit Ariane, & inuentus eſt fidei catholicæ inimicus, qui de Gallia Gotthorum adueniens hoc virus peſtiferum genti Sueuorum inſudit, Regibus in Ariana hæreſi permanentibus. Catholici perſecutionem & pericula pertulerunt, donec regnauit Theodomirus, qui prædicatione Martini Dumieſis Episcopi fidei catholicæ redonatus, eliminata ſpurcitiã Ariana Sueuos reſtituit fidei vnitati. Hic Martinus Dumieſis Episcopus, religione, doctrina, & fide præclarus, multa docuit & firmavit in eccleſiaſticis inſtitutis, pro cuius memoria eccleſia Galleciæ adhuc gaudet. Regnauit autem Theodomirus annis decem.

De Miro, & ſine Suenorum. Caput XXI.

POST Theodomirum Mirus princeps efficitur Sueuorũ, & regnauit annis tribus. Hic ſecundo regni ſui anno Rucconibus mouit guerram, & bellis attritus opibus ſpoliauit. Et dum Leouigildus Rex Gotthorum Hermegildum filium ſuum propter fidem catholicã Hiſpali obſedit, Mirus proceſſit in auxiliũ Leouigildi, & Hermegildo capto & interfecto Mirus ibidem terminũ vitæ clauiſit. Huic ſucceſſit Euricus filius eius in regno, quem in adoleſcentia conſtitutum Andeca per tyrannidem regno priuat, & cogit eum monachum fieri, & detoſum in monaſterio inſerauit. Sed quia malorum impietas non remanet impunita, protinus Rex Gotthorum Leouigildus ingreſſus Hiſpanias, bellum intulit prouinciæ Sueuorũ, & Andecam deuictũ regno priuauit, & regnum eius in prouinciã redegit Gotthorum. Ipſum autem Andecam poſt regni honorem fecit tonderi, & preſbyterii officio mancipari. Enim uero oportebat, vt quod Regi ſuo fecerat innocenti, ipſe proditor congrua viciffitudine pateretur. Et ſic Sueuorum regnum obtentum a Gotthis, expers gloriæ hic finitur, quod durauerat centum & ſeptuaginta ſeptem annis.

De Silinguis. Caput XXII.

EXPLICATIS regno & actibus Sueuorum, me cogit materia acta deſcribere Silinguorum, quorum ratio cum Vandalis vna fuit, niſi quod illis in Aphricã tranſfretantibus iſti in Bætica remanerũt. vbi experti cedes, & incurſiones, & pericula Romanorum, non euaserunt excidia Alanorum. Sed & Reges Galleciæ Sueuorum eos multis direptionibus ſubiecerunt, & Hiſpali eorum metropolis interdum diruta, interdum inuafa, nunquam ſeclitate ſtabili potuit efflorescere, donec ſub Leouigildo Gotthorum principe ſiluit captiuata, Regis & regni gloria viduata, & in Gotthorum prouinciã iam redacta. Et hic finem habuit principatus & potentia Silinguorum, quorum exterminium a Gotthorum Rege Wãlia inchoauit, & per Leouigildum poſtea conſummatum. Primus enim Gotthorum Athaulphus Hiſpanias eſt ingreſſus, ſed Barcinonæ interfectus eſt. Poſt ipſum Wãlia, qui Vandalos & Sueuos, Alanos & Silinguos domuit & proſtrauit, & in Silinguis prouinciis de Gotthorum maioribus inſtituit principes populorum, nec tamen ibi ſedem regni voluit collocare. Theodoricus etiam Sueuos ſuo dominio ſubiugauit: & extunc cœperunt Gotthi in Hiſpaniis dominari, & regni ſedem a Gallia Gothica in Hiſpaniam tranſtulerunt.

FINIS.


RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIÆ LIB. IX.

SERENISSIMO, INVICTO, ET SEMPER AVGV-
STO DOMINO SVO FERNANDO, DEI GRATIA RE- 10
gi Castellæ & Toleti, Legionis & Galleciæ, Cordubæ atq;
Murtiæ, Rodericus indignus cathedrę Toleta-
næ sacerdos hoc opusculum & Regi Re-
gum perpetuo adherere optat.



FIDELIS antiquitas & antiqua fidelitas primæuo-
rum doctrix & genitrix posterorū credidit actibus 20
minorari, si sibi soli se genitam reputaret. Cum enim
per ea quæ facta sunt, Dei inuisibilia percepissent,
quia morte interueniente nō poterant permanere ea
quæ diuina reuelatione studio vigilantī, doctrina, vsu,
memoria, intellectu circa creaturarum opera, ra-
tione præuia inuenerūt: inuestigantes experimētā rerum
& enigmata figurarum futurorum notitia pro-
uiderunt, & duce spiritu præsentia perceperunt, & futura indagis prænouerūt.
Sed obliuio quæ semper memoria aduersatur, pedissequa negligentia subsequen- 30
te, quod diligentia adinuenerunt, gressu obuioliturauit. Caterum ne desidia sa-
pientia inimica itinera studii occultaret, illi qui pro luce sapientiam habuerunt,
& eam rebus omnibus prætulērunt, figurales literas inuenere, quas in syllabas
congeserunt, ut his compingerēt dictiones, quibus ut ex trama & stamine quasi
a textentibus oratio texeretur: & per hoc futuris seculis præterita ut præsentia
nunciarent, & vigilata studia artium liberalium & officia mechanica subtiliter
adinuenta scriptura posteris conseruarent. Cursus syderum, motus Planetarum,
dispositiones signorum, effectus astrorum, quæ Astronomorum curiosa di- 40
ligentia adinuenit, cubitorum Geometria distinctiones, & graduum differentias,
& punctorum distantias, quo obiectu luna lucida denigretur, quæ eclipsi Solis cla-
ritas tenebrescat, quæ indagine herbarum notitiam & earum efficaciam expe-
rimentis physicalibus percipere, sine scriptis quæ memoria posset quantumlibet
instans solertia reminisci, ne dixerim inuenire, nisi principiorum notitia præces-
sisset, quæ primæui inuenta successoribus conscripserunt. Verum quia humana
studia multifarie variantur, pari prouidentia & eodē studio sollicitudo diligens
sorūdem descripsit acta sapientium & stultorum, fidelium & ethnicorum, vir- 50
tutes catholicas & politicas, iura canonica & ciuilia, ut per hoc mundi cursus in
suo ordine dirigatur, & gesta principum, quorum aliquos ignauia fecit viles, ali-
os sapientia, strenuitas, largitas, & iustitia futuris seculis commendauit, ut
quanta sit differentia utrorumq; exitu comprobetur, & discant posteri bonorū
exemplis

exemplis inniti, & malorum semitis declinare. Quia etsi ad tempus bonorum vi-
deatur Dominus obliuisci, in fine misericordiam nō abscindet. Etsi ad tempus e-
tiam impij prosperentur, tolluntur in altum, ut lapsu corruant grauiori. Quis e-
nim de creatione mundi, de Patriarcharum successione, de exitu de Aegypto, de
lege veteri, de Regibus terræ sanctæ, de exterminio eorundē, de annunciatione,
de natiuitate, de passione, resurrectione, & ascensione Domini Iesu Christi, earū
testibus morte sublatis, posset relatione veridica esse certus, nisi libri canonici aut
euangelia testarentur. Quibus, eo quod scripserunt, tanto amplius obligamur,
quanto per eorum doctrinam in præteritorū notitia innouamur. Gloriosa etiam
10 prælia Romanorum & aliarum gentium, quæ in mundo varietate mirabili ac-
ciderunt, sine scriptura a memoria excidissent. Cum igitur Hispaniarum succes-
sus variorū principum cruentis cladibus iteratus & linguā mutarit, & origo suæ
gētis pluribus intercepta dominiis sit oblita, iam fere gens & origo incolarū Hi-
spania ignoratur. Quia igitur placuit vestra excellētia maiestati, meæ require-
re ignorantiam paruitatis, ut si quæ de antiquitatibus Hispania, & de iis etiam
quæ ab antiquis vel modernis temporibus acciderunt, meæ memoriæ occurri-
20 petitioni vestrae describere laborarē, & ut a quibus gentibus calamitates Hispania
sit perpeffa, & Hispanorū Regum origo, & eorū magnalia, qui patrū glorias
imitatione sequuti sunt gloriosa, per scripturam meam indagine ad diligentiam nostræ
notitiam peruenirent. Ego vero tanti domini, tā excessi, non possum precibus cō-
trahere, & vix possibile cogor ob reuerentiā attentare. Tempore enim vastationis
Arabum scripta & libri eū peruenire patriæ perierunt, nisi quod pauca diligentī
custodia euasere. Itaq; ea quæ ex libris beatorū Isidori, & Ildephōsi, & Isidori iu-
nioris, & Idacii Galleciæ Episcopi, & Sulpitii Aquitanici, & cōciliis Tolera-
30 nis, & Iordani sacri palatii Cancellarii, & Claudi Ptolemæi orbis terræ descri-
ptoris egregij, & Dionis qui fuit historia Gothica scriptor verus, & Pompeiū
Trogi qui fuit historiarū Orientaliū sollicitus supputator, & aliis scripturis quas
de mēbris & pictatiis laboriose inuestigatas laboriosius cōpilauī, a tempore la-
phet Noe filij vsq; ad tēpus vestrū, gloriosissime Rex Fernande, ad historiā Hi-
spaniæ contexendā, quam solcite postulastis, prout potui fideliter laborauī. Inter
omnes autē principes Gothorum Reges secula præcipuos habuere, & testamē-
40 tali edicto Hispania legauere, quorū insignia vsq; ad tempora quæ me prætere-
unt, deriuauī, addens aliqua quæ eorum historia famulantur, nec non & clades
quas Hispania pertulit ante eos. In qua Hispania, per agratis Asia & Europæ
prouinciis & vastatis, ultimo dominio resederūt, ubi etiā ab Arabibus sub Rō-
derico Rege Dei iudicium pertulerunt. Vobis itaq; Castellæ, & Toleti, & Legi-
onis, & Galleciæ, Cordubæ, & Lusitaniæ, Murtiæ & Gienni inclite domine
Rex Fernande ortum eorū qui primo in Hispaniis habitauere, & bella Herculis
quæ exercuit super eos, & quæ Romani mortis iudicia intulere, & quibus Van-
dalos, Silingos, Alanos, & Suenos exitiis consumpserunt, prout ex antiquis libris
50 & relatione fideli recolligere potui, ego Rodericus indignus cathedræ Toletanæ
sacerdos, stylo rudi & sapientia tenui, ad præconiū vestrae gentis & vestrae glo-
riæ maiestatis sollicitus compilauī: pro venia supplicans eo, quod munus tā exiguum
usus suilectorū diligentia exhibere, & conspectui tāti Principis præsentare.



R O D E R I C I A R -
C H I E P I S C O P I T O L E -
T A N I D E R E B V S H I S P A N I Æ
L I B E R P R I M V S .

De fundamento huius historiae. Caput I.



Veritas Genesis attestatur, quam Moyses scripsit Spiritu prophetiæ, humanum genus vagum & profugum in terra miseræ aberravit, donec culpa hominum inundate cæteris in cæcis periculo cataclysmi, Noe solus cum filiis & vxoribus, domino protegente, fuere ut feminariū humani generis referuari. Hæc sunt nomina filiorum eius: Sem, Cham, & Iaphet. Sed horum filii pœnas peccantium iam obliti culpas ablutis criminibus adiecerunt, & volentes altissimo simili, turrim superbiæ erexerunt. Sed pares in culpa pari ut Lucifer præcipitio corruerunt. Et sicut ibi diuisi angeli diuisa officia sunt sortiti, ita cum omnia in diuina essentia sint contenta, ab his vbiq; ei semper assistitur, & per eos in terris salutis ministeria disponuntur. Boni vero his consimiles habent præ oculis diuinæ iudicium maiestatis, & filiali timore altissimi offensam metuentes Dei dulcedinem, licet in ænigmate, iam prægustant. Alii autem angeli qui damnando homini inuiderunt, & mortifera suggererunt, Dei iudiciū non euadunt, sed semper eos culpa & supplicium comitatur. sic & mali qui iniquitatis iudicium secum ferunt, voluptatum sollicitudine cruciantur. Noe itaque generatio in Chaldæa, & Damasci Syria, & maiori Armenia, & Assyria in qua Niniue dicitur esse sita, incertis sedibus vagabatur: & cæteræ regiones Asiæ, Africa, & Europæ vacuæ habitatoribus solitudine quiescebant, donec primordia nostræ originis, superbia confundente vnitatem simplicium linguarum, diuisio separauit. Et quia loquelæ diuersitas conuictus, mores, & animos variauit vnilingues, aliam & cæterarum linguarū alias sortitæ sunt regiones, & prout vnius linguæ pfectio exigebat, diuersos populos effecere, & ab inuicem segregati climata, prouincias, & patrias diuiserunt, & lingua alia alienationem a proximo suggererebat, & non tam discidio, quam odio separati loca placida elegerunt, in quibus sedes commodas locauerunt, & propriis terminis non contenti alios inuadere præsumpserunt, & ex iniuriis mors & gladius prouenire, & nomina sua in terris & cognationibus vocauerunt, postea linguas idiomatibus distinxerunt. Filii Sem possederunt Asiā, sed non totam. Filii Cham Africam habuerunt. Filii Iaphet ab Amanō & Tauro montibus Ciliciæ, quæ sunt in Asia, & totam Europam vsque Gades Herculis in finibus Hispaniæ possederunt. Et quod filii Cham & Iaphet aliquid in Asia habuerunt, existimo actum bello. Sed quia de generatione Iaphet cura est prosequi in hoc libro, de aliis fratribus hic omitto.

De Europa,

De Europa, & generationibus Iaphet. Cap. II.

EUROPA autem incipiens a Tanai fluuio ex vna parte Tyrreno, & ex alia Septentrionali & Gaditano Oceano terminatur. Tanaim vero hunc dico qui ex Riphæis montibus oriens ad hæc præcepit, ut cum vicina flumina Mæotis & Bosphorus gelu sæpissime solidentur, solus ex contractuosis montibus euaporans nunquam algore Scythico indurescit. hic Asiæ Europæque terminus famus habetur. Fretum autem Gaditanum in finibus Galliciæ a Gadibus Herculis nomen habet. Oceanum Septentrionalem qui versus Septentrionem plurimas insulas in se tenet, scilicet Scandiam, Frisiam, Scotiam, Angliam, & Iberniam, & alias minores: deinde omnes regiones citra Tyrrenum cum insulis quæ Tyrreni littore includuntur, scilicet Maiorica, Minorica, Ebusus, Frumentaria, Corsica, Sardinia, Sicilia, Mytilene, Venetiæ, Creta, donec ad paludem Mæotida peruenitur. Constantinopolitana & ciuitas in Europa noscitur constituta. Hos omnes terminos, & vsque ad Gaditam, quæ cum Pella includit Decapolim, filii Iaphet Gomer, & Magog, & Madai, Iauan, Tubal, Mofoch, Thiras, in linguis & cognationibus (ut dicit Isidorus) possedere. Porro filii Gomer Assenec, a quo Rhegini Calabriæ, Isidorus Ascenez, a quo Sarmatæ siue Sauromatæ, quos Græci Rheginos vocant, & ab his processerunt Calabri, Siculi, Appuli, & Latini qui Latium habitauerunt: & Riphath, a quo Paphlagones, Paphlagonia contigua Galliciæ, & sicut dicit Cornelius nepos, Paphlagones in Italiam transuecti mox Veneti sunt vocati, a quibus Veneti Ligures & Æmili processerunt: & Togorma, a quo Phryges, qui terram suam Phrygiam appellarunt. Filii autem Iauan Elifa, a quo Græci, qui Æolidæ dicuntur: Tharsis, a quo Cilices, qui Ciliciam habitauerunt, quorum metropolis Tharsus: Cetim, a quo Citiæ, Isidorus Cyprii, & secundum hoc Cyprus a filiis Iaphet, non filiis Sem prouenit, quorum ciuitas Citium dicitur: Dodanim, a quo Rhodii, quorum ciuitas Rhodus dicitur. De Gomer filio Iaphet Galatæ secundum Iosephum & Isidorum: qui Latine Gallogræci dicuntur. Olim enim Senones Galli quandam partem Græciæ inuadentes; a Gallis & Græcis Gallatiam quasi Gallogræciam appellarunt. De Magog Scythæ; qui & Massagete appellantur, & Gothi secundum Isidorum, Vandali, Sueui; Alani, atque Hunni. De Madai Medi, a quibus Media nomen (sumpsit. De Iauan Iones, qui & Græci, a quibus Ionium mare, ex quibus Græci qui Troiam & fines eius habitauerunt, processerunt: qua destructa duo fratres Priamus & Antenor Venetiæ nauigio peruenierunt, ex quibus Antenore mortuo, & Paduæ tumulto, Priamus cum comitibus Germaniam occupauit, & ab ipso germano Antenore Germania fuit dicta. Quæ nunc a Teutates, qui est Mercurius, Teutonia nominatur, a Latinis autem Lemannia dicitur a Lemanno fluuio (de quo Lucanus:

De seruire cauo tentoria fixa Lemano)

qui has continet regiones: Lothoringiam seu Brabantiam, Vestfaliam, Frisiam, Thuringiam, Saxoniam, Sueuiam, Boiariam, Franconiam, Carinthiam, Austriam, & inde Gallias infringentes: a fractione patriæ, & eorum ferocitate Francia fuit dicta. a nauigio simili e Troia Brutus adueniens, eam quæ nunc Anglia dicitur, a suo nomine Britanniam nominauit, a qua & olim Siluaria, nunc citta mare minor Britannia nominatur. De Mofoch filio Iaphet Cappadoces, quorum metropolis Mazaca, quam Tiberius Cæsar a suo nomine Cæsaream appellauit. Thiras, a quo Thraces quasi Thiraces (ut dicit Isidorus) & a nomine patris sui terræ incolatus sui Thraciam vocauerunt. Hæc ideo dixi, quia cogit historia quam assumpsi, de incolis Europæ aliqua declarare.

n iij

De primis incolis, & primo nomine Hispania. Caput III.

QVINTVS autem filius Iaphet fuit Tubal, a quo Iberi, qui & Hispani (vt dicitur Isidorus & Hieronymus) processerunt. Filii autem Tubal diuersis prouinciis peragratis curiositate vigili occidentis vltima petierunt, qui in Hispaniam venientes, & Pyrenæi iuga primitus habitantes in populos excreuere, & primo Cetubales sunt vocati, quasi cætus Tubal: & attendentes stellam quæ ibi post solis occubitum occultatur, occasum eius vespertinum stellam Hesperum, & patriam a stellæ nomine Hesperiam vocauerunt. Dicitur autem Europa a quadam filia Regis Agenoris sic vocata, quam Iupiter rapiens tertiæ parti mûdi ex eius nomine nomen dedit. Hi post diuisionem linguarum, vt regiones adirent, & vt Nemrod tyrannidem euitarent, diuisi sunt in linguas & nationes, & linguam quæ nunc Latina dicitur, obseruarunt: alii & filii Iaphet qui in Europæ partibus resederunt, linguas alias habuere, Græciam, Blaci & Bulgariam, Cumaniam, Sclauum, Boemi, Poloniam, Vngariam. Insulæ etiam Hibernia & Scotia specialibus linguis vtuntur. Teutonia vero, Dacia, Noruegia, Suetia quæ a Sueuis & Scythis nomen accepit, Flandria & Anglia vnicam habent linguam, licet idiomatibus dignoscantur. Scandia & alia Septentrionales Oceani insulæ quæ Europæ annumerantur, aliis linguis vtuntur. Wallia contigua Angliæ, & Britannia minor circalitus Britannicum linguas proprias sunt sortite: similiter Vascones, & Nauarii. Cetubales itaque in populos dilatati ad plana Hispaniæ descenderunt, & iuxta fluuium qui nunc Iberus dicitur, villas, & pagos, & oppida construxerunt, & inibi remanentes, qui prius Cetubales, ab Ibero fluuiio, corrupto vocabulo Celtiberes se vocarunt: vnde & eadem prouincia Celtiberia appellatur, quæ Oceano Tyrreno & Pyrenæi montibus terminatur. Hanc Carpetaniâ quæ in se quatuor habet oppida, scilicet Aucam, & Calagurram, Tyraonam, & Auripam, quæ post Cæsaraugusta ab Augusto Cæsare fuit dicta, vis Romanorum principum occupauit, quæ tamen sicut referunt Plinius & Sisebutus, ad Carthaginensem prouinciam pertinebant. Deinde ad alias partes Hesperia procedentes in terris suis cognationes & nomina vocauerunt, & in diuersis prouinciis diuersos principes habuerunt, ex quibus fuit Geryon, & alii qui vsque ad Herculem durauerunt. Phaleg autem tempore cuius linguarum diuisio facta fuit, vsque ad Geryonem sub quo Hercules fuit natus M. CCLXIII. sunt anni. A morte Herculis vsque ad captionem Troiæ anni XIII. A captione Troiæ vsque ad Romulum qui Romam condidit, anni CCCXLII. A Romulo vsque ad Cæsares, anni CCXLI. A Tarquinio Superbo vltimo Regum Consules rexerunt populum Rom. per annos CCCCLXIII. Et post hunc regnauit solus Caius Iulius Cæsar annis IIII. mensibus VI. tempore Consulum Africa & Hispania a Scipione destructis, Tolemo & Brutus duo Consules condiderunt Toletum centum & octo annis ante quam Iulius Cæsar regnare cœpisset, tempore Ptolemæi Euergetis Regis Ægypti. Nunc ad historiam Herculis reuertamur.

De aduentu Herculis in Hispaniam, & pugna illius cum Geryone tricipite. Caput IIII.

CVM itaque Hercules fere tota Asia occupata, peruenisset ad saxum miræ magnitudinis & excellens, vt saxum & populos qui se inibi receperunt, expugnaret, & incolas in deditioem cogeret, terræ motu repulsus in Libyâ nauigauit, habens Atlantem Astrologum magnum pronepotem magni Atlantis fratris Promethei, qui fabulose dicitur homines deluto formasse, & spiritum immisisse. Mercurius, & nepos eius multarum artium peritus tempore Moyfi scribitur claruisse. Atlantem Hercules charum habebat, eo quod eius consilio regebatur. Erat & mons altissimus, qui dicebatur Atlas, sed quia Hercules Atlantem magnis honoribus extollebat, æqui uocato nomine dixit poeta:

Hercule supposito sydera fulsi Atlas.

Habebat etiam secum Traxilinum in musica clarum contra periculum Sirenarum. Eo enim

Eo enim tempore Argonautarum dicitur periculum accidisse, & in finibus Hesperia nauium suarum stationem locauit, & in illa parte turres fortissimas fabricauit, quæ essent posteris in monumentum, quæ adhuc hodie Gades Herculis nuncupantur. Erat autem tunc temporis in Hesperia princeps quidam: Geryon vocabatur, & abundabat gregibus & armentis, & habebat tria regna, quæ nunc dicuntur Gallecia, Lusitania, Bætica: vnde & iste Geryon cum esset alias fortis & ferox, triceps scribitur fabulose, de quo Ouid. in nono Metamorph.

--- Nec me pastoris Iberi

Forma triceps, nec forma triplex iua Cerbere mouit.

Et idem in lib. Heroidum:

Pro dignum triplex armenti diues Iberi

Geryonis quamuis in tribus vnus erat.

Expressius autem de morte Vergil. in septimo Æneid.

--- Cum iam Laurentia victor,

Geryone extincto, Tyrynthius attingit arua,

Tyrrenoque boues in flumine lauit Iberas.

Contra hunc pugnavit Hercules, & repetito bello ferocem virtute domuit, & prostravit priuatum vita, patrimonio, & armentis, obtentamque partem illam Hesperia populis qui secum a Galatia venerant, captam tradidit habitandam: vnde & a Galatis Gallecia quinta prouincia Hispaniæ nomen accepit, licet ab antiquis alia causa eius nominis assignetur.

De victoria Herculis, & edificatione ciuitatum in Hispania. Caput V.

ET inde procedens in eam quæ nunc Lusitania dicitur, prope fluuium Anam in campo Hispaniæ propter victoriam habitam ludos instituit recolens Olympiadem, quam Pelops auus eius maternus instituerat in Olympo, & eam prouinciam a Iulio Liberi patris filii Iouis, & Ana flumine, Lusitaniam nominauit: eoque in Olympiade portentum Ioui Olympiaco fabricabant. Inde procedens ad Bætiam, in planicie quæ Bæti flumine irrigatur, ciuitatem Hispalim erexit, nomen adaptans, eo quod prima habitacula palis suppositis regimen susceperunt, & in ea Spalos qui secum de prope Scythiam venerant, accolos collocauit. Prouincia autem illa a situ & flumine nomen sortitur. Hispani enim valles planicie commodas Vegas vocant. His tribus regionibus præditus Geryon dicitur præfuisse. Procedensque per Carthaginensem prouinciam occupans deuastauit, & Cacus qui in Carpetania & Celtiberia morabatur, bello contritum in fugam coegit. Hic dicitur Vulcani filius, cuius habitatio principalis in monte Carpetaniæ, qui adhuc hodie mons Caci dicitur, celebris habebatur, cui armentorum, & gregum, & venationum copia famulabatur, & in Sirreo iugo sublimior inuenitur, cuius principium prope Lermam, Tyrreno prope Socorbicam terminatur. Cacus autem bello inferior fugæ prodigus Lauiniam petiit, & in montem qui nunc Auentinus dicitur, in spelunca saxea, & profundissima, tenebrosa que metu Herculis se recepit, cuius aditum grauis moles, catenis appensa ferreis, protegebatur, quam ipse paterno artificio fabricauerat. Hic femiur & semifer dicitur fabulose, eo quod immanitate horribilis, & atrocitate terribilis adiacentium orarum homines inopes cladibus infestabat, & tam hominum quam ferarum strages innumeras exercebat, quorum capita dira superbia detestandis postibus affigebat: de truncis vero miserabilibus execrandam ingluuiem rabiem satiabat. Verum Hercules in radice montis Caci ex iis qui secum de Tyro & Aufonia venerant (de qua dicit Lucanus:

Cumque superba foret Babylon spolianda trophæis Aufoniis)

ciuitatem propter victoriam habitam auxit, & ex Tyriis & Aufoniis nomen indidit Tyraonam. Indeque ad munitiones Celtiberiæ properans, coactos in deditioem recepit. Et quia bellis vrgebat, ciuitatem Vergellum ædificauit eisdem. Aufoniis etiam qui secum venerant, Annues oppidum cum territorio subiugauit, eisque contradidit, quod Aufoniam nominauit, cuius ciuitas Vicus hodie nuncupatur

ibique ex nouem nauibus sui pedissequis, ceteris ad Galliciā applicatis, nona ad littus applicuit Celtiberiā, vbi ciuitatem edificauit quam ex nona barcha Barchinonam appellauit, tractusque Græcorum deliciis ad stationem nauium in freto Britannico remeauit, & obtenta Hispania, immo verius desolata, quæ a sui principio quam primo Cetubales habitauerunt, satis prospera felicitate gaudebat, infelices populos quos longa quies inermes fecerat, & ignauos Græcorū iugo qui naturaliter subditis sunt infesti, gladius Herculis subiugauit, dimissoque eis Hispano quodam nobili, qui secum ab adolescentia fuerat conuersatus, ab eius nomine Hesperiam Hispaniam nominauit: ipse autem ascensis nauibus in Italiam est profectus.

De morte Caci, & vastatione Ilii, & morte Herculis.

Caput VI.

10

CVMQUE ad loca vbi nunc Romæ gloria principatur, Hercules peruenisset, & heros Tiryntius vnus ex magnis heroibus cum armentis Geryonis a finibus Hispaniarum edomitis remearet, & montis Auentini vallibus se cū Iberis armentis secus ripam Tiberis fluminis receptaret, & armenta nobilia per amœna pascua sub famosi Tiberis marginibus lasciuirent, Vulcanides insuspecta tranquillī soporis gratitudine fruebatur: sed ne quicquam sceleris intentatum suæ nequitiae remaneret, quatuor præelectos tauros cum totidem paris formæ coniugibus ex armentis fallaciter absentauit, & vt falleret vestigantem per caudam traxit retrogrado in speluncam. Aurora vero postera rubeſcente clauiger cum armentis cœpit iter carpere consuetum, & pecudes in recessu deuexas valles mœstis mugitibus impleuerunt, ad quarum voces altisonas vna boum remugit in spelunca, & ex insperato furta sacrilegi reuelauit. Tunc Hercules furibundus collis Auentini ambitum anhelis cursibus ter lustrauit, frustra sublatas pecudes inuestigans, cum potius recessum quam accessum vestigia testarentur. Demum vero cernens semiferum in speluncæ aditu residentem, acrii culmen môtis cursu celeri impetiuit, trinodem clauam dextera relibrante. At proles Vulcania tunc timore trepidans insueto, cursu refugit concito in speluncā, aditu accurate mole saxea iam obstructo. Ad quem cū Hercules nullo modo posset aditum reperire, sicut erat præualidus, cornu rupis duris impulsibus lacerauit, & aditu ad speluncam virtute valida præparato, cœpit Hercules Vulcanidem nunc telorum imbribus, nunc saxorum impugnare grandinibus. Sed semifer impar viribus ad eum Hercule propinquante, frustra artium paternarum auxilium inuocauit, ignes fumificos incessanter ore Stygio euomendo, quibus innatas speluncæ tenebras condensabat. At orbis domitor expers metus, cōtempso discrimine tetri rogi, caliginosis ignibus saltu præcipiti se iniecit, & semiferum trepidantem arreptum gutture suffocauit, & vastatis partibus Italiæ ac subiectis, in Græciam transfretauit, resumptoque exercitu vastauit Ilium, & Antæum palæstræ inuentorem, cum non posset in terra eleuatam, in aere interfecit. Postea Olympiades diu neglectas ob memoriā Pelopis restaurauit: & tandem dolore colei vexatus pyræ ardenti coactus impie se ingessit, & qui multos extinxerat se extinxit: licet fabulose dicatur a Deianira data camisia concrematus, quæ tamen dedit ignorans. Nam quidam maleficus Deianiræ suauit, quod Hercules aliā præfererat, sed si hanc camisiam indueret, captus amore maneret. Maleficus autem venenum incentiuum camisiæ miscuit, qua indutus Hercules viuus arderet: vnde Ouidius,

Incendit demum Deianira virum.

Intertit anno vitæ suæ LII. Per idem tēpus Alexander Helenam rapuit, bellumque Troianum decennale surrexit.

De operibus Regis Hispanis.

Caput VII.

50

HISPAN autem vir industrius, strenuus, & de heroum maioribus, quem Hercules præfecerat genti miseræ Hispanorum, dissipatam Hispaniam reparauit, & opera fortissima prudenter extruxit, quarum aliqua adhuc extant, turres in Pharo Galliciæ, & in Gadibus, quas & moderna tempora admirantur. Ciuitatem iuxta

iuxta iugum Dorii ædificauit in loco subiecto promontorio quod Cobia dicitur, & quia secus Cobiam sita, Secobia nuncupatur, vbi aquæductum construxit qui miro opere ciuitati aquarum iniectionibus famulatur: & in multis aliis locis inueniuntur opera ab operibus nostri temporis aliena, quæ tanto amplius admiramur, quanto ab antiquiori tempore adhuc extant. Græcorū ergo seruitute Hispania remansit oppressa vique ad tempora Romanorum: medio tempore regno diuiso plurium præda diripientium vastationem non potuit fugere, quia leonum faucibus cogebatur inferri.

De origine & primis actibus Gothorum.

Caput VIII.

10

IGITUR quia magnorum petitio me coegit Gothorum originem & acta describere, prout ex diuersis historiographorum scripturis colligere potui, vsque ad mea tempora contexui & descripsi. Verum cum diuersæ sint opiniones de Gothorum origine, Claudius Ptolemæus orbis terræ descriptor egregius refert, in Oceani solo esse magnam insulam nomine Scandiam, quam Pomponius Mela dicit esse positam in Codano Oceani maris sinu, late ribus pandis per longum ducta sese concludens. Et habet ab Oriente Vistulam flumini, qui a Sarmaticis montibus ortus, in conspectu Scandiæ trifidus illabitur Oceano Septentrionali, & diuidit Scythiam & Germaniam, & habet ab Oriente vastissimum lacum, de quo egreditur fluuius dictus Vagi, quasi eius vtero generatus, & trāiens per partes australes vndosus voluitur in Oceanum. Ab Occidente immenso pelago circumdatur. A Septentrione in nauigabili Oceano est conclusa. Et licet in Scandia multæ & diuersæ maneant nationes, septē tantum nomina eorum meminit Claudius Ptolemæus, scilicet Gothi, Vesegothi, Ostrogothi, Dani, Rugi, Arothi, Thani, quibus postea Rodolphus Rex fuit, qui audita virtute Regis Theodorici, contempto proprio regno eius militiæ sese dedit. In cuius Scandiæ quadam parte tanta est frigiditas, quod apes nusquam reperiuntur, & circa solstitium æstiuale XL diebus & noctibus continue lux habetur, & in solstitio hyemali eodem diebus & noctibus numero nox continua tenebreſcit. Sunt & ibi aliæ gentes, qui velut Turingi eximiis vtuntur equis, & pelles sapphirinas cum aliis gentibus cōmercantur, & decora nigredine pellium, cum viuant inopes, ditissime vestiuntur: Ostrogothi item & Dani, qui ex ipsorum stirpe progressi Herulos propriis sedibus expulere. Hæ itaque gentes corpore & animo grandiores pugnabant sæuitia beluina. Ex hac ergo Scandia insula quasi gentium officina, & nationū vagina, Gothi cum Rege suo nomine Veric quondam memorantur egressi, & quam cito terram exeuntes a nauibus attigerunt, dedere illico nomen loco Gotthiscandiam nominantes, & locus ille hodie Gotthiscandia appellatur. Et inde venientes ad sedes Vlmerrugorum qui tunc in ripis Oceani habitabant, commisso prælio eos a propriis sedibus pepulere, eorumque vicinos Vandalos subiugantes suis victoriis applicarunt, & diuersos Reges ex suo genere habuerunt.

De opinionibus originis gentis Gothorum, & commendatione eorum.

Caput IX.

POST mortem Veric, regnauit in eis Gadaric, qui fuit magnificus triumphator, & multos in Scythia, & Gepidia quæ nunc Dacia dicitur, populos subiugauit. Post hunc filius eius Philemer: & videns Philemer Rugorum terram vbertatis penuria laborare, dedit consilium, vt ab illis sedibus transmigrarent. Et cum diu sedes altissimas & congrua loca perquirerent, ad vltiores Scythiæ terras venit, vbi regionis vbertatem & votiuia gaudia admiratus, decreuit vt in propriis residere. Et cum terram requireret vt explorans, & pontem in vasto flumine reperisset, & regionem vltra placidam prospexisset, decreuit regionis intima peragraré: & parte exercitus iam transmissa, pontis structura corruit transeuntium pedibus conuasata, nec transmissis licuit remeare, nec aliis tranſuadere. Is enim locus (vt fertur)

paludibus tremulus concluditur voragine circuncincta, qui vtraque confusione imperius inuenitur: verum tamen adhuc hodie & voces armentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, quamuis a longe cōmeantium relatio protefferetur. Pars vero Gotthorum quæ apud Philemer citra remanserat, opratū potita solū ad gentem Spalorū aduenit, vbi conferto prælio victoriā sunt adepti: ex inde vt victores ad extremam partem Scythiæ quæ adiacet Ponto mari, cum triumpho venerūt, & Scythiam suis victoriis subiecere. Et quia ibi diutius resederunt, & regimē tenuere, Scythæ vt indigenæ sunt vocati. Et licet Gotthi ad gentes alias sæpius diuertissent, rectores suos in Scythia dimittebant, penes quos gentis tuitio consistebat. Hæc quæ diximus de gentis Gotthorum principio, Abaius descriptor gentis Gotthorum egregius verissima historia attestatur: in quam sententiam multi de maioribus consenserunt. Iosephus quoque annalium relator verissimus, qui veritatis regulam & causarū origines retraxit fideliter, & Isidorus Gothicæ gentis indigena, & chronicorum disertor optimus, hæc quæ diximus de Gotthorum principio cur omiserint, ignoramus. Sed tantum ab hoc loco eorum profapiam memorantes, Iosephus Scythas, Isidorus Getas asserunt appellatos. Sed cum de eorum antiqua origine opiniones variæ habeantur, plus occultat varietas, quam declarat. Iosephus dicit de Magog filio Iaphet Scythas & Massageras processisse. Vnde quidam nituntur ea quæ Ezechiel propheta contra Gog & Magog spiritu aliter prophetavit, Gotthorum actibus adaptare. Isidorus doctor nullius scientiæ expertus eos Getarum siue Scytharum docet ex genere processisse, & e litera mutata in o Gethæ dicuntur Gotthi. De quibus Poeta:

Mortem contemnunt laudato vulnere Geta.

Sed Iosephus & Isidorus, quia ortum eorum a Scandia omiserunt, Scythas & Getas ab incolatu patriæ, non ab origine appellarunt. Hi Septentrionalia iuga tentantes, Scythica regna montibus ardua possederunt: & pars illa adhuc hodie Gothia appellatur. Interpretatio autem nominis eorum est lingua nostra fortitudo, & re vera nullius enim gentis strenuitas ita regnis & imperiis se obiecit. In primo enim egressu a Scandia gentem stolidam Vlmerrugorum & Vandalorum a suis sedibus eiecerunt, iuga Scythica subiecere, Vexorem Regem Ægypti prælio fugauere, Asiam subiugarunt, & eorum aliqui inibi remansere, ex quibus Parthi, vt dicitur, processere. Horum sceminæ relictæ a viris armis in præliis claruere, & partem Asiæ subiecere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, Ioniam, & Æliam domuere. Telephus Rex Gotthorum vicit Danaos, interemit Therandrum, insecutus fuit Vlystem. Cyrus famosus a Tomysi fuit occisus. Darius filius Hytaspis, & filius eius Xerxes ab Anciro Rege Gotthorum inferiores in prælio sunt inuenti. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. cum Pompeius pro atropiando reipublicæ principatu contra Iulium Cæsarem arma mouit, & isti cæteris fortius dimicauerunt. Thraciam irruere, Italiam vastare, Romam ceperunt, Veronam ædificauerunt nomen imponentes, quasi ve Roma, in odium Romanorum, & Gallias sunt aggressi, Hispanias sunt adepti, ibique apud Toletum sedem vitæ & imperium locauerunt. Hi postquam Scandiam reliquerunt, in tabernaculis & tentoriis habitauerunt, terras vberes seminabant, nusquam munitiones vel domicilia fabricabant: & licet terras, & ciuitates, & oppida subiugarunt, semper bellis & vastationibus insisterent cōtenti dominio populorum, prædis diuites & tributis. A sui principio ferocitati dediti belluinæ, vix humanæ rationis debitum attendebant. At postquam mores aliarum gentium videre & vrbes, humaniores effecti benignitatem & mansuetudinem induere, adeo quod & philosophos habuerunt, ad quorum sapientiam humili studio peruenerunt. Diu propriis ducibus se rexerunt, & postea regale fastigium asciscere, quod & sacerdotio ornauerunt. Hos omnes Europæ populi tremuerunt. Alpinum obices his cesserunt. Post exterminium Scythiæ gens Vandatica a Pannonia non tam eorum præsentia fuit trita, quam opinione fugata. Eorum imperu Alani sunt extincti. Sueni inter contractuosos Hispaniarum angulos eorum armis periculum finis sunt experti, & regno quod desidiose tenuerant, turpiori dispen-

dispensio caruere. Libertatem semper bello quam pace potius seruauere. In bellandi necessitate vires precibus prætulere. & in armis spectabiles, hastis & iaculis, arcibus & sagittis, ensibus atque clavis, equestri & pedestri prælio configebant: cura tamen equorum charior illis fuit: telis & iaculis pro recreatione præludere affectabant. Ludorum certamina vsu gerebant in armorum experientia. Solo naualis belli exercitio caruerunt vsque ad tempora Sisebuti, sub quo ad tantam gloriam peruenerunt, vt victoriarum insignibus non solum terras, sed & ipsa maria subfulcarint. Fuere autem magnanimi, & audaces, & naturaliter ingenio faciles, & subtiles, in proposito prouidi, & cōstantes, gestu & habitu approbandi, viribus pollentes, statura ardui & proceri, diri vulneris, manu prompti, corpore validi, membris apti, dispositione compositi, & coloris albi.

De situ Scythiæ, & de Gotthorum exercitus regimine. Caput X.

SCYTHIA siquidem Germanæ terræ confinis, ab occidente vbi Ister amnis oritur, dilatatur, habens ab oriente Seres, in sui principio Caspii maris littus, ab occidente Germanos & flumen Vistula: a meridie Ponto & extremo aluo Danubii terminatur. In principio Scythiæ sunt montes Riphæi, qui Asiam diuidunt & Europam, ex quibus oritur Tanais fluuius, qui in palude Mæotica finem facit. In Scythia autem prima gens ab oriente sunt Gepidæ, ad Aquilonem Mysia, ab Africo magnus Danubius, ab occidente Venetiæ natio populosa, quorū nomina licet nunc per varias familias & loca mutantur, principaliter tamen Sclau nominantur. Gotthi ergo descendens alpibus quibus inhabitabant, destructa Græcia, Macedonia, Ponto, & Asia, & Illyrico, Macedonia & Illyricū annis fere xv. tenuerunt, & post iuxta Mæotidem (quæ fuit eis prima sedes Scythiæ) commorantes, Philimer Regem habuisse noscuntur. In secunda, id est Daciæ & Mysiæ, Zeutam eruditum philosophum habuerunt, post hunc Diceneum, post hunc Zamolxem, quem miræ philosophiæ & eruditionis historiographi protestantur. Nec defuerunt eis qui eos in sapientia erudirent, vnde & Gotthi sapientiores pene omnibus barbaris extiterunt, Græcis pene consimiles, vt refert Dion, qui eorum historias composuit Græco stylo, & generosos dicit inter eos Pileatos vocari, ex quibus reges & sacerdotes ordinabantur, & adeo laudatos in bello probauit, vt Mars quem poetæ deum belli pronunciant, ex eis dicatur ortus fuisse. Vnde Vergilius:

Graduumque patrem Geticis qui præsidet aruis.

Vnde Gotthi Martem semper cultura asperrima placuere, opinantes bellorum præfulem captorum sanguine complacendum. Tertia vero sede super Ponticum confederunt, iam humaniores & prudentiores effecti, & diuisi per familias castra figebant. Arcus ex neruis magno studio compingebant. Vnde Lucanus:

Armenioque arcus Geticis intendite neruis.

Habere & carmina, & modulationes, & instrumenta musica, & psallentes.

De Tanai, & ortu Parthorum. Caput XI.

SCYTHIS quos Amazonum viros prisca tradit autoritas, Vexores Rex Ægypti bellum intulit, in quo a Gotthorum exercitu victus fuit, quibus præerat Rex Tanais, & nisi Nilus & munitiones quas propter incursum Æthiopum Vexores fecerat, obstitissent, eum cum patria extinxisset. Cumque eum ibi positum ledere non valeret, reuertens fere totam Asiam subiugauit, & Formi Regi Medorum tunc sibi charo ad persoluendum tributum subditam esse fecit, ex cuius exercitu nonnulli victores p̄ouincias subditas contuentes in omni fertilitate pollere, deserto suorum agmine in Asiæ partibus resederunt. Ex quorum genere dicit Pompeius Trogus Parthorum profapiam descendisse. Vnde & lingua Scythica Parthi, id est fugaces, siue exules dicuntur, suoque generi respondentes inter omnes pene Asiæ nationes, soli sunt sagittarii & acerrimi bellatores. De nomine vero Parthorum

aliqui etymologiam traxerunt, vt diceretur Parthi, quasi parentum fugaces, quia a parentibus recesserunt.

De feminis Gothorum quae postea dictae sunt Amazones. Caput XII.

HVC ergo Tanaim post mortem sui inter numina posuere, post cuius decessum exercitus eius collocatis ibi foeminis ad gentes alias diuerterunt, quibus diutius immorantibus mulieres coactae ad incursum hostium arma sumpserunt, ex quibus aliquae rediere ad viros, aliae remanserunt. Illae autem quae remanserunt, in praedam a vicinis gentibus tentabantur, sed doctae armis fortiter restiterunt, hostesque super se venientes cum magna verecundia abegerunt. Eodem tempore fuere apud eos qui in Scythia remanserunt, duo iuuenes elegantes, ex regali progenie procreati, alter Plinius, alter Scolpythus vocabatur, qui egressi de terra sua cum multitudinem iuuenum, habitauerunt iuxta fluuium qui dicitur Thermoodon. Incolae autem eius terrae eos & suos bellis & factionibus occiderunt. Mulieres vero eorum de virorum interitu condolentes, paucos qui euaserant occidere, vt omnes viduae patri fletu virorum sanguinem vindicarent, nec ex inde maritalia gaudia admiserunt, sed tantum pugnis & praeliis institerunt. Cum quibus autem pacem habebant, concubitu se tradebant, & partus tempore masculos enecabant, & foeminas referuabant, & dextras mamillas abscindere decreuerunt, vt armis & sagittandi officio expeditius vterentur. Virgines autem earum, spretis officiis mulierum, armis & venationibus insistebant, quae audientes alias foeminas sui generis a Gothis relictas praeliis exerceri, in earum coloniam transierunt: quae omnes simul fretae maiori audacia se ad inuicem cohortantes, quia sine principatu incertius ferebantur, duas prudentiores & audaciores, Lampedo videlicet & Marpesiam elegerunt, easque principatu praefecerunt. Quae dum curam rerum gererent, & propria defendentes aliena vastarent, sorte Lampedo cepit fines patrios contuendos: Marpesia vero foeminarum agmine sumpto nouum genus exercitus attentauit, & in Asiam proficiscens diuersas gentes bello contriuit, alias pace concilians ad Caucasum remeavit, ibique certum tempus demorans locum saxum Marpesiae appellauit. Vnde & Vergilius:

Ac si dura flex, aut ster Marpesia cantes.

Hic ergo multum temporis Amazones confortatae, inde egressae Tale fluuium transiere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, omniaque loca felici exercitu domuere, & reuersae Ioniam, Aoliamque deditas sibi prouincias effecere. Vbi diutius dominantes, ciuitates castraque suo nomine dicauerunt. Ephesi quoque templum Dianae mirae pulchritudinis ob sagittandi ac venandi studium, quibus se artibus dedicauerunt, effusus opibus condidit. Tali ergo casu ex Scythia genitae foeminae potitae victoria, per centum fere annos regna Asiae tenuerunt, & sic demum ad proprias focias in cautes Marpesias quas superius diximus, ad montem Caucasum repedarunt. Quae videntes proles suas rarefcere, a vicinis gentibus concubitu petiere, ita vt facta nundina in anno semel masculis miscantur, & eadem die futuro tempore reuertentes concubitu se concedunt, patribus masculos, sibi foeminas referuantes, & armorum vsui deputantes. Dum vero haec foeminae partes Asiae deuastrarent, Persarum exercitus superuenit, qui cum foeminis bellum aggressi, XL millia foeminarum cum Marpesia occidere. Post Marpesiam Sinope filia eius materno principatu subrogatur: post haec regnauit Orithyia, quae aduersus Menelaum & Herculem mouit bellum, & plus dolo quam pugna Orithyia victa ab Hercule, fuit capta, & de exercitu foeminarum fere centum millia in ore gladii cecidere. Hercules autem restituit Orithyiam sorori suae Antiopae, quae cum Orithyia coregnabat. Postea Orithyia misit ad Scythiam, vt Scythae auxilium sibi destinarent, quo contra magnum Herculem praelium repararet. Arpedo autem regnabat illo tempore apud Scythas, qui recolens Amazones ex Scytharum seu Gothorum genere processisse, dolens tam insignes foeminas deperisse, misit filium suum in auxilium Amazonum cum magna multitudine bellatorum, a quorum facie veritus Hercu-

Hercules in Graeciam se recepit. Post Orithyiam suscepit regnum Penthesilea, quae audiens Graecos in Troiae exterminium aduenisse, succursui se contulit Troianorum cum LXX. millibus armatarum, & ibi strenue multa gessit. Tandem ibidem cum multis ex suis ab Achille dicitur interfecta. Post Penthesileam Thalestris suscepit regnum Amazonum. Haec acta pace cum Alexandro, qui & Paris, Graecos desinit infestare. Erant autem Amazones varia veste compositae, capillis a fronte tonsis, a ceruice demissis, mamillis dextris abscissis, sinistras strictura tunicae coarctabant. Et erant eo tempore plusquam ducenta millia armatarum. Et haec Gothorum foeminae vsque ad Iulium Caesarem regnum egregie tenuerunt. ex inde vsque ad haec tempora regnum tenent in terra quae vulgariter dicitur Foeminea.

De actibus Gothorum, & de Telepho, & de Eurypylo Gothorum Regibus, & regina Tomyri. Caput XIII.

SED quia de viris Gothorum sermo assumptus fuerat, & quanta fuerit gentis illius gloria, de foeminis fecimus mentionem, quarum fortitudine hoc probatur. Orosius dicit, Gothos Regem nomine Telephum post multa tempora habuisse. De quo Iuuenalis, --- *Impune diem consumpsit ingens Telephus.*

Isergo Telephus Herculis filius, sorori Priami fuit coniugio copulatus, procerus corpore, sed terribilior in vigore, qui paternam fortitudinem propriis viribus aequans, genas & formam similitudine praeferebat. Huius regnum Myliam appellare maiores. Cum itaque Hercules tempore Gedeonis fuisse dicatur, & ante Telephum filium Herculis plures Reges habuerit gens Gothorum, scilicet Vatic, & Gadatic, & Philemer, & Zamolxem, & Tanaim, & diu post Telephum filium Herculis, & Hercules fuerit tempore Gedeonis qui iudicauit populum Israel centesimo octogesimo quinto anno, & ita videtur quod multis annis ante tempora Gedeonis Gothi a Scandia sunt egressi. Is ergo praedictus Telephus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Therlandrum ducem Graeciae interemit, & dum Aiacem infestus inuadit, Vlysemque prosequitur, ictibus equo cadente, ipse cecidit, Achillisque iaculo femore sauciatus diu mederi nequiuit: Graecos tamen quantum sauciatus ex suis finibus propulsaui. Telepho vero defuncto, Eurypylus successit in regno ex Priami Regis germana progenitus, qui cum ob Cassandreae amorem bello interesset Troiano, parentibus soceroque ferre auxilium cupiens, mox veniens est extinctus. Post longa vero tempora Cyrus ille famosus Rex Persarum cum Tomyris Regina Getarum siue Massagetarum sibi exitiabile bellum inferret, transmissa Araxe fluuio mortis & regni poenas subiuit, cuius caput abscissum Tomyris in vtre humano sanguine plenum misit, dicens: Satiare sanguine quem sitiisti. Tunc Regina Tomyris adepta victoriam tantamque praedam, in partem Mysiae quae nunc Amazonia dicitur, victrix abcessit, & mutato nomine minorem Scythiam appellauit, & ciuitatem Tamera a suo nomine aedificauit, & adhuc hodie succestrices earum foeminae agentes militiam, strenuae habentur in opere militari, & terra earum adhuc hodie dicitur vulgariter Foeminea.

De victoria Gothorum contra Persas & Graecos. Caput XIII.

POST haec Darius filius Hystaspis Rex Persarum, Anchiri Regis Gothorum filiam in matrimonio postulauit, rogans, pariter & deterrens, nisi suam perageret voluntatem. Cuius affinitatem Gothi spernentes legationem & petitionem pariter frustra reiecit, qui quia repulsus, & dolore stimularus, contra ipsos egit exercitum septingentorum millium armatarum, nauibusque pene a Chalcedonia vsque ad Byzantium in istar pontium tabulatis duobus mensibus, fatigatus octo millia perdidit armatarum. Timens autem ne pontem eius aduersarii occuparent, celeri fuga in Thraciam repedauit, nec Mysiae solum credidit esse tutum. Post cuius decessum Xerxes filius eius paternas iniurias vicisci desiderans, de suis septingenta millia,

de auxiliantibus vero trecenta millia habuit armatorum. Naues rostratas mille ducentas, quæ ad nauale bellum rostris ferreis armabantur, onerarias autem ad tria millia legitur habuisse. Et contra Gothos profectus bellum nõ fuit ausus tentare, sed eorum animositate & constantia superatus absq; certamine confusus recessit. Philippus quoq; pater Magni Alexandri cum Gothis amicitias fœderans Olympiada Neptolemi regis Molossorum filiam accepit vxorem, vt tali affinitate roboratus Macedonum regna firmaret. Qua tempestate Philippus inopiam pecunię passus Odificanam Mœsię ciuitatem quæ propter viciniam Tomyri Reginæ Gotthidi erat subiecta, vastare curauit. Sed sacerdotes Gotthorum qui Pileati vocantur, patefactis portis cum citharis & vestibus candidis obuiam egressi, patrii diis, vt sibi propitii Macedones repellerēt, voce supplicis modulantes: quos Macedones sibi fiducialiter occurrere contuentes (si fas est dicere) ab inermibus terrentur armati, & soluta acie quam ad bellandum, non ad vr̄bis excidium construxerunt, inito fœdere ad propria sunt reuersi. Quem dolum cum post longum tempus cognouisset Sitalcus egregius doctor & ductor Gotthorum, c. l. millia pugnantium congregauit, & Atheniensibus bellum intulit, in eis Perdica tunc regnante, quem Alexander apud Babyloniam, ministri in sidiis potans interitū, porrecto anulo in Atheniensium principatu reliquerat successorem: magnoq; prelio in hoc inuito Gotthi inuēti sunt, p̄ victoria superiores, & pro iniuria quā in Mœsia Græciferant, Gotthi in Græcia discurrentes cunctam Macedoniam vastauere.

De sapientibus Gotthorum & consiliariis eorundem. Caput XV.

DE INDE regnauit in Gotthis Boruista, & venit ad eū in Gotthiam Dicineus, quo tempore Sylla in Romanis habuit principatum, & Dicineus consilio Germanorum terras quas Franci detinent, occuparūt, & dedit ei Boruista fere regiam potestatem. Gotthorum regnum Cæsar qui pene totum mundum suo subiecit imperio, crebro pertentans non potuit subiugare, neq; Caius Tiberius Imperator tertius Romanorum, licet sapius attentarit. Gotthi autem hoc commodum, hoc salubre, hoc votiuum, hoc agendum in agendis & in iudiciis iudicabāt, quod Dicineus eorum consiliarius approbabat: Ipse autem mores eorū barbaricos immutauit, ipse fere omnem Philosophiam, Physicam, Theoricam, Practicam, Logicam, dispositiones x. i. signorum, Planetarum cursus, augmentum Lunę & decrementum, Solis circuitum, Astrologiam, & Astronomiam, & naturales scientias Gothos docuit, & ex beluina ferocitate homines & philosophos instaurauit. Hæc & alia Dicineus Gotthis peritia sua tradēs mirabiliter enituit apud illos, & non solum mediocribus, immo & Regibus imperauit. Elegit præterea nobiliores & prudentiores, fecitque sacerdotes, quos ad Theologiam instituens vocauit speciali nomine Pileatos, & quia tiaris capita palliabant, arbitror sic vocatos. Decedente vero Dicineo pene pari veneratione Eumoficum habuere, quia nec impar in solertia habebatur. Etenim Rex & Pontifex ob sui peritiam illis fuit, & in summa iustitia populos iudicabar. Et hoc rebus humanis exempto, succedit in regno post multa tempora Dorpaneus.

Iterum de bellis Gotthorum, & Ostrogottha, & Gniua Regibus eorum. Cap. XVI.

ANNO XII. ante æram conditam vsque ad æram cxxv. in qua regnauit Domitianus, & sunt anni cxxxvii. scriptum non reperi, & ideo hic omisi. Demum autem Domitiano imperante æra cxxxv. Gotthi eius auaritiam metuentes, fœdus quod cum aliis principibus pepigerant dissoluēt, ripam Danubii diu possessam a Romano imperio deletis militibus cum eorum ducibus vastauere. Caput Oppii Sabini qui inibi Romanis præerat abscindentes, castella & ciuitates & oppida Romanis subdita deuastarunt. qua necessitate Domitianus cum omni virtute sua Illyricum properauit pene Republica iam exhausta, & Fusco eis prælato cum electissimis viris amnem Danubii consertis nauibus instar pontis transire

transire coegit contra exercitum Dorpinæi. Tum Gotthi insignes reperti arma capeffunt, primoq; conflictu Romanos deuincunt, Fuscoq; duce imprimis extincto castra militum diuitiis spoliant Romanorum, magnaque potiti gloria per loca proceres suos pro gloria & fortuna Semideos vocauerunt. Hi autem licet communiter dicerentur Gotthi, illi autem qui in Scythia commorantes in Orientali plaga manebāt, Ostrogotthi, qui in Occidentali, Vesegotthi specialiter vocabantur. Ergens ista mirum in modum in ea parte Scythiæ qua manebat, in Ponti litore, tanta terrarum spacia, tot sinus maris, tot concursus fluminum tenens enituit, vt Vandalus & Margomanus Squadrorum princeps eorum essent subditi.

10 Fastida Rex Gepidarum ab Ostrogottha Rege Gotthorum, aut bellum sibi parari, aut terræ spacium legatione præmissa petiit derelinqui. Tunc Ostrogottha, vt erat animi solidi, respondit relatis, Bellum tale se abhorreere, durumq; fore & omnino scelestum confingere cum propinquis, loco vero non cedere fore dignum. Gepidæ autem in bella irruunt, & inclinata parte Gepidarum, Rex eorum pudendis opprobriis ad patriam fugit bello coactus. Victores Gotthi discessione contenta in sua patria toto tempore feliciter remanserunt. Post decessum Ostrogotthæ Gniua ad regimen sublimatur, qui exercitum diuidens in duas partes, vnã partem ad vastandam Mœsiam dirigit quę negligentibus principibus fuerat destituta: ipse vero Philippopolin ire festinat, & diu obsessam inuadit, prædaque potitus

20 Priscum ducem qui inerat, fœderauit, quasi cum imperatore Decio pugnaturus, qui Decius cœpit regnare æra cclxvii. Ad conflictum igitur venientes, ilico Decii filium sagitta crudeli vulnere fauciauit. Quod pater aduertens ad confortandos animos fertur dixisse, Perditiōe vnus militis nihil est Reipublicæ diminutum: affectu tamen paterno compatiens hostem inuadit, aut mortem, aut vltionem filii exposcendo, dispositoq; prelio finem consequitur vitę, Imperii, vltionis.

De Gallo, & Volufiano, & Claudio Imperatoribus, & pugnis eorum cum Gotthis. Caput XVII.

30 **D**E EVNCTO autem Decio, Gallus, & Volufianus filius eius regnū adepti sunt Romanorum, & regnauere annis duobus, æra cclxxx. Gallo autem in fata cedente Gallienus per se arripuit principatum æra cclxxi. tempore cuius Gotthorum exercitus cum multis nauibus per Hellespontum in Asiam transferunt, vbi multas eius prouinciæ ciuitates, & opulentissimum templum Dianæ quod superius diximus Amazones condidisse, extractis diuitiis succendere, & spoliatam Chalcedoniam subuereere, quam postea Cornelius habitus reparauit. Quæ etsi vr̄bis regiæ dignitatem obtineat, antiquæ pugne posteris signa præfert. Hac ergo felicitate, victoriis, spoliis, prædaque ditati transeuntes per Hellespontum in suo itinere Troiam & Ilium vastauere, & quæ erant a bello Agamemnonis vix aliquantulum reparatæ, hostili gladio iterum feruntur. Post tale excidium iterum Asia eorum experta est feritatem. Nam Anchialon ciuitatem aggressi, quam mari vicinam Sardanapalus Rex Assyriorum dicitur construxisse, ibi multis feruntur mansisse diebus aquarum calidarum recreatione iucundi. Erat autem ad infirmorum efficacissime sanitatem. Ex inde ad propria repedant. Cumque regiones Romanis subditas deuastarent, Claudius Imperator qui cœpit regnare æra cclxxxvi. occurrit, & victos coegit ad primas sedes Scythiæ remeare. Romani autem Claudium Augustum, pro eo quod tam fortissimam gentem a finibus Reipublicæ remouisset, insigni gloria honorantes, in foro illi aureum clypeum, in Capitolio auream statuam collocarunt.

De Constantino Imperatore, & Geberic & Hermanarico Gotthorum Regibus, & eorum bellis. Caput XVIII.

DEMVM cum auxilia plurima Diocletiano & Maximiano Romanorum principibus præbuissent, succedente Constantino Cæsare Magno, qui cœpit re-

gnare æra cccxxvi. aliquandiu sunt neglecti, eo quod Cæsar Magnus succeden-
 tibus sibi prosperis contra Parthos & Persas in superbiam tumuisset. Et cum Dio-
 cletianus Achillem in Alexandria superasset, & Maximianus Herculeos & Quin-
 gentinos in Africa attriuisset, cœperunt Romani Gotthorum auxilia dedignari.
 Tunc Gotthi Sarmatarum regionē aggressi copiosissimis super Romanos agmi-
 nibus irruere, & vehementi virtute cuncta deprædatione & gladio vastauere. Ad-
 uersus quos Constantinus aciem instauroit, ingentique certamine Danubium
 compulit pertransire, de diuersis gētibus virtutis gloria clarus, sed de Gotthorum
 victoria amplius gloriosus, quem Romani acclamante senatu laude sunt publica
 profecuti, quod tantam gentem vicerit, quod patriā Reipublicæ reformarit. Got-
 thi autem ad iuga propria reuertentes ibidem aliquandiu habitant, sed quia li-
 cet vitia virtutibus non cedebant, iterum contra Romanos rebellia attentarunt, &
 sub Ariaco & Aurico qui tunc temporis Gotthis præerant, Pannoniam & Italiam
 deuastantes Liguriam inuasert, & commoditate regionis illeſti studuerunt fa-
 mosissimam Romanæ vrbis æmulam in suo nomine condere ciuitatem, quæ ab
 aliquibus creditur fuisse Verona, quæ (vt alibi diximus) quasi væ Roma est appel-
 lata. Aliqui dicunt fuisse Sicambriam, quæ fuit iuxta paludem Mæotidem ædifi-
 cata. Post Ariacum & Auricum Geberic succedit in regnum anno Constantini
 æra 353 xxvii. æra ccccliii. Nam hic cum esset nobilissimus genere, gloriam generis
 sui a uorum magnalibus voluit adæquare, & primitias regni in gēte Vandalica cu-
 piens ostentare contra Huimar Regem eorum bella tentauit, victumque coegit a
 patria exulare. Huimar autem & Vandali expulsi a sedibus ab Constantino prin-
 cipe Pannoniam petierunt, ibique fere per sexaginta annos locatis sedibus Im-
 peratorum decretis velut incolæ paruere, & post longum tempus a Stilicone ma-
 gistro Romanæ militiæ, consule & patricio inuitati Gallias occuparunt. Vbi finiti-
 mos deprædantes impediētibus Gotthis non potuere ad primas sedes in Panno-
 niam remeare. Nam Geberico rebus humanis exempto, Hermanaricus regimen
 suscepit in Gotthis anno Constantini Imperatoris secundo, æra cccclvi. Hic
 multas & bellicosissimas gentes perdomuit, suisque legibus parere coegit, quem
 merito nonnulli Alexandro maximo compararunt. Siquidem cum gentes domi-
 tas haberet subiectas, & apud omnes earum subiectione clarus floreret, non est
 contentus, nisi gente Herulorum quibus præerat Alaricus, fere trucidata, residu-
 um suæ subiiceret ditioni. Nam gens prædicta quanuis multos sua velocitate subi-
 geret, Gotthorum tamen subiucit stabilitati, vt & ipsa inter gentes reliquas Her-
 manarico seruiret. Post Herulorum cædem Hermanaricus in Venetos arma mo-
 uit, qui quanuis armis despecti, præ numerositate tamen primo resistere conaban-
 tur, & licet ab vna stirpe exorti Venetiani & Sclauiani dicantur, hos omnes Her-
 manaricus subegit, & vt propriis laboribus imperauit.

De Hunnis, & morte Hermanarici. Caput XIX.

HERMANARICVS autem Rex Gotthorum qui (vt superius retulimus) multa-
 rum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere saucius egram vitam im-
 becillitate contraxit, & tunc Alamber Rex Hunnorum in Ostrogothos qui iam a
 Gotthis seiuncti manebant, insiluit & prostrauit. Hermanaricus autem dolore
 vulneris & Hunnorum potius, vitæ suæ anno vx. est defunctus. Cuius mors
 Hunnis occasionem præbuit præualendi, ipsique Gotthi qui remanserant, extin-
 ctis pene Ostrogothis & Vefegothis ad Valentem Imperatorem nuncios tran-
 miserunt, vt partes Thraciæ & Mœsiæ eis traderet ad manendum: qui
 annuit, & petitas terras contulit excolendas, & Danu-
 bium transmeantes Daciæ & Thraciæ
 largitione principis in-
 federunt.

RODE-

RODERICI ARCHIEPI-
 SCOPI TOLETANI DE REBUS
 HISPANIÆ LIBER SE-
 CUNDVS.

De schismate in Athanaricum & Fridigerum, & heresi Ariana. Cap. I.



RIMVS Gotthorum gentis administrationem suscepit Atha-
 naricus æra cccclxxxi. & regnauit annis xiiii. qui persecu-
 tione crudelissima aduersus fidem commota, contra Gotthos
 qui in gente sua Christiano nomine censebantur, cædes cœpit.
 Ex quibus plurimos qui nolebant idolis immolare, fecit mar-
 tyres, reliquos autem multis persecutionibus afflictos dum in-
 terficere præ multitudine abhorreret, dedit licentiam in Ro-
 manorum prouinciam transmigrare. Æra cccclxxxix. Gotthi in Istrum ad-
 uersus semetipsos in Athanarico & Fridigerno diuisi alternis se cædibus deuasta-
 runt: sed Athanaricus Fridigerum Valentis Imperatoris auxilio superauit, & ei
 cœpit potentia præminere. Verumtamen Fridigerus quasi subregulus habeba-
 tur. Tandem vero ne gentis Gothiciæ gloria scinderetur, Fridigerus cum iis qui
 in Oriente Ostrogothi dicebantur, & Athanaricus cum Vefegothis in Occide-
 te tabernacula metabantur. Tunc Gudila Episcopus eos legem docuit Christiana-
 nam, & scripturas noui ac veteris Testamenti linguam transtulit in eandem. Et
 Gotthi qui hætenus idololatriæ superstitioni dediti gentilibus sacrificiis se voue-
 bant, iam nunc fide suscepta ecclesias construxerunt, & sacerdotes euangelicos
 habuere, specialesque literas quas eis cum lege Gudila eorum Episcopus tradide-
 rat, habuerunt, quæ in antiquis Hispanorum & Galliarum libris adhuc hodie su-
 perextant, & est litera quæ dicitur Toletana. Huius rei gratia legatos cum muneribus
 ad Valentem Imperatorem miserunt, & doctores propter suscipiendâ Chri-
 stianæ fidei regulam postularunt. Valens autem a veritate catholica deuius, & A-
 rianæ hæresis peruersitate detentus, vt audiuit Gotthos fidem catholicam susce-
 pisse, applausit eisdem, & missis hæreticis sacerdotibus Gotthos persuasione nec-
 fanda sui erroris dogmati aggregauit, in tam præclaram gentem virus pestiferum
 transfundendo: sicque errorem quem recens credulitas bibit, tenuit, diuque seruauit
 vsque ad tertiam synodum Toletanam quæ fuit sub Recharedo principe celebrata.
 Gotthi autem statim vt Valentis literas susceperunt, & sibi dogmatis sui ecclesias
 construxerunt, & talia iuxta eundem Arium de ipsa diuinitate documenta sumpse-
 re, vt crederent Filium Patris maiestate esse minorem, & æternitate posteriorem,
 Spiritum autem sanctum nec dominum esse, nec ex substantia Patris existere, sed
 per Filium creatum esse, vtriusque ministerio deditum, & amborum obsequio sub-
 ditum: aliam quoque Patris sicut personam, sic & naturam asserentes, aliam Filii, ali-
 am denique Spiritus sancti, vt non iam secundum sanctę scripturę traditionem vnus
 Deus & vnus Dominus coleretur, sed iuxta idololatriæ superstitionem tres Deos
 & Dominos faterentur. Cuius blasphemix malum per decessum temporum Re-
 gumque successum annis pluribus tenuere: qui tandem salutis suæ reminiscetes, &
 inolitam perfidiam detestantes ad vnitatem catholicæ fidei redierunt æra cccxc.

De fame Gotthorum, & morte Valentis Imperatoris. Caput II.

GOTTHI qui primum Christianos a sedibus suis expulerunt, rursus ab Hun-
 nis & ipsi cum Athanarico & Fridigerno suis Regibus sunt expulsi. transito
 Danubio, cum vim ferre non possent, Valentis Imperatoris imperio ar-
 mis depositis se dederunt. Sed vbi viderunt se opprimi a Romanis, contra

consuetudinem libertatis rebellia tractauerunt. Verum famis periculo eminente Fridigernus & Athanaricus qui vice Regū illis præerant, exercitus inopiæ condolere, & immundorum animalium morticina eis dare, ita ut mancipium pro vno pane, aut decem libris carniū mercaretur. Mancipiis autem & supellectili iam distractis, filios eorum auarus mercator poscebat, parentes autem saluti pignorum prouidentes elegere ingenuitatem potius petire quam vitam, dum qui venditur, vitæ seruetur. Contigit illo tempore, ut dictator Romanorum Fridigernum Gotthorum Regulum dolo ad conuiuium inuitaret. Sed cum Fridigernus doli nescius cum paucis conuiuio aduenisset, suorum in prætorio occisorum vox suspēctis auribus intonuit, & voce flebili non ignota illico velocitate egreditur Fridigernus, suosque socios eripiens ab interitu imminente ad Romanorum necem instigat. Qui nacti votiū occasionem elegerunt bello magis quam fame deficere, & Lupicinum & Maximinū duces gladio occidere: & illa dies Gotthis famem, Romanis securitatem ademit, cœperuntque Gotthi iam non ut aduenæ & peregrini, sed ut ciues & domini possessoribus imperare, totasque Septentrionales usque ad Danubium sub iure tenere. quod comperiens in Antiochia Valens Imperator, mox armato exercitū in partes Thraciarū egreditur, vbi lachrymabili bello commisso vinctibus Gotthis in quodam prælio iuxta Hadrianopolin saucius ipse fugit, ignorantibusque quod Imperator in tam vili casella delitesceret, Gotthis ignem, ut assolent, apponentibus, cum regali pompa crematur: & merito ipse ab eis temporali crematur incendio, qui tam pulchras animas æternis ignibus tradiderat concremandas. Inuenere autem Gotthi illo prælio confessores priores ex Gotthis, quos dudum propter fidem a suis finibus expulere, & voluere eos participes fieri prædæ suæ, qui cum acquiescere nolissent, fuere ex eis aliqui interfecti, alii montuosa loca tenentes sibi refugia construxere, & non solum perseueratione Christiani catholici, sed & in concordia Romanorum a quibus dudum excepti fuerant, permansere. Eo tempore Vesegotthi Thraciam Daciamque Ripensem post tanti trophæi gloriam, tanquam solum genitale potiti colere inceperunt.

De quibusdam vastationibus, & pace Romanorum, & morte Athanarici & Fridigerni. Caput III.

GRATIANVS autem qui cœpit regnare æra cccxc. & regnavit annis vi. post obitum Valentis patris sui, Theodosium qui agnominabatur Hispanus, filium Theodosii Comitis electum præfecit imperio Orientis anno regni sui quinto, & fratrem paruum Valentinianum Romano imperio subrogavit. Qui Valentinianus regnavit cum Theodosio annis viii. Cum autem esset Theodosius acris ingenii, consilio & virtute præclarus, præceptorum severitatem sic liberalitate & blanditia temperavit, ut remissum exercitum ad fortia prouocaret. At vero milites principe meliore comperto impetendi Gotthos fiduciam acceperunt, eosque Thraciæ finibus pepulere. Sed cum Theodosius pene usque ad desperationem ægrotaisset, Fridigernus cum Gotthis diuiso exercitu Thessaliam, Epirum, Achaiam, & Alatheos cum residuis copiis deprædatus, Pannoniæ superuenit. Quod cum Gratianus Imperator qui a Roma in Gallias secesserat, comperisset, mox ad eos collecto exercitu venit, & eorum exercitum cui præerat Fridigernus, primo aduentu prostravit. Sed cum qui euaserant ad Athanarici exercitum confugissent, & mox Athanaricus deliberavit collegæ sanguinem vindicare. Sed Gratianus occurrens venit ad eos, non tam armis quam gratia & muneribus complanandos, pacemque firmat victualia concedendo. Quod audiens Theodosius postquam conualuit, gratum tulit, & in hanc pacem ipse consensit, Athanaricumque Regem qui Fridigerno successerat, sibi benignis moribus & muneribus sociavit, & Constantinopolim accedere inuitavit, qui acquiescens cum Theodosio urbem Regiam est ingressus, miransque urbis situm, stationemque nauium, populosque diuersarum gentium, quasi in vno fonte e diuersis mundi partibus scaturire, En, inquit, cerno, quod incredulus audiebam. In tali ergo admiratione maiorique

maiorique a principe suffultus honore, obiit paucis mensibus interiectis, quem princeps affectionis gratia plene plus mortuum quam viuum honorans dignæ tradidit sepultura.

De strage Radagasi & Stiliconis, & vastatione Italiae. Caput IIII.

DEFUNCTO igitur Athanarico æra ccccxiiii. attendentes Gotthi Theodosii benignitatem Romano Imperio se dedere, fuereque sine Rege cccxviii. annis. Et exinde dicti sunt Fœderati, quos Theodosius contra Eugenium tyrannum qui occiso Gratiano Gallias occuparat, plusquam viginti millia armatorū, fideles & amicos intelligens secum duxit, victoriaque de prædicto tyranno potitus vltionem exegit. Sub Theodosio Alani, Vandali, & Sueui Hispanias sunt aggressi: Alani Carthaginem & Lusitaniam fortiuntur: pars Vandalorum qui Silingui dicebantur, Bæticæ refederunt: reliqui Vandali cum Sueuis Galleciam sunt adepti. Postquam vero Theodosius qui cœpit regnare cum Gratiano æra cccxc. & regnavit cum eo annis quinque & Valentinianus regnavit Romæ annis septem, & Theodosius in oriente post mortem Valentiniani iunioris regnavit monarcha annis decem, & sunt in vniuerso anni xvii. Hic pacis & Gotthorum gentis amator fuit, & rebus excessit humanis æra ccccxii. & succedere ei Arcadius & Honorius filii eius, & regnauere annis xxv. qui luxuriose viuentes Gotthis consueta donaria subtraxerunt. Mox Gotthis increuit fastidium, verentibus ne longa pace eorum strenuitas solueretur, & iudicarent indignum se Romanorum subditos potestati, eosque sequi quorum leges & imperium contempserunt, & quos in prælio sæpius deuicerunt. Sed dum Regem eligere procurarent anno xi. Arcadii & Honorii, æra ccccxiii. in Radagaso & Alarico diuisi variis cædibus lacerarunt. Tandem in concordiam veniunt ob excidium Romanorum, & pari intentione vniforme consilium inierunt, ut ambo pariter corregerent, Alaricus tamen potior haberetur, & ad deprædandas Italiae regiones ad inuicem diuiduntur. Sed Radagasus genete Scythæ cultui idololatriæ deditus, Barbaricæ inhumanitatis feritate sæuissimus, cum ducentorum armatorum milibus Italiae partes vastatione aggreditur vehementi, spondens in contemptum Christi diis suis Romanorum sanguinem immolaturum. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis locis Tusciæ circumclusus, fame est potius quam ferro consumptus, ipse postremum Rex captus & interfectus. Quo extincto confors regni alacrius cœpit regnare solus, nomine quidem Christianus, sed hæreticus professione. Qui dolens tantam multitudinem Gotthorum extinctam, habito suorum consilio, ad Honorium misit legationem, ut, si permitteret, Gotthi pacati in Italiam residerent: sin autem aliter, bello foret agendum. Sed Honorius vtramque pollicitationem formidans, inuito consilio cum senatu, ut eos a finibus Italiae pellerent, prouincias longe positas, scilicet Gallias & Hispanias quas pene perdiderant, concesserunt. Gotthi autem acceptant donationem sacro oraculo confirmatam, & ad patriam sibi traditam processerunt. Post quorum discessum nihil mali in Italia perpetrato, Gotthis nihil a Romanis suspicantibus, Stilico patritius, & focer Honorii, qui fuerat natus de genere Vandalorum, gente perfida & dolosa, in Alpibus Gotthos inuadere procurauit. Sed Gotthi recollectis animis, ut solebant, & recolentes tantam multitudinem cum Radagaso extinctā, omnem pene exercitum Stiliconis usque ad inter necionem furibundo animo prostrauerunt, & in Liguriam quam transierant, rediere, eamque prædis & spoliis deuastantes Æmiliam pariter vastauerunt, & Tusciam discurrerunt.

De destructione urbis, & morte Alarici. Caput V.

ET ne victrix cædium expets remaneret, Alaricus cum suis in vindictā sanguinis Radagasi aduersus Romam prælium inceperunt, obsessamque magnæ cladis impetu irruerunt. Sicque vrbs cunctarū gētū victrix Gotthicis triumphis victa sub-

cubuit & captiua. Gotthi autē tantæ fuerunt clementiæ, quod omnib. indulserunt qui ad sanctorum limina confugerunt, nec quemquam a sanctuariis extraxerunt. Ingressi urbem omnibus pepercerunt, sed iis quos extra loca martyrum inuenerunt, Christi & sanctorum nomina inuocantibus, simili misericordia indulserunt, in reliquis autem et si præda hostibus paruit, ferendi licentiam pietas refrenauit. Incurstantibus vero Gotthis in illa vastitate per urbem, dum quidam potens virginem consecratam ætate prouectam in transitu reperisset, eam modeste admonuit, ut si quid apud se auri argentiq; haberet, voluntarie exhiberet: illa fidei conscientia quod habuit, reuelauit. Cumq; ille vasorum formam & pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: Hęc vasa mihi de sacrario beati Petri Apostoli sunt commissa. præsume, si audes. ego sacram hostiam nõ audeo tibi dare. Gotthus ille ad nomen Apostoli magno pauore perterritus, hoc Regi per nuncium nunciauit, qui Rex confestim reportari omnia ad sacrarium sancti Petri per virginem illam summa cum reuerentia iussit, dicens: Cum Romanis se bellum gerere, non cum Apostolis Iesu Christi. Rediit igitur virgo reuerentissimis officiis honorata, redeunt & cum illa omnes qui ei se sociauerunt, super capita sua vasa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Concurrerunt vndiq; ad voces canentium de latibus agmina Christiana. Concurrerunt & Pagani Christianis admixti, & dum seruos Christi se esse fingerent, calamitatis excidium euaserunt. Capta est itaq; Roma ab Alarico anno M. CLXIII. ditionis suæ. Et beatus Innocentius Papa primus refert, qui tunc temporis apud Rauennam positus, ut peccatoris populi non videret excidium: Illa irruptio non hostis fortitudine, sed Dei iudicio acta fuit. Hac tempestate Gotthi Placidiam Theodosii Imperatoris filiam, Arcadii & Honorii Imperatorum sororem, cum ingenti auri argentiq; thesauro Romæ capiunt, adeptiq; multis opibus Romanorum, tertia die euerfa vrbe partibus & incensa, inclyti & spoliis & victoria recesserunt. Deinde per Campaniam, Brutiam, Lucaniamq; simili strage bacchantes, Rhegium peruenere. Inde conscensis nauibus cum Siciliam exiguo ab Italia freto diuisam transire disponunt, infesto mari periclitati, multum exercitum perdidere, quibus tanta fuit gloria de Romæ vrbe obtentu, ut nihil mali se passos arbitrarentur euentum naufragii victoria compensantes. Post paucos autem dies apud Consentiam quam ipse destruxerat, Alaricus morte subita est defunctus xxvii. regni anno, æra ccccl. quem sui nimia dilectione lugentes, Barfento amne a suo alueo deriuato, in medio amne collecto captiuorum agmine locum effodiunt sepulturæ, in cuius foueæ gremio Alaricus cum multis copiis sepelitur, & loco oblecto rursus amnem proprio cursui reddidere, & ut nesciretur ab aliquo, omnes fossores captiuos qui interfuerant, extinxerunt.

De victoriis Athaulphi, & morte eius. Cap. VI.

ALARICO sepulto, ad regni fastigium Athaulphum consanguineum eius, forma menteq; consimilem sublimarunt æra cccclix. & regnauit annis sex, qui etsi non adeo proceræ staturæ, pulchritudine tamen corporis erat in oculis inuentum gratiosus. Hic suscepto regno rediens Romam, si quid remanserat totum abrafit more confumentium locustarum, nec tantum priuatis diuitiis, immo publicis Italiam spoliavit, imperante Honorio resistere non valente. Cuius sororem Placidiam quam Gotthi Romæ ceperant, tum propter nobilitatem, tum propter pulchritudinem in foro Iulii, ciuitate Æmiliæ, sibi matrimonio copulauit. Et Honorio rebus exhausto iam quasi cognato deferens reliquit Italiam, & ad Gallias se conuertit. quod cum audissent Burgundiones & Franci qui prius Gallias infestabant, cœperunt se suis finibus coarctare. Vandali, Alani, & Sueui quos Gotthi fugauerant a Pannonia, qui & in Gallias se receperant, relatione maiorum didicerant qualiter Geberic Rex Gotthorum incommodis & cædibus eos in Pannonia coarctarat, & a Gotthis coacti ad partes confugerant Galliarum. Vnde audito eorum aduentu, se ad Hispanos transtulerunt. Cumq; Athaulphus diu Gal-

diu Gallias infestasset, ei ut principi paruere. Confirmato itaq; Gotthorum regno, Athaulphus audiens insolentias barbarorum, cœpit condolere miseris Hispanorum, & occurrere incurfibus Vandalorum. Dum autem relictis Gallias Hispanias peteret, a quodam suorum apud Barcinonam fuit inter familiares fabulas iugulatus æra cccclv. Huius Athaulphi & Placidie matrimonio conantur quidam adaptare prophetiam Danielis: Filiam Regis Austri assumet Rex Aquilonis, nec stabit ex eis germen: & vocant Regem Austri Theodosium, & Regem Aquilonis Athaulphum, nec stetit ex eis germen, quia prolem non habuerunt. Sed aliter exponitur in Daniele de Regibus Syriæ & Ægypti, nec respectu loci ubi prophetauit, regnum Romanum versus Austrum consistit. Interea Stilico Comes de quo diximus, cogitauit Honorium pellere de Imperio Romanorum, & suum filiū Eucherium subrogare. Sed Honorius stratū bello cum Eucherio filio interfecit,

De Sigerico, & Valia, & victoriis in Hispania. Caput VII.

POST obitum Athaulphi princeps Gotthis eligitur Sigericus æra cccclv. & regnauit anno vno. Erat autem Sigericus Romanorū clade in vrbe notissimus, statura mediocris, profundo animo, sermone rarus, contemptor luxuriæ, ira turbidus, habendi cupidus, ad sollicitandas gentes prudentissimus, contentionum semina iacere, odia miscere paratus, claudicans equi casu. Hic cum plures haberet filios, sperans regnum filii prouenturum, ne intestino bello, sicut in reliquis gentibus afflet reuenire, populus vexaretur, cœpit ad pacem intendere Romanorum. Ordo in filiis iste fuit: primus Gisericus pater & dominus: sequens Hunericus: tertius Guntemandus: quartus Trasamundus: quintus Hildericus. Cum igitur Sigericus proponeret Gotthos ob causam filiorum pace diutina detinere, & Romanorum beneplacitis coniuere, Gotthi quorum belli quam pacis potior causa fuit, contra ipsum continuo conspirarunt, & cum factione impia peremere. Æra cccclvi. Valia Sigerico in regno succedens regnum tenuit tribus annis belli causa princeps a Gotthis effectus, sed ad pacem diuina prouidentia ordinatus (mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit) Placidiam sororem eius olim captam ei restituit honoratam, promittens Imperatori se propter rempublicam adiutorem. Itaq; ad Hispanias per Constantium patricium euocatus, Romani nominis causa barbaris intulit magnas cædes, Vandalos Silinguos in Bætica bello prostrauit, Alanos qui dominabantur Vandalis & Sueuis, adeo cæcidit, ut extincto Athace ipsorum Rege, pauci qui superuere ex Alanis, obliuio regni nomine, Gunderico Regi Vandalorum qui in Gallecia residebat, sese darent, & dum cum Valia confluere tentauissent, non potuerunt eius potentiam sustinere. Deuictus itaq; cum Vandalis Gundericus fugam in Aphricam meditatur, & dum a bello Hispaniæ veller in Aphricam transfretare, in freto Gaditani maris vi gravissimæ tempestatis effractus, memor illius sub Alarico naufragii, omisso nauigationis periculo, relictis Hispaniis fugam in Gallias procurauit. Prostratis igitur Vandalis, Alanis, & Sueuis, potitus victoria ab Hispaniis gloriosus Valia reuertitur in Tolosam, Romano imperio fugatis hostibus aliquantas prouincias, secundum quod promiserat, derelinquens. Et data est sibi ab Imperatore ob meritum victoriæ secunda Aquitania cum prouinciis & ciuitatibus aliquantibus. Post hæc apud Tolosam longa valetudine deprimente excessit a rebus humanis, qui scilicet fuerat, licet parum.

De Theodoro, & casu Hunnorum. Caput VIII.

VALIA Rege defuncto Theodorus in regno æra cccclix. & regnauit annis xxxiii. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, præraq; municipia Romanorum suis cædibus occupauit, Aurelianum nobilissimum Gallie oppidum obsessam multis viribus oppugnavit, a cuius

obsidione eminente virtute Etii Romanæ militiæ ducis non impunitus abcessit. Iussu igitur Valentiniani Imperatoris Etio remoto a militiæ principatu, csi Theodoredus Narbonem urbem fame & obsidione diutina infestasset, rursus a Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum gessisset bella reipublicæ contra Gotthos, denuo dæmonum signis aruspicumq; responsis fallaciter circumuentus, bellum cum Gotthis inuit moriturus, amissosq; Romano exercitu, miserabiliter interiit superatus: fecitq; intelligi, quantum illa quæ cum eodem periit multitudo prodesse potuerit, si fide potius quam fallacibus dæmoniorum auspiciis dimicasset. Extincto igitur Litorio & receptis 10 epistolis Valentiniani, Theodoredus cum Romanis pace inita, denuo aduersus Hunnos Galliarû prouincias deuastantes, atq; vrbes plurimas euertentes, in campis Catalaunicis contra Hunnos & Regem eorum Attilam bellum assumpsit. A parte Romanorum tanta Etii patricii cui innitebatur respublica, virtus enituit, vt in ea parte Hunnorum ferocitas sopiretur auxiliantibus Francis, Burgundionibus, Saxonibus, Vronibus qui quondam fuerant Romani milites, sed tunc in auxilium requisiti. Sangibanus autem Rex Alanorum metu perterritus futurorum, Aurelianis ciuitatem Galliæ vbi sistebat, pollicetur Attilæ se daturum. Sed vbi Theodoredus & Etius cognouere, ante aduentum Attilæ iniectis aggeribus occuparunt, & quia suspectum, custodiri faciunt Sangibanum, quem cum gente propria in die belli mediû statuere. Attila autem Rex Hunnorum tali discrimine conturbatus timuit experiri, & futura cœpit per aruspices sciscitari, qui prænunciantes infausta hoc solatii prædixere, quod ductor aduersæ partis occumberet, & sua morte triumphum sedaret. Erat autem in campis illis locus superexcrecens, quem vterq; cupiebat exercitus obtinere. Dexteram partem Hunni, sinistram Gotthi & Romani cum suis auxiliis occuparunt. Inter quos dextrum cornu tenebat Theodoredus, sinistram Etius cum Romanis, medium Sangibanus. Ex aduerso autem acies Hunnorum ordinatæ, in quorum medio cum suis Attila consistebat, vt hac ordinatione ab imminente periculo seruaretur, excepto cornu Attilæ multiplices 20 populi & nationes diuersæ quas suæ subdiderat ditioni, suæ gentis exercitum ambiebant. Attila autem sollicitus super omnes, suos erigit ad certamen. Sed Thurismundus Theodoredi filius, & Etius dux Romanus cruento Marte collis supercilium occuparunt. Arderico Rege Gepidarum qui ob nimiam fidelitatem consiliis intererat & secretis, & Valamer Rege Ostrogothorum qui erat secreti tenax, doli ignarus, blandus alloquio, cum essent audacia strenui, & eos Hunni sæpius infestassent, ne dixerim subiecissent, adiuuantibus supra modum venientes Hunnos collis beneficio facile turbauerunt. Attila autem videns suos causa dicta turbatos, eos alloquitur, ne qui hæc inuicti existerant, nunc inferiores inuenirentur. Hæc & alia illo dicente, accensum in pugnam præcipitantur, & præsentia Regis cunctationem inertibus auferebat, bellum manibus aggrediuntur atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile antiquitas nulla narrat, in quo gesta talia referantur, vt nihil esset quod in vita sua conspici potuisset egregius, qui huius spectaculi non fuit contemplator, tanta enim fuit cruoris effusio, vt fluminis alueus, sicut solet imbribus inundare, fluente traheret mixta cruore. Tunc Theodoredus Rex Gotthorum dum adhortans suos discurreret per exercitum qui pugnabat, cuius telo occidit, ignoratur, nisi quod equo desiliens calcantium pedibus conculcatus vitam clausit vltimæ senectutis. hoc fuit quod aruspices Attilæ prædixerunt. Ibi etiam fuit occisus cognatus Attilæ Laudericus. Tunc Gotthi se ab Alanis diuidentes Hunnos fortiter inuaserunt, & pene Attilam extinxerunt, nisi quod videns suorum interitum fugit ad castra, & in ambitum quem ex plaustris & seriniis sibi firmauerant, se recepit. Thurismundus autem Theodoredi filius de colle quem cum Etio occupauerat, credens se nocte ad agmina propria remeare, ad carpenta hostium ignarus accessit, quem fortiter dimicantem quidam de equo deiecit capite vulneratum, sed suorum prudentia liberatus a præliandi intentione cessauit. Etius etiam noctis confusione diuisus, cum inter hostes medius vagaretur, si quid aduersi Gotthis acciderat, intrepidus inquirebat, tandem ad castra veniens reliquum noctis

noctis scutorum defensione transegit. Die autem postera clarescente campos plenos cadaueribus aspexerunt, & tamen Hunni erumpere non audebant. Sciebant autem Gotthi Attilam non nisi magna clade percussum certamina deuiare, quamuis tamen armis teperet, tubis canebat minans incursum, velut leo confossione venabuli prouocatus, qui speluncæ aditus obambulando, nec audet insurgere, nec cessat fremitibus vicina terrere. Sic Attila Rex bellicosus licet inclusus suos turbabat. Fertur autem desperatis rebus in supremo agmine de sellis equinis pyram struxisse, vt si irruerent aduersarii, flammis se ingereret consumendum, ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in potestatem hostium dominus tantarum gentium deueniret. Verum Gotthi de ignoto Regis interitu admirati, & quod in eius absentia tanta fuit felicitas subsecuta, doloribus stimulati exploratum diutius, & ploratum demum inter densissima cadauera repperunt, & cantibus honoratum inimicis spectantibus abstulere, & per globos dissonis vocibus inter bella furentia funeris debitum exoluerunt, & subrogati filii gaudium funesto funeri miscuerunt. Thurismundus autem gloriosus pro bello, vt tanti patris decebat filium, peractis lachrymis orbitatis, virtutis impetu in Hunnos mortem patris voluit vindicare, & super hoc Etium patricium, tanquam seniore prudentia maturum, duxit in articulo consulendum. Ille vero metuens ne eleuati victoria Gotthi consurgerent in Romanos, consuluit vt ad sedes proprias remearet, & regni paterni initium roboraret, ne Germani eius procuratis copiis præuenirent. Quod consilium non vt callide fuit actum, sed vt fides sincera, vt vtile acceptauit. Sic enim humana fragilitas dum suspicionibus carere conatur, agenda plerunque rerum occasione relinquit. Thurismundus patre mortuo in campis Catalaunicis vbi pugnauerat, & victor extiterat, ad maiestatem regiam subleuatur æra ccccxcii. & regnavit anno vno, cum patre duobus, qui tamen patri annumerantur. Et licet fratrum & fortium turba gauderet, ipse tamen sic sua initia temperauit, vt nullius reperiret de regni successu certamen. In hoc itaque famosissimo bello ab vtrisque partibus tercenta ferme millia cæsa feruntur, exceptis xv. millibus Francorum & Gepidarum, qui ante bellum mutuis vulneribus conciderunt. Multa signa cæli & terræ eodem tempore præcesserunt, quorum prodigiis tanta belli crudelitas signabatur. Nam affiduis terræ motibus homines conturbati, a parte orientis Luna fulcata, a Solis occasu apparuit stella Cometes, atque ingenti magnitudine infausta diu fulsit, ab aquilonis plaga cœlum rubuit sicut ignis, immixtis per ruborem igneum lineis clarioribus, quæ in speciem hastarum fulgentium rutilabant. Nec mirum si tantarum gentium tanta strages tot portentis diuinitus monstraretur. Attila igitur cognita discessione Gotthorum, & tamen dolo metuens procuratam, diu se continuit intra castra. Thurismundus vero Tolosam a campis Catalaunicis est reuersus. Euphromus autem Episcopus Augustudini innumera occisorum cadauera sepeliuit. Igitur Attila Danubium transiens post bellum Catalanicum contra Alanos mouit bellum. Quod cum Thurismundus Rex Gotthorum non imparis gloriæ præsensisset, in auxilium Alanorum exercitui Attilæ mox aduenit, confertoque prælio sicut in campis Catalaunicis, pauenda Romanis vexilla Attilæ effugauit, ipsumque Attilam fugientem coegit oblitum olim trans Danubium repetere mansiones: & ille famosus Attila victoriarum dominus bello gemino consternatus inglorius effugatur. Thurismundus vero repulsus ab Alanis Hunnorum cateruis Tolosam rediit, & pace composita inter suos dum insolentius solito cœpisset agere, anno regni sui secundo, cum de vena sanguinem minuisset, fuit a suo cliente consilio fratrum interfectus. Sed ante mortem vna manu paruo ganipulo quem tenebat, sui sanguinis vltor fuit, & de infidiantibus aliquos interfecit.

De Theodorico, & regibus Suenorum.

Cap. IX.

THEVDORICVS germanus eius post necem fraternam æra ccccxciii. annis tredecim imperauit, & Rechiarium Suenorum Regem cognatum suum reperit

P

inimicum. Hic enim Rechiarius ex quo Theodoredi Regis filiam duxerat, de se præsumens vniuersam pene Hispaniam sibi credidit occupandam, habens sedes Galleciam & Lusitaniam, e quibus egrediens Hispanias inuadebat, cui Theodoricus cognatus suus, vt erat modestus, per legatos pacifice demandauit, vt non solum recederet a finibus alienis, verum etiam nec præsumeret attentare. Cumque ad eum Theodorici legatio aduenisset, tumido animo sic respondit: Si hic murmurans Tolosam venio vbi sedes, & si poteris, ibi resiste. His auditis Theodoricus compacatis gentibus quibus arma mouerat, a Gallia Gothica cōtra Rechiarium properauit. Cui cum Rechiarius cum magna copia occurrisset, conferto prælio iuxta fluium Vrbicum inter Astoricam & Legionem, Theodoricus victor eni-
10 tuit. Cæsis Sueuorum agminibus aliquantis, & multis captis, plurimisque fugatis, ipse postremo Rex Rechiarius telo saucius cum paucis aufugit, carensque præsidio Sueuorum nauem conscendit, solius fugæ præsidio comitatus, aduersaque procella Oceani Portugale proiicitur, ibique captus aduersario redonatur priuatus regno, victoria, atque vita. Theodoricus vero victor existens, subactis pepercit, eisque præfecit clientem proprium nomine Aliulphum, qui Sueuorum per suasionibus incitatus præuaricari præsumpsit, credens se æqua cum domino potestate prouinciam obtinere. erat quippe Auernorum stirpe genitus a nobilitate Gothici sanguinis alienus. Quo comperto Theodoricus contra eum exercitū destinauit, qui mox veniens eum in primo certamine superauit, & suorum auxilio
20 destitutus, capite plectitur, sensitque iratum quem nesciuit seruare placatum. Tūc Sueui rectoris intuitum cōtuentes sacerdotes suos ad Theodoricum supplices direxerunt, quos ob pontificalem reuerentiam grate suscipiens non solum impunitatem Sueuis indulxit, sed vt sibi de suo genere principem eleuarent, flexus misericordia condonauit. Occiso Rechiario Theodoricus de Gallecia ad Lusitaniam pertransiuit, & dum Emeritensium urbem intenderet de prædari, sanctæ martyris Eulaliæ miraculo territus cum suo exercitu mox discessit, & cum parte exercitus duces dimisit, qui ea quæ in Hispaniis acquisierat, tuerentur, & partem vnā exercitus cum duce qui Ceurila dicebatur, ad Bæticam destinauit, partem aliam cū
30 Sunerico & Nepotiano ducibus Galleciæ deputauit, qui Sueuos apud Lucum sæuis cædibus vastauere: & ex tunc Gotthorum duces in Hispaniis præfuerunt. Exinde Theodoricus Sueuorum gente cum suis principibus subiugata in Galliam Gothicam est reuersus. Et tunc Agrippinus Comes vt Gotthorū auxilia mereretur, Narbonam tradidit Theodorico. Post cuius discessum Sueui bifarie sunt diuisi: alii Masdræ Massilæ filium in principem elegere, qui tantum duobus annis regnauit, alii Frantam. Masdra autem statim mortuo, pars Masdræ filium eius substituit Remismundum, qui cum Franta illico pacem fecit: & ambo pariter fœderati partes Lusitanæ deuastabant. Post biennium mortuo Franta, pars eius Frumarium sibi præfecit, qui cum Remismundo super regni præminentia litigaret, euerit Flauiam vastationes in patria exercendo. Remismundus & Lucum, &
40 Auriam, & maritima deuastabat. Sed post biennium Frumario decedente, Remismundus pace cum Gallecis inita, Sueuorum in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum sibi in regulum præfecere, qui ad Lusitaniam transiens Coimbriam pace detentam diripuit & exhaussit, Vlyssionam etiam occupauit, Lusidio ciue & incola qui illic præerat, eam tradente. Post aliquot dies Remismundus his successibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gotthorum nūcios destinauit, & pacem & amicitiam postulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit postulatis, & in signum veri amoris coniugem misit ei per Sallanum quendam ex officio palatino cum adiectione munerum & armorum. Et recepta coniuge & muneribus cepit amplius superbire, & Sallanum donariis honestatum remisit
50 ad Theodoricum cum epistolis suæ laudis, qui cum ad Galliam rediisset, Theodoricum ab Eurico fratresuo reperit interfectum.

De Eurico

De Eurico Rege. Cap. X.

EVRICVS pari scelere, quo & frater, successit in regno æra DVI. & regnauit annis xvi. in quo honore prouectus & crimine, partes Lusitanæ impetu deuastauit, Pampilonam & Cæsaraugustam misso exercitu in deditionem recepit, superioremque Hispaniam suæ subdidit potestati, Tarraconem & prouinciæ nobilitatem quæ ei repugnauerat, irruptione exercitus peragrauit. In Gallias autem reuersus percipida festinatione successus audiuit Valentinianum a Maximo interfectum, & ipsum Maximum ab Vrso Romano milite interemptum. Vnde attendens Romanum imperium conturbatum Arelatum & Massiliam subiugatas principatui suo adiecit, & contra Riothimum Regem Britonum, qui cum xxi. millibus in auxilium venerat Romanorum, bella restaurans victor extitit & oppressor. Ad hæc omnia eum Gizericus Rex Vandalorum qui expulsus ab Hispania regnabat in Africa, consilio & muneribus incitabat, vt dum res publica turbaretur, ipse in Africa quiete placida frueretur. Quod Euricus grate suscipiens Hispanias Galliasque cum Burgundionum prouinciis subiugauit. Cumque quadam die apud Arelatum Gotthos ad colloquium congregasset, & Gotthi manibus tela tenerent a parte ferri alia viridi, alia roseo, alia nigro, alia croceo colore, naturalem ferri speciem vidit aliquandiu immutatam. Sub hoc rege Gotthi legum suarum statuta ad
20 scripturæ seriem redegerunt: nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelati Euricus Rex, & morte propria vitam finiuit.

De Alarico & Gisleico. Cap. XI.

EVRICO mortuo Arelati filius eius Alaricus apud Tolosam ad Gotthorum regimen sublimatur æra DXXII. & regnauit annis xxxi. aduersus quem Flauianus Francorum princeps Gallie Gothicæ regnū affectans, Burgundionibus sibi auxiliantibus bellum mouit, fufisque Gotthorum copiis ipsum postremo Regem apud Pictauium prælio interfecit. Gisleicus superioris Regis filius ex concubina, quia Amalaricus filius Alarici ex Amalafuente Regina, filia Theodorici Regis Ostrogothorum, qui in Italia tunc regnabat, erat paruulus, vix quinquentis, Narbonæ Alarico mortuo subrogatur æra DXXVI. regnans annis quatuor, sic
30 cut genere vilis, ita infelicitate & ignauia summus. Deniq; vt eadē ciuitas a Gundebado Burgundionum Rege direpta fuisset, iste cum magna suorum clade Barcinonem se recepit, ibi moratus donec regni fascibus fugæ ignominia priuaretur. Videnſq; non posse proficere, in Africam transfretauit polcens suffragium Vandalorū, qui sine auxilio ab Africa rediēs, ob metum Theodorici in Aquitaniam se recepit. A qua post anni circulum in Hispaniā est reuersus, atq; Theodorici Regis duce duodecimo a Barcinone milliario commisso prælio effugatur, & interijt tras
40 Druentiam fluium Galliarum. Sicque honore primo caruit, & post vita.

De Theudio. Cap. XII.

POST mortem Amalarici mater professa sexus fragilitatem cum sperneretur a Gotthis, Theudium consobrinum olim filii sui tutorem ob germanitatis gratiam a Tuscia accersiuit, vbi priuate degebat, & eum in Regem cum conniuentia principum eleuauit æra DLXX & regnauit annis
50 xvii. mensibus quinque. Qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit ecclesiæ, adeo vt licentiam catholicis Episcopis daret in vnum apud urbem Regiam conuenire, & quæcunque ad disciplinam ecclesiæ pertinerent, libere ordinarēt. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hispaniam conuenissent, & Tarraconensem prouinciam deuastarent, Gotthi duce Theudisclo, obiciibus Hispaniæ interclusis, Francorum exercitum multa cum admiratione victorie proftrauere. Sed dux idem prece atq; ingenti pecunia sibi data, viam fugæ hostibus reliduis vnus diei noctisq; spacio condonauit, cætera infeliciū turbæ cui tras
p ij

itus collati temporis non occurrit, Gotthorum perempta gladio non euasit: & sic infidiosam Fracorum calumniam repulit ab Hispanis. Theudius vero immemor beneficii Amalafuentæ, post aliquos dies eam fecit in balneo strangulari. Et quia ipsa se & filium Iustino Catholico Orientis principi commendarat, cum audisset facinus, condoluit interfectæ, & misit Belisarium ducem & patricium, ut in Theudium vindicaret. Sed ipso intercepto negotiis Romanorum, ante aduentum eius fuit Theudius interfectus, & sic remansit impietas impunita. Post tam felicitis successum victoriæ transfretum Gotthi minus prouide nauigarunt. Denique dum aduersus milites qui Septam oppidum inuaserant, pulsus inde Gotthorum militibus Tyrreni litora pertransissent, & eidem castrum magna vi certaminis expugnarent, adueniente die Dominico armis depositis quieuerunt, ne diem sacrum prælio funestarent. Hac igitur occasione reperta milites repentino incursum aggressi exercitum mari undique terraque conclusum, inermem exercitum ad eo prostrauere, ut nec quidem vnus superesset qui tantæ cladis excidium nunciaret. Nec mora ipsum principem debita mors præuenit. vulneratur enim a quodam in palatio qui iam dudum demētis speciem, ut Regem deciperet, simularat. Finxit enim arte infaniam, ut principem trucidaret. quo vulnere Rex prostratus vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem in emissione sanguinis cōiurasse, ne quis interficeret percussorem, dicens se congruam meriti vicissitudinem recepisse, quod & ipse priuatus cōmiserat in ducem suū. Interempto Theudio, Theudisclus dux exercitus Gotthis præficitur incunstanter æra DLXXXVII. & regnauit anno vno, mensibus tribus. Qui dum plurimorum potentum connubia prostitutione publica macularet, & ob hoc necem pluribus procuraret, præuentus manu coniuratorum Hispali confoditur, & inter epulas iugulatur.

De Agila Rege. Cap. XIII.

EXTINCTO Theudisclō in regnum Agila sublimatur æra DLXXXVIII. & regnauit annis quinque. Iste aduersus Cordubam mouit bellum, & in contemptum religionis catholicæ sepulturam beatissimi Acisceli martyris hostium & iumentorum præsentia profanauit, & inito certamine contra ciues pœnas dignas sanctis inferētibus, prout meruit, est expertus. Nam belli præsentis ultione percussus filium cum copia exercitus interfectum, & thesaurum omnem cū insignibus opibus confusus amisit. Ipse victus ac miserabili metu fugatus, apud Emeritam se recepit, aduersus quem interiecto aliquanti temporis spacio Athanagildus tyrannide regnum præsumpsit, dum exercitum contra se missum Athanagildus apud Hispalem prostrauisset. Hinc Gotthi videntes excidio proprio se eueri, & magis metuentes ne in Hispaniam Romani milites hac inuaderent occasione, Agilam Emeritæ peremerunt, & Athanagildi se regimini tradiderunt.

De Athanagildo, & Luiba, & Leouigildo. Cap. XIII.

OCISO Agila Athanagildus tyrannide fit successor æra DXCIII. & regnauit annis XIII. Hic cum iam dudum Agilam regno priuare conaretur, auxiliam militum ab Imperatore Iustiano poposcit, sed subleuare Agilam a regno non potuit, donec a suis fuit Agila interfectus. Decessit autem Athanagildus Toleti propria morte, & vacauit regnū mensibus quinque. Post Athanagildū Narbonæ præficitur Luiba Gotthis æra DCVI. & regnauit tribus annis, qui secundo anno postquā adeptus est principatum, Leouigildum fratrem non solum successorem, sed & participem regni fecit, & Hispaniæ prouisoem, ipse Galliæ regno contentus. Sic regnū duos sustinuit, cū nulla potestas patiens sit cōsortis. Huic autē vnus tantū annus in ordine temporū reputatur, reliqui Leouigildo fratri annuerantur. Duxerat autē Leouigildus vxorē nomine Theodosiam, filiā Seueriani ducis prouinciæ Carthaginēsis, qui fuerat filius Regis Theoderici. Luiba vero defuncto Leouigildus adeptus est Hispaniæ & Galliæ principatū æra DCX. regnauit annis XVIII. Hic bel-

Hic bellis regnum desiderans ampliare, opes instituit congregare, studio eius exercitum concordante fauore victoriarum, & animositate præclarus multos populos subiugauit. Cantabriam namque iste obtinuit & destruxit: Baregiam iste cepit: Sabaria ab eo fuit deuicta: cesserunt ei plurimæ rebelles Hispaniæ ciuitates. Fudit quoque diuerso prælio milites aduersantes, & quadam castra quæ occupaerant, eis abstulit dimicando. Hemergildum deinde filium contra imperiū tyrannizantem obsesum Hispali dolo cepit, & quia nefandis ritibus noluit consentire, tormētis variis cruciauit. Demum securi percussus parricida impius dignū Deo martyrem consecrauit. Postremum bellum Sueuis intulit, regnumque eorū in ius Gotthorum bello celeri commutauit, & magna ex parte potitus Hispaniā ampliavit. nam antea gens Gotthorum angustis sinibus arctabatur. Sed ostuscauit in eo error impietatis tantæ gloriam probitatis. Denique Arianae perfidiæ furore repletus in catholicis persecutione commota Leandrum Hispalensem & Mausonam Emeritensem sanctissimos Episcopos, & alios plurimos exilio relegauit, ecclesiasticū reditus in fisco cauit, & priuilegia earum abstulit, multosque terroribus Arianae pestilentie applicauit, pluresque sine persecutione illectos auro rebusque decepit. Ausus quoque inter cætera hæresis suæ contagia catholicos rebaptizare, non solum ex plebe, sed & sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum, quem de Episcopo apostatam esse fecit, & tanquam a cælo decidit in infernum. Exitit autem quibusdam suorum perniciosus: nam quoscumque potentissimos ac nobilissimos vidit, aut capite mutilauit, aut ablatis opibus spoliavit, & proscriptos in exiliū relegauit. Fiscum quoque iste primus locupletauit, primusque erarium de rapinis ciuitatum hostiumque manubiis auarè locupletauit. Primus etiam inter suos regali veste regia coopertus resedit in regali folio more Regum. Nam ante cum Reges qui fuerant, in vestibus & confessionibus militibus communiter conuiuabant. Condidit ciuitatem in Celtiberia, quam ex nomine filii sui Recopolim nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico videbantur incondite constituta, correxit studio vigilanti, plurimas leges adiiciens prætermittas, plerasque superfluas rescacuit. Sed dum infirmitate acriter torqueretur, præcepit filio Recaredo, ut Episcopos ab exilio reuocaret, & Leandrum Hispalensem, & eius germanum Fulgentium Astigitanum qui in doctrina ecclesiastica fulgebat insignis, tanquam patres audiret, & eorum monitis obediret. Obiit autem defunctus propria morte Toleti.

De Recaredo Rege. Cap. XV.

LEOVIGILDO defuncto in regno successit eius filius Recaredus æra DCXXVIII. & regnauit xv. annis. Hic fuit cultu præditus religionis, & paternis moribus longe dissimilis. Nam ille irreligiōsus & bello promptus, hic fidepius & pace præclarus. Ille armatorū exercitu gentis imperium dilatauit, hic gloriosus eandem gentem trophæo fidei sublimauit. In ipsis enim regni sui exordiis per Leandrum & Fulgentiū in fide catholica institutus, totius Gotthice gentis populos in oliti erroris labe deterfa ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum deinde Episcoporum sexaginta duorum ad condemnationem Arianae hæresis de diuersis Hispaniæ & Galliæ prouinciis in vrbe regia congregauit, & eidem concilio religiosissimus princeps deuotus aduenit, gesta que concilii subscriptione firmavit, abdicans, Pontificibus, & palatii primoribus, clero & militia approbantibus cum populo vniuerso, perfidiam quam hucusque Gotthorum populus didicerat ex dogmate Ariano, prædicans trium personarum vnitatem, vnum Deum, Filium a Patre consubstantialiter genitum, Spiritum sanctum inseparabiliter a Patre & Filio procedentem, & esse amoborum vnum Spiritum, vnde & vnum sunt. Egit etiam gloriose bellum aduersus infestas gentes fidei auxilio subleuatus. Francos enim cum lx. ferme millibus armatorū in Galliam Gothicam irruentes missis aduersus eos Emeritensi duce Claudio glorioso triumpho repulit & prostrauit. Nulla vnquam in Hispaniis Gotthorum victoria, vel maior, vel similis inuenitur. Pro-

stratis enim & captis plurimis millibus hostium, residua pars exercitus Gotthis sequentibus vsq; ad regni sui confinia caesa fugit. Saepe etiam contra insolentias Romanorum, & irruptiones Vasconum plurima bella gessit. Vnde non magis bella tractasse, quam gentem Gothicam quasi in ludo palaestrae pro vsu certaminis videtur exercuisse. Prouincias autem quas pater praelio conquisiuit, iste pacifice conseruauit, aequitate disposuit, moderamine gubernauit. Fuit autem placidus, mitis, egregiae bonitatis, tantaque in vultu gratia abundabat, & tanta animi benignitate dulcis erat, vt omnium mentibus influens, & malos in suae dilectionis reuerentia conseruaret: adeo liberalis, vt opes priuatorum, & ecclesiarum praedia quae paterna labes fisco addiderat, iuri debito restauraret: clemens, vt tributa populi indulgendo saepius relaxaret. Multos etiam ditauit rebus, plures honoribus sublimauit, opes suas in miseris, thesauros in egenis recedens. Sciens hoc illi fuisse regnum collatum, vt eo salubriter fruere, bonis initiis addidit bonum finem. Fidem reatae gloriae quam in initio regni percepit, nouissime publica confessione & poenitentia consummavit. Toleti sine pacifico migravit ad Christum. Anno quarto gloriosissimi Regis Recaredi, idibus Maii, tertia Toletana Synodus celebratur, & inter secundam Synodum sub Montano, & istam fuerunt lxxi. anni. Et haec fuit sub Helladio, & interfuerunt Mausona Emeritensis, Euphemius Tarraconensis, Leander Hispalensis, Nigetius Narbonensis, Pantardus Bracarensis, & suffraganei eorum. Et in hoc concilio fuit ab Hispanis eliminata haeresis Ariana, qua infecta fuerat gens Gotthorum a tempore Athanarici Regis, & Valentis Imperatoris qui dedit Gotthis doctores, vt eos in Ariana perfidia confirmarent. Sed in hoc concilio eliminata spurcitia eius sectae, Gotthi in vera confessione fidei catholicae remanserunt, & ponitur ibi homilia sancti Leandri Episcopi de laude ecclesiae pro conuersione Gotthorum, quae sic incipit: Festiuitatem hanc omnium esse solemniolem festiuitatum nouitas ipsa significat, & caetera. Et fuit istud concilium lxxi. Episcoporum.

De Luiba, Viterico, & Gundemaro. Cap. XVI.

OST Recaredum Regem cepit regnare Luiba filius eius aera dclxlii. 30
& regnauit annis duobus, ignobili quidem matre progenitus, sed virtute indolis insignitus, quem in primo flore adolescentiae Vitericus sumpta tyrannide innocuum Regem deiecit, praecisaque dextra occidit anno aetatis xvi. regni autem secundo, aera dclxlv. Extincto Luiba, Vitericus regnum quod viuente illo inuaserat, vindicat annis vii. vir quidem strenuus in armorum arte, victoriae tamen expers. Nam cum aduersus Romanos bellum saepius intenteret, semper in gloriam est inuentus, nisi quod quosdam milites duces Seguntiam captos cepit. Hic in vita illicita multa fecit, in morte autem gladio periit, quia gladio fuerat operatus: mors quippe innocentis non pertransiuit multa. Inter epulas enim prandii coniuratione quorundam extitit interfectus: corpus autem viliter exportatum, vilius est sepultum. Aera dclxlii. Gundemarus post Vitericum regnum suscepit, & regnauit annis duobus. Hic Vascones vna expeditione vastauit, alia militem Romanum obsedit. Propria morte Toleti decessit.

De Sisebuto Rege. Cap. XVII.

SISEBUTVS Rex christianissimus post Gundemarum ad regale fastigium euocatur aera dclxliii. regnans annis vii. mensibus sex. Qui in initio regni Iudaeos ad fidem Christianam permouens, emulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam. potestate enim copulit, quos prouocari oportuit fidei ratione: sed sicut Paulus dicit, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo & gaudebo. Sisebutus itaque Iberiam vt vir sapiens & nimium literaturae deditus per annos vii. retentat. Hic per Hispaniam vrbes Romanas sibi subiecit. Venerabilem Helladium Toletanae sedis metropolitanum Episcopum, sanctitatis praeconio praefulgentem, ecclesia veneratur. Isidorum Hispalensem metro-

metropolitanum tunc temporis Hispania celebrabat, sanctissimum, doctorem egregium, & praecelsum, qui anno septimo praefati principis Sisebuti contra Acephalorum haeresin apud Hispalim in secretario sanctae Hierusalem concilio celebravit, atq; per veridica doctorum testimonia Syrum quendam Acephalum Episcopum supra fatam haeresin vendicantem exuperat, & vera concilii assertionem eius eloquia condemnauit, atque a suo errore praefatum Pontificem diu docendo perpetualiter liberauit. Fuit autem Sisebutus eloquio nitidus, literarum sapientia doctus, in iudiciis strenuus, ac praestantissimus pietate, mente benignus, gubernatione regni praecipuus, in bellicis documentis, & in victoriis semper clarus. Astures enim saepius rebellantes misso exercitu in deditionem reduxit. Rucones montibus arduis conceptos vndique per duces euicit. Ecclesiam sanctae Leocadiae Toleti miro opere fabricauit. De Romanis quoque personaliter bis feliciter triumphauit, & quasdam eorum vrbes pugnando subegit, residuas intra fretum omnes exinanauit, quas gens Gotthorum post in suam redegit facile ditionem. Tantae clementiae extitit erga victos, vt quos hostilis potentia mancipauerat seruituti, dato precio restitueret libertati, eiusque thesaurus redemptio existeret captiuorum. Hunc alii proprio morbo, alii immoderato medicaminis haustu, alii veneno affecerunt decessisse: cuius exitus non solum religiosis, sed etiam optimis laicis extitit luctuosus. Huius temporibus nefandus Mahomet nequitiam sectae suae stultis populis praedicauit. Obiit itaque Sisebutus relicto filio Recaredo paruulo, qui post patris obitum princeps paucorum dierum, id est septem mensium, consummatur. Huius vitae breuitas nihil habuit memoria dignum.

De Suintila, & Rechimiro filio eius. Cap. XVIII.

GLORIOSISSIMVS Suintila filius Regis Recaredi suscepit diuina gratia regni sceptrum aera dclxlii. & regnauit annis x. Iste sub Rege Sisebuto ducis natus officium castra domuit Romanorum. Rucones etiam superauit. Postquam vero regni apicem est adeptus, vrbes residuas quas in Hispaniis manus occupauerat Romanorum, conserto praelio obtinuit & subiecit, auctamque triumpho gloriam praeceteris Regibus felicitatem mirabiliter reportauit. Totius Hispaniae monarchiam intra fretum Oceani, quod nulli retro principum est collatum, exclusis Romanis primus obtinuit inter Gotthos. Auxit eo praelio virtutis eius titulum duorum patriciorum obtentus, quorum alterum prudentia suum fecit, alterum virtute praellii subiugauit. In initio regni incursum Vasconum coarctauit, qui Tarraconensem prouinciam infestabant. Monti uagi ubi populi aduentus eius terrore percussis, confestim quasi debita iura noscentes, remissis telis & complois ad precem manibus supplices submitunt ei colla: Oligitis ciuitatem Gotthorum stipendiis suis & laboribus, vt eis parceret, fabricarunt (hanc quidam dicunt Olorum, quidam Olitum) pollicetes iurisdictioni parere, & imperio obedire. Praeter has militaris gloriae laudes plurimae in eo virtutes regiae effulserunt, fides, prudentia, & industria, in iudiciis examinatio prouida, in regimine cura praecipua, circa omnes largitas laeta, erga inopes misericordia semper prompta, ita vt non solum princeps populorum, sed etiam pater pauperum vocaretur. Toleti propria morte decessit aera dclxxlii. Huius filius Rechimirus in consortio regni assumptus pari cum patre folio correghauit, in cuius infantia ita sacrae indolis splendor enituit, vt in eo & vultu & mente paternarum virtutum effigies appareret. Isto fere cum patre mortuo superstites remanserunt alii duo filii Suintilae Sisenadus & Cindasuindus, quos susceperat ex Theodora filia supradicti principis Sisebuti. Sed beatus Isidorus, Gotthorum historiae descriptor egregius, vsq; ad quintum annum principis Suintilae fuit seriem historiae profecutus, & quarto anno regni Scintilae, non dico Suintilae, a quo tertius fuit iste, cum beatus Isidorus in Hispalensi ecclesia solemniter celebrasset, & populum sibi commissum caelestis frumenti adipe satiasset, se eorum orationibus commendauit, & vltimum vale dicens obitum suum quem propheticè nouerat, reuelauit. Obiit itaque quarto principis anno, aera dclxxx. secundo nonas Aprilis.

p. iij

*De Sisenando, & Cintila, & conciliis eorum temporibus celebratis,
& de Tulga. Cap. XIX.*

ÆRA 673

POST Suintilam & Rechimirum filium eius cœpit regnare Sisenandus æra DC-
LXXIII. & regnavit annis quinque, & mensibus XI. Ille per tyrannidem in
Gotthorum solio collocatur. Qui anno regni tertio sui, LXVII. Galliæ & Hispani-
niæ, apud Toletum Episcopis congregatis cum absentium vicariis & palatii se-
nioribus in ecclesia sanctæ Leocadiæ virginis & martyris Christi, extante ad-
huc Isidoro Hispalensi Episcopo, & in multis iam libris fulgente mirifice, de di-
uersis causis concilium celebravit sub Iusto vrbis regis primatē, & subscribunt
ibi Isidorus Hispalensis, Selua Narbonensis, Iulianus Bracarenensis, Audax Tarra-
conensis, Imirus vicarius Emeritenensis, & suffraganei eorum, & fuerunt omnes
LXVIII. & istud fuit quartum concilium Toletanum. Post mortem Sisenandi

ÆRA 679

Cintila Gotthis præficitur æra DC LXXIX. vno anno mensum numerato regnans
quatuor annis. Hic quintum concilium Toletanum Episcoporum XXIII. pro-
curat sub Eugenio regis vrbis primatē. Vbi non solum de rebus mundanis, ve-
rum etiam de diuinis multa ignavis mentibus a lumine gratiæ sunt infusa. Quanta
vero sanctorum congregatio cum Episcoporum vicariis assistentibus, & cum se-
nioribus palatii qui digni interesse concilio habebantur, extitit aggregata in ec-
clesia sanctæ Leocadiæ virginis, liber canonum gloriose declarat. Huic Synodo
Braulio Cæsaraugustanus Episcopus præ cæteris illustris effulsit, atque piam do-
ctrinam Christianis mentibus decenter infudit, cuius & opuscula nunc vsque ec-
clesia veneratur. Huius eloquentiam Roma, vrbium mater & domina, per episto-
lare alloquium est mirata. Et in hoc concilio subscripsit Selua Tarraconensis, &
aliqui de suffraganeis suis & vicariis absentium Episcoporum. Sextum concilium
de obseruatione fidei catholice & aliis ecclesiasticis disciplinis fuit tempo-
re eiusdem principis Cintilæ celebratum sub Eugenio vrbis regis metropolitano
& primatē, subscribentibus Selua Narbonensi, & Iuliano Bracarensi, & Honora-
to Hispalensi, & Protasio Tarraconensi, & eorum suffraganeis, & vicariis absen-
tium Episcoporum. Mortuo Cintila Tulgas bonæ indolis & radicis Gottho-
rum regnum suscepit æra DC LXXXIII. & regnavit duobus annis. Ille blandus &
catholicus in omnibus est inuentus. Regna sibi subdita pacifice dilatavit. In iu-
dicio rectus iudex, claruit largitate, magna fuit lenitate. Synodos a suis prædeces-
soribus confirmatas simili autoritate confirmavit. Doleat gens Gotthorum tam
cito talem indolem amisisse. Cunctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum
non adoleuit, Toleti propria morte decessit.

De Cindasuindo, & inuentione Moralium per Taionem Episcopum. Cap. XX.

ÆRA 685

POST Tulgam Cindasuindus per tyrannidem regno Gotthorum inuaso cœ-
pit Iberiæ triumphaliter principari æra DC LXXXV. & regnavit annis decem.
Hic Toletana vrbe synodale decretum XXX. Episcoporum cum omni clero, &
vicariis eorum episcoporum quos languor vel inopia detinuerat, & cum palatino
collegio quod interesse collegiis merebatur, anno regni sui quinto indixit lau-
dabiliter celebrandum discurrentibus tantum notariis, quos ad recitandum or-
do requirit: & hoc fuit septimum concilium Toletanum sub Eugenio metropo-
litano & primatē vrbis regis celebratum xv. Kalend. Nouembris, de refugiis &
præfidiis, ecclesiasticis disciplinis: & interfuerunt & subscripserunt Orontius E-
meritenensis, Antonius Hispalensis, Protasius Tarraconensis, & eorum suffraganei,
& absentium vicarii, omnes numero XL. Et fuit in hoc concilio magna turbatio,
eo quod liber Moralium quem beatus Gregorius ad petitionem beati Leandri
composuerat, deperditus negligentia in Hispaniis non extabat. Vnde & idem
princeps, sacro concilio approbante, Taionem Cæsaraugustanum Episcopum
religione & literatura præstantem, & sollicitum scripturarum, ad Romanum Pon-
tificem cum sua petitione pro libris Moralium nauigio destinavit, & dum a Papa
de die

de die in diem responsio differretur, quasi in armario Romanæ ecclesiæ præ mul-
titudine voluminum non posset quaesitum de facili reperire, orationis causa Taio
Episcopus in basilica Apostolorum principis pernoctavit. ab ostiariis ecclesiæ
conniuentia est petita. at vbi impetrauit, circa noctis medium cum se lamentis ni-
mis ante beati Petri loculum irrigasset, & mox luce missa cœlitus adeo tota eccle-
sia illustratur, vt nec modicum quidem luminaria ecclesiæ relucere, & tunc vi-
dit sanctorum agmina in voce psallentium introire. Denique vbitimore nimio
Episcopus territus, & quasi exanimis iaceret, oratione ab eis completa ex illa
sanctorum curia ad eam partem in qua Episcopus consistebat, duo senes in deal-
batis vestibus accesserunt, & cum eum iam pene mortuum inuenissent, ad statum
pristinum reduxerunt dulci alloquio salutatum. Cumque interrogarent ob quam
causam a tam remotis partibus aduenisset, aut cur in ea basilica sic vigiliis institi-
set, & quasi inciti omnia quaesiuissent, Episcopus multis eloquiis consolatus fidu-
cialiter sic est fatus: Obsecro domini, qui sunt illi, & quæ sanctorum illa caterua quæ
sepe tanto lumine comitetur. Cui dixerunt, duo principes quos cernis manibus se-
tenere, sunt Petrus & Paulus Apostoli domini nostri Iesu Christi: cæteri successo-
res eorum, qui in ista basilica requiescunt. Cumque causam cur venerat explica-
set, & percunctatur, qui esset ipse qui ad eum venerant consolandum: alter eorum
respondit se esse Gregorium, pro cuius libris deuotissime laborasti, & ideo veni-
mus, vt quod expetis reuelemus. Dixeruntq; in armario librorum in theca pen-
ultima inuenies quod requiris. At ille pro oraculo lætus, quærit si in illa tam san-
cta multitudine sanctus Augustinus adesset, pro cuius libris non minori quam pro
libris beati Gregorii desiderio tenebatur. Tunc ille vir clarissimus, & omni specta-
tione gratissimus, inquit: Augustinum quem quæris, altior nobis continet locus.
Certe vbi ad eorum pedes cœpit prouerere, citius ab eius oculis senes sanctissimi
cum luce qua venerant, abiire, ipso & ostiariis simul territis vehementer. Cum-
que sequenti die visionem Romano Pontifici reuelasset, in Apostolorum sede ve-
nerabilis Taio extitit gloriosus, qui antea despicabilis habebatur. Et reperto li-
bro prout sanctorum oraculum reuelarat, recepta benedictione Papali ad suum
principem est reuersus libro, gaudio, & gloria comitatus, habitus Romæ & in Hi-
spaniis venerandus.

De morte Cindasuindi, & primatu ecclesiæ Toletanæ. Cap. XXI.

CINDASVINDVS Recensuindum filium suum regno Gotthorum præponit re-
gnans per se annis sex, mensibus nouem, & cum filio suo Recensuindo annis
quatuor, diebus quindecim. Ille a Romano Pontifice obtinuit priuilegium, vt se-
cundum beneplacitum pontificum Hispanorum primatiæ dignitas esset Toleti,
sicut fuerat ab antiquo: & per multas synodos cum Episcopis celebratas ecclesiam
erudiuit. Huius tempore ab omni perturbatione Hispania conqueiuit, adeo vt
nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma sumeret rebellandi. Libros sancto-
rum patrum diligenter fecit perquiri, & instituta beati Isidori firmiter obseruari.
Hic perfidum Theodistum Hispalensem Episcopum synodali sententia in exilium
misit, & dignitatem primatiæ quam ab antiquo habuerat, totius approbatione
concilii Toletanæ ecclesiæ confirmavit. Obiit Toleti.

*De Recensuindo, & conciliis eius tempore celebratis, & de sancto
Ildesonso. Cap. XXII.*

RECENSVINDVS post mortem patris successit in regno æra DCXCV. & regna-
uit annis xviii. & mensibus xi. in vniuerso xxxiii. annis. Sed quini anni ei in
ordine temporum non computantur, quia patri cui corregnauerat numeratur. Re-
stat vt ei decem & octo anni & menses vndecim computentur. Hic ter concilia claren-
te Eugenio vrbis regis metropolitano Toleti instituit celebrari XLVI. Episcoporum
cū infinito clero, & vicariis desistentium, atq; officiariis dignissimis palatinis in basi-
lica prætorienſi sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Et nō solū de mūdānis actibus,
verum

verum etiā sanctę trinitatis mysterio animas instituit ignorantes. In diebus huius anno quinto regni eius fuit octauum conciliū Toletanum, præsentibus & subscribentibus Oronio Emeritensi, Antonio Hispalensi, & Potamio Bracarensi, & eorū suffraganeis, nec nō & Episcopis prouincię Narbonensis & Tarraconensis, sub Eugenio Toletano pontifice & primare solenniter celebratū, & fuerunt numero LII. Episcopi, & x. vicarii absentium, & plures abbates, & xvi. de viris illustribus officii palatini: & ponuntur in serie eiusdem concilii leges quædā a prædicto Recensuindo principe promulgatę. Nonum concilium Toletanum fuit tempore eiusdem principis anno vii. regni sui sub Eugenio vrbis regię pontifice celebratū, præsentibus & subscribentibus Episcopis aliarum prouinciarum, numero xvi. & vicariis absentium, & viris illustribus ex officio palatino. Decimum cōcilium Toletanū fuit tempore eiusdem principis, anno viii. regni sui, & sub Eugenio pōtifice celebratū, & subscriperunt Fugitinus Hispalensis, Fructuosus Bracarenfis, & suffraganei, & vicarii aliorum, numero xxv. Hic fidem catholicam ex corde diligēs a sciculis sanctę scripturę petebat dubia scripturarū & articulos fidei declarari, adeo quod eum diuinę scripturę semper collatio delectabat: altaria Christi ornamentis variis decorabat. Huius temporibus eclipsi Solis stellis meridie apparentibus omnis Hispania territur: atq; incurfationem Vasconum non cū modico exercitu repulit sine damno. Recensuindus itaq; cunctos mire dilexit, & a cunctis dilectus fuit in villa propria, quę tunc Gerticos, nūc Bamba dicitur, in territorio Palantino. Obiit 10

ARA 713 Kal. Septembris, ibiq; sepultus fuit æra DCCXIII. Nono huius Recensuindi principis anno suscepit sanctus Ildesonus pontificatum ecclesię Toletanę. Fuit autē beatus Ildesonus genere nobilis, discipulus beati Isidori, monachus professione, vir per omnia laudabilis, & præcipuus sanctitate, demū pontifex Toletanus. Huius tempore cum Heluidius & Pelagius a Gallis venientes, prærafsq; partes Hispanię infecissent, virginitatem beatę virginis infamantes, beatus Ildesonus illis occurrens sacrarum scripturarū testimoniis, & lingua melliflua, & gratia in labiis suis diffusa eorum dogmata confutauit, & ab Hispaniis confusus abegit. Vnde & in festo gloriosę virginis, quod in Hispaniis xv. Kal. Ianuarii celebratur, cū ipse ad matutinale officium comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad ecclesiam conuenisset, apparuit ei beata virgo choris Apostolorū, martyrū, atq; virginū comitata, & sic ait: Quia fide certa, conscientia pura lumbos tuos virginitatis cingulo cinxisti, & gratia labiis tuis diffusa virginitatis meę gloriam in cordibus fidelū depinxisti, accipe vestem de thesauris filii mei, vt etiam in hac vita vestimento glorię adornaris, & ea in meis & filii mei solēnitatibus vestiari. Et his dictis cū glorioso cęteru quo apparuerat, ad gloriam filii remeauit. Beatus autem Ildesonus de promissis securus suscepto munere lætus remansit. Hac autem veste nullus post eum vti præsumpsit, nisi Sisibertus Archiepiscopus, qui culpa sua ab illa sede propulsus, fuit exilio relegatus. Sedit autem nouem annis, & duobus mensibus in cathedra Toletana, & expleto xviii. Recensuindi principis anno, qui sine patre Cindasuindo xviii. annis regnauerat, x. Kal. Februarii vitam finiuit Toleti, & in ecclesia beatę Leocadię ad pedes beati Eugeni decessoris sui cum magna reuerentia est sepultus: & multa de operibus quę conscripsit ante pontificatum, & cętera post pontificatum miro eloquio consummauit, aliqua etiam morte præuentus imperfecta reliquit. Et quia diuina gratia perfuderat os illius, Ildesonus os aureum dicebatur, & etiam quia in diuersis libris melliflue loquebatur, & de virginitate beatę virginis nitido politoque eloquio perorauit. Ancora fidei eius tempore in tota Hispania, Gothica Gallia roboratur: & libri ab eo editi postquam fuere in conciliis lectitati, & ab omnibus approbati, tanquam cibi diuinę gratiæ in fide pusillanimes refecerunt. Et cum beatus Isidorus scripsisset Gotthorum originem vsque ad quintum annum Regis Suintile, sanctus Ildesonus scripsit tempora Gotthorum, Alanorum, Vandalorum, & Sueuorum, a quinto anno Suintilę, vsq; ad octauum decimum Recensuindi. Et Isidorus iunior qui a principio mundi incipit Chronica, vsque ad octauum decimum Recensuindi annum fideliter profecutus, & vsque ad destructionem Hispanię per Arabes ipse scripsit. 20

RODE-

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIÆ

LIBER TERTIVS.

De regno Bamba.

Caput I.



10 **D**E VNCTO itaque Recensuindo, ibidem ab omnibus Bāba vir nobilis, de Gotthorum nobili genere, strenuus, pacificus, mansuetus, qui ante regni fastigium multorum reuelationibus celebris habebatur, ad regni fastigium vnanimiter sublimatur æra DCCXIII. & regnauit annis nouem, mense vno, & quamuis ARA 714 renuens & inuitus, demum tamen minis & terroribus vix consensit, sed decreuit se a Regis nomine temperare, donec in maiori ecclesia vrbis regię vnctionis reciperet sacramentum. Mox igitur a principibus Toletum ducitur, & in primare ecclesia beatę virginis a Quirico eiusdē pontifice in Regē omnibus annuentibus consecratur (& omnes in electione eius promissione spontanea subscriperunt, & fidem ei & patrię iurauerunt, & Paulus futurus proditor subscripsit cum aliis) & iurauit, & iam cultu regio insignitus ante altare diuinum fidem catholicam est professus, & iuramento leges & cōsuetudines iuri consonas confirmauit. Et in ipsa hora qua a Pontifice vngebatur, cū cętis cernentibus visus est vapor ab eo loco, vbi vnctionis oleum fundebatur in modū virgę funeę ascendisse, & visa est apis de eius capite profuuisse, & ad cęlos continue volitasse. Et qui diligentius cogitabant, intelligebāt per eum Gotthorum regnum fœliciter exaltandum, & in pacis dulcedine gubernandum. 20

De rebellionē Hilderici.

Cap. II.

30 **S**ED quia nouitas perturbationibus raro caret, in primo anno regni eius turbatio non modica excitatur. Nam Hildericus qui Nemaufensis vrbis Comitatum tenebat, fauentibus sibi Gumildo pernicioso Magalonensi Episcopo & Ranimiro abbate, contra statuta Gotthorum Iudæos in patriam reuocauit, & virum venerabilem Aregium Nemaufensem Episcopum rebellionis suę vecordia nisus est irritare, quem quia non potuit laqueare, a sede expulsum Francorum manibus tradidit illudendum, & Ranimirum abbatem perfidię socium in pontificatu exulis subrogauit, & a duobus Episcopis proditionis confortibus fecit contra statuta canonum consecrari. Demū a temeritatis insania non verentes Hildericus Comes, Gumildus Magalonensis, Ranimirus Nemaufensis intrusus, coniuratione iterum innouata, a monte Cameli vsque ad Nemaufum terram diuidunt, coniurationis complices asciscentes, vt fidelitatem infidelitas superaret: & furoris sui vesania nō contenti, ciues & agricolas qui aduentum Bambę noui principis expectabant, cęperunt prædis & vastationibus lacessere. Quod cum ad Regis notitiam peruenisset, misit ilico cum exercitu Paulum ducem qui ex Græcorum profapia nobili ortus erat, sed gentis suę versutiam non oblitus cępit remissius agere, & militum corda qui accensī ad prælium veniebant, vt regni iniuriam vindicarent, a gradu proprio retardabat, & persuasionibus inclinabat, dicens, impedimenta principis militantibus expedire. Et iam publice fidem promissam Bambę principi violauit, & vt ad optatum fastigium perueniret, Renosundum Celtiberię ducē & Hildisum adhuc in palatino officio consistentem arcano cōsilio circumuenit, vt suis insidiis consentirent. Simulabat enim sui desiderii virus occultans contra rebelles regię potestatis exercitum circumferre: quod vir magnę sanctitatis Argebadus Antistes ecclesię Narbonensis solerter percipiens, nisus est præcludere aditum ciuitatis. 40

Sed & hoc ipsum ad notitiam Pauli venit, & anteaquã reuerendus Antistes quod fideliter cogitauerat, effectui manciparet, Paulus portas Narbonæ præcursoribus militibus occupauit, & circumfusa exercitus multitudine habita concione cœpit iniurias in Antistitem retorquere, eo quod vrbis ingressum nifus fuerat impedire.

De proditione Pauli. Caput III.

ET cum iam corda fere omnium inclinasset, rebellionem contra regiam maiestatem quam corde conceperat, publice denudauit, iureiurando promittens Bambam pro Rege se nullatenus habiturum, nec in eius consistere famulatu, sed sua sit, vt Regem ex se ipsis eligerent, cui & ipse, vt ceteri, in omnibus obediret. Ad hæc Ranosindus factionis conscius sic respondit: Regem nolumus nisi Paulum, & ipsum in Regem eligimus, & ei vt principi obedimus. Tunc omnes coniuratione astricti illud idem voce publica acclamarunt. Paulus vero fidelitatis immemor, ambitione anhelus, præsumptione superbus, consensit crimini proditorũ, & mox regalibus insignibus insignitus omnes sibi allcuit iuramento, sub eadem forma qua ipse cum aliis Toleti iurauerat Bambæ Regi. His peractis regnum obtentum, alios minis, alios donis, alios pœnis sibi alliciens, Frãcos & Vascones datis muneribus ad sui auxilia incitauit. Hildericum Comitem, Gumildum, Ranimirũ pseudopontifices de facili suæ perfidiæ sociari: & nec solũ Gallia Gothica, sed & pars Celtiberiæ acquiuit consilio proditorum. Paulus vero tantorum coniurationibus iam securus se cœpit parare, vt intraret Hispanias proditor contra dominũ pugnaturus, & regni confinia inuasurus. Dum hæc ageretur, Vascones quietis ignari loca Pyrenæi & Cantabriæ inuasurunt rapinas agentes, vt ejus gentis etiam hodie facta & desideria attestantur, qui libenter rapiunt aliena. Quod cum ad Bambæ notitiam peruenisset, contra iniuriosos de iure procedens, a finibus Cantabriæ & Pyrenæi confusos abegit.

De processibus Regis contra Paulum. Caput IIII.

REGEM autem in finibus Cantabriæ commorantem a partibus Galliæ percussit celer rumor de rebellionem Pauli & Hildericum. Cumque illustribus palatii rumoris instantiam reuelasset, bifarie consilia diuiduntur: alii redire ad patriam, & amplio rem sumere apparatus contra proditores patriæ processuri, alii suadebãt, vt in continenti procederent perfidos inuasuri. Cumque Regis catholici solers cura consilia nutantia audiuisset, suos magnanimus sic affatur: Quid Paulus & sui attentauerunt, iam audistis: eos ergo expedit præueniri, ne crescat incendium tanti mali. & Gotthorum gloriam non deceret repetere propria, donec tanti facinoris iniuria vindicetur? & pudendum esset, vt Paulus proditor qui fraude, non armis patriam supplantauit, Gotthorum gloriæ audeat repugnare, & qui imbellem gentem pro quiete patriæ non valuit subiugare, Gotthorum militum hostem se audeat exhibere, quasi nulla virtute eius tyrannidi resistere valeamus, cum a sæculis Gotthorum magna omnes populi omnesque principes sint experti. Et si enim de Francorum viribus Paulus præsumat, claret clare, quod sæpe Franci inuasi ab hostibus Gotthorum auxilia implorarunt, & eorum beneficiis sunt erepti. Si quando & prælium intercessit, semper Gotthi superiores Gallicis sunt inuenti. Properemus igitur resistentium contubernia deuastare, vt armis impares armis duplicibus deuastentur: & gloriosius erit etiam deficientibus alimoniis arma capessere, quam abundantia ignauia detorpere. Iuuat & quod Gotthorũ nobilitas semper donauit nobiles libertate, quos Frãci seruitute nobilissima oppreserunt. Ab hinc ergo Vasconum cladibus accedamus, & per eos ad seditionum interitum properemus. His auditis exercitus gratulatur, & accensus animis Gotthorum gloriam emulatur, & scissuram patriæ refarcire viribus meditatatur, & trãsitum faciens per Calagurram & Oscam, per vallem Pyrenæi, quæ Aspa dicitur, Vasconias sunt aggressi, quas dies aliquot deuastantes, & eorum campos incendiis concremãtes, & castra plus lignea quam lapidea fabrica eleuata pugnis & machinis de-

nis deiecerunt, ita vt qui se adiutores Paulo sponderant, deposita feritate vitam seruari, pacemq; largiri datis obsidibus postularunt, quas nõ tam precibus quam muneribus vix potuere a principe obtinere. Et acceptis obsidibus, & tributis, pacemq; firmata, Rex Bamba & suus exercitus ad Galliam processerunt, & diuisit exercitum in tres manus: vnã partem versus Ruthenum & Albam Aquitaniæ ciuitates, cui præfecit Desiderium nepotem suum, qui tũc temporis in Narbonensi habebatur: aliam partem versus Aufoniam cõtra eos qui fauentes Paulo in Celtiberia rebellarant: tertiam vero per viam Tolosã versus Narbonam, Biterram, & Agatham destinauit. Rex autem cum potiori multitudine eam manum quæ per Aufoniam iuerat, sequebatur. Sed quia inimicus bonorum operum semper nititur in bonis operibus zizaniam seminare, quidam de exercitu rapinis & adulteriis delectati, etiam domos incendiis consumebant, quod Rex iustus ita acriter vindicauit, ac si læsã maiestatis criminis essent rei, vt cæteris fieret exemplum, ne similia attentarent, & alloquens exercitum perorauit: Cum bellum imminet non licet illicitis implicari, quia Dei benignitas est omnis immunditiæ execratrix. Cauendum est ergo ne Dei iudicium facinoribus prouocemus, & non viribus hostium, sed nostris sceleribus consternamur, & quod Gotthorum gloria armis efficere consueuit, nostris excessibus amittamus, & ego qui præsum, merito confusione subiaceam, si impunita facinora derelinquo. In domino igitur confidentes, purgati a crimine procedamus. Cumq; Barcinonem peruenisset quæ erat vna de rebellantibus, eam incursum celeri acquisiuit, & eadem capiens satellites repugnantes, scilicet Euredum, Pompegium Guntifredum, Vulfum diaconum, & Naufredum. Deinde Gerundam incursum simili subiugauit, vbi fuerat ei litera præsentata, quas Paulus proditor amatori eiusdem vrbis Antistiti miserat sub his verbis: Audiui quod Rex Bamba cum exercitu ad vos venire disponat, sed tua prudentia non conturbetur (nec enim hoc fieri puto) & tamen quem primum de nobis amobus ibi tua sanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipsum se credat habere dominum, & in eius debet persistere charitate. Hæc miser scripsit, nescius quod contra se iustum iudicium proferebat. Vnde & verba rescripti Rex Bamba considerans dixit ei: Non in his scriptis Paulum a semetipso locutum, sed nescientem prophetasse.

De transitu Pyrenæi. Caput V.

EGRESSVS itaq; princeps a ciuitate Gerunda conferto exercitu venit ad municipium Pyrenæi quod Cauco liberi nuncupatur, vbi est portus maris nauigantibus commodus & securus. Ibi etiam Pyrenæus mari finitur. & castra alia Vulturiam & Libyam sibi subiecit, quæ quidem castra auro, & argento, & sericis, & bonis aliis abundabant, quæ omnia exercitui aduenere, glorioso principe manus ab his omnibus continente. Vnde & ad seruiendum sibi animos omnium inflammabat. Cumq; ad castrum Libyæ, quod est caput Ceretaniæ, peruenisset, Hyacinthus Episcopus Helenensis cum Aragifelo sibi castrum capere nitentur, sed nec castrum capere potuit, nec Bambæ principis manus euasit. Missiq; duobus ducibus cum parte exercitus, Rex Bamba castrum quod Claustra dicitur, eisdem decertantibus occupauit, captis ibidẽ Ranosindo & Hildigiso cum multo agmine perfidorum qui ad defensionem castrum contenerant fastuosi, quod iidem duces post terga manibus alligatis glorioso principi præstularunt. Victimirus etiam vnus ex perfidis, qui se in Sardoniam receperat, relicto castris aufugit timidus in Narbonam, & Paulo usurpato principi facta Bambæ principis nunciavit. qui corde solutus, vt fuerat particeps factionis, sic fuit etiam & timoris. Vnde & a Narbona fugiens seruili animo consternatus, aduentum principis non sustinuit expectare, & Victimiro qui a Sardoniam fugerat, tuitionem Narbonæ commisit, relicto ibi Ranimiro pseudoepiscopo, Argemundo, & Gultritione primicerio, qui etiam Ranimirus viso exercitu, ante quam ciuitas inciperet expugnari, fugam petiit, sed mox in territorio Biterrensi capitur, & reducit fugitiuus. His igitur munitio-

losam miserat, recollectit, & se & suos donans quieti, biduo ibi mansit. Cumq; exercitus vndiq; conuenissent, manum vnam misit per mare, vt Narbonam nauali impetu coarctarent. Ipse vero quatuor præmisit principes cum electo exercitu armatorum, qui Narbonam machinis impugnarent. Cumq; ad muros vrbs principes peruenissent, secundum legem oblata pace, salutem, si se Regi redderent, pollicentur. Victimirus autem qui pro Paulo inibi rebellabat, cœpit Regem conuitiis laceßere, & cæteris mortis periculum & Pauli potentiam minitari. Quod Gotthorum animositas impatiens tolerare, incanduit animis, & ora blasphemantium iaculis impetiuit. immanis vtrinq; pugna conferitur, & alternatim sagittarum immisionibus impetuntur, & dum ab vtriusq; fortiter agitur, a Regis exercitu tot lapidū iactibus ciuitas infestatur, vt videretur omnibus quasi alluione grandinis subuertenda. per quatuor enim fere horas a fundibulariis sic fuit ciuitas infestata, vt nec quidem respiraculum superesset. Tunc Gotthorum agmen virtute magnanima dilationem victoriæ non præstolans, ad portas vrbs fiducialiter accesserunt, & succensis portis ingressi sunt ciuitatem. Tunc Victimirus ingressu Gotthorum turbatus, in ecclesia beatæ virginis se recepit, plus gladio quem manu tenebat, se iactans defensurum, quam reuerentia aræ facere. Vnus autem de exercitu audiens eum verbis superbæ intonare, sumpta tabula inuasit eum: sed miser & vilis corde dissoluitur, & in terra cadens viuus capitur, & priuatus gladio quem tenebat, vincus ducitur, & cum his quibus vrbe mueri decreuerat, flagellis durissimis flagellatur. Ciuitate itaq; triumpho nobili iam obtenta, & multis bellatoribus communita, Biterram & Agatham ciuitates victoria simili subiugarunt, comprehensis Agathæ Viliſmundo Episcopo, & Aragifco, & Ranosindo germano Episcopi Viliſmundi. Post hæc contra Magalonam suas acies direxerunt: quod audiens Gumildus pseudopontifex eius vrbs, qui tunc aderat prodicionis confcius, mente & animo cōsternatus fugam iniit, & Nemaufum ad Paulum peruenit. Rex autem Bamba vrbe exercitu circumfuso, & nauali prælio sic arctauit, quod Magalonam simili victoria subiecit pariter & muniuit.

De aduentu exercitus ad Nemaufum. Caput VI.

POST hæc contra Nemaufum Gotthorum acies diriguntur. Prima acies quatuor ducibus cum magno bellatorum agmine commendatur, in qua erat robusta iuuentus fere triginta millium pugnatorum: & isti seduli præcursores Regis exercitum præcedentes in ortu aurore Nemaufi conspectibus adueniunt coram oculis conclusorum, clari nobilitate animorū, pariter & armorū. Erat autem Paulus Nemaufi cum complicitibus factionis, & cum Francorum exercitu in auxilium aduocato. Verum in eadem ciuitate cum Paulo erant potiores, & qui tandiu eius perfidiæ pertinaciter adhefere, donec cum ipso facti degeneres perierunt, Gumildus Episcopus, Fruiscus, Flodorarius, Victimirus, Ranimundus, Adosyndus, Adulphus, Maximus, & Gothila, & alia peccantiū synagoga, quasi stuppa pertinacia simili colligata. At vbi venientem Regis exercitū conspexerunt, cum paucos crederent, in campo confluere decreuerunt, sed suspicantes insidias superesse, eligunt in vrbe rei exitū præstolari, præsertim cum crederent peregrina auxilia citius aduentura. Vbi autē terris solis claritas est infusa, tubis clangentibus cœpit Gotthorum exercitus muros vrbs acriter impugnare, & eos etiā qui erant in vrbe, fundis, iaculis, & sagittis exitialiter coarctare, & pugna simili qui interius resistebant, exteriorem exercitum impetebant, & æquali certamine tota die & tota nocte crudeli Marte vndiq; concertarunt. Vnus autē conspirationis particeps eminus ex muro proloquens, talia proclamauit: Quid hic (inquit) pugnae insistitis morituri? cur ad lares proprios non reditis? cur ante tempus vitæ dispendium procuratis? cur prærupta montiū, concaua vallium, condensa nemorū, aspera collium non requiritis? vt cū auxilii nostri aduenit fortitudo, possitis ibi saltem ad modicū vitæ dispendio prouidere: nec vt terream, sic peroro, sed vestræ miseræ condescendo. Imminent enim auxilia aduentitia, quæ tanto vos durius extirpabunt, quanto virtute & multitu-

multitudine præminebunt, & tertia dies est hodie, ex quo ab illo exercitu huc adueni. Nec enim vestro principe confidatis, quem vobis ostendā a nostris auxiliatoribus captiuatū. Non ergo expedit pro eo vltius decertare, quæ forte iam constat nostrorum gladio interisse, & cum nostra victoria vos inuoluerit, spes vobis veniæ nulla erit. nec hæc dicens bellantes terruit, sed ad pugnam potius animauit: ad murumq; viriliter accedentes pugnam acuiunt acrius dimicantes. Et tunc ad Regem Bambam nuncios destinarunt, vt exercitus in auxilium properaret, ne forte aduersæ partis auxiliis præuenirent. Auditis nunciis in noctis initio Rex Bamba præmisit cum Vandemiro duce decem millia pugnatorum, qui tota nocte gradu propero incedentes in ortu diei ad eos qui Nemaufum obsederant, adueniunt, & quanto obsessores creuerūt animi, tantum obsessis elanguidis fuit demptum. Cum enim viderunt hostibus exercitum accreuisse, existimarunt Bambam principem aduenisse. Cumq; Paulus in quandam turrim, vt exercitum conspiceret, ascendisset, deiectus animo sic est affatus: Æmulum meum video aduenisse, quem in suis dispositionibus recognosco. Hæc sunt vires, hæc potentia, hic exercitus, nec habet amplius quid spectet, nihil est quod de cætero timeatis. Famosa enim Gotthorum virtus qua gentibus præminebat, penitus iam defecit, quia præliandi defuetudo torpore confecit quos consuetudo assidua virtute præfecit: & si ad certamen veniremus, facti degeneres potius fugient, quam resistent. Ad hæc ex suis aliqui afferbant, Regem sine vexillorum insignibus non venire. Ad quod Paulus, Ideo, inquit, sine insignibus aduenisse, vt putaremus adhuc alium Regis exercitum superesse, & hoc fraude agitur, vt quos bello non sufficit, dolis euiret. Hæc Paulo dicente cœpit tubis regalibus exercitus concrepare, & vrbe variis insultibus infestare, sed qui intus erant, licet alia iactarent, plus de muri fortitudine quam de suis viribus confidebant. Vnde lapidum & iaculorum iniectioibus insistebant, & ingeminantes certamina rediuiua, plus ipsi quam exterior exercitus lædebantur. Cumq; pars Pauli sagittis, & fundis, & spiculis, & vulneribus grauitur vrgeretur, iam timore affecti, & animo consternati Paulo dixerunt: Non videmus Gotthorum audaciam decreuisse, non strenuitatem in eorum aliquibus defecisse, sed instans magnanimitas hoc confirmat, quod gentis illius antiqua nobilitas asseuerat, & plagarum & vulnerum profunditas. Iam nos docet a quantis viribus infligantur, & excussio iaculorum non prius percutit, quam extinguat, iactus lapidum simul vulnerat & occidit præter instantiam sagittarum, quibus nequeunt arma resistere, vel cautela. Quorum Paulus dum verbis trahitur, desperationis iaculo figebatur.

De irruptione Nemaufi, & desperatione Pauli. Caput VII.

EXERCITVS itaq; Regis Bambæ reputans tardum si victoria in crastinum differatur, accensis animis concitati fere vsque ad horam nonam muros fortiter impugnant, portas vrbs ignibus succenderunt, & muros irrumpunt, & in plerisque locis aditu patefacto occupant ciuitatem. Cumq; inclusi non possent ferocitatem intrantium tolerare, in præsidium confugiunt arenarum, quod a Gotthis fuerat antiquitus contra Romanorum potentiam obfirmatum: sed viri exercitus persequentes vsq; ad præsidium cædere non desistunt, adeo quod omnia fere habitacula & plateæ plenæ iacent cadaueribus mortuorum. Aliqui tamen de vulgo qui prædæ insistere nitentur, aduerso gladio perierunt. Cumque in parte Pauli dissensio otiretur, eo quod incolæ prodicionem in suorum aliquos retorquebant, mutuis vulneribus concidebant, & adeo inualuit ista cædes, quod licet ipse Paulus quendam esse de suis vernulis acclamaret, de manibus ferientium non potuit liberare. Vnde & factus cōtemptibilis, tam ipse, quam sui qui cum eo ab Hispania venerant, ab omnibus incolis suspitioni & despectui habebantur. Verebantur enim ne in suis capitibus admittam Bambæ principis gratiam procurarent. Vnde & rediuiua concertatione concisi mirabili spectaculo caterua prosternitur perfidorum, & qui Gotthorum euaserant vim, armorum suorum gladiis ceciderunt, ita vt

penetralia & abdita cadaueribus essent plena, aliqui etiam lethali vulnere fauciatum mortuorum effigiem simulabant. Paulus autem talia videns tyrannidis ferocitate deposita, magna cordis miseria arctabatur, cum nec posset hosti resistere, nec ciuibus subuenire. Vir autem quondam de familia Pauli calamitati compatiens, inquit Paulo: Quid agis? ubi sunt consiliiarii qui te ad tanti ludibrii spectaculum perduxerunt? quid tibi profuit contra Regem & tuos insurgere, cum nec te, nec tuos valeas adiuuare? Hæc vir ille insultandi animo dicebat, sed memor beneficii ex compassionis amaritudine loquebatur. Tunc Paulus orauit, ut dolori confusionem non admisceret, & illico vir ille in gradu marmoreo, ubi talia proferebat, a Pauli militibus est occisus, licet frequenti lachryma Paulus diceret esse suum, & ut parcerent, flagitaret, sed negligitur contemptui habitus, quasi continuo moriturus. Tunc Paulus omnino desperans, quæ superbe præsumpserat regalia deposuit ornamenta, & ea die reuoluto anno, hoc est in Kalendis Septembris, qua religiosus Bamba fuit ad regimen sublimatus, ea die fuit eruptio ciuitatis, & Paulus regalibus spoliatus coronam deposuit cum fortuna. His igitur malis Paulus proditor tabefactus, tertia die postquam deposuit regni culmen, suis loquitur, ut mortis vale, aut vitæ consilium sibi darent.

De legatione Argebadi Episcopi ad Regem. Caput VIII.

TUNC omnes communiter flagitant Argebadum Antistitem Narbonensem, ut regi occurreret veniam petiturus. Hic eorum actibus non consensit, sed coactum duxerant a Narbona, & tamen pietate solita condescendens suscepit officium supplicandi, & celebratis diuini mysterii sacramentis, eisdem sacris vestibus cum quibus Deo immolauerat, quarto ab vrbe milliario exiit obviam principi venienti. Et cum ad Regis præsentiam peruenisset, de equo descendens coram maiestate regia se prostravit. quem Rex ut vidit, pietate motus illico substitit, & iussit a terra pontificem eleuari, & pontifex voce flebili principi supplicauit euilians atque dicens: Peccauimus, inique egimus, nec tanti principis venia digni sumus, cum sit nostra iniquitas non tantum terræ, sed cælo etiam reuelata, quia & promissæ fidei pacta fregimus, & læsa crimen incurrimus maiestatis, sed pietatis tuæ clementia condescendat, & præstet veniam quod petitio non meretur, ut ad interuersionem mucro non saeuat, & gladius reliquias non extinguat, & saltem remaneat seminarium incolarum. Iube ergo cessare a sanguine, quia pauci euasimus, & pro paucis veniam postulamus. si enim cito non peperceris, non supererit tui parcas. Regis clementia his commota vitam omnibus pollicetur saluam iustitia tantæ culpæ. Pro tanta gratia præfulatus addidit supplicare, ut ad iustitiã condonaret. Sed Rex inquit, quod iam dixi penitus obseruabo, sed conditiones alias non admitto: tibi autem soli sufficiat me in omnibus pepercisse. Rex itaque propter nimiam instantiam aliquantulum indignatus properauit ad arenarum præsidium capiendum animosus, eo quod audierat Francorum auxilia aduenire. Rex itaque cum exercitu procedente armorum fulgor ex solis reuerberatione præfulgidus terram quasi splendore duplici radiabat, & tantus erat decor exercitus, quod vix posset ei aliqua gloria comparari, cum maiores, mediocres, & iuuenes sic procederent ordinate, ut nullus esset qui a suo ordine dissideret, & specialibus vexillis quælibet acies signabatur. Fertur etiam angelorum præsidia affuisse, & multis videntibus pugnantium animos crexisse. Cumque duæ manus quæ secum aderant, & illa quæ in Aquitaniam iuerat, principi aduenissent vno ab vrbe stadio, visione iam angelica roboratus dispositis aciebus corda suorum ad bellum excitat perfidorum. Inualuerat quippe rumor, Francos & Saxones qui in subsidium venerant obsessorum, ad belli dubia se parare: sed cum nil esse princeps strenuus comperisset, nisi quod aliqui qui nuper aduenerant, talia iactabant, mox præcepit, ut de caucis arenarum proditores cum sibi fauentibus abstrahantur, ut viui principi præsententur. Bellatoribus autem iussa complentibus Paulus cum complicitibus mox extrahitur de abditis arenarum, & per murum fune depositus, a duobus ducibus capillis tractus, & ludibrio habitus principi præsentatur. Quo viso Rex magnificus prorumpens in lachrymas cœpit Regem omnium

10 omnium collaudare, & protensis in cælum manibus proclamauit: O Rex omnium te collaudo, qui humiliasti superbum, ut vulneratum, & in brachio virtutis tuæ aduersarios dispersisti. Sed mox Paulus ut faciem Regis vidit, soluto cingulo quo cingebatur, super terram coram Regis pedibus se prostravit, & collum cingulo propriis manibus alligauit. Iam enim exanimis & pauore perterritus quid faceret ignorabat, qui paulo ante se viderat gloriosum. Cum itaque ante principem Paulus & complices sic iacerent, Regis compassio inquit ita: Cur ad tantum malum vesaniæ prorupistis, ut malum pro bono beneficio redderetis? vitam dono, sed sub arcta custodia præcipio conseruari, donec de vindicta iudicium agitur. Tunc traditi sunt per exercitum certis custodiis deputati. Francos autem & Saxones qui capti fuerant, iubet mitius tractari. Erant enim nobiles, & stipendio, non odio trahebantur: quos omnes post diem octauum decimum datis muneribus suis terris restituit manumissos.

20 Post hæc autem Rex condolens dirutæ ciuitati præcepit muros cum instantia reparari, & incensas ianuas renouari, & occisorum corpora sepeliri, & vulneratos medicorum officio confoueri, & thesauros omnes qui capti fuerant, solerter inquiri, & cum diligentia custodiri, non cupiditate illectus, sed sacrorum reuerentia prouocatus. Proditor enim Paulus timens ne ærarium quod a Rege susceperat, sibi deficeret, sacrorum spoliis ærarium augmentauit, & vasa aurea & argentea quæ habere potuit, de thesauris domini sacrilegus inuiscauit, & coronam auream quam Recaredus princeps deuotissimus Gerundæ ad altare beati Felicis obtulerat, vesanus Paulus suo capiti usurpauit. Rex ergo Bamba sacra vasa quæ potuit reperire, præcepit suis ecclesiis redonari. Tertia feria post victoriam Paulus cum aliis qui erant custodiæ deputati, ligatus principi exhibetur. Cumque vinculatus cum suis tribunali adfisteret: Adiuro te per fidem (inquit princeps) ut si te læsi in aliquo, aut tibi malum occasione malitiæ procurauit, hic edisseras coram cunctis, ut contra me tantum facinus cogitares, & regni etiam apicem attentares. Mox Paulus coram omnibus protestatur, se a principe nunquam læsum, nec in aliquo molestatum, sed suis beneficiis plus merito exaltatum, & quod fecerat, instrictu diaboli se fecisse. similiter & omnes factionis complices responderunt. Tunc iubentibus senioribus & viris illustribus ex iudicio palatino qui iudicialiter assistebant, prolatum est instrumentum Toleti confectum, in quo (sicut superius diximus) Paulus fidelitatem, sicut alii, Regi & patriæ iuramento & subscriptione manus propriæ roborauit. Allatæ sunt etiam & relectæ conditiones quibus iurare populum sibi fecit, ut ei inseparabiliter adhererent, & ei fideliter obedirent, & tanquam principem obseruarent, & contra Regem Bambam & defensores illius efficaciter adiuuarent, & contra deiectionem eius vel periculum usque ad effusionem sanguinis totis viribus dimicarent, & gloriosum Bambam infaustum Regem in concione sua sententialiter iudicarent. His conditionibus & electione Bambæ in commune perlectis, a senioribus & viris illustribus iudicati sunt sententialiter Paulus & sui, Regis & patriæ proditores, eo quod in Regis mortem & patriæ exterminium coniurassent: vnde & capitali sententia condemnantur. Sed Rex verax, promissi non immemor, præcepit eis vitam, sicut Archiepiscopo promiserat, conseruari, sed devaluationis obprobrio tunc confusos effosis oculis præcepit in vinculis custodiri.

De fuga Lupi ducis, & metu Francorum Caput IX.

30 **I**TERVM rumor increbuit ex aduerso Francos & Teutonicos contra Regem quantocius aduenire. Quod Rex memor antiquæ iniuriæ suæ gentis gratanter accepit, experiri cupiens contra Francos. vnde & aliquandiu expectauit. Sed falso rumore penitus expirante, deliberauit cum eis in eorum finibus experiri. Sed quia pacta pacis cum Rege Francorum intercesserunt, noluit pacis fœdera violare: & tamen Francorum vrbes quæ magnis munitionibus præmunebant, aduentu Regis in Galliam Gothicam iam audito, ab eius facie timuerunt, & proprium ex-

cidium deplorantes a propriis sedibus recesserunt, vitæ suæ latebrosis subsidiis prouidentes. Cumq; Rex Francorum a vastationis proposito iam cessasset, & Ne-mausensem urbem fossatis & muris fortissimis restaurasset, nunciatum est ei Lu-pum ducem de nobilioribus Franciæ Biterrense territorium deuastare. Quod Rex audiens cum exercitu properans Lupi fugam voluit præuenire. Sed cum Lupus iuxta villam quæ Asperianum dicitur, regressum principis audiuisset, tanto timore fugæ periculum meditatur, vt sui sibi & ipse suis viderentur penitus iam deesse. Et partita fuga omnes sine comitatus solatio aufugerunt, prædas, & spolia, & diuitias quas attulerant, hostibus reliquerunt, & multi quibus timor abstulit alas, capti postea rem auferunt, & tanta fuit celeritas fugientis, quod non potuit consequi studium subsequens, & sic fugerunt ad abscondita latebrarum, quod pauci aut nulli potuerunt inueniri.

De reformatione prouincie Narbonensis, & reditu Regis in Hispaniam. Cap. X.

FVGATO itaq; Lupo duce, princeps victor foelici regressu Narbonam peruenit, & disponens de prouincia Narbonensi, & de Ruteno & Alba ciuitatibus quæ tunc ad eam ciuitatem pertinebant, præcepit diruta restaurari, & eos qui ob me-tum discidium fugerant, reuocari, & consuetudines indebitas in melius immutari, & omnia loca a malis vitiis reformari, & locis debitis rectores qui clementer age-
rent, deputari, vt terra tantis sordibus deformata quasi nouo baptisinate purgare-
tur. Præcepit etiam vt ludæi quos Hildericus vocauerat, ab illis finibus pelleren-
tur, statutum omnium pacis concordia roborauit, & radicem rebellionis & schi-
smatis penitus extirpauit, & dimisit ibi manum validâ fortium bellatorum, Fran-
corum prælia non formidans, immo potius vilipendens, cum nullus esset princi-
pum vicinorum qui cum eo præsumeret concertare. His omnibus prouide ordi-
natis, disposuit in Hispaniam remeare. Cumq; ad locum qui Canebat dicitur, per-
uenisset, concione totius exercitus conuocata, omnibus grates refert, quod tam
fideliter, tam viriliter, & tam strenue sibi in omnibus astitissent, & quod eorum
præliis tam cito rebellia subiecisset. Vnde & imperterritus animo princeps cle-
mens cunctos absoluit, dans licentiam & sumptus itineris, vt quo placeret itinere
remearent: ipse quoq; Helenam veniens, biduum ibi mansit. Inde q; veniens in
Hispaniam sexto mense a suo recessu rediit gloriosus, & quarto fere milliario ab
vrbe regia Paulus cum sociis factionis decaluatis capitibus, rasis barbis, pedibus
denudatis, induti faccis, camelis impositi, & Paulus confusionis potior corona pi-
cea coronatus, sequente longa deductione suorum, quos cæcitas & proditio de-
ducebat, facti omnibus in derisum & ludibrium, in opprobrium & cachinnum, vr-
bem ingressi sunt Toletanam, & carceri deputati, vt qui supra se nequiter leuaue-
runt, sedeant solitarii & tabescant.

De reparatione vrbis Toletanae. Caput XI.

POSTQVAM igitur Rex cum triumpho nobili fuit sedi regis restitutus, scepra regni meditans eleganter, ciuitatem Toleti muro & exquisito opere renouauit, quam & opere sculptorio versificando prætitulans, hoc in portarum epigram-
matibus stilo ferreo in nitido lucidoq; marmore fecit scribi:

Erexit factore Deo Rex inclytus urbem

Bamba, sua celebrem protendens gentis honorem.

In memoriis quoq; martyrum quas super eisdem portarum turribus titulauit, hoc similiter exarauit:

Vos domini sancti quorum presentia fulget,

Hanc urbem & plebem solito seruate fauore.

Hic anno regni sui quarto in Toletana vrbe beatæ Mariæ semperque virginis a-
trio in secretario post transactos octo & decem perturbationum & diuersarum
cladium annos, concilium salutis parauit: & istud fuit concilium vndecimum
Tole-

Toletanum sub Quirico vrbis regis primate. Interfuerunt huic concilio sedecim
Episcopi, & multi vicarii absentium Episcoporum, cum quibus & tempora absq;
concilio prætereuntia deplorarunt. In hoc vero concilio consolationem cum tan-
tis viris recepit, & ibi fuit tunc illud concilium constitutum, vt vicini Episcopi sin-
gulis per annum mensibus in vrbe regia debeant commorari. Huius tempore
ducentæ septuaginta naues Arabum ad litus Hispaniæ peruenerunt, cumque cæ-
des & vastationes agerent, & ad Regis notitiam peruenisset, misso exercitu bella-
torum ilico capiuntur, & naues incendio concremantur, & pars potior aduentor-
um gladio detruncatur, & pars alia captiuatur: & sic exercitus ad Regem cū glo-
ria est reuersus. Tempore autem Cindasuindi Regis ex Græcia vir aduenit no-
mine Ardaustus, qui ab imperatore suo expulsus, mari transuectus in Hispaniam
est adductus. Quem Rex Cindasuindus suscepit magnifice, & consobrinam suam
ei matrimonio copulauit, ex qua suscepit filium quem Eruigium nominauit: qui
Eruius in palatio nutritus processu temporis honore Comitis sublimatur, mor-
tuoq; Cindasuindo in superbiam eleuatur, & contra Regem Bambam factionem
incepit callide cogitare, & Regis potui ingessit herbam per quam Regis memoria
turbaretur. Cumq; Quiricus Episcopus vrbis regis & optimates palatii intelligen-
ter Regem memoria destitutum, & causam penitus ignorarent, ne Rex catholico
sacramentis fidei fraudaretur, statim confessionis & pœnitentiæ antidotum
obtulerunt, & Rex gloriosus deuote suscepit, & religionis habitum postulauit, &
ad monasterium cōuolauit in villa quæ Pannisplica dicitur, & ibi creditur tumu-
latus, & vixit in regno annis nouem, & in monasterio annis septem.

De regno Eruius, & Iuliano Pomerio. Caput XII.

HVIC succedit Eruius, eo quod esset Recensuindi sobrinus, sed tyrannide,
non de iure. Reliquerat enim Recensuindus filium paruulum Theodofredū,
cui regni successio debebatur. Cœpit autem regnare Eruius æra septingentesi-
ma vicesima tertia, & regnauit annis vii. Hic Ciflonem filiam suam magno viro
Egicæ Bambæ principis consobri-
no dedit vxorem propter Recensuindi filium
Theodofredum, ne regni eius primordia impediret. Huius in tempore fames va-
lida Hispaniam pro parte depopulauit. Hic anno regni sui primo procurauit fi-
eri concilium duodecimum Toletanum quinto idus Maii, in quo fuerunt triginta
quinque Episcopi cum inæstimabili clero, & Christianorum collegio laico-
rum. Et hoc concilium fuit sub Iuliano vrbis Regis primate, & subscripserunt Iu-
lianus Hispalensis, Luiba Braccharen-
sis, Stephanus Emeriten-
sis, & suffraganei, &
vicarii absentium prælatorum. Anno quarto Flauii Eruius principis fuit cele-
bratum tertium decimum concilium Toletanum sub eodem Iuliano primate, &
interfuerunt Episcopi numero quadraginta octo, Luiba Braccharen-
sis, Step-
hanus Emeriten-
sis, Spandus abbas agens vicem Tarraconensis, Pacatus abbas agēs
vicem Sumpfredi Narbonensis, & alii Episcopi Hispaniæ & Galliæ cum vicariis
absentium vices agentibus. Quartum decimum concilium Toletanum fuit
anno quinto Flauii Eruius sub Iuliano vrbis Regis primate, subscribentibus Vi-
telli-
ano Cypriani Tarraconensis metropolitani vicario, & Ioanne abbate Sum-
phredi Narbonensis archiepiscopi vicem agente, & Maximo abbate vicario Ste-
phani metropolitani Emeriten-
sis, Recifindo vicario Luibæ Archiepiscopi Brac-
charen-
sis, Gaudentio vicario Florifindi Archiepiscopi Hispalensis, & subscripse-
runt sedecim Episcopi, & alii vicarii absentium prælatorum. Et fuit celebratum
hoc concilium die dominico, duodecimo Kalend. Decembris. In cuius tempore
iam Iulianus Episcopus dictus Pomerius ex traduce Iudæorum, vt flores rosarum
de inter vepres spinarum productus omnibus mundi partibus in doctrina Christi
manet præclarus, qui & iam a parentibus Christianis progenitus splen-
dide in omni prudentia Toleti manebat edoctus,
vbi & postmodum episcopatu
extitit decoratus.

730 **E**GICA gener & successor Eruigii post mortem eius ad regni Gotthorum assumitur principatum æra septingentesima trigesima, & regnavit annis decem, & cum filio annis tribus: sed isti tres anni patri, non filio computantur, & ita in uniuerso regnavit annis tredecim, & dum regnum accepit, filiam Eruigii coniuratione Bambæ abiecit. Hic Gotthos morte fuit & odio persecutus. Huius tempore inguinalis plagæ necessitas inualuit in prouincia Narbonensi, occasione cuius ad Narbonensem cathedram Episcopi pertinentes a Toletano concilio excusantur, ita tamen quod eiusdem sacri concilii instituta in singulis cathedralibus ecclesiis nunciatur & admittantur: & si quis Episcoporum hoc non fecerit, & anathemate feriatur, & quinta bonorum parte mulctetur. Anno regni eius primo quintum decimum concilium celebratur Toleti in ecclesia prætorienfi sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, omnibus Hispaniæ & Galliæ Episcopis aggregatis, beatæ memoriæ Iuliano clarescente, sub sexagenario numero Episcoporum, & multiplici Christianorum collegio in circuitu assistente. In quo pro diuersis causis, & pro absolutione iuramenti quod præfato principi Eruigio noxaliter fecerat, exposcit synodum, ut solueretur a iuramento. Eius in tempore librum de tribus substantiis, quem dudum Romam miserat primas sanctissimus Iulianus, & minus caute tractando Benedictus Papa Romanus indixerat reprobandum, ob id quod voluntas genuit voluntatem, sanctus Iulianus veridicis testimoniis in hoc concilio ad exactiorem præfati principis per oracula eorum quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, & apologeticum fecit, & Romam misit per suos legatos presbyterum, diaconum, & subdiaconum viros eruditissimos, & in omnibus Dei seruos, & in diuinis scripturis imbutos, cum versibus etiam adclamatoriis, secundum quod & olim transmiserat de laude Romani Imperatoris. Quod Roma digne & pie recipiens cunctis legendum indixit, atque Imperator adclamando, *Lanus tua Deus in fines terre*, lectum sæpius notum fecit, qui & rescriptum domino Iuliano per suprafatos legatos cum gratiarum actione & cum honore remisit, & omnia quæcumque scripsit, iusta & pia esse deprompsit. Et fuit hoc quintum decimum concilium Toletanum celebratum anno primo Regis Egicæ quinto idus Maii sub Iuliano vrbis regis primate, & subscripserunt Sumpfredus Narbonensis, Florensindus Hispalensis, Faustinus Braccharensis, Maximus Emeritenfis, metropolitani, & Sisuldus vicarius Cypriani Tarraconensis, & alii vicarii Episcoporum, qui non venerant causa legitima impediti, & fuerunt præter vicarios sexaginta vnus. Anno sexto Flauii Egicæ nonis Maii fuit celebratum sextum decimum concilium Toletanum sub Fœlice vrbis regis primate, & subscripserunt Faustinus Hispalensis, Maximus Emeritenfis, Vera Tarraconensis, Fœlix Braccharenfis, metropolitani, & alii Episcopi suffraganei, & vicarii absentium vices agentes. Anno septimo Flauii Egicæ Regis quinto idus Nouembris fuit celebratum septimum decimum concilium Toletanum in ecclesia sanctæ Leocadiæ, vbi sanctum eius corpus requiescit, in suburbio Toletano sub Fœlice vrbis regis primate, qui grauitatis & prudentiæ excellentia nimia præpollebat, & subscripserunt Faustinus Hispalensis, Maximus Emeritenfis, Vera Tarraconensis, Fœlix Braccharenfis, metropolitani, præter absentes qui pro se vicarios destinarunt. In quo concilio idem Rex præsentialiter adfuit, & coram omnibus humi prostratus se eorum orationibus commendauit, & tomum quam manu tenebat, primati & concilio offerens, super iis quæ ibi continebantur, sibi satisfieri postulauit: & hæc omnia in libro canonum plenissime declarantur.

50 **H**ic Flavius Egica tribus annis ante mortem Vitizam filium suum quem ex Cissilone susceperat, præfecit Galleciæ quæ olim regnum fuerat Sueuorum, & præcepit, ut in Tuda quæ est vna de amcenioribus Galleciæ ciuitatibus, resideret, & illuc etiam Flavius Egica Faslam ducem, patrem Pelagii, licet inuitum, exilio relegarat.

legarat. Quem Faslam Vitiza occasione vxoris fuisse in capite vulnerauit: ex quo vulnere mortuus fuit iuxta Vrbicum, & ibi sepultus in villa quæ Duodecim manus, ab aliis Palatiū, appellatur. Post hæc Flavius Egica propria morte Toleti moritur, & ibidem honorifice sepelitur. Cui successit filius eius Vitiza æra septingentesima quadragesima, & regnavit annis nouem, qui patri succedens in solio, quamquam petulcus, clementissimus tamen fuit, & non solum quos pater exilio condemnauerat, verum etiam quasi clientulos, ut restitueret, laborauit. Nam quod pater imposuerat graue iugum, ipse modice releuabat, quos & pater patrio solo abdicauerat, ipse restituens scelici statui redonabat: & postremo conuocatis omnibus cautiones instrumentorum quas pater in dolo confecerat, ipse in conspectu omnium digno incendio concremauit, & non solum liberos reddidit ab insolubili vinculo cautionum, verum etiam omnia restituit quæ Egica infiscarat, & expulsos officio restituit palatino. Hic in ecclesia sancti Petri quæ est extra Toletum, cum Episcopis & magnatibus super ordinatione regni concilium celebrauit, quod tamen in corpore canonum non habetur. Cumque Vitiza circa initium optime inchoasset, cepit postmodum flagitiosus se habere, & Pelagium filium Fasle ducis Cantabriæ, qui postea contra Sarracenos cum Asturibus rebellauit, ob causam patris quam prædiximus, ab vrbe regia coegit expulsus, & cum antea petulantè ageret in occulto, iam nunc luxus impudicitiam publicat in aperto, & laxatis habitibus nulli vitio se subtrahit. Et vitinam solus in suis sordibus periisset, ne nobilitatem Gotthorum cleri & populi suis immunditiis infecisset. Ad tantæ enim perditionis & dissolutionis peruenit cumulum, ut plures vxores & concubinas ad fatietatem libidinis simul detineret. Et exemplo simili viros illustres & potiores Gotthorum ad similia facinora inducebat, quorum exemplo in minoribus populi peccata similia inundabant. Per idem tempus Gundericus Toletanæ sedis primas sanctimonix dono illustris habetur, & in multis mirabilibus clarior celebratur. Huic successit Sinderedus Episcopus vrbis regis primas, vir sanctimonix studio clarus, & durauit vsque ad tempora Roderici, & sub isto fuit perdita ciuitas Toletana. Hic viros longæuos & honorabiles quos in ecclesia Toletana repererat, post mortem sancti Fœlicis & Gunderici decessorum suorum zelo sanctitatis, licet non secundum scientiam, cepit grauitè infestare, & hoc ad instinctum Vitizæ qui propter sui nequitiam eorum iustitiam timebat.

50 **V**ERVM quia ista sibi in facie resistebant, propter vexationem pontificis ad Romanum Pontificem appellabant. Vitiza facinorosus timens ne suis criminibus obuiarent, & populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam, immo præceptum, omnibus clericis, ut vxores & concubinas vnâ & plures haberent publice iuxta libitum voluptatis, & ne Romanis constitutionibus quæ talia prohibent, in aliquo obediret, & sic per eos populus retineretur. Tanta igitur temporibus facinorum alluio inundauit, ut fere Gotthorum strenuitas quæ consueuerat regnis & gentibus imperare, in vitiorum altitudine iam submersa omnibus abominationibus subiaceret. Itaque Gotthorum Hispanorumque regnum diffusum magnitudine dominabatur a mari vsque ad mare (a Tingi enim ciuitate Africæ vsque ad Rhodanum suæ sceptræ propaginis dilatauit) excelsum nobilitate, largum abundantia, deuotum religione, pacificum vnione, clarum conciliorum eloquentia, Episcoporum frequentia, religiosorum reuerentia, sanctorum pontificum Leandri, Isidori, Helladii, Eugenii, Ildefonsi, Iuliani, Fulgentii, Martini Dumienfis, Idalii Barcinonensis, Talonis Cæsaraugustani clara doctrina, & Zazei Cordubensis profunda philosophia. Sed quoniam humani generis inimicus humano generi non desinit inuidere, seminavit in potestate superbiam, in religione acidiam, in pace discordiam, in abundantia luxuriam, in solertia ignauiam, adeo ut sicut populus, sic & sacerdos, sicut impij, sic & princeps. Qui cum pro suis iniquitatibus timeret expelli, muros præcepit dirui ciuitatum præter paucas quarum muros

destruere formidauit, & arma ferrea in vomeres commutari, vt quasi omnibus conuiuens illicita, videretur quietem, & pacem, & licita procurare. Ipse tamen dolose agebat, ne possent sibi resistere, qui volebant eius sceleribus obuiare. Alluione ergo voluptatum in tota Hispania inundante, Vitiza principe maiestatis oculos prouocante repleta est terra iniquitate. Omnis quippe caro corruperat viam suam, & qui optimus, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe.

*De causis disensionis propter quas fuit destructio Hispania subsecuta.
Caput XVI.*

SED quia dominus voluit Gotthorum gloriam incuruare, Satan immisit in pacem quam simulauerat Vitiza. Cum enim Theodofredus filius Recensuindi, qui in ætate paruula a patre fuerat derelictus, & in iuuenili ætate placidus, elegantis formæ, & indolis gratiosæ, ab omnibus amaretur, timens Egica pater Vitizæ ne iuuenis tanti generis & tantæ spei ad regni fastigium aspiraret, a propriis finibus Cordubam exilio relegauit. Cumque sibi mansio Cordubæ placuisset, ibi palatium miræ fortitudinis fabricauit, quod & filius eius ætatis robore adolefcens & dilatauit, & obfirmavit, qui aliquandiu ibi moratus duxit vxorem de regali genere nomine Ricilonem, ex qua suscepit filium Rodericum. Cum autem Vitiza regni gubernacula post patrem suum Egicam suscepisset, æmulatione, qua pater, cepit persequi Theodofredum, donec captum vtroque lumine fecit orbem. Pelagium etiam cuius patrem apud Tudam fuste peremerat, volebat pœna simili condemnare, sed ad Cantabriam fugiens euasit furiam persequentis, quia volebat Dominus liberationis asyllum in Hispaniis conseruare. Vitiza autem sacrorum canonum inimicus Oppæ fratri suo Archiepiscopo Hispalensi contradidit ecclesiam Toletanam, eiusdem ecclesiæ viuente pontifice Sinderedo, vt sicut ipse carnali, ita & frater spiritali adulterio fœdaretur, & vt iniquitatem iniquitati adiuiceret, violatis priuilegiis ecclesiarum reuocauit Iudæos, & maioris immunitatis quam ecclesias priuilegiis honorauit. Sed quia iusto iudicio Dei agitur, vt actores scelestorum pœnas subeant vltionis, de manu Domini duplicia susceperunt qui pro simplicibus fatiscere noluerunt. Igitur Rodericus filius Theodofredi, quem Vitiza, vt patrem, priuare oculis visus fuit, fauore Romani senatus qui eum ob Recensuindi gratiam diligebat, contra Vitizam decreuit publice rebellare. qui viribus præeminens cepit eum, & quod patri suo fecerat, fecit ei, & regno expulsus, sibi regnum electione Gotthorum & senatus auxilio vindicauit. Vitiza itaque plenus abominationibus, vacuus regno, orbis oculis, propria morte Cordubæ quo Theodofredum relegauerat, exul & exrex vitam finiuit æra DCCCL. Cumque duos filios reliquisset, Sisibertum & Ebam, neuter successit in regno, eo quod essent propter patris insolentias omnibus odiosi.

De regno Regis Roderici. Caput XVII.

HORTANTE autem & adiuuante senatu, & adhuc Vitiza viuente, cepit conregnare Rodericus vltimus Rex Gotthorum, anno Vltimo quarto, Arabum vero XCI. æra DCCCLIX. anno septimo Vitizæ: & tantum tribus annis regnavit, vno per se, duobus etiam cum Vitiza. Erat autem Rodericus durus in bellis, & ad negotia expeditus, sed in moribus non dissimilis Vitizæ. nam & circa initium regni sui Vitizæ filios Sisibertum & Ebam probris & iniuriis lacessitos a patria propulsauit, qui relicta patria ad Recilam Comitem Tingitanæ ob patris amicitiam transfretarunt. Erat autem tunc temporis Toleti palatium a multorum Regum temporibus semper clausum, & seris pluribus obseratum. Hoc fecit Rex Rodericus contra voluntatem omnium aperiri, vt sciret quid interius haberetur. putabat enim thesauros maximos inuenire, sed cum aperuit, præter vnam arcam repositam nil inuenit. qua aperta reperit quendam pannum, in quo Latinis literis erat

erat scriptum: Quod cum contingeret seras frangi, arcam atque palatium aperiri, & videri quæ inibi habebantur, gentes eius effigiei quæ in eo panno erant depictæ, Hispanias inuaderent, & suo dominio subiugarent. quod Rex videns doluit aperuisse, & vt erat prius, fecit arcam & palatium inserari. Erant autem in panno depictæ facies, vt vultus, dispositio, & habitus Arabum adhuc monstrat, qui sua capita tegunt vittis, sedentes in equis, habentes vestes diuersis coloribus variegatas, tenentes gladios, & ballistas, & vexilla in altum tensa: qua pictura Rex & proceres timuerunt.

*De violentia facta filie Comitis Iuliani, & coniuratione cum Arabibus.
Caput XVIII.*

MOS erat tunc temporis apud Gotthos, vt Domicelli & Domicellæ, magnatum filii, in regali curia nutrentur. Inter cæteras Domicellas filia Comitis Iuliani præstantior habebatur. Erat autem Iulianus vir nobilis de nobili Gotthorum prosapia ortus, illustri in officio Palatino, in armis exercitatus, Comes Spathariorum, familiaris & consanguineus Vitizæ, & in oppido quod Consoera dicitur, & in maritimis diuersarum possessionum titulis abundabat. Contigit autem vt idem Iulianus legationis causa a Rege Roderico in Africam mitteretur. Quæ legatione pendente, Rex Rodericus filiam eius de qua diximus, violenter oppressit. Hæc erat Regi promissa, sponsaliter non traducta. Alii dicunt vxori Comitis vim fecisse. Sed vtrumlibet fuerit, Galliæ Gothicæ & Hispaniæ exitialis exitii causa fuit. Verum peracta legatione rediens Iulianus, vt stuprum comperit vxore vel filia reuelante, dolorem continuit alacritate exterius procurata, & legatione exposita recessit indignans, & tempore hyemali nauigio iuit Septam, vbi vxorem cum rebus domesticis collocauit, & habito verbo cum Arabibus in Hispaniam est reuersus, & ægrotantis matris desiderium simulans a Rege filiam impetrauit infirmæ matri solatio destinandam, quam receptam restituit matri suæ. Eo tempore Comes Iulianus Insulam viridem, quæ nunc Arabice Gelzirat alhadra dicitur, detinebat, ex qua barbaris Africanis damna plurima inferebat. vnde & ab eis plurimum timebatur. Erat autem tunc temporis in Africa princeps quidam qui Muza proprio nomine dicebatur, & erat ab Vltima Miramomenino præses Africæ constitutus. Huic fuit Iulianus Comes factioso colloquio fœderatus, promittens ei si sibi crederet, Hispaniam se daturum. Muza autem cognomento Abenezair audiens Comitem Iulianum gaudio est gauisus, eo quod strenuitatis eius magnalia expertus fuerat in periculis gentis suæ, & continuo verbum huiusmodi Abulita Miramomenino Arabum nunciauit, qui inhibuit ei ne in Hispaniam cisfretaret (timebat enim posse in periculum redundare) sed paucos mitteret, per quos posset promissum Comitis aperiri. Muza autem misit cum Comite Iuliano quendam Tarif nomine, & cognomine Abienzarcha cum c. militibus & cccc. peditibus. Africanis, & hi in quatuor nauibus tranfierunt, anno Arabum XCI. æra DCCCL. in mense qui dicitur Ramadan. Et iste fuit primus aduentus Arabum citra mare, & applicuerunt ad insulam citra mare, quæ ab eius nomine dicitur Gelzirat harif: & ibi substitit donec ad se cognati & complices ex Hispania aduenerunt, & primos insultus fecit in Gelzirat haladra, & inde abstulit magnam prædam, & alia loca maritima deuastauit. Et Hispania misera quæ a tempore Leouigildi principis fere per cXL. annos in pace subliterat, iam nunc incipit innouatis antiquæ miseris cladibus laniari. Cædibusque in Lusitania & Bætica pro parte peractis, Iulianus cum Arabibus quos adduxerat, ad Muzam rediit fastuosus. His diebus Sinderedus de quo diximus, vrbis regiæ præsul & primas, aduentum Arabum expauescens, & Vitizæ insolentis fatigatus, Romanæ patriæ sese dedit, oues deserens, vt mercenarius, non vt pastor. Viri autem longæui, de quibus diximus, Vrbanum virum sanctimoniam in Episcopum elegerunt, intrusione Oppæ qui iam nil poterat, non obstante.

POST hæc Muza vocatus ab Vlit a Miramomenino iuit in Africam, relicto in patriæ principatu Taric Abentiet qui erat strabo, cui iniunxit, vt Iuliano Comiti auxilia largiretur, & amicitiam conseruaret. Tunc autem dedit Comiti Iuliano XII. millia bellatorum, quos separatim duxit in Hispaniam in nauibus mercatorum, ne causâ transitus perciperetur, & cõuenerunt ad montem qui ab illo Mauro Gebel Taric adhuc hodie nuncupatur (Arabice autem Gebel mons interpretatur) mense Regeb, anno regni Arabum XCII. æra DCCII. Quæ cum ad Regis Roderici notitiam peruenissent, misit contra eos sobrinum suum nomine Enecorem, qui cum eis sæpius dimicans, sæpius fuit victus, & ad vltimum interfectus. Vnde & Arabes sumptis animis, audaciam assumpserunt, ad Iuliano Comite eos per Bæticam & Lusitaniam deducente. Gotthorum enim exercitus prima vastatione percussus, & longa pace armorum vsibus desuetus antiqua magnalia ignorabat, & facti desides, & imbelles, ignari certaminis sunt inuenti, & obicibus terga verrentes, ad mortem citius quam ad fugæ subsidia peruenierunt. Taric autem cum Iuliano Comite ad Muzam in Africam est reuersus, & Iuliani fidelitas ex his factis apud Arabes fuit mirabiliter approbata. Vnde & Muza Taric & Comiti amphorem exercitum sociavit, & retinuit Ratilam Comitē Tingitanum. terrebant enim eum doli Comitis laqueosi, si forte cum aliis mitteretur, qui cum in Hispaniam applicassent, in Bætica & Lusitania cõeperunt direptiones & excidia exercere. Rex autem Rodericus audita strage suorum, & prouinciæ vastatione, Gotthis omnibus congregatis, aduentui Arabum se obiecit, & ad incursum eorum strenue properauit. Cumq; venissent ad fluuium qui Guadalere dicitur, prope Assidonam, quæ nunc Xerez dicitur, ex alia parte sedit exercitus Africanus. Rex autem Rodericus cum corona aurea & vestibus deauratis, a duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, vt Gotthorum Regum dignitas exigebat. Et per octo dies continuos a Dominica in Dominicâ dimicarunt, ita quod de Taric exercitu fere decē & sex millia ceciderunt. Sed Iuliano Comite & Gotthis qui secum aderant dure instantibus, franguntur acies Christianorum, qui longa pace & abundantia desides, imbelles, & ignaui certaminis sunt inuenti, & obicibus terga dantes. Die Dominica, quinto idus mensis Xauel, anno Arabum XCIII. æra DCCIII. Rex Rodericus & Christianus exercitus vincitur, & fuga inuiti perierunt. Duo autem filii Vitizæ qui cum Iuliano Comite conspirauerant, Regi Roderico in hoc prælio astiterunt, & alter a sinistris, alter a dextris collaterales acies gubernabant, & dicuntur in præcedente nocte cum Taric consilium habuisse, vt ipsis a bello cessantibus, Gotthorum exercitus de facili vinceretur, & Rex Rodericus cum esset magnanimus, antequam fugeret, permitteret se occidi, & eo mortuo posset eis regnum perditum prouenire. non enim credebant, quod possent, vel vellent Arabes patriam retinere. vnde & in conflictu armis depositis, quantocius effugerunt. Et hoc ipsum Taric promiserat, quod restitueret eis omnia quæ fuerant patris sui. In exercitu Christiano fuisse constat plus quam centum millia armatorum, sed erat populus duorum annorum peste & inedia imbecillis. Et quia diuina gratia protectionis manum elongauerat ab Hispanis, gens illa victrix, gens illa nobilis, gens Gotthorum cui se dederant Asia, & Europa, & eius fugacibus Vandalis orbis cesserat Africanus, triumphis Arabicis incuruatur. Consecto prælio cum Arabibus, Rex Rodericus fortiter insistebat, sed iners manus strenuitatis Gotthicæ recuruata, quæ multorum sanguine consueuerat gloriari, hostes suo cõgitur satiate. Iulianus autem animabat Gotthos qui secum aderant, necron & Arabes, vt bellum acrius restaurarent. Cumque bellum ex vtraque parte instantius efferueret, alternis cædibus plurimi cecidere. Iam iamque Gotthorum aciebus fere vndique consternatis, Rex Rodericus interdum fuga, interdum occurribus nitebatur, sed aliquandiu bello protracto, gens Gotthorum in parte cæditur, in parte fugæ præsidio liberatur. & dum hoc agitur, quid de Rege Roderico acciderit, ignoratur, tamen corona, vestes, & insignia, & calciamenta auro & lapidibus adornata, & equus qui Orelia

Orelia dicebatur, in loco tremulo iuxta fluuium sine corpore sunt inuenta. Quid autem de corpore ciuerit factum, penitus ignoratur, nisi quod modernis temporibus apud Viseum ciuitatē Portugalliæ inscriptus tumulus inuenitur. *Hic iacet Rodericus vltimus Rex Gotthorum. Maledictus furor impius Iuliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura, vesanus furia, animosus indignatione, impetuosus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor diuinitatis, crudelis in se, homicida in dominum, hostis in domesticos, vastator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amarescet, & nomen eius in aeternum putrescet.*

De destructione Gotthorum, & commendatione Hispania. Caput XX.

PROH dolor hic finitur gloria Gotthicæ maiestatis æra DCCIII. & quæ pluribus bellis regna plurima incuruauit, vno bello vexilla suæ gloriæ inclinauit. qui Scythiam, Pontum, Asiam, Macedoniam, Græciam, & Illyricum variis cædibus vastauerunt, & eorum mulieres Orientalem plagam præliis subiecerunt, & Cyriū magnum dominum Babyloniz, Assyriæ, & Mediæ, Syriæ, & Hyrcaniæ, victum & captum in vitre sanguinis extinxerunt, & cui victa Roma prouinciarū domina flexit genu, cui imperator Valens cessit incendio, cui ille eximius Attila Rex Hunnorum Catalaunico bello recognouit Imperium, cui Alani fugituo prælio Pannoniam dimiserunt, cui Vandali cesserunt Gallias fugitui, quorum bella minacibus tonitruis toti mundo a sæculis intonarunt, Machometi nuper orta rebellio vno bello inaudito excidio cõsummauit, vt dicant omnes, ne diues in diuitiis, ne potens in potentiis, ne fortis in fortitudine, ne sublimis in gloria gloriatur. Qui gloriatur autē, in Domino gloriatur, quoniam ipse vulnerat & medetur, ipse percutit, ipse sanat. Cum enim sit Domini omnis terra, omnis populus, omnis natio, omnis lingua, omnia cursu instabili variantur, creatore omnium semper & in omnibus stabili ac permanente, qui mundi partes & climatū singula donis dissimilibus adornauit, inter quas Hispaniam in Occidentis sinibus constitutam omnium desiderabilium copia vbertauit. Hanc (vt diximus) peragratis ferme omnibus & obtentis Asiæ & Europæ prouinciis, & experti bella & certamina, & quibus infederant, varias mansiones attendentes in locorū commoda, omnibus prætulerunt, eo quod inter omnes mundi prouincias specialibus vbertatis titulis redundabat: quæ Pyrenæis montibus a mari vsque ad mare protensis Oceano circumducitur & Tyrreno. Gallia & Gotthica, id est Narbonensis prouincia cum Rutheno, Alba, & Viuario ciuitatibus, quæ Gotthorum tempore ad Narbonensem prouinciā pertinebant, & in Africa, vna prouincia decem ciuitatum, quæ Tingitania dicebatur, ad Gotthorum dominiū pertinebant. Hispania quippe quasi paradysus domini vere principalibus fluminibus irrigatur, scilicet Ibero, Doria, Tago, Ana, & Bæti, montanis inter quælibet interiectis. Mediæque valles sui latitudine deseruiunt vbertati, & humore fluminum fecundantur, & pro magna parte riuus & fontibus irrigantur: sed & puteorum suffragia raro desunt. Fecunda frugibus, amœna fructibus, deliciosa piscibus, sapida lacticiis, clamosa venationibus, gulosa armentis & gregibus, superba equis, commoda mulis, priuilegiata castris, curiosa vino, deses pane, diues metallis, gloriosa feris, dulcis mellibus, copiosa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis dominio, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, nulla in fertilitate similis, nulla munitonibus comparabilis, paucę magnitudine æquales, in libertate præcipua, fidelitate preciosa, in audacia singularis. Sunt & alia flumina quæ retentis nominibus capitalia nuncupantur, vt Minus qui in parte Gallicie oritur, & per eandem discurrens prouinciam in Oceanum deriuatur. Ab hoc & flumine prouincia illa Minea appellatur. Abaris & Succaris, quæ oriuntur in territorio Segontinensi Toletanæ prouinciæ, in Rhenum retentis nominibus dilabuntur. Hoc ergo regnum tam nobile, tam ornatum, patriæ gladio in se verso, quasi in eo manus hostium nõ cõcepissent, succubuit vno impetu vix incepto: & captæ fuerunt omnes Hispaniæ ciuitates, & manibus diripientium sunt subuersæ.

BELLO autem miserabiliter consummato, cum vix superesset qui ad bellum ex alterutra partium non venisset, omnibus in se cæsis, remansit terra populis vacua, sanguine plena, fletu madida, vlulatu clamosa, aduenis hospita, ciuibus peregrina, nudata incolis, orbata filiis, confusa Barbaris, infecta sanguine, stupida vulnere, destituta munimine, & suorum solatio desolata. Iam clades Hercules innotuantur, iam Vandalorum, Alanorum, & Sueuorum obducta vulnera reputescunt, quæ olim Romanorum gladio fauciata, Gothorum medicamine post curata, nunc ipsa fœtu cæditur, iam extincta & oblita cantica in loquela labii, iam lingua loquitur peregrina. Viri exercitus in coccineis, & equorum igneæ sunt habenæ, eorum facies vt nigredo, vultus gloria quasi oleæ, & eorum oculi velut ignis, velocior pardis miles eius, & lupo crudelior vespertino. Enimuero genti Aphrorum, quæ olim de viribus non præsumens dolis & diuitiis nitebatur, nunc cedit Gothorum strenuitas in momento, quæ citius cecidit quam dici possit, & vix relinquitur, vt deploret, quod mortis instantia non reliquit, vt clamet transeuntibus Iam non viuo. Attendite si est dolor similis sicut meus, vox eius percipitur, vt Phitonis, & eloquium eius mussitat, vt ex humo, ploratus & vlulatus lugubris vix auditur. Hispania suos filios plorat, & consolari non potuit, quia non sunt. facta est eius habitatio iam deserta, eius gloria iam confusa, iam eius filii gladio ceciderunt, & eius inclyti iam captiui: principes eius in opprobrium habuerunt, & vix bellator in exterminium. Qui erant liberi, mancipati sunt seruituti, qui consueuerant in militia gloriari, coguntur cultro & vomere incuruari, qui vecebantur voluptuose, nec vilibus satiantur, & qui nutriti sunt in croceis, non tangibilia amplexantur, vt nec inundatio pluuiarum, nec alluuiio tempestatum eis potuerunt adæquari. quæ Hispaniam non prætereunt tempestates: paruuli alliduntur, adolecentes cædibus inuoluuntur, iuuenes gladiis extinguntur, viri præliis prosternuntur, senes excidio consumuntur, & quos senium & decrepita fecerat honorandos, hos Afrorum crudelitas abiicit extirpandos, mulieres seruatur ad ignominiam, & earum speciositas ad contumeliam. Qui robustus animo occubuit gladio, qui velox pedibus a sagittariis est confossus. Pepercit gladius inimicis, & in domesticos debacchatur: non erat qui resisteret Gotthis dimicantibus in seipos. Quis dabit capiti meo aquas, & fontem oculis lachrymarum, vt plorem excidium Hispanorum, & miseriam gentis Gothorum? Conticuit religio sacerdotum, cessauit frequentia ministrorum, abscessit diligentia prælatorum, periit doctrina fidei & sanctorum vnio, patet soluitur orthodoxorum, sanctuaria destruantur, ecclesiæ diruuntur, & quæ laudabant in cymbalis, prouocant in blasphemis, lignum salutis a sanctis eiicitur. non est qui aspiciat, vt saluetur. solemnia penitus cessauerunt, & ecclesiæ organa in blasphemiam transferunt. non est qui iubilet in ecclesiis, & subfannat confessio Machometi, defœdat abusus ornamenta, & vasa sancta contaminant alieni, religionem deuorant inimici, & omnis habitatio desolatur, cum occiditur habitator, ciuitates ignominie consumuntur, & quæque viridia succiduntur. A deo enim pestis inualuit, quod in tota Hispania non remansit ciuitas cathedralis, quæ non fuerit aut incensa, aut diruta. Arabes enim, quæ vi non poterant subiugare, falso fœdere deceperunt Oppa filio Egicæ Hispalensi Episcopo suadente, vt subiecti Arabibus viuerent sub tributo, & si forte Dominus patriam visiteret, fierent subuenientibus in succursum. Et sic fraudibus circumuenti reddiderunt oppida & præsidia ciuitatum, & isti dicti sunt mixti Arabes, eo quod mixti Arabibus conuiuiebant, quorum hodie apud nos nomen perseuerat & genus. & tali fraude Arabes fere omnia occuparunt, & omnibus occupatis, rupto fœdere thesauros ecclesiarum & diuitias incolarum pariter exhauserunt, nisi quod Episcopi postmodum cum reliquiis Asturiis se dederunt. Quicquid illa Babylon magna inter regna sæculi prima a Cyro & Dario subuersa pertulit, nisi quod perpetuo exterminio solum a bestis & serpētibus habitatur, quicquid domina prouinciarum Roma ab Alarico & Athaulpho Gothorum Regibus, & Giserico Vandalorum principe

principe est perpeffa, quicquid Hierusalem iuxta dominicam prophetiam lapide super lapidem non relicto sustinuit diruta & incensa, quicquid Carthago nobilis a Scipione Romano direptione & incendio passa fuit, hoc misera Hispania omnium cladum coniectis miseris est experta. nec est qui adiciat misereri. Sed quia Regis ad exemplum totus componitur orbis, peccata Vitizæ, & vltimi Roderici, & aliorum Regum qui præcesserant, quorum aliqui factione, aliqui fratricidio, seu patricidio regni vsurpauerant potestatem, successione legitima non seruata, incanduit ira Dei, & Gothorum gloriam quam hactenus sustentarat, eiecit a facie maiestatis, & quos sustinuit in hæresi Ariana a tempore Valentis Imperatoris vsque ad tempora Recaredi, sicut superius est descriptum, nunc Vitizæ abominationibus & aliorum Regum sceleribus prouocatus, non addidit vltius tolerare. Nomina autem Regum hic duximus exprimenda qui factioso gladio perierunt. Athaulphus apud Barchinonam inter familiares fabulas a quodam suorum fuit prodicionaliter interfectus: Segericus fuit a suis similiter interfectus: & Thurismundus apud Tolosam concilio fratris sui a suo famulo interfectus: Theudoricus fuit a fratre suo similiter interfectus: Almaricus apud Narbonam in foro fuit a suo exercitu interfectus: & Theudus fuit interfectus a quodam qui se insanum, vt Regem interficeret, simulauit: Theodiscus apud Hispalim a quodam suorum fuit inter epulas iugulatus: Agila a suis est apud Emeritam interfectus: Leouigildus interfectus filium suum Hermenigildum, eo quod nolebat hæresi consentire: et Luita filius Recharedi a Viterico fuit prodicionaliter interfectus: Vitericus coniuratione quorundam fuit inter epulas interfectus: & Vitiza a Roderico exoculatus: & Rodericus a Iuliano, vt creditur, interfectus: Froila fratrem suum Vimarandum propriis manibus interfecit, & sui in vindictam apud Canicas Froilam occiderunt.

Qualiter Taric vrbes & oppida occupauit. Cap. XXII.

POST bellum autem infauste patratum, Taric Christianos fuit vsque in Eciam secutus, & qui erant in ciuitate, & etiam qui extra fugerant, adhuc de multitudine confidentes ei improvide occurrerunt, & bello infeliciter inchoato, infeliciter perierunt, & occisis pluribus, plures ad ciuitatis ambitum redierunt. Taric autem cum suo exercitu resedit iuxta fluuium Cilofontis, qui ex tunc dicitur fons Tarici. Christiani autem audientes quod gens aduenerat quæ Gothorum gloriam sua multitudine superarat, & licet falso, quod humanis carnibus vesceretur, tanta se ignauia abiecerunt, vt nec resistere cogitarent: & quia Toletum cunctas vrbes fortitudine præcellebat, curabant omnes inibi receptari, & alix ciuitates & oppida remanserunt paucis defensoribus habitata. Tunc Comes Iulianus Taric consuluit, vt de suo exercitu bellatoribus compartitis, per diuersas partes Hispania vastaretur, & ipse daret de suis complicibus qui ducatu & auxilio Arabes adiuuarent. Tunc Taric diuisit exercitum, & misit quendam qui de Christiano factus fuerat Sarracenus, qui dicebatur Arabice Mogeit airomi, & erat seruus Amiramamonini, & duxit secum dcc. milites, & Cordubam est profectus. Vix enim inter Arabes pedes quispiam reperiebatur. Nam ex equis Gothorum de pedestri ordine milites fuerant facti. Et misit alium exercitum contra Malacam & Granatam. Ipse autem cum maiori exercitu venit Mentefam prope Giennium, & ciuitatem funditus dissipauit. Mogeit autem cum Cordubam venisset, in villa quæ Secunda dicitur, prope Cordubam, insidias occultauit. & quidam de exercitu a quodam pastore quem ceperant, rumores Cordubæ sciscitarunt, qui & retulit maiores Cordubæ ad Toleti præsidium confugisse, & præfectum vrbis cum cccc. militibus remansisse, & urbem circumdatam muro forti, nisi quod iuxta pontem erat muri ambitus intercisus. Mogeit autem cum suo exercitu transiit Bætim, & aere & rore noctu tenebroso venit ad locum per quem muri interruptio viam dabit: vbi etiam erat ficulnea, cui vt scilicet auxilio adhærentes, ad locum intercidii a-

scenderunt, & vittis Mogeit vsi pro funibus ad muri ardua conscenderunt, & vigilibus interfectis seras & ianuas infregerunt, & per pontis ianuam intrauerunt. quod cum vrbs dominus percepisset, in ecclesie præsidium quod erat fortissimum, se recepit, sed ibi eum tribus mensibus obsederunt: post quos idem dominus ciuitatis ad montana quæ imminebat ciuitati, dimissis aliquibus in ecclesie munimento, abiit fugitiuus. quod cum ad Mogeit notitiam peruenisset, post eum infectores continuo destinauit. infelix autem fugitiui equi casu præcipiti conuassatus, desperatis rebus, vt in proprio clypeo residebat, quem Mogeit superueniens cepit viuum. Nec aliquis de senioribus Hispanorum captus dicitur præter istum. Omnes enim alii deditione, aut fœdere se dederunt. Mogeit autem Cordubam rediens tandiu præsidium ecclesie impugnavit, donec captos capitibus mutilauit: & ex tunc dicta fuit ecclesia captiuorum. Iudæos autem qui inibi morabantur, cum suis Arabibus ad populationem & custodiam Cordubæ dimiserunt: dominum autem vrbs quem ceperat, Vlit Amiramamonino Arabi præsentarunt.

De captione Malacæ, & Murtiæ, & Granatæ. Cap. XXIII.

EXERCITVS autem qui Malacam iuerat, cepit eam, & Christiani qui inibi habitabant, ad montium ardua confugerunt. Alius exercitus Granatam diutius impugnatam victoria simili occupauit, & Iudæis ibidem morantibus & Arabibus stabiliiuit. Deinde ad urbem quæ tunc Oreola, nunc Murtia dicitur, properauit. Et dominus Murtiæ egrediens contra eos infeliciter est aggressus, & in vrbs ambitu circumseptus, cum esset prouidus & discretus, fecit mulierum capita circuncidi, vt in muris afforis apparentes viri eminus crederentur, & cannæ quas manibus præferabant, lanceæ putarentur. ipse autem se simulans nuncium ciuitatis exiit ad obsessores, & blandiens domino corundem securitatis gratiam impetrauit, interposito fœdere treguarum. Tunc paucos ex eis introduxit in ciuitatem, & cum vidissent hominum raritatem, de datis treguis doluerunt, nec tamen pro religione iuramenti treguas violarunt, sed paucis Arabibus ibi relictis, cæteri Toletum iuere, vbi Taric tunc temporis consistebat. Cum enim Toletum venisset, inuenit eam fere habitatoribus destitutam, plures enim ad Amayeram, alii ad Asturias, alii confugerant ad montana. Taric autem ex Arabibus quos secum duxerat, & Iudæis quos Toleti inuenerat, muniuit Toletum. exinde iuit Guadalaiaram, & ad montem qui dicitur Gebelculeman, & imposuit ei nomen Gebeltaric. inde venit ad ciuitatem Montiuicinam, in qua inuenit mensam viridem ex lapide precioso, & mensa & pedes ex vno lapide erant, & erat immensæ latitudinis & longitudinis, & imposuit villæ nomen Medina talmeida, quod interpretatur ciuitas mensæ. exinde venit Amaiam olim Patriciam ciuitatem, ad quam propter fortitudinis prærogatiuam deiecta confugerat multitudo: sed quia fame & penuria fere laborabat tota Hispania, fame protinus fuit capta, & cepit ibi multa millia captiuorum, & thesauros, & donaria magnatum. exinde campos Gotthicos & Asturicam deuastauit, & in Asturiis ciuitatem Gegionem, & alia loca plurima occupauit, & in locis idoneis præpositos stabiliiuit, & Toletum postmodum est reuersus anno Arabum XCIII. Muza autem filius Azair anno prædicto mense Ramadan audiens magnalia quæ Taric princeps sui exercitus exercuerat in Hispanos, familiaris zeli ductus inuidia in Hispanias cisfretauit, ducens secum plusquam XII. millia bellatorum, & cum venisset ad insulam viridem quæ Gelzirat alhadra iam Arabice dicebatur, incolæ suaserunt, vt ea via qua Taric intrauerat, ipse iret: quod noluit acceptare. Tunc auditores qui dicuntur Adalides, & alii Christiani suaserunt, vt per alia loca & ciuitates quæ a Taric nondum fuerant acquisitæ, ipse procederet maiora præteritis patraturus, & ipse gaudens eorum consilio approbato venit ad locum munitum, qui Latine Ciuitas salua, ab Arabibus Medinatfidona exinde fuit dicta (hæc est inter mare, & eam quæ nunc Xerez, Latine autem dicitur Assidona) & eam pugnae violentia occupauit. Deinde venit Carmonam, & quia dictum

etum fuerat ei, quod vix impugnatione aliqua posset capi, misit Comitem Iulianum cum aliquibus Christianis, vt fugam quasi victi a prælio simularent: & sic a ciuibus receptati, pro hospitalitatis officio hospitem ciuitatem in manus Arabum prodiderunt. noctu enim vigiles occiderunt, & per portam quæ Cortoba dicitur, Arabes induxerunt. Deinde venit Hispalim, in qua Gotthorum substiterat multitudo, quæ ante Gotthorum aduentum a Silinguis Vandalis vrbs regia habebatur, sed Gotthi ab ea mutauerunt curiam in Toletum. Hanc Hispalim cum Muza aliquando obsedisset, Christiani qui iuerant ad villam quæ Beia dicitur, aufugerunt. Ipse autem captam Hispalim de Iudæis & Arabibus populauit, & inde iuit Beiam, & eam dispendio simili occupauit. Deinde iuit Emeritam quæ multis & antiquis ædificiis antiquæ dignitatis gloriam testabatur, & incolæ de multitudine præfumentes contra eum ad prælium exierunt, sed ead die Muza non potuit præualere. Videns autem quod vi non poterat obtinere, in lapidina vrbi proxima insidias occultauit, & sequenti die, vt heri fecerant, ciues ad prælium processerunt, sed inter celatam & acies intercepti ex ciuibus plurimi occiderunt, & qui euadere potuerunt, ad vrbs ambitum confugerunt. Erat enim muri firmitas miro opere fabricata. Christiani autem corde pusillanimi desperantes sequenti die colloquium petierunt. Cumque permissi ad Muzæ præsentiam accessissent, & viri canitiem attendentes, ad suos post colloquium redierunt, & exposita canitie obfessoris opinati sunt senem breui tempore desitutum, & ideo illa die a compositionis colloquio desisterunt. Tunc Muza præcepit murum perfodi circunquaque, obsessi autem abintus exeuntes plures ex fossoribus occiderunt. Die tertio iterum colloquium postulantibus ad Muzæ præsentiam redierunt, & quos pridie canos notauerant, tincturæ opere coloris contrarii inuenierunt, & fatuitate attoniti miraculum reputarunt, & ad suos ilico redeuntes nunciarunt virum virtute præditum, qui nunciuuenili, nunc senili præstantia iuxta beneplacitum mutabatur: & hoc miraculo conturbati urbem protinus reddiderunt, interposito tamen pacto, vt falsis rebus recederent & personis. Cepit itaque villam anno Arabum XCIII. vltima die mensis Ramadan. Et dum hæc fierent, Christiani de Elepla, & Veia, & aliis partibus insurgentes Hispalim adierunt, & vrbs præsidium occupantes plures ex Arabibus quos Muza reliquerat, occiderunt, cæteri qui euadere potuerunt, ad Emeritam quam Muza ceperat, confugerunt. Tunc Muza filium suum Abdulaziz misit Hispalim cum exercitu copioso, qui veniens urbem ilico occupauit, & Christianos qui eadem egerant, interfecit, Eleplam etiam occisis incolis occupauit. Dum hæc aguntur, Pelagius in Asturiis rebellauit. Muza autem victoriis & spoliis gloriosus iuit Toletum, vbi Taric non minori gloria residebat, qui in occursum Muza ad Talaueræ confinia est egressus, & iuxta riuum qui Teitar dicitur, simulato gaudio conuenerunt. Muza autem qui Taric calumnias cogitabat, Taric redarguit indignanter, eo quod, licet feliciter, mandatum præterierat in peractis, & Toletum pariter venientes de obtentis & acquisitis, de diuitiis & thesauris, de mensa exquisiuit exactissime rationem, & receptis mensa viridi & pecuniis quæ Taric voluntarie reuelauit, venientes ambo Cæsaraugustam ipsam, & ciuitates alias, & plura oppida Carpetaniæ & Celtiberiæ occuparunt.

RODERICI ARCHIEPISCO-
PI TOLETANI DE REBUS HISPANI-
Æ LIBER QVARTVS.

De Pelagii Regis initio. Caput I.



P dum tot dispendiis Hispaniam diffecarent, Deus omnipotens in ira sua misericordie non oblitus, Pelagium quasi scintillam modicam in suo conspectu voluit conseruare. Hic Pelagius (vt est dictum) fugiens a facie Vitizæ qui cum voluerat excacare, licet spatharius eius fuisset, apud Cantabriam se recepit, sed audiens succubuisse exercitum Christianum, & Arabes quæque desiderabilia inuasisse, sumpta secum sorore propria, Asturiis se donauit, vt saltem in Asturiarum angustiis posset Christiani nominis aliquam scintillam conseruare. Sarraceni enim totam Hispaniam occupauerant gentis Gothicæ fortitudine iam contrita, nec alicubi resistere, exceptis paucis reliquiis quæ in montanis Asturiarum, & Biscagiæ, Alauæ, Guipuscuz, Ruchonia, & Aragoniæ remanserunt, quas ideo Dominus reseruauit, ne lucerna sanctorum in Hispaniis coram Domino extingueretur. Præfecerunt itaque Sarraceni in singulis regionibus præpositos qui a pauperibus, vinitoribus, & agricolis Christianis, quos sub tributo permiserant permanere, census colligeret & tributa. Erat enim in regione Gegionis iam Sarracenis subdita, qui & in montanis aliqua loca occupauerunt, præfectus quidam Munuza nomine, Christianus quidem, sed Arabibus fœderatus, qui captus pulchritudine sororis Pelagii, cū eo amicitias simulauit, & fingens causam legationis Pelagium misit Cordubam, quæ olim patritia, tūc erat Arabibus sedes regni. Eo misso Munuza procurante quodam liberto sibi sororem Pelagii copulauit, sed postquam Pelagius rediit, facinus noluit tolerare, & resumpta sorore, licet dissimulans, in Asturiis se recepit non minus magnanimus, quam sollicitus, liberationem patriæ adhuc sperans. Munuza autem pro ablatione coniugis reputans se contemptum, Taric principi nunciauit iam manifeste Pelagium rebellare. Qui missis militibus præcepit Munuzæ, vt Pelagium caperet, & Cordubam destinaret. Cumque milites ad Asturias peruenissent, voluerunt Pelagium dolo composito retinere, sed consilio per quendam amicum in vico qui Vrete dicitur, Pelagio reuelato, quia non poterat armis resistere, ad oppositam ripam Pionis fluminis equo insidens pernatavit, & quia fluuius inundabat, Sarraceni persequi cessauerunt, & ad vallem quæ Canice dicitur, solus venit. Inueniensque plurimos qui metu ad edicta Arabum properabant, spiritu fortitudinis & spe in domino confortauit, quia etsi propter peccata flagellat filios pestilentes, in fine tamen non obliuiscetur misereri. Illi autem sacra monita attendentes excusso metu facti magnanimi & fideles ad montem magnum qui Aufeua dicitur, conscenderunt, & per omnes Astures sacra monita persuadens quasi de graui somno pusillanimes excitauit, & de omnibus partibus Asturiarum ad eum tanquam ad Dei nuncium concurrentes in tanta desolatione ipsum in principem elegerunt. Cæpitque per loca deuia & incerta cædes agere cōtra Mauros, & quasi gyrouagus eorum totam victoriam perturbare, & suos ad persecutionem Arabum roborare. Exercitus autem qui in capturam eius venerat, Cordubam est reuersus. Quod cum audisset Taric qui Cordubæ residebat, Alchamam principem militiæ cōtra Pelagium destinauit, & Oppam Episcopum Hispalensem filium Egicæ, vt Pelagium ad obediendum sibi monitis suaderet.

De introitu Pelagii in caueam, & strage Arabum, & captione Oppæ, &c. Cap. II.

QUORVM aduētum cum Pelagius percepisset, in cauea quadam quæ est in latere montis Aufeug, de quo diximus, se recepit. est autem hæc cauea quasi diuino

uino artificio rupe inexpugnabili circunclusa, & ab impugnatione secuta. Et cum illa cauea vix sit mille hominum receptiua, assumptis secum quos strenuiores credidit, reliquos diuinæ gratiæ commendauit, vt in tutis montium Dei misericordiam & rei exitum expectarent. Ipse autem in cauea cum iis qui secum aderant, Dei misericordiam implorauit. Cumque Alchamā & Oppa Episcopus cum multitudine fundibulariorum & peditum ad Asturias peruenissent, & vastationes aliquas peregissent, demum in circuitu caueæ fixis tentoriis recederunt. Oppa autem qui multos Christianos suaferat, tunc (vt fertur) mulo insidens dicitur Pelagium taliter allocutus: Quanta fuerit Gotthorum gloria in Hispaniis ipse nosti, & licet semper contra Romanos & gentes barbaras inuicta fuerit, nunc Dei iudicio victa plorat. Quæ est ergo fiducia tua, vt clausus in antro cum viris pauculis nitaris resistere contra Arabes, quos totus exercitus gentis Gothicæ sub vno Rege non potuit sustinere? recole Gotthorum regnum, quanta doctrina, quanta potentia abundauit, & nunc vltimæ virtutis exinanitione consumptum ad nihilum est redactū. Consule igitur vitæ tuæ & eorum qui tecum pari miseria consumentur, & Taric inuicti principis te exhibe voluntati, vt & honoribus redoneris, & cum iis qui tecum sunt, vita & operibus perfruaris. Cui respondit Pelagius: Etsi ad tempus Deus percutiat filios pestilentes, non tamen proiciet in æternum. Nosti autem Episcopo Oppa, qualiter tu, & fratres tui, & pater tuus Rex Vitiza vestris scelerebus cum Iuliano Comite iram altissimi prouocastis, propter quod excidium gentis Gothicæ superuenit. Et flet ecclesia penitus destituta filios perditos & extinctos, nec consolari sufficit, donec Dominus cōsoletur: sed per id modicum & momentaneum exterminii nostri pondus adiiciet ecclesia, vt resurgat, & ego sperans in misericordia Iesu Christi hæc multitudinem cum qua venis, nullatenus pertimesco. habemus enim aduocatū apud Patrem dominum Iesum Christum, in quem credimus & speramus. Tunc Oppa Episcopus de persuasione desperans exercitui dixisse fertur: Inueni hominem obstinatum, nil restat de cætero nisi pugna. Tunc Alchaman præcepit fundibulariis, sagittariis, iaculariis, ostium speluncæ fortiter impugnare. Sed Dei manu pro suis conclusis misericorditer dimicāte lapides, sagittæ, & iacula in emissorum intentum vertebantur. Sicque tali iudicio ferme xxx. millibus Arabum interfectis, cæteri quasi vertigine turbabantur. Quod Pelagius cum vidisset, laudans Dei potentiam, & spiritu fortitudinis roboratus cum suis egreditur a spelunca, & Alchaman cum maxima multitudine Arabum interfecit, præter eos qui euersis iaculis perierunt. Reliqui vero ad Aufeua ardua fugientes, ab iis quos Pelagius reliquerat, cædibus perierunt. Qui autem ab iis euaserant, in Libana ad ripam Deuæ fluminis peruenierunt, & super quodam montis supercilio incedentes, eodem supercilio in fluuium corridente, & aggere opprimente, in flumine sunt submersi: & Egyptiorum submersio nouo miraculo præsentatur. Oppa autem a Pelagio captus mansit. Ab aliquibus dicitur Oppa fuisse filius Vitizæ, ab aliquibus frater Comitis Iuliani. Sed verius filius fuit Egicæ & frater Vitizæ. Sed vtrumlibet istorum fuerit, certum est fuisse Archiepiscopum Hispalensem.

De translatione arcæ, & reliquiarum, & sacrorum librorum in Asturias. Caput III.

VRBANVS autem Sinderedi successor, de quo superius diximus, arcam reliquiarum, & scripta beati Ildefonsi, & Iuliani Pomerii, & vestem sacram quam beata virgo dederat Ildefonso, cum iam videret in Hispaniis destructionē ecclesiæ & populi Christiani, ad Asturias dicitur detulisse, & de loco in locum, vt persequitur exposcebat, a fidelibus ferebatur. Postquam vero vrbs regia fuit non in ruptione, sed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni postea irruerunt, clerus & Christiani eiekti cum aliis qui in Hispaniis seruituti barbaricæ mancipati elegerunt degere sub tributo, permisi sunt in lege & ecclesiasticis institutis, & habere pontifices, & euangelicos sacerdotes: apud quos vixit officium I-fidori & Leandri, & viget hodie in vr. parochiis Toletanis. Eo & tempore, quo Urbanus in vrbe regia præsidebat, Quantius Archidiaconus Toletanus doctrina,

sapientia, & sanctitate, secundum scripturas spe, fide, charitate præcipuus habebatur, & Frodoarius Accitanæ urbis Episcopus religione & sapientia prædicabatur insignis, & usque ad tempora Almohadum qui Imperatoris Aldefonsi tempore inceperunt, in pace instituta euangelica seruauerunt. Et in isto medio fuit apud Hispalim gloriosus & sanctissimus Ioannes Episcopus, qui ab Arabibus Caeitalmatran vocabatur, & magna scientia in lingua Arabica clauit, multis miraculorum operationibus gloriosus effulsit, qui etiam sacras scripturas catholicis expositionibus declarauit, quas ad informationem posterorum Arabice conscriptas reliquit. Fuit etiam ibi alius electus nomine Clemens, qui fugit a facie Almohadum Talaueram, ibique diu moratus vitam finiuit, cuius contemporaneos memini me vidisse. Venerunt etiam tres Episcopi, Assidonensis, & Elepens, & tertius de Marchena, & quidam Archidiaconus sanctissimus, pro quo etiam Dominus miracula operabatur, qui Archiquez Arabice dicebatur, & usque ad mortem in vrbe regia permanferunt episcopalia exercentes, & vnus eorum in ecclesia maiori est sepultus. Quod autem ab aliquibus dicitur, quod a Iuliano pontifice Toletano & Pelagio principe reliquiarum arca & sanctorum scripta ab ecclesia Toletana in Asturias sunt translata, stare non potest, cum Iulianus Pomerius tertius fuerit ab Ildefonso, & Sinderedus sub quo Hispaniæ destructio, quartus fuerit a Iuliano. Hoc modo Ildefonso successit Quiricus, cui Iulianus Pomerius, cui Sisibertus, cui Fœlix, cui Gundericus, cui Sinderedus, sub quo fuit ab Arabibus ciuitas occupata. Item ab aliquibus dicitur, quod primatus Hispaniæ prius fuit in ecclesia Hispalensi, & post translatus ad ecclesiam Toletanam, quod etiam stare non potest. In xv enim concilio Toletano, vbi Sisibertus Archiepiscopus Toletanus fuit depositus merito culpæ suæ a generali concilio omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, & cleri Hispaniarum & Galliæ Gothicæ, decreuerunt nihil tractandum in concilio, donec prouideretur primæ sedi vrbis regiæ de pastore. Et electus & translatus fuit Fœlix Archiepiscopus Hispalensis ad ecclesiam Toletanam factus pontifex Toletanus. Et in eodem concilio Faustinus Bracarenfis Archiepiscopus factus est Hispalensis, Fœlix Portugalensis Episcopus factus est Megarēsis Archiepiscopus, & postea de ordinatione earum concorditer tractauerunt. Vnde patet, quod si Hispalensis ecclesiæ maior esset, non transferretur eius Episcopus ad minorem. Quia igitur propter diuersas relationes scriptorum interdum de veritate historiæ dubitatur, diligentia lectoris inquirat, vt ex scripturis authenticis videat, quid debeat approbare.

De morte Munuzæ, & filiorum Vitizæ, & Comitū Iuliani, & Regis Pelagii. Caput IIII.

Nunc ergo ad ordinem historiæ reuertamur. Cum itaque Dominus diuino prælio inimicos suos ad ostiū cauæ Pelagii principis, & in rupe Deuz fluuio imminente, præcipitio & iaculis prostrauisset, Munuza qui ciuitati Gegioni maritimæ & Asturiis præsidebat, fugæ periculo se commisit: sed ab Asturibus in vico qui Olalies dicitur, fuit captus & interfectus. Licet autem Gegio ciuitas sit deserta, Gion terra vulgariter appellatur, in qua est monasteriū sancti Saluatoris. Muza autem condolens stragi suspicatus est factione filiorum Vitizæ & Iuliani Comitū prouenisse, & eos pariter pactis, & capitibus, & vita priuauit. Gotthi autem quibus fugæ facultas affuerat, audientes quod a Gotthis manus Domini non discesserat, clanculo se furantes ad Pelagiū principem aduenerunt, & zelantes legem, & Machabæorum iustitiam æmulantes pro fide commori elegerunt. Ciuitatem etiam Legionem quæ in descensu Asturiarum ab Arabibus tenebatur, primo exercitu inuaserunt in ea vexilla fidei exaltantes. Eo tempore Aldefonsus catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, in Asturias trāsmigrauit bella Domini cum Pelagio principe pugnaturus, cui princeps Pelagius in vxorem dedit suam filiam Ormisindā. Pelagius vero post multa bella decenter exercita migrauit cum domino apud Canicas anno xviii. regni sui.

De regno

De regno Fasila & Aldefonsi Catholici, & eorum morte. Cap. V.

MORTVO Pelagio, cœpit regnare Fasila filius eius æra dcccxxx. & regnauit annis 11. qui leuitate ductus plus debito venationibus insisteret, & quadam die dum vsusum insequi niteretur (decreuerat enim cum vsu singulariter decertare) ab eodem vsu fuit miserabiliter interfectus. Ille dignū memoria nihil egit, nisi quod quandam ecclesiam sanctæ Crucis pulchro opere decorauit. Post hūc cœpit regnare gener Pelagii Aldefonsus æra dcccxxxii. & regnauit annis 19. Hic agnominatus fuit Catholicus, quia documēta fidei in se legaliter obseruauit, & ad id alios vt zelator fidei prouocauit, & ideo ab omnibus amabatur, & cōmuni voto ab omnibus in Regem est receptus. Hic fuit filius Petri Ducis Cantabriæ, & habuit fratrem qui Froila dicebatur. Fuit autem Petrus Dux ex progenie gloriosissimi principis Recaredi, qui cum fratre suo Froila sæpius Arabes bellis intentans plurima bellageffit, & ciuitates multas occupatas ab eis Christianæ potentia redonauit, quasdam muniens, quasdam prosternens, quas bellatorum defectu non poterat retinere. Retinuit autem in Gallecia Lucum, & Tudam, & Asturiam: in descensu autem Asturiarum expugnato exercitū Arabum, Legionem, quæ postea ex frequenti Regum habitatione vrbs regia fuit dicta. Occupauit etiam campos Gothicos, qui ab Estola, Carrione, Pisorica, & Doria fluminibus includuntur, & in partibus Castellæ Septemmanas, Dominas, Saldaniam, Amiam, Mirandam, Cinisariam, Alefancum, Transmeram, Supportam, Catrantium. Et a Malua, & Ordunia, Viscagia, & Nauarra, & Ruconia, & Sarafacio vsq; ad Pyrenæum plurima castra muniuit populis Christianis, & multos ex his qui tenebantur captiui, reduxit ad patriam, & ad loca quæ potuit communit. Ad ipsum enim, tanquam ad singularem Christianæ professionis asylum, ex vicinis regionibus quas Arabes occupauerant, Christiana mancipia concurrebant, & quamuis diuina gratia tantis cum honoribus exaltaret, humilitatem non deferens omnibus se amabilem exhibebat, & Deo deuotus in ciuitatibus quas obtinuit, secundum quod potuit, opportune dedit operam, vt Episcopi crearentur, quorum doctrina reliquæ Christianæ in fide catholica firmarentur. Ecclesias etiam, prout tanta desolatio tolerabat, struētis & ornamentis liberaliter decorabat, libros etiam sacre scripturæ vnde cūque poterat, colligebat, & omnia opera pietatis Deo, & ecclesiis, & hominibus pro viribus exhibebat. Reliquit autem ex Ormisinda Regis Pelagii filia duos filios Froilam & Vimarandum, & filiam Odifindam, & Mauregatum tertium filium ex ancilla, & propria morte vitam finiuit. In cuius transitu voces psallentium in aere feruntur auditæ: Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo confiderat: ablatus est a facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Sepultus est autem cum vxore sua Ormisinda in ecclesia sanctæ Mariæ in tentorio Canicarum.

De Froila, & operibus eius, & morte. Cap. VI.

POST mortem eius Froila filius eius successit in regno æra dcccxc. & regnauit annis 11. Ille populauit Ouetum, & fecit ibi ecclesiam cathedralem. Cumque a tempore Vitizæ insolens abominatio esset, vt clerus carnalibus coniugiis potiretur, iste intelligens iram Dei pro tanta immunditia æstuasse, iuxta sacrorum canonum instituta præcepit, vt ministri ecclesiæ castitate seruata, nullatenus matrimonii vel connubiis scædarentur: & licet alias austerus fuerit & crudelis, propter hæc quæ circa clerum instituit, direxit Dominus manum eius. Cumq; Omar Dux Cordubæ fines Galleciæ infestasset, occurrens ei Froila bello prostratum cepit & interfecit, & in eo prælio quinquaginta quatuor millia Arabum ceciderunt. Rebellantem etiam suo domino Galleciæ populum subiugauit, eorum prouinciā deprædatas. Nauarros & rebellantes inuasit, & sibi concilians vxorem ex eorum regali progenie, Momernam nomine, sibi duxit, & cum eis Vascones sibi infestos suæ subdidit ditioni. Rediens ad Asturias suscepit filium ex Momerna nomine Aldefonsum. Cumque frater eius Vimarandum esset pulcher, strenuus, & affabilis, ab

omnibus amabatur, quem Froila ob zelum regni propriis manib⁹ interfecit, & filium eius Veremundum quasi pro satisfactione in filium adoptauit. Nec tamen cessauit indignatio sui generis contra eum. Vnde & a suis apud Canicas fuit factioe simili interfectus, & apud Ouetum cum vxore sua Momerna fuit traditus sepulturae.

De Aurelio, & Silone, & Mauregato, & Veremundo Diacono. Cap. VII.

ERA 804 POST huius interitum Aurelius frater eius successit in regno **ERA DCCCIII.** & sex annis regnauit. Cuius tempore seruilis origo contra proprios dominos insurrexit, sed eius industria in seruitutem pristinam sunt redacti. Et in diebus eius **10** Silo frater eius Odifinda Froilae Regis forori coniugio copulatur, propter quam postea obtinuit regni sceptrum. Et in principio anni septimi regni sui vitam finiuit **ERA 810** morte propria, post cuius mortem Silo causa Odifindae regnum accepit **ERA DCCCX.** & regnauit annis VIII. & in Prauia ad regni solium subleuatur. Cum Arabibus pacem firmavit, & Galleciam rebellantem in monte Ciperio superauit, & suo imperio subiugauit. Aldefonsus autem filius Froilae & Momernae propter Odifindam amicam suam regale palatium gubernabat, & Silonis negotia procurabat, quia Silo de prole ex Odifinda desperans iners fiebat, & anno regni sui octauo humanis actibus est ademptus, & in ecclesia sancti Ioannis apostoli, quam ipse construxerat, **ERA 818** fuit sepultus. Silone autem defuncto **ERA DCCCXVIII.** omnes magnates palatii cum **20** Regina Odifinda ad regni solium eleuant Aldefonsum. Mauregatus autem eius patruus ex ancilla (vt superius diximus) elatus in superbiam ad Arabes se contulit, eisque confederatus auxilium postulauit, spondens se eis fideliter seruiturum, si eorum auxilio nepotis imperium obtineret. Cumque enim esset affabilis, persuasit, & dato sibi exercitu Arabum, regnum nepotis inuasit fauentibus sibi aliquibus Christianis. Aldefonsus autem a facie eius verens fugit in Alauam & Nauarram. Ipse autem Mauregatus vt fauorem Arabum retineret, contra Dei legem multa commisit. Puellas enim nobiles ingenuas, & plebeias stupris Arabum concedebat. Vnde Deo & hominibus odiosus, expletis in regno quinque annis, & prauus in Prauia habuit sepulturam. Regnauit annis quinque, sed eius anni in computatione temporum annis Aldefonsi Regis annumerantur. Eo mortuo Veremundus filius Froilae in Regem eligitur, & quamuis magnanimus, regnum tamen sponte dimisit, recolens se olim diaconi ordinem suscepisse, & duobus annis vixit in regno, & sobrinum suum Aldefonsum qui ad Nauarros confugerat, reuocauit, & in regno substituit successorem, & cum eo alii quatuor annis & sex mensibus dulcissimam duxit vitam, & propria morte vitam finiuit sepultus Oueti cum vxore sua Imilone, quam viuens a se propter conscientiam ordinis separauit, relictis ex ea duobus filiis paruulis Ranimiro & Garfia.

De Aldefonso Casto, & piis operibus eius. Cap. VIII.

ALDEFONSVS itaque dictus Castus, filius Regis Froilae, vir virtutum, castitate & pietate praecipuus, absque contactu foeminae caelibem duxit vitam. Vnde & Aldefonsus Castus meruit nominari. **XI.** annis regnauit. Anno sui regni tertio exercitus Arabum cum duce suo nomine Mugay Asturias est ingressus, sed Aldefonsi milites in loco qui Lucos dicitur, Arabes praueuerunt, & cum eodem duce bello inuito septuaginta millia Arabum caeciderunt, multisque praелиis repellens Arabes pacem patriae confirmauit. Anno autem regni sui **XI.** a suis per tyrannidem regno expulsus in Abeliensi monasterio se recepit. Indeque a Theudo & aliis suis fidelibus reuocatus regni culmini redonatur. Nunc misericordiae suae opera profequamur. Hic cum multis virtutibus emicaret, palatia regia pulchra & forti opere construxit Oueti. Fundauit etiam ecclesiam cathedralem, & maius altare in honorem sancti Saluatoris, & altaria duodecim apostolorum cum suis titulis eleuauit, ecclesiamque sanctae Mariae iuxta basilicam sancti Thyrsi ex lapidibus & columnis marmoreis, argento & auro cum regali palatio adornauit, & Gorthorum glo-

rum gloriae tam in ecclesiis, quam in palatiis, vt olim Toleti fulserat, prout potuit, reparauit. Et sicut reparato templo per Esdram & Neemiam, laetabantur iuuenes qui prioris templi gloriam ignorabant, & senes flebant qui prioris templi magnificentiam recolebant: sic & ibi qui gloriae viderant Toletanam, perfundebantur lacrymis & moerore, iuuenes autem praeteritae gloriae inscii Regis magnalia cum laudibus extollebant. In altari etiam sancti Michaelis posuit arcam reliquiarum, quam Rex Pelagius & Urbanus Episcopus urbis regiae tempore perditionis Hispaniae ad Asturias transtulerunt, ad quam hodie ex vniuersis partibus deuote concurrunt populi Christiani, laudantes Dei beneficia quae Dominus Iesus Christus ibidem suis fidelibus impartitur. Et in eadem ecclesia dicitur esse vestis illa gloriosissima quam beata virgo contulit glorioso pontifici Ildefonso. Haec autem arca reliquiarum dicitur Hierosolymis constructa fuisse, & tempore persecutionis Pseudomachometi per mare Hispalim fuisse trahata, indeque Toletum adducta, demum (vt dictum est) tempore quassationis cum multis aliis sanctorum reliquijs in Asturias collocata.

De angelicis aurificibus, & Bernardo. Caput IX.

AD haec cum Rex preciosos lapides coram aspiceret, cogitauit crucem de auro eisdem lapidibus fabricare, ipsique ab ecclesia ad palatium venienti occurrerent duo angeli in effigie peregrina, se esse aurifices asserentes: Rex autem datis auro & lapidibus, etiam dedit domum in qua possent secretius operari. Cumque in prandio cōsederent, misit nuncios ad aurifices, sollicitans qui nam essent. Cumque nuncii accessissent, inuenerunt crucem miro opere consummatam, & corusco splendore totius domus penetralia illustrantem, adeo vt non possent tantum splendorem intuentium oculi tolerare. quod Rex audiens festinauit, & tanto splendore commotus agens gratias Saluatori, conuocato clero, & populo, & pontifice, gloriosam crucem altari obtulit Saluatoris, & ista referens Leoni tertio qui sedi apostolicae praesidebat, obtinuit vt in Ouetensi ecclesia Archiepiscopus crearetur. Cumque circa talia & circa praelia existeret animosus, Semena soror eius Comiti **30** Sancio viro nobili furtiuo connubio clam consensit, ex quo suscepit filium nomine Bernardum. Quod cum ad Regis notitiam peruenisset, Comitem Sancium in castro quod Luna dicitur, carcere & vinculis coarctauit, mortis & vinculorum statuens vnum finem. Sororem autem Semenam religioni in monasterio mancipauit. Bernardum, quia non habebat filium, delicate nutriuit, qui postquam adoleuit, statura, vultu, eloquio, ingenio, & consilio, & etiam armis fere omnibus praeminebat.

De legatione ad Carolum, & victoria Regis Alphonsi. Caput X.

REX autem longo regimine & laboribus fatigatus ad Imperatorem Carolum qui **40** Italis, & Teutonicis, & Gallicis imperabat, secreta nuncios destinauit, qualiter carebat filiis, & regnum, si veniret in adiutorium, sibi daret. Imperator autem Carolus impugnationi Arabum insistebat. Qui cum Hispanias occupassent, transiecto Pyreneo Galliam Gothicam, Burdegalam, Patauiam, & Turoniam, & fere totam Aquitaniam occupauerunt. Sed eos Carolus ab occupatis sedibus virtute praелиi abigebat, etiam trans Pyrenaeum partem Celtiberiae quae Catalonia dicitur, vt victor inuasit, vt praepotens conseruauit: & tamen his praелиis occupatus spondit nuncijs ad Regis Aldefonsi auxilium se venturum. Post nunciorum autem reditum innotuit legatio magnatibus Aldefonsi, qui aequanimiter non ferentes suaserunt Regi cum instantia, vt quod madauerat, reuocaret, alioquin ipsum a regno expellerent, & pacta eius nullatenus obseruarent, & sibi de alieno domino prouiderent (malebant enim mori liberi, quam in Francorum degere seruitute) in his instante fortius caeteris Bernardo bonae indolis, bonae spei. Rex autem licet turbatus minis & consilio satisfecit, & iteratis nuncijs ad Carolum quae sponderat, reuocauit. Iratus autem Carolus fidem mentiam intetans, cepit Regi Aldefonso terribiliter comminari, & postpositis bellis Arabum direxit acies in reliquias Hispaniarum. Qui cum ad motana Hispaniae

peruenisset, in quibus pauci qui gladium effugerant, habitabāt, cum clamore valido, tacti dolore cordis intrinsecus, lachrymas cum sacrificiis Domino miscuerunt, quasi non superesset eis ulterius viuere, cum cæli sententiam gladio Arabum iam experti rediuiuæ morti iterum parabantur, quæ tanto amplius cruciabat, quanto ab illis timebant, de quorum debebant præsumere charitate, & quibus erant coniuncti fibula Christiana. Cumque hoc verbum fuisset in Asturiis, Alaua, & Biscaglia, Nauarra, Ruconia, & Aragonia diuulgatum, omnes eodem animo & pari studio elegerūt mori potius quam seruire, collectique in simul cum Rege Aldefonso contra Carolum processerunt. Carolus autem ad radicem Pyrenæi ex opposito in valle quadam exercitum collocauit, quæ adhuc hodie Hospita vallis vocatur. Indeque procedens per vallem quæ vallis Caroli dicitur, planior inuenitur, ne ascendentes impediret asperitas Pyrenæi, vsque ad summitatem montis porrecto agmine processerunt. In prima acie venerunt præfectus Britannæ, Rolandus, & Anselmus Comes, & Eginardus qui erat prepositus mensæ Caroli. Quibus occurrens Rex Aldefonsus cum prædictis populis, virtute gladii, immo domini superauit, & eis stratis, plures ex eis qui porrecto agmine procedebant, cæde & imperu ceciderunt adhuc Carolo per vallem Caroli veniente. Cumque stragem præcedentium comperisset, turbatus insonuit buccina quam ferebat, damno, metu, fuga, & periculo comitatus, & aliqui qui a strage præcedentium aberrabāt, eisdem comitibus sociati ad eum semianimes audita buccina confugerant, & ad eos qui extrema exercitus obseruabant, propter Bernardum, de quo fama erat quod cum exercitu Arabum per partes Aspæ & Secolæ veniebat, postrema exercitus inuafurus, & ipse tamen in strage primorum semper astitit Aldefonso. Carolus autem indignatione & confusione demonitus, tantam multitudinem suorum extinctam deplorans, & clades quas Arabibus intulerat parui pendēs, ad Germaniam repedaui, vt reperto exercitu Hispaniam retentaret. Sed thermarum deliciis interceptus exercitum crastinando obiit Aquisgrani, & in glorioso tumulo sepelitur, qui erat præscarum victoriarum epitaphiis circumscriptus, ea parte vacua remanente, qua valle Caroli vindictam minitans inglorius rediit & inultus. Nonnulli istorum fabulis inherentes ferunt Carolum ciuitates plurimas, castra, & oppida in Hispaniis acquisisse, multaque prælia cum Arabibus strenue perpetrasse, & stratam publicam a Gallis & Germania ad sanctum Iacobum recto itinere direxisse. Quod quidem quantum ad partem Catalonia, scilicet Varemouensis, Gerundensis, Aufonensis, Vrgellensis territoria, satis constat, quæ cum Gotthica Gallia Rex Francorū dicit ad se ex ea acquisitione quam superius diximus, pertinere. Sed Comes Barcinonæ dicit se transactione ab eius feudo liberum & exemptum.

De ciuitatibus Hispaniæ a quibus acquisita. Caput XI.

ARA 825 VERVM cum Carolus tempore Regis Casti, qui cepit regnare æra dcccxxv. fuisse noscatur, non inuenio, quas ciuitates, castra, vel oppida in Hispaniis acquisisset. Nam Tarracona diu destructa fuit tempore Bernardi Toletani primatis, sicut patet in regesto Vrbanus Papæ secundi, qui Vrbanus eundem Bernardum de restauratione ciuitatis ecclesiæ suis literis animauit. Post recuperationem etiam Toleti regni ciuitatis Comes Barcinonæ Ilerdam, Dertofam, & Fragam noscitur acquisisse. Montionem Titio quidam nobilis ex Aragonia acquisiuit, & ei castrū illud proditione sublatum Comitæ Barcinonæ deditioe prouenit. Osca a Rege Petro Aragoniæ noscitur acquisita. Cæsaraugustam, Tirafonā, Calataiub, & Darocam cum cæteris adiacentibus Aldefonsus Rex Aragoniæ dicitur acquisisse, assistentibus sibi retro Comite Perticarum, cui conuenit Tutelai cum aliis castris, quæ postea dedit Garsie Ranimiro Regi Nauarræ cum sua filia Margelina, & Gastone Vicecomite Benearnensi, cui etiam castra & possessiones in Aragonia prouenerunt. Idem etiam Rex habens vxorem Vrracam filiam Regis Aldefonsi qui cepit Toletum, populauit Soriam, Almazan, Valeranicam, quæ nunc Verlanga dicitur, & Belliforamen. Sed in finibus regni Castellæ Aldefonsus qui cepit Toletum,

letum, cepit etiam Talaueram, Maquedam, S. Eulaliam, & Alfanum, populauit Scalonam, cepit Margeritum, Canales, & Vlnos, Talamancam, Vzetam, Guadalaiaram, Fitam, & Almochariam populauit. Buitragum tempore eius Bernardus qui tunc temporis erat primas Alcala acquisiuit. Idem etiam Rex Aldefonsus Secouiam, Abulam, Salmanticam cum omnibus oppidis & suarum diocesium populauit, quæ a tempore vastationis Arabum semper manserant desolatæ. Medina, quæ nunc Cælum, olim Segontia dicebatur, & Atentia, Ripa, Fandalus per ipsum & suos suis victoriis acceperunt. Oxoma, sanctus Stephanus, & Gormatum tempore Comitum Castellæ Christiano nomini prouenerunt. Optam, & Anteliam, & Cauliam obtinuit Imperator. Velesum Santius filius eius suæ subdidit ditioni. Concam, Alarconem, Moiam, Placentiam, Beiarum, Alarcuis, Calatrauam, Caracuel olim perdita Aldefonsus nobilis cum omnibus ante dictis addidit fidei Christianæ. Rex Fernandus pater Regis Aldefonsi qui cepit Toletū, Conimbriam acquisiuit. Vlysonam, sanctam Ireneam, Elboram, Sintriam cepit Aldefonsus, qui primus in Portugallia habuit Regis nomen. Cætera oppida earum diocesium quædam ipse, quædam filius eius Rex Sancius popularunt. Ea autem quæ sunt nostris temporibus acquisita, suo loco, prout Deus dederit, prosequemur. Cum igitur hæc omnia infra ducentorum annorum spacium potestate accreuerunt Christianæ, non video quid in Hispaniis Carolus acquisiuerit, cum ab eius morte anni pene effluerent quadringentesimi. Facti igitur euidentia est potius annuendū, quam fabulosis narrationibus attendendum. Siue enim a Christianis, siue a Sarracenis, ipse vel eius exercitus fuit victus, itinere retrogrado comitatus damnis & periculis retrocessit, nec stratam sancti Iacobi suo itinere potuit publicare, cui non obuenerit transitum vallis Roscidæ penetrare: sed longe post cum gloria apostoli Iacobi miraculis publicata pœnitentium animos incitasset, propulsis a strata Sarracenorum incursum, occultæ semitæ in viam publicam concreuerunt, per quam ferme ab vniuersis Christianorū finibus beati apostoli limina visitantur: nisi forte aliquod insigne fecerit eo tempore, quo cum Rege Galafrio Toleti degebat. Fertur enim in iuuentute sua a Rege Pipino Galliis propulsatus, eo quod contra paternam iustitiam insolēcebat. Et vt patri dolorem inferret, Toletum adiit indignatus, & cum inter Regem Galafrium Toleti & Marfilium Cæsaraugustæ dissensio prouenisset, ipse sub Rege Toleti functus militia bella aliqua exercebat, post quæ audita morte patris Pipini, in Gallias est reuersus ducens secum Galianam filiam Regis Galafrii, quam ad fidem Christi commissam duxisse dicitur in vxorē. Fama est & apud Burdegalam ei palatia construxisse.

De victoriis Alfonsi, & morte eius. Caput XII.

40 NUNC ad prosequenda facta Regis Alfonsi, a quibus diuertimus, reuertamus. Anno regni eius trigésimo, duo exercitus Arabum Galleciā sunt ingressi (dux vnus vocabatur Abolabez, dux alterius Melhi) & audacter ingressi, audacius sunt repulsi. Alter in loco qui vocatur Naron, alter in Anceio fluuio perierunt. Subsequente tempore anno regni eius trigésimo septimo, cum fama sui nominis Christianos & Arabes dulcoraret, vir quidam ciuis Emeritensis Mahamut nomine, de familia Abderramæ Regis Cordubæ cui rebellionem procurauerat, indignationem veritus confugit ad clementiam Aldefonsi cum multis Arabibus qui ei fauebant, & clementer susceptus per septem annos in Gallecia fecit moram, qui octauo anno sui aduentus Arabum manu ascita, habitatoribus Galleciæ molestias inferebat, & proditionis præteritæ non oblitus addidit congeriem factioni.

50 In castro enim quod sancta Christina dicitur, in præiudicium clementis domini & exterminium telluris hospitæ nifus est rebellare. Sed Rex audiens mouit exercitum, obsedit castrum cum multis millibus bellatorum. Cumque bellum contra Regem prædictus proditor præsumpsisset, victus capite mutilatur, quod Regi illico præsentatur, castrumque capitur Regis dominio restitutum, & de Arabibus qui primum secum venerant, & de aliis qui postmodum aduentauerant, cæsa vsque ad

quinquaginta millia remanserunt. Rex autem Aldefonsus Ouetum cum victoria est reuersus. Dicitur quinquaginta duobus regnasse annis, quinque tempore Mauragati, & duobus in regno particeps Veremundi, solus autem quadraginta vno. in quibus licet vxorem habuit, ab eius contactu semper extitit alienus, caste, sobrie, immaculate, ac pie regni gubernacula dirigendo, amabilis Deo & hominibus. Apud Ouetum morte propria consummatus immaculatum spiritum ad celos dimisit. Cuius corpus omni veneratione delatum in ecclesiam sanctæ Mariæ quam ipse fundauerat, in tumulo lapideo sepelitur.

De fratre Normanorum, & victoris Ranimiri. Caput XIII.

POST obitum eius Ranimirus, filius Veremundi Regis & diaconi, ipso Rege Aldefonso adhuc in extremis laborante, & hoc ipsum præcipiente, ad regni fastigium sublimatur æra octingentesima quinquagesima nona, & sex annis regnauit. Sed quia in Bardulia pro accipienda vxore aliquandiu fecit moram, Nepotianus quidam Comes palatii attentauit regnum tyrannide obtinere. Ranimirus autem hoc audiens festinato reuertitur, & apud ciuitatem Galleciæ quæ Lucus dicitur, exercitum congregauit, & Asturias irruptione inuasit, eo quod Astures Nepotiano fauebant. Nepotianus autem sumpta manu Asturum & Vasconum Regi Ranimiro occurrit ad pontem fluuii qui Narceia nuncupatur. Nec mora, desitutus a suis in ipso certamine fugam parat, fugitiuus a duobus Comitibus Somna & Scipione in Pramaria capitur, & sic regnum Ranimiro pacifice subiugatur. Rex autem Nepotianum in monasterium relegari præcepit, vt ibi finem vitæ orbis & monachus expectaret. Tempore Ranimirigenis Normanorum crudelissima & pagana ad Pharum Galleciæ applicuit cum multis nauibus & trirēibus. quod vt comperit Rex Ranimirus, congregauit exercitum Comitum & magnatum, & in Pharo Galleciæ supradicto intulit eis bellum, & Domino adiuuante, gens Normannica, licet aspera, fuit victa, & septuaginta naues eorum incendio cōcremata, magna eorum multitudine interfecta. Qui supererant, nauigio aufugerunt, spoliis multis victoribus derelictis. Fugientes autem Hispalim confugerunt, & prædas agentes plurimos occiderunt, vsque adeo quod ipsam Hispalim irruerunt, & post anni circulum ad propria redierunt. Dum hæc aguntur, Ranimirus bellis impellitur intestinis. Nam Comes palatii Alderedus, & Piniolus procer palatii cum septem filiis contra Regem in superbiam sunt elati. Sed eorum factionibus Ranimirus occurrens, Alderedum priuauit oculis, Piniolum cum septem filiis interfecit. Post hæc autem Rex Ranimirus nolens otiosus a Deo seruitio inueniri, aggressus est loca Arabum, & tam in villis, quam in agris cuncta quæ reperit, etiam Anagarum incendio cōcremauit. Tunc Sarraceni cum maxima multitudine occurrerunt. Exercitus autem Regis Ranimiri visa multitudine, in locum qui Clauigium dicitur, se recepit. Cumque in nocte de certamine dubitaret, apparuit ei beatus Iacobus confortans eum, vt certus de victoria sequenti die bellum Arabibus instauraret. Cumque diluculo surrexisset, visionem Episcopis & magnatibus reuelauit. Qui pro visione gratias exoluentes, ad pugnam oēs se communiter parauerunt apostoli oraculo roborati. Sed ex alia parte Sarraceni de multitudine confidentes, ad prælium procefferunt. Hinc inde itaque conferto prælio, Sarraceni cōfusione turbati Christianorum Galliis terga dederunt, ita quod ex eis fere septuaginta millia ceciderunt. In quo bello beatus Iacobus in equo albo vexillum manu baiulans fertur apparuisse. Tunc Rex Ranimirus cepit Albaidam, Clauigium, Calagurram, & multa alia, quæ regno adiecit. Ex tunc (fertur) hæc inuocatio inoleuit, *Deus adiua, & sancte Iacobe*. Tunc etiam vota & donaria beato Iacobo persoluerunt, & in aliquibus locis non ex tristitia, aut ex necessitate, sed deuotione voluntaria adhuc solunt. Aderant autem cum Rege Garfias frater eius, qui a patre eorum Veremundo diacono post mortem patris infantulus est relictus, quæ Rex Ranimirus tanta benignitate fouebat, quod & tanquam seipsum diligeret, & participem faceret regni sui. Vrraca autem vxor Ranimiri quam ex Castella duxerat, cui esset christianissima, ecclesiam sancti Iacobi & sancti Saluatoris multis donariis adorna-

navit. Construxit etiam Rex Ranimirus ecclesiam sanctæ Mariæ opere forniceo in latere montis Naurantii, duobus milliariibus ab Oueto. Anno sexto regni sui propria morte decessit, Oueti honorifice tumulatus.

De Rege Ordonio, & eius magnalibus. Caput XIII.

RANIMIRO defuncto Ordonius filius eius successit in regno æra octingentesima sexagesima sexta, & regnauit annis decem, vir patiens & modestus, vxorem duxit nomine Mamadonam, ex qua genuit quinque filios: Aldefonsum, Veremundum, Nunium, Odoarium, Froilam qui dictus est Aragontus. Ciuitates desertas quas eiecit Arabibus Aldefonsus maior inuasionem destruxerat, adductis populatoribus reparauit, scilicet Tudam, Asturicam, Legionem, Amaiam, Patriam. Contra Arabes sæpissime dimicans triumphauit. In primo anno regni sui aduersus Vascones rebellantes exercitum congregauit, & coactos cædibus suo iuri eos & patriam subiugauit. Cumque victor ad propria remearet, audiuit Arabes contra se cum exercitu aduenire, & cum toto sui exercitus apparatu occurrit, intrepidus ad bellandum, & victor in Arabes: plurimis eorum gladio detruncatis cæteri aufugerunt, & sumptis spoliis & captiuis Rex Ordonius rediit gloriosus. Interim autem quidam princeps Sarracenorum natione Gorthus, sed ritu Machometico inquinatus cum tota sua gente deceptus, quos Arabes Bencaharim dicunt, contra Regem Cordubæ rebellauit, eique plurimas ciuitates, quasdam fraude supplantauit, quasdam gladio, Cæsaraugustam, Oscam, Tudellam, & Toletum, ubi filium suum nomine Lupum præposuerat ciuitati: postea autem in Francos Cataloniæ & Galliarum Gothicæ arma vertit, prædas & cedes plurimas inferendo, duosque eorum Francorum duces, Sancium & Pulionem, fraude & prælio vicit, & cepit catenis, & carceri mæcipauit. Duos etiam tyrannos Sarracenorum Ibebeanza & Alporz cum filio suo Azeth, partim Muza, partim filius eius Lupus præliando ceperunt. Carolus autem Rex Franciæ, non ille Magnus qui iam decesserat, videns quod sine magnis sumptibus & discrimine ei non poterat obuiare, decreuit Muzam muneribus compescendū: & acceptis muneribus inquietare cessauit. Tunc de tot victoriarum successibus eleuatus præcepit suis, vt eum Regem tertium in Hispania appellarent. Post hæc præsumptione præterita non contentus, collecta manu valida, contra Regem Ordonium se parauit. Sed Rex Ordonius ad eius insaniam comprimendam venit Albaidam, quam dictus Muza nuper Christianis ablatam construxerat, & muris & turribus in ea præsidium obfirmarat, ad quam veniens Rex Ordonius conclusit obsessam. Quod audiens Muza manu valida in succursum Albaidæ festinauit, & veniens ad montem qui Laturcius dicitur, fixis tentoriis spectauit. Ordonius autem audiens aduentum Muzæ medietatem exercitus in obsidione dimisit, cum reliqua contra Muzam animose processit, initoque certamine Muzam cum suo exercitu superauit, interemptis plusquam decem millibus de numero militari, exceptis plebibus interfectis, quæ hunc numerum excedebant. Muza vero trino vulnere sauciatus vix semiuuius euasit, & totius exercitus apparatus, & munera quæ a Carolo susceperat gloriosus, deuictus amisit, quæ Rex Ordonius & suus exercitus habuerunt. Et sic victor inclytus ad eos quos in obsidione dimiserat, est reuersus, & septima die postquam rediit, irruptione munitionem accepit, omnibus qui inerant interfectis, & ciuitate vsque ad fundamenta subuersa, ad propria rediit cum triumpho. Lupus autem filius Muzæ, qui principatui præerat Toletano, auditis quæ circa patrem suum acciderant, cum omnibus quæ habebat, Regi Ordonio se subiecit, & dum vixit, subditus ei fuit, & contra Arabes pro Rege Ordonio cui se dederat, plurima bella gessit. Rex autem Ordonius Cauriam cum Rege suo Zeyt, & Salmanticam cum Rege suo Muzerez potenter inuasit, & pluribus interfectis reliquum vulgus cum vxoribus & filiis fecit vendi. Eisdem temporibus Normani piratæ ad Hispaniæ littora peruenerunt, & loca maritima deprædantes, homines gladio, terras incendio consumpsērunt. Exinde in transmarinā Mauritaniam trans-

fretantes, Nacorum ciuitatem eius prouinciæ inuaserunt, magna Sarracenorum multitudine interfecta. Deinde Maioricam, Minoricam, Euizam, Frumentariã, Baleares insulas vastauerunt. Deinde aduecti Græciam patris incursionibus eodem nauigio ad propria redierunt. Rex autem Ordonius supradictus expleto anno decimo, quidam dicunt decimo sexto regni sui, morbo podagrico interceptus, Oueti defunctus in ecclesia sanctæ Mariæ cum prioribus Regibus tumulatur.

De Aldefonso Magno, & eius praeliis gloriosis. Caput XV.

POST mortem Ordonii regnauit Aldefonsus filius eius, qui quatuordecim an-
 10 norum erat cum regnare cœpisset, æra octingentesima septuagesima quinta, &
 regnauit annis quadraginta sex. Hic in morte patris a palatio abiens erat, sed audi-
 ta morte patris festinus uenit Ouetum, ibique ab omnibus gratanter susceptus re-
 gni fastigium est adeptus. Cumque regni negotia laudabiliter inchoaret, Froila
 Veremundi ex partibus Galleciæ cum magno exercitu ueniens regnum præsu-
 mere attentauit. Sed tamen ex improviso Rex Aldefonsus Alauæ se recepit, ut col-
 lecto maiori exercitu Froilæ Veremundi obuiaret. Inter hæc autem dum prædi-
 ctus Froila plus tyrannice, quam regaliter se haberet, Oueti interficitur a senatu.
 Cuius mors quanto iustior, tanto gratior approbatur. Quod audiens Aldefonsus
 ab Alaua ad Asturias properauit, & statim utilitati inhians, Sublantiam & Ceiam
 20 populauit, muris & turribus communiuit. Eilo autem Alauensium Comes cor-
 da suorum contra Regem indebite incitauit existimans rebellare, sed dum Rex
 collecta manu factioni resistere properaret Alauensium, aduentu Regis territi
 manus dederunt, pollicentes se de cætero subditos & fideles. Sicque Alaua suo im-
 perio subiugata, Eilonem Comitem ferro uinctum misit Ouetum. Eisdem die-
 bus Legionem exercitus Arabum attentauit cum duobus ducibus. Imundar & Al-
 chana, quorum aduentum audiens Aldefonsus cæde & gladio effugauit. Post
 hæc uolens omittis aliis stragi Arabum insudare, & fidei terminos dilatare, Gallos
 & Nauaros amicitia sibi iunxit, & ex Francorum regali genere uxorem duxit no-
 mine Amelinam, quæ postea Ximena mutato nomine fuit dicta, ex qua suscepit
 30 quatuor filios, Garsiam, Ordonium, Froilam, & Gundisaluum, qui fuit Archidia-
 conus ecclesiæ Ouetensis. Hic Aldefonsus uir bellorum, pietatis, religionis, & in-
 stitutiæ fuit amator. Hic uolens bellis domini tempora dedicare, assumptis Gallis
 Gothiæ, & populis Vasconum & Nauarorum, terras quas Arabes detinebant, fa-
 me, flamma, cædibus, & incursionibus cœstatuuit, Lentiam turribus igne consum-
 ptis obtinuit habitatoribus interfectis. Inter cætera autem pietatis & religionis opera
 thesauros quos pater suus sibi reliquerat, ecclesiis & pauperibus erogauit, ecclesiã
 sancti Iacobi quæ erat terrea, quadris lapidibus & columnis marmoreis reparauit,
 ecclesias multas & palatia intra diocesim Ouetensem, & per omnia loca regni sui
 oppida, munitiones, & castra. Factum est autem, ut Arabum maxima multitudine
 40 ex regno Toleti ad regni sui exterminium adueniret, sed Aldefonsi Regis occursum
 confusi, & caruere optatis, & quæ attulerant perdidit, & maxima multitudine
 bello perempta, etiã quæ fugæ se dederant, perierunt. Peracta uictoria in ripa Do-
 rii, Rex rediit cum gloria & honore, & in his bellis Bernardo fortissimo milite sibi
 strenue assistente. Verum quia pater eius, licet orbus & decrepitus, adhuc in uin-
 culis tenebatur, Bernardus extruxit castrum quod Carpium appellauit, in territo-
 rio Salmanticensi, indeque fœderatus Arabibus cœpit regni confinia infestare. Vn-
 de & Arabes assumpta maxima multitudine Legionem, & Asturicam, & adiacen-
 tia loca vastare cœperunt. Sed Rex Aldefonsus ab solutione patris Bernardum con-
 cilians contra Arabes exercitum instaurauit. Arabes uero præ multitudine nil ue-
 50 rentes in duas partes exercitum diuiserunt: unam partem Puluerariam miserant,
 cum alia Regis exercitui occurrerunt. Sed Bernardus cum parte exercitus eã medie-
 tatè quæ cõtra Regis exercitum mittebatur, in Vallemori præuenit, & eos cæde mi-
 rabili deuastauit. Rex uero eis qui Puluerariam iuerant occurrendo, iuxta Urbicũ
 ut potens prostrauit, ut uictor occidit, ut præualens exterminauit, & præter eos
 qui

qui fugæ periculo perierunt, in campo cæsi usque ad duodecim millia remanse-
 runt, ita quod de utroque exercitu nulli alii euaserunt, præter decem qui obiecti
 sanguine remanserunt.

Item de praeliis & piis operibus Aldefonsi. Caput XVI.

POST hæc iterum exercitus Arabum congregatus obsedit Zamoram. Quod
 Rex audiens improuiso cum iis quos ad manum habuit, ingressus est ciuitatè,
 mandans omnibus suæ gentis, ut in succursum eius quantocius properarent: &
 10 Bernardo sollicitè instigante exercitus adunatus Arabes exterminio conuassauit,
 Alchaman eorum propheta gladio interfecto. Quibus cædibus coacti Arabes
 ad tempus cum Rege pacis fœdera firmauerunt. In diebus huius Aldefonsi di-
 cunt quidam fuisse bellum Roscidæ uallis, & non cum Carolo Magno, sed cum
 Carolo agnominato Martello, cum quo afferunt accidisse. Sed cum tres Caroli
 fuerunt successiue, scilicet Carolus Magnus, Carolus Caluus, Carolus Martellus,
 ex causa superius assignata, & quia in libris authenticis inuenitur, & quia publica
 fama Francorum & Hispanorum communiter hoc proclamat, tempore Magni
 Caroli dicimus accidisse. Si quis autem melius dixerit, correptionem in hoc cor-
 pusculo non recuso. Per idem tempus Froila frater Regis cum aliis quatuor fra-
 20 tribus (ut fertur) mortem Regis procurans, factione detecta in Bardulia se recepit,
 sed Rex frater eum insequens comprehendit, & omnes fratres suos Veremundum,
 Nunium, Odoarium, & Froilam priuauit oculis ex hac causa. Veremundus autè
 clanculo fugit Asturicam, & per septem annos gessit tyrannidem, cum quibus et-
 iam acto exercitu Grialiæ obsedit, sed ab Aldefonso Rege prostrato exercitu, Ve-
 remundus orbus ad Arabes fuga celeri conuolauit. Tunc Rex in Ventosam &
 Asturicam, eo quod Veremundum receperunt, vindicauit. Coimbriam etiam a
 Sarracenis obsessam soluta obsidione suo imperio cõseruauit. Tunc etiam vrbes,
 Portugallia, Visum, Flauium cœperunt habitari ab incolis Christianis. Etiam
 usque ad fluuium Tagum in partibus Portugalliæ aliqua populauit. Quidam dux
 30 & proconsul Arabum nomine Abohali bello comprehensus Regi est præsentatus,
 qui datis pro se centum millibus aureorum permissus liber abiit & securus.
 Idem etiam Rex Septem mancas, Dominas, & alias uillas in campis Gothicis po-
 pulauit. Post hæc Rex partes Toleti deuastans, & aliquas munitiones euertens ha-
 bitatoribus trucidatis, accepta a Sarracenis pecunia, eis per triennium pacem de-
 dit. Sicque reuersus ad propria, Addanium quendam de familia Palatina in mor-
 tem Regis comperit machinatum, quem fecit ilico lanari. Ecclesias quoque beati
 Iacobi, & sanctorum Facundi & Primitiui magnifice fabricauit, quas postea
 Arabes destruxerunt, castrum Gozon in maritima Asturiarum ob tuitionem pa-
 40 triæ obfirmauit, ciuitatem Zamoram nobiliter populauit, quæ ex eo nomen dicitur
 accepisse. Cum Rex ipse locum ascenderet ad uidendum, satelles quidam qui
 inter cæteros Regem cum spiculo præcedebat, vaccam nigram dicitur inuenisse,
 quam uolens rusticam applausus uocabulo delinire, ferrur dixisse Zemora. vaccas
 enim eius coloris Hispani armentarii moras uocant. Vnde & Rex Zemoram no-
 men indidit ciuitati. Et cum Rex tantis prosperis lætaretur, duos presbyteros Se-
 uerum & Desiderium ad Ioannem Papam cum suis literis destinauit, qui reuersi
 cum Reinaldo eiusdem Papæ gerulo epistolam huiusmodi detulerunt.

Epistola Ioannis Papæ ad Aldefonsum Regem. Caput XVII.

IOANNES Episcopus seruus seruorum Dei Aldefonso Regi christianissimo, seu
 cunctis uenerabilibus Episcopis, Abbatibus, uel orthodoxis Christianis. Quia
 50 igitur in cura nos totius christianitatis beati Petri apostolorum principis sempi-
 terna prouidentia successores, ea Domini nostri Iesu Christi constringimur ad-
 hortatione, qua beatum Petrum apostolum monuit, dicens quadam uoce: Tu es
 Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauas regni
 f iij

cœlorum, & reliqua. Hinc rursus imminente Domini nostri articulo gloriosę passionis, inquit: Ego pro te rogavi, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ideoque quia vestrę notitię fama per hos fratres limina apostolorum iustrantes per Seuerum & Desiderium presbyteros nobis miro odore bonitatis est reuelata, paterna vos adhortatione commoneo in ceptis bonis operibus gratia duce perseuerare, quatenus copiosa vos beati Petri protectoris vestri, & nostra protegat benedictio, & quotiescunque filii charissimi ad nos venire quilibet vestrum, aut transmittere voluerit, tota cordis exultatione & animi gaudio de vltimis Gallecię finibus, cui vos præter me Dominus rectores constituit, tanquam iure filios nostros vos colligimus, & ecclesię Ouetenfis quam vestro cõsensu & assidua petitione metropolitanam constituimus, omnes vos subditos esse mandamus, & concedimus etiam prædictę sedi, vt ea quę Reges, seu quibus fideles iuste obtulerunt, vel in futurum Domino opitulante contulerint, ratum, firmũ, & inconcussum manere in perpetuum præcipimus. Hos quoq; latores literarum nostrarum omnes horror, vt habeatis commendatos. Bene valete. Item alia epistola ab eodẽ Papa Romano directã per Arnaldum gerulum mense Iulio.

Alia epistola.

IOANNES Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Aldefonso glorioso Regi Galleciarum. Literas deuotionis vestrę suscipientes, quia deuotum vos esse cognouimus erga vestram sanctam ecclesiã, gratias vobis multiplices referimus Dominum exorantes, vt victor regni vestri abundet de inimicis vestris, victoriam vobis cõcedat. Nam vos filii charissimi sicut petistis, sedulas preces Domino fundimus, vt regnum vestrũ gubernet, vos saluos faciat, custodiat, & protegat, & super inimicos vestros. Ecclesiã autem beati Iacobi ab Hispanis Episcopis consecrari facite, & cum eis conciliũ celebrate. Et nos quidem, gloriose Rex, sicuti vos, a Paganis iam constringimur, & die ac nocte cum illis bella committimus, sed omnipotens Deus dat nobis de illis triumphum. Huius rei gratia rogamus dilectionem vestram, & animum deprecamur, vt quia (vt diximus) valde a Paganis opprimimur, aliquantos viles & optimos Mauriscos cum armis (quos Hispani cauallos Alpharaces vocant) ad nos dirigere nõ omittatis. Qualiter nos recipientes Dominũ collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorũ portionem de benedictionibus sancti Petri vos remuneremus. Bene vale dilectissime fili, & clarissime Rex.

De sublimatione Ouetenfis vr̄bis in metropolim, & dedicatione ecclesię sancti Iacobi, & concilio Ouetenfi. Caput XVIII.

Rex itaque visis epistolis gaudio est gauisus, & constituit diem in qua conuenerent nobiles, & magnates, & pontifices, qui ecclesiã beati Iacobi dedicarēt. Et celebrata dedicatione, omnes cum gaudio ad propria redierunt, & fuerunt ibi in dedicatione multi Episcopi: Vincentius Legionensis, Gomellus Astoricensis, Hermegildus Ouetenfis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, Sisnandus Iriensis, Recharedus Lucensis, Theodosius Britonienfis. Horum ciuitates iam per Dei gratiam a Christianis possidebantur. Fuerunt ibi alii Episcopi, quorum ciuitates aliqua desertę, aliqua ab Arabibus tenebantur, Ioannes Aucensis, Dulcidius Salmanticensis, Iacobus Cauriensis, Faustus Coimbriensis, Ardimirus Lamecensis, Theodemirus Vifensis, Guimagus Portugallensis, Argimirus Bracaręsis, Heleca Cæsaraugustanus. Horum vr̄bes etsi aliquando Asturiarum Reges obtinuerunt, propter impotentiam retinendi ab Arabibus occupatę, aut retentę, aut diruptę remanserunt vsq; ad tempora Aldefonsi qui cepit Toletum. Et earum Episcopi ad Asturias fugientes tam in ciuitate, quã in diocesi Ouetenfi partitis sibi territoriis, vt poterant, visitabant. Vnde in aliquibus libris antiquis Ouetum dicitur ciuitas Episcoporum. Transactis autem xi. mensibus prædictus Rex vna cum vxore & filiis, Episcopis, Comitibus, & magnatibus autoritate domini Papę Ioannis Ouetũ ad cele-

ad celebrandum concilium conuenerunt, in quo cum vniuersali conuenientia ciuitas Ouetenfis dignitate metropolitana insignitur, & Hermegildus in Archiepiscopum sublimatur, quia Hispania captiuatis quinq; sedibus metropolitanis, ferebat officio metropolitico destituta. Incurstantium enim hostilitate fugati intra Asturiarum angustias Prælari qui gladium effugerant, confugerunt, & vt tanta angustia tolerabat, antiqua Toletani concilii instituta sollicitè conuēntes, Ouetensem ecclesiã & cæteras quibus iam vt metropolis præminebat, ordinabant iuxta canonum sanctiones. Multisq; secundum Deum vtiliter ordinatis, soluto concilio ad propria redierunt.

De incarceratione Garfia filii Regis, & morte Aldefonsi. Caput XIX.

POST hæc veniens Zemoram Garfiã filium suũ comprehendit, & apud Gazonem ferreis vinculis mancipauit, quia suspectũ habebat, eo quod focer eius Munio Fernandi tyrannidem actitans contra Regem rebellare parabat. Ex quo facto alii filii indignati, coniuratione facta, patrem suum regni regimine priuare parabant. Huius autem dissensionis causa fuit Regina Semena, quę dicta fuerat Amelina, quę satis inhumana studebat noua grauiamina & seruitutis onera inuenire, nihilominus discordia & schismata procurare. Hęc Regem Aldefonsum non habens charum, vt affectus expetit maritalis, excogitauit virum regno priuare, & filium suum Garfiã quem pater vinculauerat, subrogare: Albam, Gordonem, Arbolium, atq; Lunam commouit, vt filius eius in his rebellans, auxiliante focero Munione, captionis iniurias vindicaret, coniuratione fratrum cum ad talia incitante. Rex autem tam filii, quam suorum persecutionibus coarctatus, in villa quę Boides dicitur in Asturiis, regni regimine se priuauit, & filium suum Garfiã, licet inuitus, regni constituit successorem presentibus filiis & potioribus regni sui. Post hæc orationis causa beati Iacobi limina visitauit, & rediens a filio suo Rege Garfia quem exaltauit, quia iam tũc fratribus præminebat, petiit vt semel impeteret Sarracenos, & obtento a filio quod petebat, mouit exercitum contra Mauros, & eorum terris stragibus & incendiis deuastatis, & factus inclytus spoliis & captiuis victor ciuitati restituitur Zemorensi, & sicut principium, sic finem regni victoriis adornauit. Ibiq; proprio morbo coactus, scelicem spiritum creatori restituens, vitę cursum sceliciter consummauit, & sepultus Astoricę, post translatus Ouetũ, in ecclesiã sanctę Marię cum vxore sua Semena Regina finalem obtinuit sepulturam, cum regnasset annis XLVI.

De praeliis Garfia, & morte eius. Caput XX.

ALDEFONSO defuncto Garfia filius eius successit in regno æta DCCCXXI. regnauit annis III. Garfia igitur in initio regni sui terras Arabum est aggressus, & duris incurfionibus peragratis, euersis plarissq; munitionibus campestris flamma vorace consumpsit, & habito prælio cum Aiola Rege Arabum, plurima strage contritum vicit, & captiuauit. Prædaq; rerum, gregum, & captiuorum maxima subsequente venit ad locum, qui Tremulus nuncupatur, ibiq; custodium incuria Aiolas curiosus abscessit, & ad suos rediit fugitiuus. Garfia autem III. annorum expletis circulis, Zemorę propria morte decessit, Ouetũq; delatus in monumentis regalibus est sepultus.

De Rege Ordonio, & bellis eius, & de translatione ecclesię Legionensis. Cap. XXI.

POST Garfiã Ordonius frater eius regni gubernacula legitur suscepisse æta DCCCXXIIII. & regnauit annis VIII. mensibus sex. Hunc Ordonium Rex Aldefonsus Gallecię præfecerat adhuc regnans. Hic autem Ordonius paterna facta scelici æmulatione capessens, prudens & solers, iustus & pius, & in necessitatibus pauperum consolator, regnum prouide gubernabat. Cum enim viuente patre principatum teneret, collecto exercitu aliquantas Bæticę prouincię ciuitates irrumpens loca campestris deuastauit plurimis habitatoribus

interfectis. In initio autem regni Rex Ordonius collecto exercitu Talaueram oppidum animosus obsedit, venientesque Arabes, ut obsessis fierent in succursum, & ipsi pugna prostrati, & obsessi frustrati, utriusque gladio perierunt, & direpto oppido, quæ ibi erant, Regis Ordonii prædæ cesserunt, & principem exercitus Cordubensis captum adduxit, qui multis prædis & captiuorum cateruis eius gloriam subsequen-
 10
 20
 30
 40
 50

Item de praeliis Ordonii, & vxoribus eius, & captione magnatum, & morte Regis. Caput XXI.

His peractis Rex Cordubensis dolens tantum interitum suæ gentis inuasit terminos regni sui, & ad Roindoniam usque peruenit. Cui occurrit Rex Ordonius, confertoque prælio multi ex parte Regis Ordonii, & ex Arabibus corruerunt, & cum per totam diem fortiter dimicassent, neuter victor, neuter victus fuit, sed utriusque redierunt ad propria cum iactura. Post hæc venit Abderramen cum magna
 40
 50

de victoria iucundatus. Aliam quoque duxit vxorem ex partibus Galleciæ nomine Aragonum, quam postea suspectam reliquit, pro quo condigne postea satisfecit. His transactis misit pro Comitibus qui Castellam regere videbantur, ad locum qui Tegulare dicitur, in ripa fluminis Carrionis, quasi cum eis colloquium habiturus, & venerunt ad eum Nunius Fernandi, & Almondar Albus, & filius eius Didacus, & Fernandus Ansurii filius, & nullo consilio exceptis consiliariis cepit eos, & vincos catenis Legionem adduxit, & carceri mancipatos post aliquantum tem-
 10
 20
 30
 40
 50

RODERICI ARCHIEPI-
 SCOPI TOLETANI DE REBUS
 HISPANIÆ LIBER
 QUINTVS.

De Froila & indicibus. Caput I.



OST mortem Ordonii Froila frater eius successit in regno æra
 DCCCCXXXII. & regnavit anno I. mensibus II. & duxit vxorem nomine Munina Domna, ex qua suscepit tres filios, Alde-
 10
 20
 30
 40
 50

EPA 932

NVNIUS autē cognomento Rafura fuit vir patiens & modestus, solers & prudens, industrius, circumspectus, & sic ab omnibus amabatur, ut vix esset cui eius iudicia displicerent, aut eius sententias causaretur, quas tamen rarissime proferebat, quia in compositione amicabili fere omnia terminabat, & sic charus ab omnibus habebatur, ut locus aliquis detractiōi, vel inuidiā non pateret. Hic habuit filium nomine Gundifaluum Nunii, qui cum esset adolescens, bona indole coætaneis præminebat, & futurorum indiciis omnibus complacebat. Nunius vero pater eius fere ab omnibus Castellæ militibus Domicellos filios petiit nutriendos, quos curialitate, affabilitate, & bonis moribus sic instruxit, ut patres adolescentium de profectu filiorum profiterentur se tali nutritio obligatos, & ipsi adolescententes sic erant Gundifaluo Nunii dilectione coniuncti, ut eum quasi dominum sociarent, nec possent ab eius consortio vel ad modicum separari. Cumque creuisset factus miles, militiam strenuus exercebat, & pacis dulcedinem in patria retinebat, ita quod patre suo mortuo, patri fuit fauore omnium substitutus, & etiam principatum militiæ conuenientibus iis qui secum nutriti fuerant, addiderunt, & duxit uxorem nobilissimam Semenam nomine filiam Nunii Fernandi, ex qua suscepit filium nomine Ferdinandum. Hic fuit omnibus patre charior, in sermone verax, in iudicio iustus, in militia gloriosus. multa enim strenue contra Arabes peragendo fines patriæ ampliavit. Hic habuit filium qui dictus est Ferdinandus Gundifalui. Hunc Deus supra patrem & auum tot gratiis exaltauit, ut ipso non attendente, tam a magnatibus & militibus, quam ab vniuersis populis Castellanis in Comitem crearetur, & omnes se suæ subiicerent ditioni. Qui factus Comes totam Castellam sic pacifico dominio confouebat, ut omnes Deo gratias agerent, qui per talem Comitem a populo suo releuauerat sarcinam seruitutis. Hic contra Arabes plurima bella gessit, quoniam & sanctum Stephanum & alia plurima loca Christianæ restituit ditioni. Ex quo iste suscepit suæ patriæ Comitatum, cessauerunt Reges Asturiarum insolescere in Castellam, & a flumine Pisorica nihil amplius vindicarunt. Strenuitate enim sua eorum insultibus resistebat, nec propter eos a bellis Arabum desistebat. Monasterium sancti Petri in ripa Aslantia fluminis ædificauit, & multis possessionibus illud dotauit. Morte propria defunctus in eodem monasterio est sepultus. cui successit filius eius Gasias Ferdinandi, homo catholicus, qui bella plurima contra Reges Asturiarum conantes Castellæ finibus præminere, gloriose peregit, & castra plurima in ripa Dorii munifice reparauit, & usque ad fluuium Carrionem iurisdictionis suæ terminos dilatauit. Hic construxit monasterium in honorem sancti Cosmæ & Damiani iuxta ripam Dorii fluminis Aslantia, in villa quæ Cauæ rubeæ nuncupatur, & amplissimis possessionibus dilatauit, & loca quæ dedit, statuit Infantaticum appellari eo intuitu, quod si aliqua de genere suo non posset, aut nollet mariti comparis solatia adipisci, de bonis monasterii prouideretur eidem largiter & decenter, demptis duntaxat necessariis clericorum qui inibi Deo & sanctis martyribus deseruirent. Obiit autem morte propria, & in monasterio sancti Petri de Cardonia tumulatur.

HVIC successit filius eius Comes Sancius Fernandi, vir virtutum, amator patriæ, & in subditos rotus pius. Hic obtinuit Pennam fidelem, & Septem publicam, & Madolium, & Montelionem, & Varinatium, Oaromam, & sanctum Stephanum, quæ in captione patris perdidierant Christiani, & multa intulit Agarenis. Antiquos foros Septem publicæ iste dedit. Castellanis militibus qui & tributa soluere, & militare cum principe tenebantur, contulit libertates, videlicet ut nec ad tributum aliquod teneantur, nec sine stipendiis militare cogantur. Hic habuit filium qui dictus fuit Infans Gasias, & Legionem fuit prodicionaliter interfectus: & habuit filiam nomine Geloiram, quam duxit in uxorem Sancius Maior Rex Aragoniæ

goniæ & Nauarræ, de quo, si Deus dederit, postea prosequemur. Huius mater optans commercium cuiusdam principis Sarraceni, proposuit filium interficere, ut sic cum munitionibus & oppidis optatis nuptiis potiretur. Cumque quodam sero lethali poculo virus mortiferum miscuisset, filius reuelatione pedisequæ hoc præsensit, & matri, ut prius biberet, supplicauit. Quod ipsa reuens demum coacta, quod male miscuerat degustauit, & parricida mater hausit, & meruit mortem in poculo quod parauit. Et tandem Comes Sancius contriti cordis, pœnitentia stimulat⁹ construxit monasterium nobile quod Oniam nominauit, eo quod matrem viuente⁹ Mioniam more Hispanico appellabat. Demum post multas victorias strenue consummatas foelicem spiritū suo restituit creatori, & in monasterio Onienfi quod ipse construxerat, est sepultus. Nunc autem ad genus & acta Regum Asturum reuertamur.

MORTVO Froila Aldefonsus filius Regis Ordonii adeptus est scēpra patris ara DCCCXXXIII. & regnauit annis v. mensibus vii. anno vno mensium numero. Nomen vxoris eius Semena, ex qua genuit infantem Ordonium, qui dictus est Malus, & fuit iuxta Cordubam interfectus. Hic Aldefonsus leuitate potius quam virtute deliberauit apud se, ut ad viam confessionis & pœnitentiæ se transferret, & ideo religionis operibus deuouit se, & aliquandiu huic proposito inhærendo decreuit sibi substituere fratrem suū nomine Ranimirum. Cumque propositum fratri per nuncios intimasset, Ranimirus audito nuncio cum magno exercitu venit Zemoram, & Aldefonso regni regimen resignante, Ranimirus substituitur fratri suo. Aldefonsus autem iam exrex ad locum qui Dominos sanctos vulgariter dicitur, super ripam Ceia fluminis properauit, habitumque monachalem assumens viam perfectionis elegit.

RANIMIRVS autem successit in regno ara nongentesima trigesima nona, vno anno mensium numero, & regnauit annis decem, & nouem mensibus, diebus duobus. Et cum esset vir bellis deditus, mouit exercitum contra Mauros, & dum exercitum congregabat, frater suus ea leuitate, qua de Rege se monachum fecerat, a monasterio apostata resiliuit, & Legionem veniens cœpit inibi rebellare, & ad regnum iterum inhiare. Ranimirus cum hoc audiuit, direxit congregatum exercitum contra eum, & duobus annis obsessum in deditiōe recepit ad suæ beneplacitum voluntatis, & statim in carcerem mitti iussit. Et dum hæc fierent, Aldefonsus, & Ordonius, & Ranimirus, filii Regis Froilæ supra dicti, cum conuenientia in Asturiis rebellarunt, & tyrannidem exercentes Aldefonsum qui maior erat, honore regio præferabant. Astures enim indignati, eo quod in cessione Aldefonsi, & substitutione Ranimiri non fuerant euocati, rebellionem huiusmodi factitabant. Vnde & Astures in dolo euocant Ranimirum, ut si fieri posset, in manus filiorum Froilæ deueniret. Quod præsentiens Ranimirus armata manu Asturias est ingressus, & coactos præliis mancipauit, secumque ducens cum fratre suo Aldefonso quondam Rege in eodem carcere coarctauit, & post aliquantulum temporis interuallum fratrem & sobrinos crudeliter excæcauit. Tandem Ranimirus pœnitentia ductus prope Legionem in ripa Turii monasterium sancti Iuliani construxit, & in eo fratrem & consobrinos pie, prout potuit, collocauit, vbi usque ad finem vitæ necessaria habuerunt. Mortuus autem Aldefonsus ibidem sepultus est cum vxore sua Regina Semena & consobrinis. Regnauit autem Aldefonsus annis quinque & mensibus septem, & in quinto anno regni sui fuit orbatus oculis, & postea duobus annis & septem mensibus superuixit.

De victoria Ranimiri, & Comitibus Fernandi Gundifalvi. Caput VII.

RANIMIRVS autem regnum ingrediens Toletanum obsedit oppidum Maiorinum, & muros dirumpens, sublatis rebus incolas captiuauit, & reduce exercitu remeauit. Post hæc Arabes fines Castellæ inuadere decreuerunt, & Comes Fernandus Gundifalvi, qui Castellæ tunc temporis præsidebat, nunciauit aduentum Arabum Ranimiro, qui conuocato exercitu, properauit in auxilium Comitibus Castellani. Cumq; Legionensis & Castellanus exercitus conuenissent, Arabibus apud oppidum Oxomam occurrerunt, & collatis signis adinuicem dimicauerunt, sed Dei gratia adiuuante, Christianis victoria, Arabibus cecit fuga, multaq; millia captiuorum Christiano exercitui prouenerunt. Sicq; Rex Ranimirus ad sua sceleratè est reuersus. 10

De prodicione Abenaie, & victoria Ranimiri. Caput VIII.

POST hæc iterum Ranimirus contra Cæsaraugustam exercitum congregauit. Abenaia autem qui inibi princeps erat, audito quod Ranimirus & Ferdinandus Gundifalvi Comes Castellæ adinuicem concordarant, timuit in immensum. Vnde & seipsum cum terra Ranimiri subdidit ditioni mentitus Abderramen Regi Cordubæ, cui erat subiectione simili obligatus. Rex autem Ranimirus omnes munitiones regni Cæsaraugustæ quæ Abenaie resistebant, cædibus & irruptionibus coegit Abenaie obedire. Post quæ Ranimiro ad sua reuerso, Abenaia prodicionis non immemor, fregit pacta, & reconciliatus principi Cordubensi ratus est posse inuadere terminos Ranimiri, & agens exercitum peruenit celeriter Septem mancas. Quod audiens Ranimirus assumpto exercitu processit obuius contra eum, & ibidem adinuicem utroq; exercitu dimicante, cæsi Arabes, nec fuga, nec strage, sed victoria caruerunt, & secunda feria, in festo scilicet sanctorum Iusti & Pastoris, ex Arabibus vsq; ad octoginta millia perierunt, & Abenaia proditor fuit captus: cæteri qui euaserant, ad oppidum quod Alfondega dicitur, confugerunt. Ranimirus autem plus sanguine Arabum, quam præliis, vel spoliis cupiens satuari, eos viriliter insecutus in castro Alfondega quo confugerant, comprehendit. Abderramen autem cum paucis fugæ comitibus vix abcessit. Tunc fuit solis eclipsis per vnam totam horam diei. Tunc Rex & sui cum multis spoliis & multa turba pedisequa captiuorum reuertitur gloriose, secum ducens Abenaiam captiuatum. 30

Item de præliis Ranimiri. Caput VIII.

HIS peractis exercitus Sarracenorum per ripam Turmii fluminis est ingressus sub principe qui Aceipha dicebatur, & fauentibus sibi Fernando Gundifalvi & Didaco Munionis magnatibus regni sui, cœpit populare Salmanticam, Letefmiam, Ripas, Balnea, Alfondegã, Pennam, & alia multa castra. Tunc etiam Comes Rodericus populauit Amaiam, & prædas exercuit in Asturiis in partibus sanctæ Iulianæ. Post Rex Ranimirus talibus coniurationibus prouocatus exiit obuiam Sarracenis, & bellis & cædibus sæpe repulsi a cœptis operibus destiterunt, & Ferdinandus Gundifalvi, non illum Comitem Castellæ, & Didacum Munionis, fautores Arabum comprehendit, & alterum Legionem, alterum Gordone in carcere vinculauit. Sed procedente tempore, quia captione eorum magnates alii murmurabant, recepto ab eis iuramento fidei obseruandæ a carcere liberauit, & filio suo Ordonio dedit vxorem Vrracam filiam Fernandi Gundifalvi Comitibus Castellani. Post hæc Rex Ranimirus qui ex Regina Tarasia, sorore Garfiæ Tremulosi Regis Nauarræ, cognomine Florentina, genuerat Sancium & Geloiram, in honorem sancti Saluatoris iuxta regale palatium monasterium fabricauit, & ibidem Geloiram filiam Deo dicauit. Decimo nono regni sui anno obsedit oppidum quod olim Aquis, nunc Talauera vocatur, in dicecesi Toletanensi. Arabes autem ei succurrere festinantes victi a prædicto Rege in prælio ceciderunt, & cæsi fere 40

sis fere duodecim millibus, vsque ad septem millia captiuauit, & reuersus ad sua se misericordiæ operibus dedicauit, & vxore sua Regina Tarasia operante sancti Andrea & sancti Christophori super Ceiam, & sanctæ Mariæ in ripa Dorrii, & sancti Michaelis archangeli in valle Ornæ quæ nunc dicitur Destriana, monasteria ædificauit, & possessionibus multis ditauit. Et cum Ouetum causa orationis adisset, ibidem grauitè ægrotauit, & Legionem allatus, in vigilia Epiphaniæ facta confessione Episcopis & Abbatibus qui secum aderant, deuote suscepit sacramentum corporis & sanguinis Domini Iesu Christi. quo facto a se regnum quod a patre susceperat, abdicauit proclamans cum lachrymis: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo? His ita peractis vitam finiuit, & in monasterio sancti Saluatoris quod filia suæ construxerat, tumulatur. In his decem & nouè annis computantur quatuor anni Aldefonsi prædicti, quia post primum annum statim substituit sibi fratrem: per se autè regnauit Aldefonsus anno vno, Ranimirus annis quindecim. 10

De Rege Ordonio, & dissensione cum Castellanis, & morte eius. Cap. IX.

HVI c successit in regno Ordonius filius eius æra nonagesima quinquagesima octaua, & regnauit annis quinque, mensibus sex. Iste Ordonius satis prudens, & in regimine exercitus circumspectus. Vnde frater eius Sancius quem Rex Ranimirus ex Tarasia sorore Garfiæ Regis Nauarræ susceperat, fauore & auxilio eiusdem Garfiæ auunculi & Fernandi Gundifalvi Comitibus Castellani, ipsis personaliter cum ipso venientibus, Legionem accessit, vt fratrem suum a regno expelleret, & ipse dignitate regia donaretur. Sed Rex Ordonius vt erat in armis strenuus, ciuitates muniuit, & munitiones viriliter defensauit, & regnum sibi intrepidus conferuauit, & vxorem suam Vrracam, quia Comitem Fernandum socerum suum hostem senserat, dereliquit, & duxit vxorem aliam nomine Geloiram, ex qua genuit filium qui fuit podagricus, nomine Veremundum. Galleci autem audientes dissensionem inter Legionenses & Castellanos cœperunt contra Regem Ordonium rebellare. Ipse vero congregato exercitu Gallecos perdomuit vsq; Vlyssbonam, & vastatione & incendio omnia deprædatus est, & rediit inclytus multis spoliis & captiuis. Post hæc autem, inter Regem Ordonium & Fernandum Gundifalvi Comitem Castellanorum discordia sedata, exercitus Arabum venit ad sanctum Stephanum in ripa Dorrii, & vsque Burgis omnia deuastabat. Sed Comes Fernandus Gundifalvi cum exercitu Regis Ordonii & suorum, eos vsque Dozium insecutus pugna subegit, & magnam multitudinem victor occidit, plurimamq; captiuauit. Quo audito Rex Ordonius disposuit in Arabes exercitum congregare, sed infirmitate præuentus Zemoræ moritur, & Legionem delatus in monasterio sancti Saluatoris quod pater suus condiderat, sepelitur. 20

De Rege Sancio, & Ordonio Malo. Cap. X.

DE RVNCTO Ordonio frater eius Sancius Regis Ranimiri filius successit in regno æra nonagesima sexagesima tertia, & regnauit annis duodecim. Cumq; magnates regni contra ipsum vnanimiter conspirassent, ad Garfiam Regem Nauarræ qui dictus est Tremulosus, suum auunculum festinauit. Erat autem Sancius intolerabili pinguedine aggrauatus, vnde dictus fuit Sancius Crassus, & consuluit ei auunculus Abderramen principem Cordubæ postulare, vt posset a tantæ pinguedinis pondere releuari. Cumq; cum eo pacem firmasset, Cordubam veniens ab Abderramen magnifice est susceptus, qui conuocatis medicis antidoto cuiusdam herbæ agrauitate pinguedinis liberatur, & agilitati & dispositioni restituitur cæterorum. Inter hæc autem Comes Fernandus & Magnates regni Asturiarum Ordonium malum, quem Rex Aldefonsus cæcus ex vxore sua Semena susceperat, in Regem & principem elegerunt. Et Comes Fernandus Gundifalvi dedit ei vxorem filiam suam Vrracam Regis Ordonii derelictam. Erat autè tunc temporis 30

quidam nobilis adolescens nomine Vegila, qui cum esset de nobilioribus illius patriæ, nolebat Comiti Fernando vt subditus obedire. Comes autem eum grauius infecurus compulit exulare, & ad Arabes compulit transmigrare. Rex autem Sancius assumpta ab Abderramen multitudine Arabum est reuersus, vt absens regnū quod perdiderat, veniens obtineret. Quod audiens Ordonius Malus in Asturiis se recepit, vt difficultate mōtium inibi rebellaret. Rex autem Sancius, olim Crassus, quam cito aduenit, rebellibus domitis regnum recuperauit. Ordonius autem Malus cum esset vilis, & pusillanimis, & effœminatus, Deo & hominibus odiosus, operibus prauus, nec in Asturiis se tutum reputans iuit ad focerum fugiēs & abiectus. Comes autem filiam ei abstulit, & alteri viro dedit, & ad Arabes ire coegit, cū 10 quibus dū vixit, vilitatis suæ pœnas exsoluit. Rex vero Sancius regno pacato, duxit vxorem, quæ Tarasia dicebatur, ex qua genuit Ranimirum. Tunc Rex Sancius cum esset homo deuotionis, suadentibus vxore sua Tarasia & sorore sanctimoniali Geloira, misit Velasum Legionensem Episcopum & alios nuncios pro pace firmanda, & pro petendo corpore sancti Pelagii martyris qui sub Abderramē fuerat Cordubæ martyrio coronatus. Rex autem construxit monasterium Legionē, in quo corpus sancti Pelagii statuerat collocandum. Et hac legatione pendente, Galleci discordes inter se prædas & iniurias exercebant. Sed Rex adueniens insolentes domuit, & iniuriosos coegit vsq; ad Dorium, qui diuidit Galleciam & Lusitaniam. Quod audiens Gundifaluus qui trans flumen Dorii princeps erat vsq; ad 20 ripam eiusdem fluminis, congregato potentię suæ exercitu, præcepit venire, sed videns se Regi Sancio non posse resistere, suæ gratiæ se cōmisit, & præstito iuramento de tributis soluendis, etiam terræ suæ dominium Regi Sancio recognouit. Verum proditoris virus in corde reserat, vtrius mortiferū pomo immisissum Regi obtulit ad edēdum, in cuius esu cor Regis cœpit ilico titubare, sicut natura exigit venenorum: et Rex intelligens dum Legionem mortis conscius properaret, tertia die in via moritur, & Legionē iuxta patrem in sancti Saluatoris monasterio sepelitur.

De Rege Ranimiro, & strage Normanorum. Cap. XI.

SANCIO defuncto filius eius Ranimirus, habens a natiuitate annos quinque, patri successit in regno æra nongentesima septuagesima quinta, & regnauit annis viginti quinque. Hic de consilio matris suæ Reginæ Tarasiæ, & amitæ suæ Geloiræ monialis, secundum legationem patris cum Arabibus pacem fecit, & corpus sancti Pelagii, pro quo pater miserat, impetrauit, & in monasterio quod pater ad hoc construxerat, collocauit. Anno secundo regni eius multitudo Normanorum cū Rege suo nomine Gundiredo in finibus Galleciæ applicarunt, & stragibus & incurfibus vrbes & loca Galleciæ vastauerunt, & Sisnandum Episcopum sancti Iacobi peremerunt, discurrentes patriam vsque ad locum qui mons dicitur Onagrorum. Tertio anno cum patris vastationibus vellent ad propria nauigare, inuocato nomine Domini & beati Iacobi, Comes Gundifaluus Sancii occurrit eis, si posset exterminium vendicare. Et cum prælium iniuissent, Dei gratia & virtute Apostoli, qui sine lege vastauerant, Dei iudicio sunt prostrati, & tam ipsi, quam Rex eorum in ore gladii ceciderunt, & Comes Gundifaluus Sancii eorum nauigia igne consumpsit. 30

De vastatione Castelle, & Zemoræ, & Galleciæ, & morte Ranimiri. Cap. XII.

ET dum hæc fierent, Arabes per Ranimiri Regis pacem securi contra Castellanos exercitum direxerunt. Cumque Ferdinandus Gundifalui Comes resistere non valeret, occuparunt Arabes Septem mancas, Donias, & Septem publicā, & Varinatium, & multa alia, terram cædibus & incendio deuastantes, ad hæc omnia inhumaniter adiuuante Vegila quodam nobili qui a Fernando Gundifalui Comite ob rebellionem a partibus Alauæ erat eiectus. Ex tanto ergo successu Arabes insolentes etiam fœdus quod cum Ranimiro habuerant, infregerunt, & venientes 50

nientes Zemoram inuasam funditus subuerterunt. Ea tempestate vir strenuus Ferdinandus Gundifalui Comes Castellæ moritur, qui in acquisitione, & tuitione, & dilatactione patrię vtiliter, strenueq; & fideliter laborarat, & in monasterio sancti Petri de Asslantia quod ipse construxerat, sepelitur. Rex vero Ranimirus duxit vxorem nomine Vrracam. Cumq; esset puer, nec ad discretionem ætatis venisset, stultis actibus cœpit Comites Galleciæ prouocare, iam a cōsilio matris & amitæ alienus. Cumque Galleci non possent eius insolentiam tolerare, quendam Veremundum filium Regis Ordonii super se Rēgem beati Iacobi creauerunt. Quod audiens Ranimirus contra ipsum collecto exercitu in Galleciam festinauit, & ex 10 alia parte veniens Veremundus in Portella de Arenis prælium commiserunt. Et licet iniuisti adinuicem discessissent, ex vtraque quamplurimi cæde mutua ceciderunt, & duobus annis nō sine grandi vtriusque gentis exterminio bellum inuasit intestinum. Ranimirus autem morbo correptus obiit Legionē, & in Destriana traditur sepulturæ. Interea Alcorrex Rex Agarenorum eam partem Galleciæ quæ nunc Portugallia dicitur, & vsque ad sanctum Iacobum, non veritus Apostolum, deuastauit, sed merita Apostoli occurrerunt, & immissa in eos infirmitate, aut pauci, aut nulli superstitēs euaserunt qui in patria nunciarent.

De Rege Veremundo, & miraculo tauri. Cap. XIII.

MORTVO itaque Ranimiro, Veremundus filius Regis Ordonii veniens Legionem ab omnibus suscipitur, & ad regni gloriā promouetur, eo quod mortuo Sancio patre suo & Ranimiro consobrino ad ipsum erat de iure regni successio deuoluta, æra milleesima, & regnauit annis decem & septem. Hic leges Gothorum liberaliter confirmauit, & sanctorum patrum canonicas sanctiones seruari præcepit, & licet alias esset satis prudens, susurrionibus & detractoribus aures bibulas inclinabat. Accidit autē quod tres serui de familia ecclesiæ sancti Iacobi, quorum vnus vocabatur Zadon, alter Cadon, alter Ansilon, apud Regem dominum suum Athaulphum de crimine pessimo accusarent, & quod etiam promiserat Sarracenis se legem Mahometicam suscepturum, & Galleciam traditurum. Rex autem credidit, eo quod Episcopus esset filius illius principis qui Regi Sancio in pomo mortis poculū propinarat. Cumq; prædictus Episcopus vocatus ad curiā quinta feria ante Pascha venisset Ouetū, consulentibus sibi aliquibus, vt antequam ecclesiā descenderet, se Regis conspectui præsentaret, Episcopus constanti animo sic respondit, quod prius se præsentia Saluatoris omnium exhiberet, & post in præsentia tyranni principis cōpareret: intrāsq; ecclesiā Saluatoris ilico indutus sacris vestibus diuina officia celebravit. Rex autem taurum ferocem præceperat adduci, vt in venientē Episcopum desceiret. Sed Episcopus innocēs cū talia præsenfisset, consummatis officiis, ad locum vbi taurus æstuans mugiebat, accessit intrepidus, 40 & mox taurus ad Episcopū veniēs, cornua in manibus eius dimisit, quibus dimissis ad montem vnde venerat, remeavit. Episcopus autem cornua quæ sibi taurus dimiserat, coram altari deponens Domino Saluatori cum ceteris fidelibus soluit laudes, actores vero falsæ suggestionis & eorum semine maledicto coarctans, ad exemplum Dauid qui pro morte Abner innocui Ioab cum semine cōdemnauit, sententialiter sic profatur: De semine Zadon, Cadon, & Ansilon non deficiat leprosus, & elaudus, cæcus, & mancus, vilis, & tenēs sulū. Rex autē viso miraculo perturbatus obtulit Episcopo satisfactionē, sed Episcopus regē videre noluit: immo secūda feria post festū Paschæ iter arripens ad Pamariēsem ecclesiā sanctæ Eulaliæ vsq; peruenit. Ibi infirmitate correptus quarta feria vitam finiuit. Cumq; sui vellēt corpus eius ad ecclesiā beati Iacobi deportare, immobile est inuentū, & attendentes q; a Domino fieret, tradiderunt corpus in eadem ecclesiā sanctæ Eulaliæ sepulturæ, 50

De insolentiis Veremundi, & vxoribus eius, & de victoria Almanzor. Cap. XIII.

REX vero Veremundus habuit duas nobiles concubinas, & erāt sorores, legem Domini obliuiscens, & ex vna genuit infantē Ordonium, & ex alia Geloirā.

Infans autem Ordonius procedente tempore ex infante Fronilda genuit Aldefonsum, Pelagium, Sancium, & Semenam. Prædictus etiam Veremundus habuit duas uxores legitimas, Velasquitam videlicet, quam viuentem dimisit, & non contentus incestu, sibi aliam nomine Geloiram adulterino contubernio copulauit, ex qua genuit Aldefonsum & Taresiam. Ex Velasquita autem genuit Christianam infantem. Ipsa vero Christina ex Ordonio Cæco filio Ranimiri Regis genuit Aldefonsum, Ordonium, Pelagiam Comitissam, & Eldontiam. Eldontia autem ex Pelagio Froilæ diacono genuit Comitem Petrum, Ordonium, Pelagium, Munionem, & matrem Suerii Comitis & fratris eius, & Taresiam Comitissam. Quæ cū esset domina Carrionis, ibi ecclesiam sancti Zoili ædificauit. Hi omnes dicuntur 10 vulgariter infantes de Carrion. Igitur propter peccata principis Veremundi, & populi Christiani, Rex Arabum qui Alhagib dicebatur, se Almanzor constituit nominari. Alhagib autem interpretatur supercilium, quia sicut supercilium defensio est siue umbraculum oculorum, sic & ipse dicebatur defensio populorum. Vnde & clariori vocabulo se Almanzor instituit nominari. Almanzor autem interpretatur defensio, siue defensio, eo quod multis victoriis gloriosus se & suos strenue defendit. Cumque Vegila de quo prædiximus, & quidam Comites, & alii plurimi Christiani ad eius præsidium confugissent, promittebant ei terram reliquiarum Hispaniæ se duros, & hac ambitione commotus adunato exercitu Arabum & Christianorum qui secum aderant, assumpto etiam filio suo Abdelmelic, quod 20 in tempore famulus erat Regis, cœpit Legionis, Castellæ, & Nauarræ provincias deuastare, cui exterminio pro maiori parte causam præbuit dissensio principum Christianorum qui sibi ad inuicem auxilia denegabant. Almanzor autem cum esset prudens, strenuus, hilaris, atque largus, ita sibi Christianos allicere saragebat, ut Christianos Arabibus ostenderet chariores. Hac benignitate charissimus erat suis, adeo quod omnes ex animo ei seruire pari studio laborabant, ita quod a Dōrio qui erat limes inter Christianos & Arabes, vsque ad fluuium Estolam omnia vastauit, in cuius ripa tentoria collocauit. Quod audiens Veremundus cum exercitu properauit, & insultum faciens in tentoria Almanzoris multos de suo exercitu interfecit. Cum autem esset Almanzor magnanimus, atque constans, a proprio folio deposito aureo pileo quem pro corona gestabat, humi reledit iuxta morem principum gentis suæ. Exercitus autem qui eum ex animo diligebat, confusionem autem ferre non sustinens, prælium restaurauit, & fugatis Veremundi militibus vsque ad Legionis ianuas peruenerunt. Sed vrgentibus pluuiis hyemalibus, quæ solent in illis partibus inundare, Almanzor ad propria est reuersus. Ciues autem Legionenses & Astoricenses timentes in futuro anno super se tantam multitudinem aduenturam, corpora Regum quæ erant sepulta, Legionem & Astoricam cum corpore sancti Pelagii martyris ad Asturias transtulerunt, & apud Ouetum in ecclesia sanctæ Mariæ sepelierunt, & super altare beati Ioannis Baptistæ corpus sancti Pelagii posuerunt. Quidam autem ex ciuibus Legionensibus corpus sancti Froilani Episcopi deferentes infra Pyrenæum ad vallem quæ Cæsaris dicitur, in sancti Ioannis Apostoli ecclesia collocarunt. 40

De irruptione Legionensi & Astorica. Cap. XV.

ADVENIENTE autem verno tempore Almanzor iterum exercitum congregauit, & veniens Legionem obsessam firmiter impugnavit. Veremundus autem se apud Ouetum recepit morbo podagrico præpeditus. Almanzor vero captioni Legionis feruenter insistens, dum fere per anni circulum impugnasset, in porta occidentali prima irruptio facta fuit, quarta die post hoc secunda irruptio iuxta portam meridionalem. Tunc Guillelmus Consalui Comes Galleciæ qui ad defensionem venerat, grauiter ægrotabat, sed audiens murum effractum ad locum periculi se armatum deferri præcepit, ut mortem videret antequam excidium ciuitatis. Irruentibus itaque Arabibus idem Comes occiditur, & ciuitas occupatur, & Almanzor portas vrbs opere maritimo constructas, & arcem præcipuam, portam 50 orientalem

orientalis murum, & cæteras turres fecit destrui a fundamentis, vna duntaxat relicta quæ esset posteris in memoriam, quod talium murorum & tantarum turrium destruxerat ciuitatem. Cepit Astoricam, & summitatem turrium decurravit, Coiancam (quæ nunc Valentia) & sanctum Facundum, & alia plurima loca subuertit, Albam, Lunam, Gordonem, & Arbolium licet impugnauerit, non potuit obtinere. Deinde rediens per terras Castellæ, Oxomam, & Alcouelam, Valeranicam (quæ nunc Berlanga) & Auentiam obtinuit & destruxit. Exinde ad sua rediit factu & superbia eleuatus. Sic enim super Christianos ira cælestis Regis exarserat. Vbi cum fere per duodecim annos Christianorum terminos inuasisset, & ut voluerat, vastauisset, & plurima loca sibi tributaria effecisset, semper inuictus rediit cum triumpho. Vnde etiam ab Hispania Gotthorum gloria recessit, thesauros ecclesiæ Arabes abduxerunt, & cultus ecclesiæ datus est in contemptum, & plaga quæ acciderat tempore Roderici, & iam videbatur obduci, passa est reciduum.

De morte Almanzor. Cap. XVI.

IGITUR anno XIII. Almanzor resumpto exercitu ingressus est per eam partem Galleciæ quæ dicitur Portugale, munitiones & ciuitates hostiliter deuastando. Cumque ad maritima peruenisset, etiam ciuitatem & ecclesiam beati Iacobi deuastauit, sed fulgure territus, ab eo loco vbi esse corpus apostoli credebatur, abstinuit, quod tamen proposuerat violare. Nilominus tamen campanas minores in signum victoriæ secum tulit, & in Mezquita Cordubensi pro lampadibus collocauit, quæ longo tempore ibi fuerunt. Almanzor autem cum suo exercitu percussus a Domino pro scelere sacrilegii dignam sustinuit ultionem. nam qui sanctum locum apostoli profanarat, immunda sui plaga, scilicet dysenteria, fere totus exercitus est consumptus, reliqui morte subitanea perierunt. Quod audiens Rex Veremundus misit multitudinem peditum expeditam, qui imbelles & infirmitate consumptos in montanis facile trucidarunt. Et sic Almanzor coactus peste ad propria est reuersus. Rex autem Veremundus coactus hostibus legationem misit, Garfiæ Fernandi Comiti Castellano, & Garfiæ Tremuloso Regi Nauarorum, ut obliti iniuriarum ad agenda prælia fidei fœderati in simul conuenirēt. Quod 30 audientes Rex Garfiæ misit exercitum, Comes Garfiæ Fernandi personaliter cū sua multitudine, & Rex Veremundus, licet podagricus, gestatus humeris baiulorum, collecta potentia regni sui omnes in simul conuenerunt, & in loco quodam qui Arabice Calacanzor, Latine autem dicitur Vulturum altitudo, Almanzor venienti cū suis Arabibus ut Castellam inuaderet, occurrerunt. Cumque sese mutuis cædibus inuasissent, maxima pars cecidit de exercitu Agareno, tamē noctis tenebris intercepti, neuter neutri cessit campum, & tanta strage comperta suorum bellum in crastino timuit restaurare. Vnde & de nocte fugiens cum venisset ad vallem Borge corexi, dolore vexatus animam exhalauit, & ad Medinam quæ Cælum dicitur, est 40 delatus. Cumque dies crastina illuxisset, exercitus Christianus putauit Arabes ad prælium reuersuros, sed cum tentoria vacua hominibus conspexissent, ipsa tentoria, & supellectilem, & spolia varia occuparunt. Comes autem Garfiæ Fernandi viriliter insecutus eos qui cædem euaserant, fere vsque ad interuentionem deleuit. Almanzor autem qui semper inuictus fuerat, tanto dolore prosternitur, ut a die prælii neque cibum, neque potum sumpserit, donec diem concludit extremum.

De fuga Abdelmelich, & morte Regis Veremundi. Cap. XVII.

IBIDEM anno sequenti Abdelmelich filius eius postquam paternum suscepit honorem, exercitum congregauit, ut vastationibus in Christianorum finibus instaret, veniensque Legionem, quod residuum inuenit in muris & turribus, distripauit, ne posset iterum reparari. Sed Comes Garfiæ Fernandi adueniens ex Castella cum magna multitudine militum & populorum, sibi Legionem adiunxit, & Abdelmelich in ore gladii effugauit. Sicque Christianis finibus a tot cladibus liberatis, 50

aliquo tempore terra quieuit. Tunc reuocatis militibus Christianis, Rex Legionis, & Rex Nauarræ, & Comes Castellæ possessiones & iura militibus restituerunt, ne particularia schismata fierent Arabibus occasio præualendi. Eo tempore Rex Veremundus a furrone deceptus præcepit capi Gudestem Episcopum Ouentensem, sed ut tantum nefas non procederet impunitum, facta est siccitatis magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur. Cumque quibusdam religiosus fuisset a Domino reuelatum famen propter iniuriam Episcopi accidisse, & Regi esset reuelatio intimata, confestim absoluit Episcopum, & per Semenem Astoricensem Episcopum cui Rex Episcopum commendauerat, fecit restitui Gudestem, & statim Dominus pluuiam voluntariam segregauit, & terra attulit fructus suos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus ecclesiam beati Iacobi, & cætera loca quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, restaurauit, & bonis operibus, & eleemosynis iam intentus de commissis cum consilio prælatorum poenitentiam agere satagebat, & in villa quæ est in Berizo, moritur & sepelitur, & ab Alphonso filio & successore transfertur post aliquantum temporis Legionem, & in ecclesia beati Iohannis Baptistæ cum coniuge Geloira denuo sepelitur.

De Aldephonso, & miraculo sororis sue, & morte Comitis Garfise Fernandi. Cap. XVIII.

POST obitum Veremundi Aldephonsus filius eius successit in regno, qui quinque annorum erat cū regnare cœpisset, æra m. xvii. & regnauit annis xxvi. nomen matris eius Geloira. Cum esset paruulus, datus est nutriendus Menendo Gundifalui Comiti Galleciæ, & uxori eius Comitissæ Maiori. Cum autem adoleuisset, accepit uxorem eorum filiam Geloiram, ex qua duos filios dicitur habuisse, Veremundum & Sanciam: & hæc Sanciam procedente tēpore nupsit Regi Fernando filio Regis Sancii Nauarrorum. Hic autem Aldephonsus in reprobum sensum datus, cum esset puer, dedit Tarasiam sororem suam in uxorem Abdaliæ Regi Toleti sub pacto auxilii contra principem Cordubensem, ipsa penitus reclamante. Cumque Rex ille vellet eam suis amplexibus commiscere, inquit illa, Christiana sum, & abhorreo connubia aliena, noli me tangere, ne interficiat te, quem colo, Dominus Iesus Christus. Ille autem deridens talia inuitam corripuit, statimque percussus ab Angelo sensit mortis periculum imminere, vocatisque familiaribus oneratis camelis auro, & argento, & vestibus preciosis, & suppellectili valde decora remisit eam protinus Legionem, quæ ibidem in monachali habitu diu vixit, sed ad monasterium sancti Pelagii se postea transferens ibidem & vitam finiuit, & sepulturam accepit. Eisdem diebus Sancius filius Comitis Garfise Ferdinandi contra patrem visus est rebellare. Cumque inter patrem & filium esset discordia concitata, Sarraceni fomentū impetus habuerunt, & Castellæ terminos inuadentes Abulam quæ populari cœperat, destruxerunt, Cluniam & sanctum Stephanū occuparunt, cedes & incendia in patria exercentes. Cumque Comes Garfise Ferdinandi talia percepisset, magnanimitate pulsatus, licet gens sua in eum & filium esset diuisa, eligens mori pro patria cum Arabibus decertauit, sed multitudine circumclusus viuus capitur inter cæsos vndique comprehensus, sed paucis diebus moritur, eo quod in bello fuerat lethaliter vulneratus, & corpus eius a Sarracenis redemptum in monasterio sancti Petri de Cardonia requiescit.

De Sancio Comite, & pijs operibus Aldephonsi. Cap. XIX.

HVIC successit in Comitatu Sancius filius eius, vir prudēs, iustus, liberalis, strenuus, & benignus, qui nobiles nobilitate potiore donauit, & in minoribus seruitutis duritiam temperauit. Hic patris iniuriam impatiens sustinere, iuxta foedus cum patre initum Nauarrorum & Legionensium exercitus cōuocauit, & ingressus cum eis ad partes Toleti cæde & clade cuncta vastauit, & prædis abductis, quæ remanserant, flamma consumpsit. Nec ab his stragibus fuit regnum Cordubæ alienum.

num. Sed utroque regno vastatione consumpto, & munera obtulerunt, & indignationis faciem donatorum copia placauerunt, & sic patris iniuria vindicata gloriosus & inclytus remeauit. Rex autem Aldephonsus concilium celebravit, & reedificauit Legionem, quam Almanzor & Abdelmelich filius eius destruxerat (pro ut superius est expressum) & leges Gothicas reparauit, & alias addidit, quæ in regno Legionis etiam hodie obseruantur, & colligens ossa Regum variis direptionibus dispartita in sancti Iohannis basilica sepeliuit. His temporibus duo filii Vegilæ ad Sarracenos transfugæ propter insolentias quas agebant, a Sancio Comite recesserunt, & a Rege Aldephonso benigne recepti in submotanis dominium acceperunt. Post hæc Rex Aldephonsus cum suo exercitu veniens ad oppidum quod Viseum dicitur, mox obsedit. Cumque inermis infirmiora oppidi prospiceret, inter scapulas sagitta percussus lethalis vulneris sensit ictum, & rebus in præsentia pontificum ordinatis, facta confessione, & sumpto viatici sacramento vitam finiuit, & soluta obsidione a suis Legionem deducitur, & in paterno mausoleo sepelitur.

De Rege Veremundo, & filiabus Sancii Comitis Castellani. Cap. XX.

POST mortē Aldephonsi Veremundus filius eius successit in regno æra m. xliiii. & regnauit x. annis, & quamuis puer, postremis patris actibus adhærens, tam ecclesias, quam monasteria, quam loca sacra ab Arabibus dissipata studuit reparare, & malorum insolentias restrainere. Hic duxit uxorem nomine Tarasiam filiam Sancii Comitis Castellani, qui Sancius habuit aliam filiam nomine Geloiram (alii dicunt vocatam Maiorem) quam dedit uxorem Regi Nauarrorum Sancio qui dictus est Maior, ex qua suscepit idem Sancius duos filios, Garfiam videlicet, & Fernandum.

De ortu & genealogia Regum Nauarrensum Cap. XXI.

VERVM quia genealogiæ Regum Castellæ lineæ, & Legionis in viris post tempora Veremundi & Comitis Sancii defecerunt, & successiones Castellæ & Legionis fuerunt ad fœminas deuolutæ, oportet genealogiam texere a Regibus Nauarrorum, qui hæc des fœminas in matrimonium assumpserunt. Cum enim Castella, Legio, & Nauarra variis Arabum incurfionibus vastaretur, vir aduenit ex Bigorciæ Comitatu, bellis & incurfibus ab infantia assuetus, qui Enecho vocabatur, & quia asper in præliis, Arista agnomine dicebatur, & in Pyrenæi partibus morabatur, & post ad plana Nauarræ descendens ibi plurima bella gessit: vnde & inter incolos regni meruit principatū. Hic genuit filium Garfiam nomine, cui uxorem Vrracam de regio semine procurauit.

De Rege Garfise Enechonis, & filio eius Sancio. Cap. XXII.

MORTVO autem Enechone Arista regnauit Garfias Enechonis filius eius, vir largus, & strenuus, & in bellis continue se exercēs. Cumque quadam die minus caute in quodam viculo qui Larumbe dicitur resideret, superuenientes Arabes improuidum occiderunt, & Reginam Vrracam uxorem suam prægnantē in utero lancea percusserunt. Sed continuo aduentu suorum latrunculorum Arabum effugatis Regina morti proxima, tamē viua, per vulnus læcæ sicut Domino placuit, infantulum est enixa, & fetus ministerio muliebri vitæ miraculo omnium est seruatus, & Sancius Garfise fuit vocatus. Mortua autem matre, quidam nobilis qui a tempore Enechonis Aristæ adheferat Regi Garfise, suscepit infantulū, & fecit eū diligentissime enutriti, & transactis infantia & pueritiæ annis, cū ad adolescentiā pertuisset, ætatem indole, & indolem strenuis operibus superabat, & successit in regno Regi Garfise æra m. ccc. cxviii. Nutritus autē eius cū esset nobilis & abundans, semper eum consiliis & auxiliis ad magnalia prouocabat, & procuratus est ei uxorem de regio semine quæ Theoda vocabatur, ex qua suscepit filium Garfiam nomine, qui agnominatus est Tremulosus. Habuit etiam quatuor filias, Semenam,

Mariam, & Tarasiam, & Valasquitam, quæ fuit data Comiti Biscagiæ Munioni. Verum Rex Sancius ex Cantabria Arabes grauiter infestabat, adeo quod vsque ad mortē Auce, & Tudeliam, & prope Oſcam fere omnia subdidit ditioni. Acquiſiuit etiam Aragoniam & montana. Verum populi Cantabrorum agilitati & frigore aſſueti tempore irruptionis Arabum expeditiones viriliter ſuſtinebant, & quadam vice cum Arabes hyemali tempore inuaderent Pampiloniã, & Rex Sancius vltra Pyrenæum ageret, audito periculo, periculo ſe ingeſſit, & propter importunitatem niuiū de crudis coriis fecit abarcas, quibus pro ſotularibus per medias niues tranſiuit illæſus, & ab hoc factio fuit exinde dictus Abarca (& aliqui qui ex genere eius proceſſerunt, adhuc hodie cognomen retinent ab Abarca) & circa auroram obſeſſis adueniens impetu dirupit obſeſſores, & tanta ſuccubuit multirudo, vt vix ſuper eſſet qui Arabum infortunium nūciaret. Et quia habebat populos agiles, & in ſpiculorum actibus expeditos, vt eos ad bella & infestationes Arabum amplius prouocaret, interdum cum militibus ſtudio militari, interdum cum peditibus officio peditali, ſemper tamē præliis fidei inſiſtebat, & in rupibus arduis munitiones ſepius conſtruebat, & aliquando pugna, aliquando furſtim caſtra plurima occupabat, & more peditum calciatis abarcis peditibus comitatus, pari, immo præcellenti agilitate, in Carpetania & Celtiberia loca plurima æquiſiuit, quæ adhuc hodie Regis Sancii Abarcæ dicuntur, & ipſe Rex Sancius Abarca adhuc hodie memoratur, & inde ſic compeſcuit incurſantes, vt terra diebus eius ſecuritate continua lætaretur, & regnauit Rex Sancius dictus Abarca annis xv. & decefſit ætate dccccxliiii.

De Rege Garſia qui dictus eſt Tremuloſus. Caput XXIII.

EO mortuo, Garſias filius eius regnauit pro eo, qui dictus eſt Tremuloſus, eo quod quādo rumores periculi audiebat, vel debebat in prælio experiri, a principio totus tremulabat, ſed poſtea conſtantiffimus perſiſtebat. Hic bonus, pius, & largus, ſtrenuus, & benignus, & quicquid habere poterat, militibus erogabat, & quia imitator patris, interdum ſe peditum phalangibus immiſcebat, peditans aggregatim, & etiã calceamentis ſimilibus vtebatur: vnde dictus fuit Garſias Abarca. Regnauit autem annis xxv. & mortuus fuit ætate dccccclxviii.

De Rege Sancio, & generationibus Regum Nauarræ. Cap. XXIIII.

POST mortem eius filius eius Sancius dictus Maior ſucceſſit in regimine Nauarorum, & duxit vxorem filiam Comitis Sancii de Caſtella, quæ Maior, vel Geloira ſecūdam alios dicebatur, & ſuſcepit ex ea duos filios, Garſiam & Fernandum. Et Rex Garſias habuit duos filios, Regem Sancium, quem ſibi ordinauerat ſucceſſorem, ſed fuit occiſus in Pœna leni, & alium, qui Sancius ſimiliter eſt vocatus, apud Rhodam fuit proditionaliter interfectus. Hic habuit filium Ranimirum Infantem, qui Ranimirus duxit vxorem filiam Roderici Didaci, cum Valentia morabatur, & ſuſcepit ex ea filium Garſiam Ranimiri, qui primus regnauit in Nauarra, ex quo Fernandus filius Sancii Maioris ſedem regni a Nauarra tranſtulit in Caſtellam, & tunc temporis Nauarri inter regnum Caſtellæ & Aragoniæ, quaſi acephali fluctuabant. Vnde cum poſt mortem Petri & Aldeſonſi Regum Aragoniæ qui ſine filiis deceſſerunt, regnum Nauarræ diuerſis ſtudiis traheretur, Nauarri Garſiam Ranimiri, de quo diximus, miſſis duobus Baronibus, Guillelmo Accenarii de Oteica, & Fortunio Enechonis de leet, clanculo a Montionis curia euocarunt, & cum ſibi principem elegerunt, & per eum fuit regnum Nauarræ ſatis tunc reparatum. Hic duxit vxorem Margelinam filiam Rotronis Comitis Perticorum, ex qua ſuſcepit filium nomine Sancium, qui fuit prudens, magnanimus, & ſtrenuus in agendis. Habuit etiam duas filias Rex Garſias, Blancam, quæ nupſit Sancio Regi Caſtellæ, & habuit filium nomine Aldeſonſum, de quo inferius proſequemur, habuit & aliam filiam nomine Margaritam, quæ nupſit Guillelmo

Guillelmo Regi Sicilia, ex qua ſuſcepit Regem Guillelmum, qui ſemper diuitiis & deliciis abundabat. Hic duxit vxorem Ioannam filiam Enrici Regis Anglorū, nectamen habuit ex ea prolem. Sed eo mortuo vxor ſua Regina Ioanna nupſit Raimundo Comiti de Tolofa, ex quo ſuſcepit filium nomine Raimundum, qui Tolofæ adhuc hodie principatur. Mortua Margelina, Rex Garſias duxit vxorem Vrracam filiam Imperatoris, quam habuit ex Götroida ſore ſore Didaci Abiregonis, ex qua ſuſcepit tertiam filiam. Et mortuo Rege Garſia, Vrraca Regina nupſit Aluaro Roderici, & me ſua tempora inuenerūt. Et ex iſta habuit Rex Garſias tertiam filiam nomine Sanctiam, quæ data fuit Gaſconi Vicecomiti Bearnenſi, & eo mortuo ſine prole, nupſit Petro Comiti Molinēſi, & ſuſcepit ex ea filium nomine Aimericum, qui fuit Vicecomes Narbonenſis, eo quod Comes Petrus fuit filius Ormiſindæ, ad quam Narbona ſucceſſione prouenit. Sancius autem Rex Nauarræ duxit vxorem nomine Beatiam filiam Imperatoris, ex qua genuit duos filios, Sancium, qui ſucceſſit in regno, qui dicebatur agnomine Inſeratus, eo quod in caſtro Tudeliæ reſidens ſe ab omnibus præterquam a paucis domeſticis occultabat. habuit & alium filium Ferdinandum, qui erat merito probitatis in oculis omnium gratioſus, ſed caſu miſerabili equi præcipitio quaſſatus apud Tudeliam vitam finiuit. Habuit & tres filias, Berengariam, quæ Ricardi Regis Angliæ fuit vxor. Quo mortuo ſine prole, in viduitate laudabili diu vixit, & in ciuitate Cenomānis ex donatione propter nuptias quam habebat, frequentius morabatur. Eleemoſynis, & orationibus, & piis operibus intendendo caſtittatis & religionis exemplo prouocans ſtudia ſcæminarum, & in eadem ciuitate vitæ curſum ſcælici exitu cōſummavit. Secunda filia Regis Nauarræ fuit Conſtantia, quæ fuit mortua nō dum nupta. Tertia filia fuit Blanca, quæ nupſit Comiti Campaniæ Theobaldo, & ſuſcepit ex eo filium poſthumum Theobaldum. Hic duxit vxorem de Lothoringia filiã Mertenſis Comitis, ſed ab ea poſtmodum fuit iudicio eccleſiæ ſeparatus. Poſtea duxit filiam nobilis Baronis Guiſcardi de bello ioco, & Sibyllæ filiã Philippi Comitis Flandriæ & Hannoniæ. ex iſta ſuſcepit filiam nomine Blancam, quæ eſt vxor nobilis Ioannis ducis Britanniæ. Poſtea duxit vxorem tertiam nomine Margaritam filiam nobilis principis Archenbaudi, ex qua ſuſcepit duos filios Theobaldum, & Petrum, & filiam Alienor, quorum infantiam Dominus alat, prouehat, & exaltet. Hic Theobaldus fidei zelo ſuccenſus aſſumpta ſecum maxima multitudine militum, principum, & baronum iuit in ſubſidium terræ ſanctæ, & loca plurima acquiſiuit, quæ Chriſtianæ reſtituit poteſtati, ibique omnibus militibus indigentibus, etiam iis qui in expenſis eius non iuerāt, vsque ad reditum in ſumptibus ſatiſfecit, plerofque milites quos Agarenorū verſutia captiuauerat, pactis & pecuniis liberavit, & reuerſus in Campaniam Comitatum & regnum laudabiliter gubernauit, omnibus manſuetus, iuſtus, pacificus, & modeſtus, qui nūc Nauarræ & Campaniæ principatur, & Dominus dirigit vias eius.

De infante Garſia, qui fuit occiſus in Legionem. Cap. XXV.

NUNC ad hiftoriam Regis Sancii, qui dictus eſt Maior, a qua diuertimus, reuertamur. Mortuo Comite Sancio ſucceſſit in Comitatu filius eius Garſias, cui magnates Caſtellæ vxorem procurati ſunt Regis Veremundi ſorem quæ Sâcia dicebatur. Cumque infans Garſias cum ſuo exercitu, & Rege Sancio Nauarrorū, vsque ad ſanctum Facundum facturus nuptias perueniſſet, ibidem dimiſſo exercitu cum paucis clanculo iuit Legionem, vt poſſet ſponſam conſpectu mutuo inueniri. Erant autem tūc temporis Legionem filii Vegilæ Comitis, Rodericus Vegilæ, Didacus Vegilæ, & Enechus Vegilæ, qui ob patris odium proditionis anhelum in ſilium congeſſerāt factionem, & ei obuiam occurrētes, manus oſculo (pro vt exigit mos Hiſpanus) ſe eius dominio ſubiecerunt, quorum hominio iã ſecurus, & paranympis dulci alloquio pſuaſis, permiſſus eſt infans optatis ſolatiis delectari. Cūq; ſe mutuo conſpexiſſent, ita fuit vterq; amore alteri colligatus, vt vix poſſent a mutuis aſpectibus ſeparari. Tunc quidā milites de regno Legionis cū prædictis filiis

Vegilæ ad Sarracenos transfugæ, eo quod a Comite Sancio indignanter recesserāt a Castella prodicione tracta, infantem Garfiam annorum terdecim occiderūt, Roderico Vegilæ ea manu, qua eum de sacro fonte leuauerat, gladio feriente. Et prodicionem huiusmodi sponsa sua Sancia quæ utcumque perceperat, reuelarat, sed magnates qui secum aderant, cum essent nobiles & fideles, tātum facinus credere noluerūt. Vnde & peractō facinore Castellani & Legionēses intestinæ plagæ vulnere corruerunt. Sponsa vero sponsi dulcedine vix gustata, ante vidua, quā traducta, fletu lugubri semiuuua lachrymas cū occisi sanguine admiscebat, se occisam ingeminās cum occiso. Qui cum in ecclesia sancti Ioannis cum patre sponsæ sepeliretur, & ipsa cum sepulto voluit sepeliri. Aliqui autem de proditoribus ad montium ardua confugerunt. Sancier autem dictus Maior, qui sororem infantis Garfiæ maiorem duxerat in vxorem, statim Castellæ ingressus est Comitatum, ad quem erat ratione vxoris successio deuoluta, ad quem etiam Ducatus Cantabriæ pertinebat, eo quod pater eius Rex Garfias fuerat filius Sancii, qui regno Nauarræ Cantabriæ addiderat principatum, & regnum Nauarræ, & Comitatum Castellæ, & Ducatum Cantabriæ bellis indefinētibus mirabiliter ampliarat, cuius sedes fuit Anagarum ab antiquo. Sub isto Comes Didacus Porcelli populauit Burgis, quam quia ex Burgellis plurimis ademerat, Burgis statuit nominari, æra nongentesima vigesima secunda, & iter sancti Iacobi quod propter infultus Arabum per Alauam & Asturiarū deuia frequentabāt, ab Anagaro per Biruescam & Amaiam immutauit, & per cōfinia Carrionis, donec ad Legionem & Astoricam veniatur.

De diuisione regni, & infamatione Regina. Caput XXVI.

CVMOVE Arabes victoriis attrinisset, satis secure degebat. Habebat autem equum quem tenerime diligebat, eo quod celeri fortitudine equis omnibus præminebat. erat enim strenuus, domitus, & probatus, & in eo tanquam in vitæ subsidio confidebat, quem dimisit Anagari vxoris fidei commendatum. Tanta erat tunc temporis infestatio Arabum, quod milites, Comites, & etiam Reges in domibus vbi vxorum thalami ornabantur, equis stationem parabant, vt quacunque hora clamor inuadentium insonaret, ad equos & arma possent sine dilatione aliqua festinare. Filius autem eius Garfias qui erat primogenitus, commēdatum equum a matre petiit sibi dari. Et cum illa annuisset precibus inclinata, miles quidam Regina seruitio deputatus, eam a proposito reuocauit, ne forte contra eam Regis indignatio incanderet. Sed & ipsa acceptans consilium, quod promiserat, denegauit. Indignatus autem filius vehementer suasit fratri, vt matrem suam apud patrem de familiari commercio cum milite qui de equo disuaserat, accusarent. Sed Fernandus nolens esse matris delator dixit fratri, non accusabo, sed quæ dixeris, tolerabo. Garfias autem cuius furor maledictus, quia pertinax, & indignatio, quia dura, matris infamiam coram patre propofuit impudenter, & fratris testimonium inuocauit. Et Rex credulus filiorum vxorem suam in castro Anagari obseruauit, & super hoc curia congregata decretum est Reginam condemnādam duelli certamine, aut saluandam. Sed cum nullus adesset qui contra Regis filios vellet in certamine pro Regina experiri, Ranimirus aduenit homo pulcherrimus, & in armis strenuus, & Regis Sancii filius, non ex illa, qua alii, ortus matre. Ipse se obtulit duelli periculo pro Regina. Cumque negotium in magno discrimine tractaretur, accessit monachus sanctitate præcipuus ex monasterio Anagarensi, qui dixit Regi: Si Regina falso susurro accusatur, velletis eam a crimine liberare, & delatoribus indulgere? Qui respondit: Si posset cum iustitia liberari, nihil posset mihi gratius obuenire. Filii autem confessi fuerant sancto viro, se in matrem suam falso infamiam congestisse. Vir autem sanctus timens ne in tanto periculo Regina innocens damnaretur, Regi, quæ perceperat, reuelauit: & saluatus est Regina sanguis innoxius illa die. Rex autem de absolute Regine iucundius eam rogauit, vt filiis impietatis facinus indulgeret. Tunc Regina annuit ea lege, vt Garfias in regno Castellæ quod ei ex parte patris prouenerat, non regnaret: quod & ita

& ita fuit. Nam cum regnū filii diuidere decreuisset, ne occasio discordiæ viam daret Arabibus præualendi, ordinatione patris Garfiæ primogenito regnum Nauarræ & Ducatus Cantabriæ prouenerūt: Fernando vero Castellæ tradidit principatum. Regina itaque honori pristino restituta, & etiam ampliori, Aragoniam quæ eius erat ex donatione propter nuptias, dedit Ranimiro priuigno, qui propter eam se obtulerat ad duellum, id ipsum Rege Sancio confirmante.

**RODERICI ARCHIEPI-
SCOPI TOLETANI DE REBUS
HISPANIÆ LIBER
SEXTVS.**

Caput primum.

SED quia Ranimirus principium fuit Regum qui in Aragonia regnauerunt, a genealogia fratrum suorum aliquantulum diuertentes, successionem Regum Aragonum qui multis victoriis claruerunt, stylo cōtinuo vsque ad hæc tempora prosequemur. Fuit itaque Ranimirus filius Regis Sancii qui dictus est Maior, quem suscepit ex quadā nobilissima domina de castro Aiuarum. Qui patre mortuo cum esset strenuus, primus in Aragonia Regem statuit se vocari, & hic fuit in Aragonia Regū primus. Hic genuit filium quem a patris nomine Sancium nominauit. Hic Sancier obsedit Oscam, & sagitta percussus sensu se lætaliter vulneratum, & adiurauit filios suos Petrum & Aldefonsum, quod nunquam ab obsidione recederent, donec ciuitas caperetur: & ipso vitam ex vulnere finiente, corpus eius inhumatum tandiu seruauerūt, donec ciuitas fuit capta. Cumque ad soluendam obsidionem multitudo Arabum aduenisset, Petrus qui inter filios maior erat, & ibidem mortuo patre in Regem fuerat eleuatus, a monasterio sancti Victoriani martyris fecit afferri corp⁹, & eius orationibus se commendans cum Arabibus concertauit, & martyris oraculo confortatus pugnæ institit, adeo quod & fugauit Arabes, & de eorum spoliis exercitui inopia laboranti copiam ministravit, & interpositis paucis diebus sic ciuitatem strenue impugnauit, vt & ciuitatem sibi redderent, & se eius dominio manciparent. Hic est Petrus qui in bello postmodum a Roderico Didaci fuit captus, sed hostis clementia continuo liberatus. Hic habuit duos fratres Aldefonsum, cuius facta postea prosequemur, & Ranimirus, qui in monasterio sancti Pontii de Thomaris fuit monachus & sacerdos.

De dissensione Aragonensium, & de regno monachi Ranimiri. Caput II.

VERVVM interpositis multis annis, aliis duobus fratribus decedētibus sine prole, fuit inter Aragonenses dissensio subsecuta, quia cū Ranimirus (vt diximus) esset monachus & sacerdos, non posset bella neque iustitiam more regio exercere, nec posset vxor legitime sibi dari. Vnde & quendā nobilem qui dicebatur Petrus Tarasæ, volebant Regi mortuo subrogare, & quia ille minus prouide se gerebat, cepit de futuro nomine se insolere, & spei, non rei dominio superbire, & nobiles dedignari. Vnde duo magnates, scilicet Petrus Titonis de Catherecta, & Peregrinus de castello Acioli, cum essent nobiles & potentes, & vellēt fidelitatem naturali domino custodire, plurimorum animos a primo proposito reuocarunt, & vt Ranimirus monachum a monasterio euocarent, vigilanti studio procurarunt. Dum enim quadam die apud Boriam Aragonensium curia prouenisset, vt

prædictum Petrum ad regni fastigium subleuarēt, & ex Nauarra aliqui ex magnatibus aduenissent, & eos Aragonenses minus curialiter recepissent, Petrus Titionis eis occurrens recepit liberaliter & iucunde, & sciens Petrum Tarasæ balneis detineri, prædictos magnates duxit ad eum, sed fuit eis a ianitoribus aditus denegatus. Et indignantes ilico abierunt, & peracto prandio cum Petro Titionis murato proposito recesserunt. In eadem autem curia procurantibus dictis magnatibus, fuit promotio Petri Tarasæ impedita, & res dilata vsque ad curiam Montionis. Cumque in Montione iterum conuenissent, potiorum consilium hoc firmavit, ut Ranimirum monachum fratri mortuo subrogarent: &eductum de monasterio apud Oream in regni folio collocarunt, & sororem Comitis Pictauiensis in vxorem ei post modicum temporis ascuerunt. Hic fuit in præliis fortunatus, & suis benignus, propitius, liberalis, adeo quod fere omnes villas & castra regalia militibus est largitus. Suscepit autem filiam nomine Petronam, quæ postea dicta fuit Vrraca, quæ Raimundo Barcinonensi Comiti fuit nupta, & cum esset nubilus, statim Rex monachus fuit suo monasterio restitutus. Qui tamen dum in regno existeret, monasterium suum ecclesiis & possessionibus multis ditauit, quæ adhuc hodie possidet in Aragonia & Nauarra.

De unione regni & Comitatus Barcinonæ, & filii Comitis & Reginae. Caput III.

20

EIVS itaque filia Vrraca coniuncta Comiti Barcinonæ, fuit regni & Comitatus vna deinceps successio subsequuta. Et suscepit idem Comes ex Vrraca Regina duos filios, & vnam filiam, Aldefonsum scilicet & Sancium, & Dulciam, quæ nupsit Regi Sancio Portugallensi, cuius generatione inferius describemus. Sancius duxit vxorem Sanciam filiam Nuntii Comitis ex Castella, ex qua suscepit filium Nunium, qui fuit mortuus sine prole. Aldefonsum autem primogenitum patri & matri succedens scepra regni & Comitatus obtinuit. Hic fuit strenuus & liberalitatis satis amator, & in partibus Prouinciæ multa gessit. Comitatus enim Prouinciæ suus erat. Hic populauit Turolum & alia plura castra, & duxit vxorem Sanciam nomine, quam Imperator Hispaniarum susceperat ex Richa imperatrice, quæ fuit filia Ducis Poloni, ex qua suscepit tres filios, scilicet Petrum, Aldefonsum, & Fernandum, & tres filias, Constantiam, Alienor, Sanciam. Aldefonso dedit Comitatum Prouinciæ. Hic fuit bonus, strenuus, atque largus, & duxit vxorem in neprem Comitis Folocalquerii, ex qua suscepit filium qui nunc Prouinciæ principatur, & est strenuus atque prudens, qui ciuitates multas & castra a Comitatu deperditas acquisiuit. Hic duxit vxorem Beatricem filiam Comitis Maurienem, ex qua suscepit quatuor filias: quarum vna nupsit Regi Francorum domino Ludouico: aliam duxit dominus Angliæ Rex Enricus: Constantia filia Regis Regi Vngariæ fuit nupta, & viro mortuo sine prole in Aragoniam est reuerfa, quam Rex Petrus frater eius dedit in vxorem Regi Siciliæ Federico, qui fuit postea Imperator. Cumque Aldefonsum Comes Prouinciæ frater eius cum sorore Regina in Siciliam nauigasset, ipsa iuncta matrimonialiter Federico, Aldefonsum Comes vitam finiuit cum multis aliis nobilibus qui cum eis ex Aragonia & Catalonia nauigarāt, Federicus autem suscepit ex Constantia filium Enricum, qui adultus duxit vxorem filiam Ducis Austriæ. Sed quia contra patrem intentauerat rebellare, pater eum tandem tenuit captiuatum, donec in Apulia diem vltimum consummauit.

De Petro Rege Aragonia, & eius morte. Caput IIII.

50

PETRVS autem qui erat primogenitus, Aldefonso patri successit in regno. Hic fuit strenuus, curialis, & largus, & vndecumque pecunias habere poterat, liberaliter erogabat, adeo quod interdum castra & municipia creditoribus obligabat, ne manus solita semper dare, inueniretur a largitionibus aliena. Hic semper fuit Regi Castellæ Aldephonso nobili fidei amicitia fœderatus, & cum eo in famosissimo

fissimo bello Vbetæ fuit victor, vt inferius latius differemus. Hic cepit castellum Abibdeimuz, & alia castra quæ a Sarracenorū instantia liberauit. Hic duxit vxorē Mariam filiam principis nobilis Guillelmi montis Pefulani, quam habuerat ex filia Imperatoris Constantinopolitani, & suscepit ex ea filium nomine Iacobū. Hic Rex Petrus sub Innocentio Papa tertio Romam adiens, ab eodem Papa fuit in ecclesia sancti Pancratii diademate coronatus. Demum cum venerabilis Arnaldus Narbonensis Antistes contra hæreticos qui prouincia Narbonensi nomē Domini blasphemabant, de Galliis crucis signatorum multitudinem aduocasset, aduenit Petrus Rex Aragonum in auxilium Comitis Tolosani. Nam ipse Raimundus Comes Tolosæ Alienor sororem Petri Regis Aragonensis duxerat in vxorem. Raimundus etiam eius filius patri æquiuecus forori Regis nomine Sancix erat matrimonio copulatus, & ex ista Sanciam genuit filiam, quæ nupsit Aldefonso, filio Ludouici Regis Francorum, Comiti Pictauiensi. Rex itaque Petrus cum paucis Aragonensibus, & pluribus Catalanis, & prædicto Comite, & etiam cum Fuxensi, & aliis magnatibus Galliæ Gothicæ, iuxta castrum quod Murelum dicitur, cum Gallicis commiserunt, & sicut Domino placuit, Rex cum Aragonensibus in prælio ceciderunt, quia ipsi soli viriliter perstiterunt, Fuxensi & Tolosano Comitibus terga præbentibus cum aliquibus Catalanis. Nec Rex Petrus cum esset plene catholicus, in fauorem venerat blasphemorum, sed (vt diximus) affinitatis debito. Mortuus autem sepultus est in Sexena quam mater sua Regina Sanciam construxerat hospitali, & instituerat ibi collegium dominarum. Occubuerunt autem cum eo in bello de magnatibus Aragonis, Aznarius Pardi, & Petrus Pardi filius eius, & Gometius de Luna, & Michael de Lusfa, & multi alii de prioribus Aragonis. Hoc prælium fuit æra millesima ducentesima quinquagesima secunda.

ÆRA 1252

De Rege Iacobo, & filiis eius, & magnalibus eiusdem. Cap. V.

MORTVO Rege Petro filius eius Iacobus adhuc paruulus fuerat a patre Simonis Comitis Montis fortis custodia deputatus, & eius filia desponsatus. Sed quia in bello Murelli idem Simon Regi Petro dederat causam mortis, sedes Apostolica sic prouidit, vt infans suis naturalibus redderetur, & per Petrum Beneuentanum sanctæ Mariæ in Acquiro Diaconum Cardinalem fuit Rex Iacobus suis fidelibus restitutus, hæc omnia venerabili Hispano Socobienfi Episcopo sollicitè procurante, & in propriis sumptibus personaliter laborante. Cumque iā ad annos adolefcentiæ peruenisset, Alienor filiam Aldefonsi Regis nobilis ex Castella, quam pater dimiserat domicellam, duxit vxorem, & genuit ex ea filium qui dicitur Aldefonsum, sed postea per venerabilem Ioannē apostolicæ sedis Episcopum Cardinalem fuerunt iudicio ecclesiæ separati, eo quod sibi consanguinitatis linea attingebat, filio tamen per eundem legatum legitimo. Rex vero Iacobus æmulatione magna contendens parentum magnalia superare, cepit terras Arabum infestare, & cepit oppidum quod dicitur Burriana, multis aliis castris & villis Arabum occupatis. Postea vero magno nauigio congregato ex omni littore regni sui Baleares insulas est aggressus, & Maioricam caput regni, ciuitatem nobilem, maximam, & potentem impugnatione diutina fatigatam, Rege & incolis pene cæsis, suo dominio subiugauit, licet de suis multi ceciderunt bellis variis intercepti. Obtentis etiam Euiza & Minorica, relictis defensoribus in Aragoniam cisfretauit. Nec vnus regni acquisitione contentus, regnum Valentia quod multis munitionibus præminebat, adiit confidēt, & longis concertationibus ciuitas infestata inuicta Regi se victam tradidit & subiectam. nec se credens Rex inuictus aliquid peregrisse, dum agendum aliquid remanebat, & inuadens cæteras vrbes regni tamdiu incurfibus & cædibus regni incolas coarctauit, donec vrbes, castra, & fere omnia municipia regni Valentia Regi inclyto reddiderunt, vt iam tranquillitate suis regnis vndique procurata, & omnibus aduersariis iam obtentis, non habeat quibus moueat ex se guerram. Hic (vt diximus) a prima vxore per ecclesiam separatus duxit aliam nomine Iolefam filiam Andreæ Regis Vngariæ, & Iolefæ Regina, quæ

v

fuit filia Petri Imperatoris, & Ioleſæ Imperatricis Constantinopolitanenſis, qui erant de genere Regum Francorum, & ex hac vxore ſuſcepit filiam nomine Ioleſam, quam dedit vxorem domino Aldeſonſo primogenito Regis Fernandi, qui Caſtellæ, Toletæ, Legioni, Galleciæ, Cordubæ, Luſitaniæ, & Murtiæ principatur. Suſcepit autem ex eadem alios filios paruulos, quibus Dominus benedicat, & deinceps dirigat vias eius.

De matrimonio Regis Fernandi cum ſorore Veremundi, & de morte Sanci Regis. Cap. VI.

Nunc ad Regis Sanci & filiorum eius hiftoriam reuertamur. Itaque Rex Sanci dicitur Maior patriæ ſinibus dilatatis, & pace inter filios ordinata, contra Veremundum Regem Legionis arma commouit, & de regno eius loca plurima acquiſiuit. Hic Sanci dum quadam die ſe in venationis ſtudio recrearet, aprum ſecutus, contigit in ciuitate olim nobili, tunc deſerta, quæ Palentia dicebatur, cryptam in forma eccleſiæ inuenire, & altare in honorem ſancti Antonini martyris adhuc extans. Ad quam cum aper fugiens adueniſſet, & Rex vibrato venabulo feram in crypta occidere voluiſſet, diuino percuffus miraculo, quod propoſuit, non potuit adimplere. Obrigit enim brachium eius dextrum, & ſic aper illuſus euafiſt. Rex autem conuerſus ad preces beati martyris Antonini ſuffragium implorauit, & ilico deſtitutus iuſſit ciuitatem diruptam reparari, & ſuper cryptam eccleſiam ædificari, & procurauit ibidem Episcopum conſecrari, & totam ciuitatem cum omnibus terminis, & pleno dominio Episcopo, & eccleſiæ donatione obtulit liberali, villas & poſſeſſiones alias ſuperaddens, quibus adhuc hodie gaudet eccleſia Palentina. Magnates autem detrimentum patriæ attendentes Regem Veremundum ſuaſione & conſilio induxerunt, vt ſororem ſuam Sanciam valde pulchram virginem daret Fernando filio Regis Sanci in vxorem, qui & conſenſit, & a partibus veniens Galleciæ, regales nuptias in magnis copiis & muneribus celebravit. Tunc Rex Sanci dicitur Maior quicquid acceperat vltra Piſoricam Fernando filio ſuo, dedit Sanciæ nurui cum beneplacito Veremundi. Poſthæc Garſias qui Nauarræ Rex fuerat aſſignatus, cauſa voti beatorum apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitauit, & eo peregre ſic agente, Rex Sanci pater eius plenus dierum vitæ terminum conſummauit, cum regnaſſet annis triginta quinque. Obiit autem æra M. LIII. quem ſuus filius Rex Fernandus regalibus exequiis celebratis in Ouetenſi monaſterio ſepeliuit.

De victoria Regis Garſia contra Regem Ranimirum. Caput VII.

INTEREA Ranimirus cui pater in Aragonia partem dederat, conſœderatus Regibus Cæſarauguſtæ, Tudeliæ, atque Oſcæ, contra fratrem ſuum Regem Garſiam indèbite conſpirauit. Qui cum peracto voto Roma rediſſet, inuenit Ranimirum fratrem ſuum iam Regis nomine ſuperbire, & ſuper Taſaliam exercitum congregaſſe. Sed Rex Garſias cum eſſet ſtrenuus & magnanimus, Ranimiro occurrit, & inſultu turbatum fugæ reliquit. adeo enim improuiſus aduenit, quod Ranimiro & exercitui ad arma non licuit conuolare: immo Ranimirus ſolis panis lineis circumtectus nudis pedibus in equum proſiliit, equum non freno dirigens, ſed capiftro. Sicque peracta cæde tam in Reges qui auxiliatores venerant, quam in exercitum Ranimiri, occupatis tentoriis & ſupellectilibus vtrorumque, Rex Garſias victor recedit, & quicquid Ranimirus a patre habuerat præter & ripam Guſſiam, Rex Garſias ſtrenue occupauit.

De morte Regis Veremundi. Cap. VIII.

PORRO eſt orta diſcordia inter Regem Fernandum qui Caſtellæ, & Veremundum qui præerat Legioni. Cauſa autem diſcordiæ iſta fuit. Cum Aldeſonſus pater Veremundi adhuc puer regnare cœpiſſet, Rex Sanci a flumine Ceixæ verſus Caſtel-

Caſtellam omnia occupauit. Sed cum (vt dictum eſt) Fernandus Regis filius Sanci ſororem Regis Veremundi duxerat in vxorem, terram illam quæ in controuerſia habebatur, pacifice poſſidebat, eo quod ſibi & vxori fuerat a Veremundo libere dereliſta tempore matrimonii celebrati. Mortuo autem Rege Sancio, Veremundus præteritæ iniuriæ remiſcens, pacta quæ fecerat, non ſeruauit, & partem quam ſponte ſorori dimiſerat, ſorori noluit vindicare. Quod percipiens Rex Fernandus, aſcito Garſia fratre ſuo Rege Nauarræ, contra Regem Veremundum qui cum toto potentia ſua exercitu veniebat, iuxta fluuium Carrionis occurrit. ibiq; exercitus congregientes adinuicem pluribus cædibus læſerunt. Et Rex Veremundus de velocitate & fortitudine equi præſumens, & ipſe acer per cuneos militares impeterritus ſe iniecit, vt Regem Fernandum poſſet impetere gladio ſpeciali. Sed Rex Garſias & Rex Fernandus nõ minori ferocia pertinaces ex aduerſo viriliter reſiſtebant, & dum Rex Veremundus equi impetu traheretur, conſoſus lancea in terram cecidit expers victoriæ, ſimul & vitæ. Multi etiam de ſuis militibus poſt eius impetum concurrentes inibi ceciderunt, & eodem momento vita & domino caruerunt. Corpus autem Regis Veremundi Legionem delatum cum vxore ſua Tarafia eſt ſepultum.

De unione regnorum Caſtellæ & Legionis, & de filiis Regis Fernandi. Cap. IX.

POST hæc autem æra M. LIII. cum regnum Legionis ad Regem Fernandum ratione vxoris ſua Sanciæ pertineret (non enim alius hæres ſupererat) congregato exercitu Rex Fernandus impetuit Legionem. Et quamuis propter Veremundi mortem cœpiſſent indigne aliquantulum rebellare, tamen de facili obtinuit ciuitatem, eo quod nondum erat poſt deſtructionem Arabum firmiter reparata. Et ingrediens Legionem in Regem ab omnibus eſt receptus, & regali diademate decimo Kalendas Iulii a venerabili Seruando Legionenſi Episcopo inſignitus, & regnauit annis XL. menſibus VI. & ſic regnorum ſchiſmata quieuerunt. Conſirmauit etiam leges Gothicas, & alias addidit quæ ſpectabant ad regimen populorum. Hic Rex Fernandus vir bonus, & iuſtus, ac timens Deum, & ſtrenuus in agendis, ex prædicta Sancia Veremundi ſorore genuit Vrracam primogenitam, ornatam moribus & decore, antequam regni ſaltigium obtineret. Poſtea genuit Sanciū, poſtea Geloiram, poſtea Aldeſonſum, poſtea Garſiam. Hos filios fecit inſtrui liberalibus diſciplinis, adultos vero militaribus ſtudiis aſtuetos, incurſiones & prælia indidit frequentare, filias autem in deuotione erudiri præcepit & ſtudiis feminarum.

De diſcordia fratrum, & morte Regis Garſia. Cap. X.

SVCCEDENTIBVS autem proſperis Fernando, frater eius Garſias Rex Nauarrorum cum eſſet magnanimus, & ſuperioris impatiens, de fratris ſucceſſibus torquebatur, cumque eum contigiſſet apud Anagarum ægrotare, & Rex Fernandus veniſſet ad eum gratia viſitandi, inique cogitans Rex Garſias eum propoſuit retinere. Sed cum conſilium patuiſſet, Rex Fernandus Dei gratia liberatus exiit oppidum, & ad propria remeauit. Paucis autem diebus interpoſitis Regem Fernandum accidit inſirmari. Cumque ad viſitandum Rex Garſias modo ſimili adueniſſet, vt ſcelus præteritum expiaret, quod in innoxium cogitauit, ipſe noxius eſt perpeſſus, & captus a Rege Fernando cuſtodiendus Ceixæ deputatur. Sed paucis diebus elapſis, promiſſione ſuaſis cuſtodibus, ſoluitur, & ſua patriæ reſtitutus cœpit vindictam totis viribus procurare, & congregato exercitu tam ſuorum, quam Ruchonum, Vaſconum, & Maurorum, ad fratris iniuriam properauit. Cumque poſt tranſitum montis Aucæ conſediſſet in loco qui dicitur Ataporca, Rex Fernandus veniens ex aduerſo, per legatos pacem humiliter poſtulauit, vt contenti ſuis pace perpetua lætarentur. Quod Rex Garſias renuens nuncios, comminatio grauia, in honores ad ſe miſit. Cumque iam belli periculum immineret, ma-

gnates & milites regni sui ad ipsum communiter accesserunt humiliter supplicantes, ut eis & ablata restitueret, & leges patrias confirmaret. Cum enim præcelleret strenuitate corporis, & virium magnitudine super omnes, adeo ut omnibus præmineret, crudeli superbia grassabatur, & possessiones militum infiscabatur, & iura patria immutabat. Ipse autem solis viribus autumans præualere, petitiones militum refutauit, ne videretur annuere ex timore. Tunc duo milites quorum bona descripserat, naturale debitum abnegantes se in aduersarium trãstulerunt. Ad hoc nutritius eius qui eum ab infantia nutrierat, vir prudens, & bonus, strenuus, & fidelis, sinceris lachrymis consulebat, ut & petitis annueret, & sibi suorum animos complanaret. Rex vero animo induratus, neutris satisfecit. Tunc ille nutritius inquit: **10** Intelligo quod hodie victus & inglorius morieris, sed ego præmoriar, ne te videam morientem, quem tanto studio enutriui. Cumque se exercitus circumspicerent, & ad certamen vndique properarent, ille nutritius depositis clypeo, & galea, & lorica, pannis duntaxat vsualibus circumtectus, sola lancea & gladio comitatus, morti in prima acie se obiecit, ne alumni & gentis excidii esset testis. Cumque mutuis cædibus hinc inde exercitus se impeterent, cœpit præualere exercitus Castellanus, eo quod numero & potentia excedebat, & Rex Gasias suorum animos non habebat. Tunc quidam milites qui fuerant ex familia Veremundi, & noctu collem qui Nauarrorum exercitui imminebat, clanculo occuparunt, Regis Gasias acies cum duobus militibus qui ab eo recesserant, impetu irrupentes, ad **20** regis aciem peruenerunt, & alter militum qui ab eo recesserat, dicitur eum lancea perfodisse. ex quo istu in terrã cecidit Rex Gasias, & duo magnates qui cū eo aderant, inibi ceciderunt. Cumque Rex Fernandus fratre occiso, & fugato exercitu, de victoria lætaretur, pietatis non immemor præcepit suis ne fugientes læderent Christianos, tamen Sarraceni qui aderant, pro maiori parte captiuitate & gladio perierunt. Tunc Rex Fernandus præcepit corpus Regis Gasias honorifice Anagarum deportari, & in monasterio sanctæ Mariæ quod ipse construxerat, & donariis plurimis adornauerat, sepeliri.

De monarchia Regis Fernandi, & de acquisitione Portugallie, & diuisione regnorum. Cap. XI.

30

IGITUR Rex Fernandus non minus de Dei gratia quam de victoria gloriosus, regnum fratris obtinuit sine mora, factus monarchus Hispaniæ vterioris, scilicet Galleciæ, Asturiarum, Legionis, & Castellæ, Anagari, & Iberi. Terra autem Nauarræ inter Iberum & Pyrenæum remansit Sancio filio Regis Gasias, qui fuit occisus in Pennalen, & Aragonia cum Ripagurtia Ranimiro. Cumque in tranquillitate securus gauderet, congregato exercitu processit, ut Portugalliam & Lusitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant. Et primo ingressu cæsis pluribus cepit Senam, eo pacto ut incolæ remanerent, & essent subditi sub **40** tributo. Inde Viseum veniens obsedit eam, sed quia ciuitas multis sagittariis abundabat, Rex exploratis ingressibus ciuitatis præcepit vrbis ianuas ab armatis & foribus obseruari, & propter sagittarum instantiam præcepit asseres clypeis superponi, ne impugnantibus sagittariis læderentur, & duplex lignum sagittarum impetus hebetaret. Cumque ciuitatem fortiter & continue impugnaret Viseorum, coactam obtinuit, & habitatoribus captiuatis & interfectis, diripientibus dedit manus, repertusque fuit ille sagittarius qui in alia obsidione focerum suum interfecerat Aldefonsum, eumque captum fecit Rex oculis, & manibus, & pede altero mutilari. Indeque procedens peruenit Lamecum, & quamuis ciuitas loci difficultate inexpugnabilis videretur, tamen castris ligneis & diuersis machinis **50** contracta in continenti capitur, incolis & opibus occupatis, & partem habitantium interfecit, partem ad refarciendas ecclesias diruptas referuauit. His itaque munitionibus occupatis proposuit Coimbriam maiorem illius patriæ ciuitatem cum Dei adiutorio impugnare, & ad petendum cæleste subsidium ecclesiam beati Iacobi visitauit, & implorato per triduum diuinæ auxilio maiestatis, beati Apostoli ora-

stoli oraculo confortatus contra Coimbriam exercitum congregauit, vbi fixis tentoriis circumquaque machinas & castra lignea eleuauit. Sed quia ciuitas fortitudine & magnitudine præminebat, obsidionem contigit diutius protelari. Erant autem sub Arabum potestate monachi religiosi in loco arcto, qui Loruanum adhuc hodie appellatur. Hilaboribus manuum insistentes, thesauros frumenti, ordeï, & milii, & siliginis ignorantibus Arabibus conseruarant, hæc omnia proprio victui subtrahentes. Verum quia protracta obsidio victualibus indigebat, de recessu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi occurrunt, & quæ **10** alongis temporibus conseruarant, Regi & obsidioni liberaliter obtulerunt. Et his victualibus exercitus confortatus longanimis est effectus, & cibus refocillati impugnationi vrbis de die in diem viriliter institerunt, donec obfessi fame & pugna coacti elanguidis animis marcuerunt. Verum Christianis viriliter insistentibus, & machinis vndique quassantibus, auxilio Dei & beati Iacobi interuentu murus irrumpitur ciuitatis. Quo viso Arabes consternati ciuitatem & opes Fernãdo principi obtulerunt, pro vita tantummodo supplicantes, quod Regis clementia accepit, & die Dominica hora tertia inuictis principi ciuitatis dominium reddiderunt. **20** Eo tempore fertur vir Græculus ex Hierosolyma causa peregrinationis ad ecclesiam sancti Iacobi aduenisse, qui in deuotione pernoctans audiuit indigenas enarrare, ut militem in Christianorum præliis apparere, sed ipse licet deuotus Apostolo prædicabat nõ militem, sed piscatorem, cumque in tali pertinacia permaneret, reuelatione diuina meruit intueri equum splendore conspicuum Apostolo præsentatum, & armorum insignibus decoratum obsidentibus Coimbriam subuenire. Et peregrinus de quo diximus, visione huius certus factus, & diem, & horam captiõis Coimbriæ in ecclesia Apostoli publice prædicauit, & sicut ipse prædixit, sic postea rei veritas patefecit, & sic remansit terra citra Mondaicum fluiuium Christianæ fidei acquisita. Commisit autem custodiam illius patriæ Sifenando, qui olim exul adhæserat Abenadab Regi Agarenorum, & sua merito probitatis fuit in eius oculis gratiosus, qui bella & vastationes exercuit contra Christianos Lusitaniam & Portugalliam habitantes, iam nunc reconciliatus principi **30** Ferdinando fuit restitutus gratiæ & honori. Rex vero Fernandus pro triumpho gratias agens ecclesiam beati Iacobi visitauit, & oblati donariis ad propria est reuersus, & cœpit bonis actibus abundare, & toto tempore vitæ suæ ab infestationibus Arabum non cessauit. Et timens ne post mortem eius de regno filii decertarent, ipse viuens regnum diuisit, & dedit Sancio primogenito a flumine Pitorica Castellam, Anagarum, & Iberi: & dedit Aldefonso Legionem, Asturias, & Transmeram vsque ad flumen quod dicitur Oue, Astoricam, & partem camporum qui Gotthici nuncupantur, & Berizum vsque in Villam in monte qui dicitur Ezebedus: dedit Vrracæ & Geloiræ filiabus Zemoram & Taurum: Gasias dedit totam Galleciam cum ea parte quæ dicitur Portugale.

40

De vastatione regni Toleti, & de translatione reliquiarum in regnum suum. Cap. XIII.

POST hæc apud Legionem curia celebrata, direxit acies contra Mauros, & quædam castra Christianis infesta victrici gloria subiugauit, videlicet Gormatiũ, Vadum Regis, Aquilariam, Valeranicam (quæ nunc Berlanga dicitur) Ripam sancti Iusti, sanctam Emerentianam, Gormicis, & turres multas speculatorum (quas nunc dicimus Atalaïas) per quas Christianorum introitus nudabatur, in valle Borgecorrex, & in loco qui nunc dicitur Caracena, vsque ad Medinam Cæli solo diruptas adæquauit. Inde ad loca Cantabriæ properans, expulsis Mauris, montana Auicæ & Ionæ suæ subdidit ditioni. Inde firmans propositum versus Tolecum, Talamanticam, Guadalaiaram, Alcalã, Maieritum, cætera loca domini Toletani sic **50** cæde & incendio deuastauit, ut Rex Toleti suorum clamoribus concitatus & munerã dedit, & iuramento promisit tributa annis singulis se daturum. Postea ad eum Regem Hispalis infestauit, ut corp⁹ beati Isidori permitteret inde leuari, quod a duobus episcopis, Aluito Legionensibus, & Ordonio Astoricensibus, multis miraculis coruscã-

tibus translatum est ab Hispali Legionem. Aliqui dicunt corpus beate Iuste cum corpore beati Isidori tunc translatum. Sed quia nostris temporibus corpora sanctorum Iuste & Ruffinae reuelatione ostensa per Petrum Fernandi nobilem principem sunt translata ad regale monasterium prope Burgis, ego nolo, sed diffinat, qui praesumit. Verum Rex Fernandus ecclesiam honorificam fecit construi, & in honore eiusdem sancti Isidori dedicari, quam auro, & argento, & lapidibus preciosis, & cortinis sericis decorauit, & eandem ecclesiam vesperis, & mane, nocturnisque horis, & sacrificii tempore frequentabat, interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices caritoris explebat. Cumque sepulturam in monasterio sancti Facundi aut sancti Petri de Aslantia eligere decreuisset, uxoris suae Reginae Sanciae precibus inclinatus Legionem in ecclesia quam construxerat, elegit sibi, & coniugi, & successoribus sepulturas, & etiam ab uxore suavis Regem Sancium patrem suum a monasterio Ouetensi ad eandem transtulit sepulturam. Ad instantiam etiam Legionensium Zemoram nobilem ciuitatem, quam Almanzor olim diruerat, reparauit. Postea cum ciuitas Abulensis longis temporibus diruta remansisset, Rex Fernandus ab ea corpora sanctorum martyrum Vincentii, Sabinae, & Christerae dicitur transtulisse. Sed quia aliqui dicunt ea esse Abulæ, alii in monasterio sancti Petri de Aslantia, alii corpus sancti Vincentii Legionem, alii corpus Christerae Palentiae, dubium pro certo asserere non praesumo. Constituit etiam ut in toto regno Legionensi leges Gothicae seruari.

De religiosis actibus Regis Fernandi, & morte eius & uxoris illius. Caput XIII.

Hic itaque Rex Fernandus iam senectute confectus vitam suam bonis operibus & Deo placitis dedicauit. Ecclesias regni sui, & praecipue sancti Iacobi, sancti Saluatoris, sancti Isidori, & cathedralem ecclesiam Legionis possessionibus & donariis incluyauit, monasteriorum etiam indigentiam de suis facultatibus subleuabat. Dum vero quadam die in cathedrali ecclesia Legionis audiret diuina, vidit ministros ecclesiae causa familiaris inopiae nudis pedibus ministrare, & statim certos redditus ad calceamenta instituit ministrorum. Caeterum cum ad sancti Facundi monasterium veniebat, cibus eorum contentus, pari ordine & consortio, quasi vnus ex eis & diuinis officiis insistebat, & cibarijs regularibus utebatur. Cuique oblatum vas vitreum de manu Abbatis ad mensam residens suscepisset, vas decidens de manu Regis ilico fractum fuit. Rex vero pro negligentia valde poenitens in continenti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri, & Abbati offerens pro vitreo satisfecit. Obvult in super Cluniacensi monasterio de regio fisco mille aureos annuatim perpetuo soluendos. Nec minus eo regina Sancia vxor eius bonis & pijs operibus abundabat, & in regni regimine, & bellorum discrimine eius solertia utilis & sedula apparebat. Cumque Regi Fernando Arabes Celtiberiae & Carpetaniae tributa negarent, ipse Rex cum exercitu eos aggrediens, & vastationibus infestauit, & pristinae restituit seruituti. Sed iam vitae sibi termino imminente, apparuit ei beatus Isidorus, & diem sui obitus intimauit, & cum coepisset post modicum infirmari, fecit se Legionem abduci, & nono Kalendas Ianuarii die Sabbati ingressus est ciuitatem, & ex more corpora sanctorum flexis genibus adorauit petens & supplicans, ut cum dies obitus iam instaret, anima eius ab Angelis duceretur. In ipsa autem nocte dominicae natiuitatis, licet aeger, ipse Rex cum clericis interfuit matutinis concinens, ut infirmitas tolerabat, & obseruabatur ibi tunc temporis officium Toletanum. Facto autem die vocatis Episcopis fecit sibi missam solenniter celebrari, & percepit corporis & sanguinis Domini sacramentum. In crastino autem vocatis Episcopis, & Abbatibus, & viris religiosis vna cum eis fecit ad ecclesiam se deferri, & imposito capiti diademate, & indutus regalibus indumentis, coram sarcophago sancti Isidori clamauit ad Dominum voce clara: Tua est potentia, tuum est regnum Domine, tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia sunt subiecta, quod te donante accepi, restituo tibi regnum, tantum animam meam in aeterna luce iubeas collocari. Et his dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat,

exorabat, & recepta ab Episcopis poenitentia & gratia vltimae vnctionis, indutus cilicio, & conspersus cinere duobus diebus in poenitentia atque lachrymis superuixit. Tertia autem feria hora sexta in festo S. Ioannis Euangelistae plenus dierum reddidit Deo spiritum immaculatum, & iuxta patrem suum in eadem ecclesia sancti Isidori est sepultus. Regnauerat autem viuentis patre annis xii. In Castella mortuo patre annos xii. in Castella & Legionem annis xv. In vniuerso annis xl. mensibus vi. diebus ii. Regina autem Sancia vxor eius superuixit ii. annis, & obiit sexto Idus Nouembris, & sepulta est iuxta eum.

De discordia fratrum, & qualiter vicit Sancius Aldephonsus. Cap. XV.

POST mortem itaque Regis optimi Fernandi tres filii eius & duae filiae remanserunt, Sancius, Aldephonsus, Garfias, Vrraca, & Geloira. Sed licet ipse regnum filiis diuisisset, & partem suam vnique assignasset, quia omnis potestas impatiens est consortis, & quia Reges Hispaniae a feroci Gotthorum sanguine contraxerunt, ne maiores aliquem velint parem, nec minores superiorem, saepius inter Gotthos regalia funera fraterno sanguine maderunt. Rex itaque Sancius Castella & Nauarrae finibus non contentus, inhumanitatis Gothicae successor & haeres, & sanguinem fratrum suire, & ad eorum regna coepit cupidus anhelare, ut nihil fratribus vel sororibus de iis quae pater dederat, remaneret, sed solus totum ambitiosus haberet. Vnde contigit & caedes varias provenire, & sanguinem innoxium saepe fundi. Pater vero eorum attendens filii Aldephonsi plus quam ceterorum modestiam, Vrracam & Geloiram filias commendarat. Cum esset vero Vrraca solers & prouida, Aldephonsus ei tanquam matri in omnibus deferebat, & eius consilio se regebat.

De pugna fratrum, & transitu Aldephonsi ad Regem Toleti. Cap. XVI.

SANCIVS vero qui erat primogenitus, coepit regnare aera millesima nongentesima quinta, & sex annis regnauit. Hic regna fratrum sibi voluit vendicare, & primo incursum coepit Aldephonsus qui erat medius, infestare. Dum autem Rex Sancius contra fratrem exercitum congregasset, ille veniens ex aduerso occursum opposito se obiecit, & in loco qui Plantaca dicitur, sunt congressi, & Domino disponente, qui Sancium extollebat, ut lapsu rueret grauiori, Rex Sancius fugauit fratrem & exercitum Legionis, & de vtroque exercitu plurimi ceciderunt, & quod Arabes consueuerant sustinere, fraterno gladio in se verso, Christiani miseripertulerunt, victusque in praelio Aldephonsus abiit Legionem. Iterum autem diem constituunt ad pugnandum tali pacto, ut victus victori regnum cederet sine pugna. Cumque in loco qui Vtilpeularia dicitur, conuenissent, iuxta ripam fluminis Carrionis, ex vtraque parte pluribus bello caesis, demum Rex Sancius fuit victus, & cum fugae dubiae se dedisset, Rex Aldephonsus volens parcere Christianis, praecipit ut nullus praesumeret persequi fugientes. Erat autem cum Rege Sancio miles strenuus dictus Rodericus Didaci Campiator. Hic Regem suum deuictum animans persuasit, ut quoad posset fugientem exercitum reuocaret, & in aurora Legionensibus & Gallecis improvidis adueniret. Gens enim illa consuevit in prosperis se iactare, & alios deridere, in aduersis fortiter comminari. Vnde nocturnis confabulationibus fatigati circa mane fortius dormierunt, & irruente exercitu Regis Sancii sunt praesenti, & multis captis, aliisque caesis, caeterisque fugatis, Rex etiam Aldephonsus capitur in ecclesia beatae Virginis quae est in praesidio Carrionis, & Burgis ducitur captiuatus. Tandem procurante Petro Assurii Comite cum consilio Vrracae sororis ea conditione educitur, ut in monasterio sanctorum Facundi & Primitiui monachali habitu vestiretur. Cumque hoc totum Rex Sancius acceptasset, Rex Aldephonsus non proposito, sed timore sumpsit habitum monachalem. Vtrum procurato consilio cum Petro Assurii Comite fugit noctu, & Toletum veniens ab Almenone Rege inibi dominante solenniter est receptus, & multis muneribus honoratus. Et Rex Toleti interposito iuramento securi-

tatis sibi præstitit cautionem, & in ipso atrio regio domos & mansionem congruam fabricauit, vt Rex Aldefonsus extra strepitum ciuitatis cum suis Christianis commodius habitaret, & iuxta regale viridarium, vt recreationem reciperet quando veller. Erant autem cum eo tres fratres viri nobiles & fideles, videlicet Petrus Assurii, Gundisaluus Assurii, & Fernandus Assurii, quos Vrraca Regina fratris sui Regis Aldefonsi custodiæ & consilio deputarat. Et Almenon in eo gratias inuenit, quod eum quasi filium diligebat. Ipse vero pro Almenone contra vicinos Reges Arabum bella vtiliter exercebat, & pacis tempore per montana & ripas fluminum venationibus intendebat.

De venationibus & prognosticis Aldefonsi. Caput XVII.

VERVM tunc temporis inter condensa arborum & in humore fontium ripa Teuinæ vrsis, & apris, & aliis bestiis abundabat, & ipse ascendens per alueum, locum sibi placidum qui nunc Brioca dicitur, adiuuenit. Cumque sibi Castellum, & loci amœnitas, & venationis copia placuisset, reuersus Toletum a Rege postulas impetrauit, & collocatis ibi montariis, & venatoribus Christianis, remansit locus suæ subditus ditioni, & pauculos Christianos gnaros venandi & officii sagittandi ibi accolos collocauit, quorum successio ibi mansit vsque ad tempora Ioannis tertii Archiepiscopi Toletani, qui locum ipsum habitatoribus ampliauit, & vicum parochiæ sancti Petri, quasi suburbium, populauit. Quadam autem die cum Almenone descendit in viridarium gratia spaciandi, & cum eis turba Arabum circumfedit, & prospiciens cominus ciuitatem, cœpit altius cogitare qualiter posset tanta ciuitas restitui Christianis. Verum cum confessu diuino fatigati per viridarium ambularent, Rex Aldefonsus sub vna arbore decubuit recreandus, & eo somnium simulante, Rex Almenon cum suis Arabibus loquebatur, si posset tam fortis ciuitas virtute aliqua expugnari. Cui quispiam sic respondit: Si per septem annos huic vrbi fruges & vindemiæ auferrentur, deficientibus victualibus posset capi. Quod Aldefonsus audiens corde intimo cœseruauit. Iterum quadam die cum Aldefonsus iuxta Almenonem causa solatii consideret, cœperunt erigi capilli verticis Aldefonsi. Et Almenon cœpit comprimere manu sua, sed capilli tanto amplius cœperunt erigi, quanto amplius premebatur. Et sapientes Arabum hoc notâtes iusserunt Regi, vt interficeret Aldefonsum, quia prognosticum hoc signabat ipsum ad vrbis dominium eleuandum. Almenon vero noluit scœdus promissæ fidei violare, sed iurare petiit, ne eo viuente sui regni terminos infestaret, & Rex Aldefonsus spontaneus Almenoni hoc iurauit. Eo itaque Toleti degente, Vrraca Regina præsentit quod Rex Sancius frater eius intendebat eam iis quæ pater sibi dederat, spoliare. Zemorenses vero Regis Aldefonsi exilium æquanimiter non ferentes, Arriam Gundisalui virum nobilem & potentem, qui Vrracam Reginam nutrierat, in principem elegerunt, vt eo duce resisterent Castellanis.

Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupauit. Cap. XVIII.

SED Rex Sancius ex Castellæ & Nauarræ partibus exercitu congregato Legionem aduenit, & eam, licet modicum infestatam, vt victor inuasit, & cætera quæ Regis Aldefonsi fuerant ditionis, & sibi trium regnorum imposuit diadema. Et cum Rex Sancius circa huiusmodi moraretur, Rex Garsias in suos tyrannide grassabatur, & vilis ab omnibus, & a suis etiam habebatur, & contra fratrem bella, licet seigniter, intentabat. Habebat autem quendam Vernulam causa familiaris secreti plus debito sibi charum, cuius delationibus contra milites & barones aures credulas adhibebat, & licet sæpius supplicassent, vt a se prædictum Vernulam remoueret, discessum eius nullatenus voluit sustinere. Et ipsi reputantes dedecus & iacturam, quia eius delationibus lædebatur, delatorem in eius præsentia occiderunt. In cuius morte se læsum reputans, & confusum illatum dedecus sæpe obiiciens, omnes suos cœpit affligere indistincte, distincte comminans se indignationi suæ nullum tempus positurum.

positurum. Sui autem minarum pericula pauescētes, & illatum dedecus recolentes, ab eius dominio, prout poterant, discedebant. Occupatis vero Legionem & Asturiis, Rex Sancius vultum versus Galleciam obfirmavit. Galleciis autemurbatione, quæ diximus, in vota diuisis, Rex Sancius de facili obtinuit quod optabat. Interim autem Rex Garsias assumptis secum trecentis militibus iuit ad Agarenos, & nisus est suadere, vt secum contra fratrem suum exercitum destinarent, regnum fratris & suum eis pollicens se daturum. Cui taliter responderunt: Cum Rex esses, regnum tibi seruare minime potuisti: quomodo ergo perditum nobis dabis? Honoratum tamen muneribus, sed despectum ad Christianorum patriam remiserunt, qui duplici confusione cœtritus cœpit prouincias infestare, & in Portugallia se receptans loca plurima occupauit. Cui occurrens Rex Sancius frater eius in loco qui sancta Irenæa dicitur, ambo fraternas acies ordinarunt, & in toto prælio, victus Garsias regno perditio captiuatur, & apud Lunam vinculis & custodiæ mæcipatur.

De obsidione Zamoræ, & Sancii Regis morte. Cap. XIX.

OC CVPA TIS itaque fratrum regnis terram fororū voluit etiam occupare, indignans fororibus, eo quod Aldefonso fugituo & exuli condolebat, & ditionis suæ phalangibus conglobatis vrbes aggressus est Zamorensem, & obsidione conclusam cœpit fortiter impugnare. Sed Arias Gundisalui, de quo diximus, & obsessi alii viriliter resistebant, nec obsessor obtinere potuit quod optabat. Cumque vtrinque certamina agerentur, & miles quidam ex ciuitate egrediens, qui dicebatur Belidius Achaulphi, Regem per castra deambulantem læca petiit in eum. Etanter, & festinatione qua venerat, se restituit ciuitati. Verum Rodericus Dilaç Campiator zelo domini interfecti eum prosequitur sine mora, & fere in ipsa vrbis ianua interfecit, sed velocitatem Belidii non potuit præuenire. Rex autem Sancius priuatus habitis & ambitis, recepto vulnere, vita caruit atque regnis, & in exercitu turbatione non modica excitata inter obsessos & obsessores conflictus etiã interuenit: & alii diuersa fugæ pericula attentantes, alii per deuia deuiantes in captiuitatis & mortis supplicia inciderunt. Castellani autem quorum constantia audaci consilio semper fuit, corpus principis in sarcophago egregie locauerunt, & commercio lugubri, & resonis planctibus subsequētes ad Ouienſe monasterium detulerunt, vbi expletis exequiis sepulturæ honore regio tradiderunt.

De recessu Aldefonsi ab Almenone, & reditu in terram suam. Cap. XX.

C ELEBRATIS vero exequiis, Castellani & Nauarri Burgis pariter conueniunt, & quia Rex Sancius decesserat expers prolis, Castellani & Nauarri fidelitatis innatæ semper memores, Aldefonsum qui a facie fratris Toletum confugerat, in Regem & dominum concorditer elegerunt tali pacto, vt prius ab eo reciperent iuramentum, quod Rex Sancius de eius conscientia non fuerat interfectus: & eidem electos nuncios clanculo destinauerunt. Vrraca etiam Regina Legionensium & Zemorensium curia congregata, & eorum recepto consilio, ad fratrem suum Aldefonsum quem præ cæteris diligebat, & Toleti tunc temporis morabatur, nuncios destinauit, vt acceleraret accipere regna fratrum. Et præcepit nunciis, vt hoc consilium secretissimum haberetur, ne reuelatio in Regis periculum verteretur. Sed viri diabolici, qui nunc dicuntur initiati, & solebant Arabibus Christianorum proposita denudare, Regis Sancii morte comperta, nunciare Arabibus percurrerunt. Sed Petrus Assurii vir discretus, & in lingua Arabica eruditus, & pro rumoribus patriæ curiosus, omni die extra Toletum quasi spaciandi gratia ad tria millia vel amplius equitabat. Et casu accidit quodam vespere, vt inueniret quempiam venientem, qui dixit sibi se ideo aduenire, vt Regi Almenoni Regis Sancii interitum nunciaret. Petrus autem duxit eum quasi causa colloquii extra viam, quem amputato capite interfecit: & ad viam rediens, & paulisper procedens inuenit alium rumore & causa simili venientem, quem excidio simili

decollauit, sed via alia aliis venientibus secretum non latuit Almenonem. Petro vero Assurii gressu tertio procedente Vrracæ Regina nuncius superuenit, qui, ut facta fuerant omnia, nunciauit, & ille festinus Toletum rediens cepit Aldefonso incio itineri necessaria præparare. Cumque die altero Castellanorum nūcius aduenisset, & Regi negotium indicasset, ipse & Petrus Assurii dubitabant, ne si Almenoni nuncium reuelarent, Regem caperet, & pacta grauiā postularer: vel si celarent, & ipse alias posset scire, hostilius desæuieret. Et dum ipsi tali dubio tenerentur, Rex Aldefonus confidens in domino sic respondit: Honorifice me recepit, & necessaria liberaliter ministrauit, & ut filium me tractauit, quomodo eum celare potero quæ Dominus mihi fecit? & accedens ad eum, quod per nuncios acceperat, reuelauit. Almenon autem hæc omnia iam sciebat, & omnium viarum transitus fecerat diligentissime obseruari, ut si eo incio vellet abire, ab obseruatoribus caperetur. Cumque audisset quæ dixerat Aldefonus, factus hilaris sic respondit: Gratias ago Deo altissimo, qui me ab infamia liberare, & te a periculo voluit custodire. Si enim me incio aufugisses, captionem aut mortem nullatenus euasisses. Nunc autem vade, & accipe regnum tuum, & de meo accipe aurum, argentum, equos, & arma, quibus possis tuorum animos complanare. Cumque inter eos multa amicabiliter tractarentur, inter cætera hoc exegit, ut Rex Aldefonus iuramentum sibi & filio suo primogenito, quod de securitate fecerat, innouaret, & cū necessitas immineret, contra vicinos Arabes adiuuaret. Et ipse & filius primogenitus Aldefonso se foedere simili obligarūt. Erat autem minor filius de cuius foedere nil dixerunt, nec Aldefonus fuit ei in aliquo obligatus. His peractis Almenon cum maioribus gentis suæ vsque ad montem de Velatome Aldefonso regaliter comitato dedit munera & pecunias, quibus Aldefonus Rex inclytus dicto vale, in summitate montium ab eis discessit, & suis sceleriter redonatur.

De sublimatione Aldefonsi in Regem, & de vxoribus & filiabus eius. Caput XXI.

VENIENS itaque Zemoram cum Regina Vrraca, quæ erat prudens & piis operibus dedicata, habito consilio diligenti cœpit in operibus iustitiæ exerceri. Castellani etiam & Nauarri ad ipsum ilico conuenerunt, & ante omnia iuramentum (ut diximus) exegerunt, quod non fuerat conscius mortis Regis Sancii fratris sui. Sed cum nemo vellet ab eo recipere iuramentum, ad recipiendum se obrulic solus Rodericus Didaci Campiator. Vnde & postea, licet strenuus, nō fuit in eius oculis gratiosus. Et Rex Aldefonus obtento regno quod perdiderat, & etiam regnis fratrum, omnibus acclamantibus Viuat, Viuat, omnes ei communiter iurauerunt, & accepit imperii diadema æra millesima centesima prima. Triginta annorum, & septem mensium erat, cum regnare cœpisset, & regnauit quadraginta tribus annis. Hic habuit quinque vxores successiue legitimo matrimonio sibi iunctas. Prima fuit Agnes: secunda Constantia, ex qua suscepta filiam nomine Vrracam, quæ fuit vxor Comitis Raimundi, de qua ipse Raimundus genuit Sanciam & Aldefonsum, qui fuit postea Imperator: tertia Berta ex Tuscia oriunda: quarta Eulifabet, ex qua genuit Sanciam, quæ fuit vxor Comitis Roderici, & Geloiram, quæ duxit Rogerius Rex Sicilia. Hic Rogerius fuit frater Roberti Guiscardi, & filius Tancredi de Alta villa, qui veniens a Normania Siciliam, & Apuliam, & Calabriam, & Capuam occupauit. Quinta Beatrix ex partibus Gallicanis. Habuit etiam aliam vxorem quæ Ceida, postea Maria fuit dicta. Habuit etiam duas nobiles concubinas, vna dicebatur Semena Munionis, ex qua genuit Geloiram, quæ fuit vxor Raimundi Comitis Tolosani, & ex illo Comite genuit Aldephonsum Iordanis, qui sic dictus, eo quod fuerit in Iordanis flumine baptizatus. Ipsa enim cum viro in Syriam transfretauit tempore illo quo exercitus ille magnus procedens ex partibus Galliarum, isto Raimundo Comite duce ac præuio cum Episcopo Auiciensi, Ierusalem, Tripolim, & Antiochiam acquisiuit, hortante & personaliter in Galliis & Italia prædicante beatissimo Urbano Papa secundo, qui primus substituit euntes in subsidium terræ sanctæ in dextro humero crucis signaculo insigniri. Et eadem

dem Semena Munionis genuit aliam filiam quæ Tarasia dicta fuit, quam duxit Comes Enricus ex partibus Bisfontinis, congermanus Raimundi Comitis patris Imperatoris, ex qua suscepit idem Enricus Aldefonsum, qui fuit postea Rex Portugallia.

De virtutibus Aldefonsi.

Caput XXII.

NUNC ad gestorum eius principia redeamus. Hic fuit strenuitate maxima nobilis, virtute excelsus, gloria singularis, abundauit in diebus eius iustitia, finem accepit seruitus, consolationem lachrymæ, augmentum fides, dilatationem patria, audaciam populus, confusus est inimicus, obtinuit gladius, cessauit Arabs, timuit Afer, ploratus & vlulatus Hispaniæ vsque ad istum mansit absque consolatore, dextera eius præsidium patriæ, munimentum absque timore, fortitudo sine perturbatione, protectio pauperum, virtus magnatum, magnitudo cordis eius infra angustias Asturiarum non potuit contineri, & elegit laborem indiuiduum comitem vitæ suæ, delicias miseriam reputabat, & belli dubia experiri delectabile & iucundum, id deperditum reputans vitæ suæ in quo belli pericula non agebat. Rex accrescens magnanimus Aldefonus, Rex accrescens sedit in forti, arcus eius confusus in Domino inuenit gratiam in oculis Creatoris, magnificauit eum in timore inimicorum, & in populo suo elegit eum zelare fidem, dilatare regnum, exterminare inimicos, concludere aduersarios, multiplicare ecclesias, restaurare sancta, restituere dissipata. Cumque (ut diximus) Almenoni & filio primogenito foedere teneretur, eum iuxta foedus adiuuit in omnibus, quoad vixit. Et cum Rex Cordubensis regnum Almenonis inuadere conaretur, Rex Aldefonus contra eum pro foederis debito properauit. Cumque aduentum eius Almenon audiisset, timuit eum in sui dispendium aduenire. Sed Rex Aldefonus nunciauit eidem, quod in eius auxilium veniebat, propter pacta quæ olim præcesserant inter eos. Tunc Almenon occurrit ei cum actionibus gratiarum, & ambo intrantes fines Cordubæ omnia cædibus & incendiis vastauerunt, & actis prædis, vterque ad propria sceleriter est reuersus, nec præsumpsit Rex Cordubensis regnum Toleti amplius infestare. Tunc mortua Agnete, duxit vxorem nomine Constantiam ex partibus Galliarum, cuius superius fecimus mentionem.

De obsidione & captione ciuitatis Toletanae.

Cap. XXIII.

MORTUO Almenone, & filio suo Iffem primogenito, de quo diximus sicut patri fuit semper propitius & adiutor, ipso mortuo secundus filius Almenon filiae dictus post fratrem in regno substituitur Toletano, qui a viis fratris & patris minus aberrans cœpit in seniores & populum, quos tot angariis & perangariis conuexabat, ut mortem vitæ præferrent, alias ignominiosus, inutilis, & imbellis. Almenon autem pater suus Regi dederat Aldefonso quædam municipia, Canales & Vmos, in quibus cum ipse veniebat in adiutorio Almenon, infirmos & debiles collocauit. Cumque (ut diximus) Toletani a suo principe premerentur, & a vicinis gentibus vexarentur, & Rex eorum de eorum miseris non curaret, coniurati in simul Regi dixerunt: Populi & patriæ te exhibe protectorem, aut quæremus alium defensorem. Hic autem captus luxuriis dicta dicentium parupendit. Tunc ipsi pressi dominio & cladibus vicinorum, Regi Aldefonso nuncios destinarunt antequam eius notitiam attendentes, & auxilia impensa fideliter recolentes, & ei per nuncios supplicarunt, ut ciuitatem quamuis inexpugnabilem obsideret, ut coacti pugna colorem excusationis haberent, cum ei traderent ciuitatem. Cumque ipse illi Regi nullo foedere teneretur, ciuium oblatione suscepta, cōgregauit exercitum ex omnibus partibus regni sui, & fruges & vindemias deuastauit per totum territorium Toletanum, & per quatuor annos id ipsum intulit successiue. Et licet ciuitas cunctas superet sui opulentia ciuitates, tamen tot annorum vastatione continua non potuit victualibus non carere. Et Rex Aldefonus id ipsum percipiens congregato exercitu infinito,

O Obsedit securâ suam Castella Toletum
 P Castra sibi septena parans, aditumque recludens.
 P Rupibus alia licet, amplexu, situ populosa,
 I Circumdante Tago rerum virtute referta,
 D Vitu victa carens inuicta se dedit hosti.
 A Huic Medina Caelim, Talauera, Comimbria plaudat.
 C Abula, Secobia, Salmantica, Publica Septem,
 A Cauria, Canca, Colar, Iscar, Medina, Canales,
 P Vlmus, & Vlmatum, Magerit, Atentia, Ripa,
 T Osona cum Flunio lapidum, Valerancia, Maurra,
 A Afcadona, Fita, Confoera, Maqueda, Butracum
 Victori sine fine suo modulantur onantes:
 Aldephonse tui reponent super astra triumpho.

ERA 1133
 Cepit itaque Toletum æra millesima centesima trigesima tertia, multis partionibus interpositis, videlicet vt Sarraçeni haberent plene & integre domos, & possessiones, & omnia quæ habebant, & Regi remaneret præsidium ciuitatis cum viridario vltra pontem: reditus autem qui antiquo iure dabantur Regibus, ei persoluerent Agareni, & etiam quod maior Mezquita eis in perpetuum remaneret. Sicque Rex adepto præsidio & ciuitatis dominio mansit ibidem pro ciuitatis tuitione magno periculo se exponens. Fuit autem capta in die Vrbanæ Papæ & martyris octauo Kalendas Iunii, vicefimo anno regni sui, & quia de eius intentione dubiū adhuc erat, distulerunt electionem Pontificis in futurum. Tunc Rex in vrbe regia statuit thronum suum, donec securum præsidium stabiliret, & gentem fidei confirmaret, & electionis populus præualeret.

De dote ecclesie Toletana. Caput XXIIII.

VIDENS autem Rex, quod Deus prospera indulgebat, conuocauit regni proceres, & maiores Episcopos, & Abbates, & viros religiosos, & quindecimo Kalendas Ianuarii omnes in vrbe regia conuenerunt, & habito diligenti tractatu dominum Bernardum, virum religionis & prudentiæ, communiter & cõcorditer in Archiepiscopum elegerunt, & Rex in continenti dotaui ecclesiam liberaliter & honeste, & dedit ei Briocam quam sibi retinuerat a tempore Almeonis, Barciles, Cabannas, de Sagra, Couera, Rodiellas, Alcoleia sub Talauera, Azecbuch, quæ nunc dicitur Melgar, Almonecir, Alpobrega, & in ciuitate omnes stiones quas vulgariter tendas vocamus, nec non domos, molendina, furnos, viridaria, vineas, & hortos, pro quibus hodie eius memoriam & exequias veneratur ecclesia Toletana, & multa alia priuilegia dedit immunitatis.

Quod Mezquita Maurorum facta est ecclesia Christianorum. Cap. XXV.

ET quia adhuc litera Gotthica, & translatio Psalterii, & officium missæ institutū ab Isidoro & Leandro pontificibus, quod cū translatione & litera dicitur Toletanum, per totā Hispaniam seruabantur, ad instantiam vxoris suæ Reginæ Constantiæ quæ erat de partibus Galliarū, misit Romā ad Gregoriū Papam septimū, vt in Hispaniis omisso Toletano Romanum seu Gallicanum officium seruaretur. Bernardus autem Toletanæ ecclesie electus fuit de Agenensi territorio oriūsus, scilicet de oppido Saluitatis. Hic cum fuisset ab infantia literatus omisso clericatu militiæ se ascripsit, & postmodum infirmitate coactus in monasterio sancti Aurentii Auxitani beati Benedicti regulæ sumpto habitu se dicauit, exinde vocatus ab Hugone Cluniacensi Abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldephonsus vellet sanctorum Facundi & Primitiui ex ea causa quam diximus, monasterium ampliare, mittit ad venerabilem Hugonem Cluniacensem Abbatem, vt ei virum prouidum & religiosum mitteret, qui in prædicto monasterio sanctorum Facundi & Primitiui Abbatis officio fungeretur, & sicut in Galliis illud

illud monasterium præcellerat, ita & istud omnibus monasteriis eiusdem ordinis in Hispaniis præsideret. Prædictus autem Abbas Cluniacensis Bernardum quem ob sanctitatis meritum charum habebat, cum aliis monachis destinauit. Qui mox veniens factus Abbas, omnibus se exhibuit amabilem & benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletū Christianæ restituit potestati, mox ipse post modicum interuallum fuit electus in Archiepiscopum & primatem. Cumq; Rex ad partes Legionis iuisset, ipse electus Regina Constantia hortante ascitis militibus Christianis maiorem Mezquitam ingressus est Toletanā, & eliminata spurcicia Mahometi erexit altaria fidei Christianæ, & in maiori turri campanas ad conuocationem fidelium collocauit. Quod cum ad Regis notiā peruenisset, indignatus animo, & dolore accensus, eo quod Sarraçenis pactum firmauerat de Mezquita, a sancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardū electum & Regnam Constantiam incendio concremare. Cumq; tanti furoris indignatio ad notiā Toletanorum Arabum peruenisset, maiores & minores cum paruulis & vxoribus in pago qui Magam dicitur, Regi obuiam exierunt. Cumq; Rex ad eorum multitudinem peruenisset, existimans eos causā querelæ venisse, sic respondit: Non vobis iniuria facta fuit, sed mihi, cuius fides fuit hæctenus illibata, sed iam de cætero de fide non potero me iactare: mea autem intererit, & vobis satisfacere, & in præsumptos acrius vindicare. Arabes autem vt erant prudentes, eleuatius vocibus & flexis poplitibus cum lachrymis audientiam postularunt. Tunc Rex aliquantum subleuit tenens equum, & Arabes in hunc modum perorare ceperunt: Bene nouimus, quod Archiepiscopus dux & princeps est legis vestræ, & si causa fuerimus necis eius, ob zelum fidei Christiani nos percutient vna die, & si Regina perierit causa nostri, semini eius erimus perpetuo odiosi, & post dies tuos acrius vindicabunt. Vnde petimus, vt parcas eis, & nos voluntarie te absoluius a fœdere iuramenti. His auditis ira Regis in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat sine fidei læsione, & ingressus urbem regiam, omnia pacifice pertractauit.

De commutatione officii Toletani. Caput XXVI.

GREGORIUS autem septimus de quo diximus, ad petitionem Regis Aldefonsi misit quendam Ricardum Abbatem sancti Victoris Marfilienfis, vt ecclesias Hispaniæ tot persecutionibus perturbatas, ecclesiastico moderamine ordinaret. Qui minus religioso officium peragens cepit irregularius se habere. Quod attendens Toletanus electus per maris & terræ pericula se Romani Pontificis conspectui præsentauit, & Gregorio septimo viam vniuersæ carnis ingresso inuenit Urbanum secundū in sede Apostolica substitutū. A quo gratanter & benigne susceptus consecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & primas institutus Hispaniarum, Apostolicæ sedis benedictione suscepta, & per Tolosam rediens ibidem cum Episcopis Gotthicæ Galliar, & Narbonensi Archiepiscopo concilium celebravit. Ideo per Pyrenæum in Hispanias transiens omnium ecclesiarum Hispaniæ curam gessit, & statuto die, in festo scilicet sanctorum Crispini & Crispiniani, octauo Kalendas Nouembris, in honore beatæ Mariæ semper virginis, & beatorū apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ crucis, & beati Stephani protomartyris, Toletanam ecclesiam conuocatis Episcopis dedicauit, & in maiori altari multas & preciosas reliquias quas a sede Apostolica attulerat, & quas Rex & Regina de suis & patrum suorum thesauris obtulerant, collocauit, quorum hodie beneficiis lætatur populus Christianus. Verum quia Ricardus legatus se gerebat in aliquibus minus caute, religione & autoritate compescuit attentata, adeo quod ille Ricardus legatione priuatus, fuit ab Urbano summo Pontifice reuocatus. Verum antè reuocationem clerus & populus totius Hispaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officium suscipere a legato & principe cogebantur, & statuto die, Rege, primate, legato, cleri & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatū, clero, militia, & populo firmiter resistentibus ne officium mutaretur, Rege a Regina suo cõ-

trarium, minis & terroribus in tonante. Ad hoc ultimo res peruenit militari pertinacia decernente, ut hæc dissensio duelli certamine sedaretur. Cumque duo milites fuissent electi, vnus a Rege, qui pro officio Gallicano, alter a militia & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis ilico victus fuit, populis exultantibus quod victor erat miles officii Toletani. Sed Rex adeo fuit a Regina Constantia stimulatus, quod a proposito non discessit, duellum iudicans ius non esse. Miles autem qui pugnaerat pro officio Toletano, fuit de domo Matantia prope Pisoricam, cuius hodie genus extat. Cumque super hoc magna seditio in militia & populo oriretur, demum placuit, ut liber officii Toletani & liber officii Gallicani in magna ignis congerie ponerentur. Et indicto omnibus ieiunio a primate, legato, & clero, & oratione ab omnibus deuote peracta, igne consumitur liber officii Gallicani, & profiliit super omnes flammam incendii, cunctis videntibus & Dominum laudantibus, liber officii Toletani illæsus omnino, a combustionem incendii alienus. Sed cum Rex esset magnanimus, & suæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec supplicatione suafus voluit inclinari, sed mortis supplicia & direptionem minitans resistentibus, præcepit ut Gallicanum officium in omnibus regni sui finibus seruaretur. Et tunc cunctis flentibus & dolentibus inoleuit pro uerbum: Quo volunt Reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum officium tam in Psalterio, quam in aliis nunquam ante susceptum, fuit in Hispaniis obseruatum, licet in aliquibus monasteriis fuerit aliquando tempore custoditum, & etiam translatio Psalterii in plurimis ecclesiis cathedralibus & monasteriis adhuc hodie recitatur. Ricardo itaque legatione priuato, primas Bernardus cepit in Hispaniis ecclesias ordinare.

De schismate clericorum, & de reuoluntate primatis, & de bonis viris a Gallis ductis. Caput XXVII.

ISDEM diebus sanctissimus Vrbanus Papa secundus tactus dolore cordis, eo quod ab Agarenis Hierosolymitana ciuitas tenebatur, personaliter verbum crucis cepit omnibus prædicare, sicut superius meminimus nos dixisse. Eius indulgentis prouocatus venerabilis primas Bernardus de clericis indigenis Toletanam ecclesiam ordinauit, & assumptis ad viam necessariis, crucis signaculo insignitus recessit a propria ciuitate, volens cum exercitu de quo superius diximus, in Syriam transfretare. Cumque vix esset tribus diebus a sede propria elongatus, clerici quos in ecclesia instituerat, stulte locuti dixerunt ad inuicem primatem suum nunquam de cætero reuersurum. Vnde spiritu malignitatis & insipientia inflammati alium electione indebita subrogarunt, & primatis domesticos eiecerunt, qui gradu concito dominum consequentes, prout factum fuerat, intimarunt. At ille non immerito admiratus Toletum rediit in auctores sceleris indignatus: quos cum electo suo non tardius degradauit, quam ipsi celeri præcipitio inthronizauerant maledictum, & tollens aliquos de monachis sancti Facundi in ecclesia collocauit, ne interim dum rediret, ecclesia diuino officio fraudaretur. Ipse vero cepto itinere Romam iuit. Sed cum ad sedem Apostolicam peruenisset, prohibuit eum dominus Papa Vrbanus, ne procederet, sed in tanta nouitate ad sedem propriam remearet, ne pastoris absentia nouella plantatio periculis subiaceret. Cumque eum a voti & crucis proposito absoluisset, ipse per partes rediit Galliarum, vbi eligens de diuersis locis viros honestos & literatos, necnon & iuuenes dociles quos habere potuit, in Hispaniam secum duxit. De Mosaico duxit beatum Giraldum, quem prius cantorem in ecclesia Toletana, postea fecit Archiepiscopum Bracarensem. De Bituricis sanctum Petrum, quem prius Archidiaconum Toletanum, postea fecit Episcopum Oxomensis. De Aginno Bernardum, qui fuit cantor ecclesie Toletanæ, postea fecit eum Episcopum Seguntinum, postea Archiepiscopum Compostellanum: & de eadem ciuitate Petrum, qui fuit iuuenis nutritus in ecclesia Toletana, postea Archiepiscopum, postea Episcopum Secobiensem: & alium Petrum, quem fecit Episcopum Palentinensem: & Raimundum, qui fuit oriundus de Salutate, & fecit eum post beatum Pe-

tum Petrum Episcopum Oxomensis, qui postea successit eidem in ecclesia Toletana: & Hieronymum de partibus Petragorica, quem tempore Roderici Campiatoris fecit Episcopum Valentini, sed in breui ciuitate deperdita eum dominus Bernardus metropolitanus eius & primas in ciuitate posuit Zamorensis, ut ibi episcopalia exerceret, in qua nondum fuerat nec Episcopus, nec ecclesia cathedralis. Duxit etiam de eisdem partibus Bernardum, quem post mortem Hieronymi fecit Episcopum in ecclesia Zemorensi, & iste fuit primus proprius Episcopus Zemorensis.

De schismate & depositione Burdini. Caput XXVIII.

DXIT etiam de Lemouicis Burdinum, quem primo fecit Archidiaconum Toletanum, postea Episcopum Coimbriensem, postea Archiepiscopum Bracarensem. Hic erat astutus & versipellis, qui cum uocaretur Burdinus, factus Episcopus fecit se Mauricium appellari, & immemor fidelitatis & gratia sanctæ recordationis, Vrbanus Papa secundo viam vniuersæ carnis ingresso, accessit ad Paschalem Papam secundum qui prædicto Vrbanus fuerat substitutus, & magnum pondus pecuniæ secum portans, promisit domino Paschali Papæ secundo nouiter instituto magnam pecuniam se daturum, si remoto Bernardo qui eum creauerat, fieret ipse Pontifex Toletanus. Qui nequitiam eius in eo quod deliquerat volens punire, accepit pecuniam, & cum postea petitione frustra. Cumque eo tempore ecclesia persecutione grauissima lederetur, eo quod Imperator Otho prædictum Papam captiuatum cum Cardinalibus carceri mancipasset, idem Burdinus dolore pecuniæ instimulatus ad schismaticum Imperatorem accessit, eius famulatu se despondens. Cumque de alio eligendo in Papam Imperator tractaret, attendens Burdini astutiam, mox præcepit eum eligi ad culmen Apostolicæ dignitatis, & factus Papa, immo verius Antipapa, Romam ingreditur imperiali potentia comitatus, & in ecclesia sancti Petri, ut Papa, resedit, & solennia celebrauit vocatus Gregorius Papa octauus. Cumque diuina gratia adiuuante Paschalis Papa carcerem euasisset, persecutionem coactus per maritimam & Apuliam ferebatur incertus, ibique diu degens, ut exul, persecutionem constantissime tolerauit, & Caietæ dicitur obiisse. Ibidemque fuit in papatu Gelasius substitutus qui scripsit Toletano primati, sicut in eiusdem Papæ inuenitur regesto, epistolam sub his verbis: Gelasius Episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Bernardo Toletano primati & cæteris Hispaniarum Episcopis. Non latere credimus fraternitatem vestram, qualiter frater noster Mauricius Bracarensis Episcopus se iam diu habuerit, & quomodo ecclesiam suam dimiserit, & quomodo Regi excommunicato adhæserit. Illud etiam, ut opinamur, nostis, quod a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Paschali Papa in concilio excommunicatus sit, & quod Bracarensi ecclesie sit mandatum, ut pastorem sibi alium prouideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem post longum electionis meæ spacium in cubile sanctæ matris Ecclesie se ingressit. Ideoque fraternitati vestræ mandamus, ut ad electionem in Bracarensi ecclesia faciendam sollicitudine charitatis debitæ operam præbeatis. Ipsum vero Mauricium excommunicatum, periurum, & matris ecclesie constupratorem, cæteris ecclesie filiis publicetis. Datis Caietæ, octauo Kalendas Aprilis. Et idem Papa in Gallias nauigans Lugduni decessit in Pontificatu anni circulo vix expleto: & huic successit Calixtus secundus, qui erat Archiepiscopus Viennensis, frater Raimundi Comititis patris Aldephonsi Imperatoris Hispani. Hic mox pace formata debitæ restituit dignitati, & Burdinum iam ab Imperatore abiectum Sutrii conclusit obsecrum & captum, & depositum Calabriæ in monasterio sanctæ trinitatis de Cavea captiuitati perpetuæ mancipauit, qui ibi vixit fere vsque ad tempora Eugenii Papæ tertii, a quo fuit quartus dominus Alexander. Vnde & in secretario palatii Constantianiani hi versus reperiuntur inscripti:

*Ecce Calixtus, honor patriæ, decus imperiale,
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.*

Hos inquam prædictos viros literatos, prouidos, & honestos, primas Bernardus per Gallias transiens in Hispaniã secum duxit, & eos in Toletana ecclesia canonicos ordinavit. Monachos quos ibi reliquerat, sancti Facundi monasterio, & ex eis quos secum duxerat, ut sapiens architectus, fundandis ecclesiis prouidit primaria fundamenta, quorum solers prudentia & honesta religio causam dotationis & incrementi ecclesiis præbuerunt, sicut adhuc hodie patet in priuilegiis possessionum & libertatum quæ ecclesiis supra dictis ob eorum sanctitatis reuerentiam principes indulserunt.

De captione Alcalæ & Valentia. Caput XXXIX.

10

CVM ergo primas Bernardus ad sedem propriam rediisset, castro quod dicitur Alcala, vix expugnabili obsidione parauit, & incolæ qui eidem castro immiserent, castrum aliud obsirmauit. Demumq; fame affecti loci incolæ per deuiam auferunt, relicto castro venerabili Bernardo primati, quod adhuc hodie in Toletana ecclesia possessionibus numeratur. Rex autem Aldephonso adquisitam iam vrbe regia & munita, restauratis oppidis & ciuitatibus extremorum Dorii, inertia infcius Sarracenorum patrias peragrauit, loca munitiora diruens, & plana deuiastans, adeo quod sibi cogit seruire cismarinos Arabes sub tributo. Et cum tanta gloria emineret, in priuilegiis quæ personis vel ecclesiis conferebat, Imperator Hesperia se vocabat. In diebus eius Rodericus Didaci Campiator, qui ex causa quam diximus, non erat in eius oculis gratiosus, conferta manu consanguineorum & militum aliorum proposuit per se Arabes infestare. Cumque versus frontariam Aragonia peruenisset, congressus cum Rege Petro Aragonia obtinuit contra eum, & etiam viuum cepit, sed continuo manumissit. Et inde procedens peruenit Valentiam & obsedit. Cumq; ad succursum Valentia Buchar Rex Arabum cum exercitu aduenisset, inito certamine obtinuit Rodericus, & Buchar fugit vix vitæ relictus, cæsa tamen ex suis multitudine infinita. Et in continenti ciuitas se reddidit Roderico, & eam habuit quoad vixit, & fuit in ea Hieronymus, de quo diximus, in Episcopum consecratus a domino Bernardo primati, Archiepiscopo Toletano. Sed postea mortuo Roderico Didaci, fuit ciuitas iterum ab Arabibus occupata. Corpus autem Roderici Didaci inter insultus Arabum fuit a suis fideliter & strenue deportatum ad monasterium sancti Petri de Cardigna, vbi hodie etiam quiescit humatus.

De morte Regis Garsie & sororis eius. Caput XXXX.

EVA III 7

HIS diebus Rex Garsias cepit in vinculis ægrotare. Quod audiens Rex Aldephonso doluit ultra modum. diligebat enim eum, & quia filium non habebat, proposuerat eum substituere successorem, & quam cito Toledo rediit, a vinculis absoluisse, sed verebatur ne cum esset insolens, in regnis rebellia excitaret. Vnde fecit eum liberiore custodia custodiri, & placita indulgeti. Et cum esset infirmus, & sanguinem minuisse, præcepit Rex, ut a vinculis solueretur. Ex quo ipse ait: Deus noluit, ut in vita soluerer, absolutionem renuo moriturus, sed rogo & mando sororibus meis, ut me cum compedibus sepeliant Legionem. Cumq; eum ducerent Legionem, prout præceperat, a sororibus & pontificibus qui conuenerant, ibidem regio funere est sepultus, anno xvi. regni fratris, æra millesima centesima decima septima. Et interfuit etiam Renerius legatus & Romana ecclesie Cardinalis, ibidemq; celebrato concilio cum Bernardo Toletano primati, multa de officiis ecclesie statuerunt, & etiam de cætero omnes scriptores omnia littera Toletana, quam Gulfilas Gotthorum Episcopus adinuenit, Gallicis literis ventur. Post hæc obiit Regina Vrraca Fernandi, & sepulta est Legionem.

Post modicum tempus obiit etiam Geloira, quæ cum sorore sua Vrraca & patribus Legionem habuit sepulturam.

De ad-

De aduentu Arabum, & morte Auenabet. Caput XXXI.

MORTVVS autem vxoribus quas habuerat successiue, Agnete scilicet, Constantia, Berta, & Elisabet, duxit Ceidam filiam Auenabeth principis Hispanensis, quæ postea baptizata dicta fuit Maria. Hæc auditis magnalibus Aldefonsi, licet non visum, vehementi tamẽ desiderio adamauit, adeo ut fidem Christi suscipere, & castra quæ sibi pater dederat, Regis Aldefonsi dominio manciparet. Castra autem quæ viro dedit, sunt ista, Caracuci, Alarcus, Consocra, Mora, Occania, Aurelia, Vclesium, Opta, Amassatigo, & Concha. Et suscepit ex ea filium qui Sancius vocabatur, quem Comiti Garsie de Capra dederat nutriendũ. Et de consilio foci Auenabet vocauit ab Aphrica Almorauides, qui in gente Arabum tenebant tunc temporis principatum, ut eorum auxilio vteretur contra Arabes cismarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipsi in magna multitudine cismarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipsi in magna multitudine cismarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipsi in magna multitudine cismarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipsi in magna multitudine cismarinos.

20

De strage Christianorum in Sacralis, & victoria Aldefonsi in prouincia Hispanensi. Caput XXXII.

CONGREGATI igitur Agareni ceperunt inuadere Christianos, & effusi sunt super terræ faciem ut locustæ, cumq; venissent ad locum Castellæ qui Roda dicitur, occurrerunt eis duo Comites, Garsias & Rodericus. Et in congressu interfectis vtrinq; multis militibus, tandem succubuit exercitus Christianus, & magna captiuitate patrata, & locis plurimis concrematis, Agareni cum superbia redierunt. Post hæc Aldefonsus fragem huiusmodi non leuiter ferens iterum exercitum adunavit, occurrens exercitui Agareno, qui cum suo maximo principe quem Amiramomeninum vocant, ex opposito egressus est. Cumq; ambo exercitus in loco qui Sacralis dicitur, concertassent, demum cessit populus Christianus. Et licet multi de Arabibus perissent, tot & tanti de Christianis perierunt, quod illius belli strages & memoria quasi in prouerbum adhuc extant. Fugatus itaq; Rex Aldefonsus quem tot victoria coronauerunt, non fuit tamen animo consternatus, sed resumptis suis, & conuocatis de omnibus regnis omnibus conuocatis, corde magnifico ad victoriam eleuato, eodem anno faciem contra Hispanim obsirmauit, intransque Baticam & eam partem Lusitania quæ sibi non suberat, prædis, vastationibus, & incendiis sic omnia deuastavit, quod horum fuga, & Agarenorum victoria felici commercio mutarentur. Et licet Amiramomeninus multos haberet cum Comite Garsia Ordonii Christianos, non tamen ausus fuit Regi occurrere venienti. Et Rex Aldefonsus reuersus est præda & victoria gloriofus.

40

De obsidione Vclesii, & morte Infantis Sancii. Caput XXXIII.

CVM itaq; post labores & bella plurima Rex Aldefonsus longæuus degeret, & grandæuus contractus infirmitatibus & ætate, Amiramomeninus qui Hali proprio nomine dicebatur, venit Vclesium obsidere. Sed Rex Aldefonsus (ut diximus) senio & grauedine non permissus, misit Garsiam Comitem cum filio suo Sancio adhuc paruulo, & cum eis magnates & milites regni sui. Cumq; prope Vclesium peruenissent, Sarracenorum maxima multitudo quæ iam obsessis Vclesii præualebat, contra venientes egreditur ad pugnandum, & hinc inde dispositis aciebus congredi inceperunt, & sicut Domino placuit, pars Christiana cepit virtute Arabum infirmari, & in ea parte vbi Comes cum paruulo aderat, cepit fortius

50

x iij

inualere. Cumq; quispia equum cui Infans Sancius infidebat, grauiter vulneraf-
 set, Comiti dixit: Pater, pater, equus cui infideo, est percussus. Cui Comes: Presto-
 lare, quia te etiam ferient succellue: & in continenti cecidit equus qui fuerat lau-
 ciat, & Regis filio simul cadente, Comes descendit, & inter se, & clypeum, par-
 uum collocauit, caede vndiq; perurgente. Ipse vero cum esset strenuus, & clypeo
 paruū tutabatur, & vndiq; irruentes caedibus repellebat, sed pede ictu gladii
 amputato, non potuit amplius sustentari, & incubuit super paruū, vt ipse, quam
 puer, antea caederetur. Caeteri vero magnates & milites Christiani qui mortis pe-
 riculum euaserunt, fugientes & victi victoriam effugerunt. Cumq; Comes Gar-
 sias Fernandi, & Comes Martinus, & alii Comites & magnates ad locum qui nūc 10
 Septem Comites dicitur, peruenissent, eos Arabum sequela praue nit. Et septem
 de magnatibus cum multis aliis ibidem occisis, occisionis locum vocauerunt Ara-
 bes Septem porcos, quem postea locum Petrus de Franco Commendator Vclen-
 sis mutato nomine septem Comites appellauit. Comites autem & magnates qui
 fugerant a conspectu, cum Toletum deiectis vultibus aduenissent, & Regis praesentia
 astitissent, Rex dolore ineffabili conturbatus talia dixit eis: Vbi est filius me-
 us, iucunditas vitae meae, solatium senectutis, vnicus haeres meus? Ad quod Comes
 Gometius sic respondit: Nobis filium, quem exposcitis, non dedistis. Cui ille: Et si
 dedi aliis, confortes praellii & custodiae vos adiunxi, & ille cuius custodiae speciali-
 ter reputauit, sustinuit, incubuit, & occubuit super eum, vos autem relicto puero 20
 cur venistis? Tunc Aluarus Fanum vir strenuus & fidelis sic dicitur respondisse:
 Memores laborum quos ab adolescentia tolerastis, ciuitatum, & oppidorum, pa-
 triae, & castrorum, pro quibus toties sanguinem effudistis, & quod auxilium ex-
 tincto paruo non prodesset, huc aduenimus, ne cum extincto paruo magnalium
 vestrorum gloria extingatur, si ea quae a iuuentute vestra foeliciter acquisistis,
 nobis perditis perderentur. Sed nec sic vis doloris potuit mitigari. quanto enim
 Tunc perditam fuit Concha, Amassatrigo, Opta, Vclesium, Aurelia, Ocania, &
 Conscra.

*Quod Vrraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragonia
 Aldefonso. Caput XXXIII.*

ALIQUANTO itaq; temporis interuallo videntes Comites & magnates Re-
 gem dolore & senio tendere ad defectum, in pago prope Toletum qui Ma-
 gam dicitur, pariter conuenerunt, tractaturi vt Vrraca Regis filia, quae mortuo
 Raimundo Comite viro suo adhuc vidua permanebat, nuptui traderetur. Et cum
 inter se aliquandiu tractauissent, demum communi consilio elegerunt, vt Comiti
 Gomezoni dicto postea de Campo spinæ, qui erat potior, matrimonio iungere-
 tur. Et quia consilium Regi proponere non audebat animositatis eius magnifi- 40
 centiam formidantes, quendam Iudæum Cidellum nomine asciuerunt, qui satis
 erat familiaris Regi propter industriam & scientiam medicinæ, & huic consilium
 denudantes mittunt ad Regem, vt quae tractauerant, nunciaret. Tunc Rex quasi
 dolore duplici stimulatus Iudæo tale dicitur dedisse responsum: Non tibi impuro
 quod hoc dicere praesumpstisti, sed mihi, cuius familiaritate in tantam audacia pro-
 rupisti. Caue ergo ne de caetero audeas in mei praesentia comparere: quod si fece-
 ris, ilico morieris. Mea autem intererit meae filiae, sed non vt postulant, prouidere.
 Hoc audito recesserunt confusi Comites & magnates. Iisdem diebus Aldefon-
 sum paruulum filium Raimundi Comitis & Vrracae Comes Petrus de Traua in Gal-
 lecia nutrebat. De quo quia Comes Raimundus non fuerat in Regis oculis gra-
 tiosus, quasi eius immemor non curabat, sed vocato Toletano primate, & caeteris 50
 Episcopis, & abbatibus regni sui, decreuit cum eis, vt filia eius Vrraca Aldefonso Regi
 Aragoniae matrimonio iungeretur, & vocato Rege Aragonum quod decreuerat,
 impleuerunt. Nuptiis itaque amara conspersione peractis, Aldefonsus Rex Ara-
 goniae vxorem suam in Aragoniam secum duxit. Rex autem Aldefonsus dictus
 Hesperiae

Hesperiae Imperator in senectute sua regni pericula sic sedauit, vt nobiles & igno-
 biles, potentes & impotentes vnus legis moderamine regerentur, adeo vt vtriusq;
 sexus, quantumlibet imbecillis, per omnes regni semitas incederet sine metu.

*De morte Regis Aldefonsi, & miraculo prognostico mortis eius.
 Caput XXXV.*

CVMOVE ei vitae terminus immineret, fere per annum infirmitate chronica te-
 nebatur, & tamen consilio medicorum cotidie aliquantulum equitabat, vt la-
 boribus assuetus, exercitio foueretur, & quia Deus omnipotens eius opera acce-
 ptarat, eius obitum prognostico flebili voluit intinere. Octauo etenim die in na-
 tiuitate sancti Ioannis, hora sexta de lapidibus qui erant in altaris gradibus caemē-
 tati, non ex terra, vel ex iuncturis, sed ex ipsa substantia lapidum coepit aqua cun-
 ctis videntibus emanare, & tribus diebus continue emanauit. Erant autem illis
 diebus in ciuitate Petrus Legionensis Episcopus, & Pelagius Ouetensis, qui audi-
 to miraculo cum vniuerso clero, & populo ciuitatis, induti sacris vestibus ab ec-
 clesia cathedrali vsque ad altare sancti Isidori vbi hoc acciderat, processerunt, &
 peracta missa, & sermone proposito ab Episcopo Ouetensi, ad locum miraculi ac-
 cesserunt, & ex ipsa aqua pontifices & caeteri laudantes Dominum cum lachry-
 mis potauerunt, ignorantes tamen quid portenti nouitas praesignaret. Sed morte
 Regis audita ilico cognouerunt, quod luctus & tribulatio Hispaniae orphanæ im-
 minebat, quare & duri lapides plorauerunt. Plenus itaque gratiae & dierum, kalen-
 dis Iulii, quinta feria clarescente, reliquit luctu populo suo, periculum patriae, gau-
 dium hostibus, lamentum pauperibus, suspiria religiosis. In eius obitu exiuit latro,
 praesumpsit praedo, latuit pauper, conticuit clerus, luit incola, sauit hostis, fugit vi-
 ctoria, creuit fuga, gladius in domesticos efferatur, & patria exterminio praeparatur,
 quolibet quod bonum erat in suis oculis faciente. Rege itaque finito exitu
 glorioso primas Bernardus cum magnatibus & aliis qui aderant, viginti dierum
 exequias celebravit. Sed quia de tuitione ciuitatis Rege mortuo non sperabant,
 corpus eius ad monasterium sanctorum Facundi & Primitiui quod ipse ditaue-
 rat, detulerunt. Vbi sepultus cum hymnis & laudibus requiescit. Regnavit au-
 tem duobus annis fratre viuente, sed isti anni annis fratris annumerantur: post-
 quam vero Tolero rediit, annis quadraginta, mensibus sex, diebus duodecim, qui
 cum aliis mensibus fiunt quadraginta vnus anni. Sepultus ibidem cum suis vxoribus
 superius nominatis.

RODERICI ARCHIEPI- SCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIAE LIBER SEPTIMVS.

Caput primum.

VERVM Rex Aragonum Aldefonsus soceri sui audito decessu,
 mox cum vxore sua Vrraca in Castellam congregato exercitu
 properauit, & totam terram nullis fere resistentibus, eo quod vxori
 eius successione prouenerat, occupauit: quam vt bonus
 princeps quiete & pacifice ordinauit, & a Maurorum incurfi-
 bus viriliter custodiuit, & regnum Castellae tanquam proprium
 vndiq; dilatauit, & loca deserta restituens ductis incolis popu-
 lauit, videlicet Belliforamen, Valeranicam, Soriam, Almazanan. Cumq; de vxori-
 ris contubernio dubitaret, eo quod consanguinea eius esset, munitiones pluri-
 mas Regis Castellae Castellanis omissis Aragonensium fidei commendauit, quas
 x iij

eorum aliqui diu fideliter tenuerunt. Hæc autem erat consanguinitas inter eos. Rex Sancius dictus Maior fuit pater Fernandi Regis Castellæ, & Ranimiri Aragoniæ primi Regis. Fernandus genuit Aldefonsum qui cepit Toletum. Aldefon-
sus genuit Vrracam Reginam. Ranimirus genuit Sancium qui Oscam obsedit. Sancius autem genuit Aldefonsum qui duxit Vrracam. Verum Comes Petrus Affurii a Rege Aldefonso qui cepit Toletum, Reginam Vrracam paruulam susceperat nutriendam. Mortuo autem Rege post patris exequias Regina ingrati-
tudinis spiritu incitata, terram abstulit Comiti Petro Affurii. Sed Rex Aragonum v-
xoris ingrati-
tudinem non acceptans restituit Comiti terram suam, & quia Regi-
na in his & in aliis excedebat, Rex fecit eam in castro quod Castellare dicitur, col-
locari. Regina autem indignanter tolerans custodiri, vocauit milites ex Castella,
cum quibus suis custodiis sibi datis reditum obtinuit in Castellam. Sed ma-
gnates regni ab ea diuortium procuratum nullatenus approbantes variis tractati-
bus interpositis viri gratiæ reddiderunt. Sed tempore procedente cum Rex in-
tellexisset a suis beneplacitis alienam, Soriam vsque eam duxit, ibique repudians
dimisit eam suæ arbitrio voluntatis, & ipsa ad Comitem Petrum Affurii properans
suo consilio se commisit. Tunc celebrata curia terram petiit ab omnibus Castel-
lanis, quam tamen a Rege Aragoniæ tunc tenebant. Sed vt fidelitatis debitum
exposcebat, terram quam tenebant, ei communiter reddiderunt. Cumque sui ad
eam ex omnibus regni partibus conuenirent indignatione maxima prouocati, eo
quod Rex Aragonum eam repudiauerat, & in dominio patriæ Aragones præpo-
nebat, eiusdem Regis dominium abiecerunt, & munitiones & castra omnia quæ
tenebant, Reginæ naturali dominæ reddiderunt. Tunc Comes Petrus Affurii in-
dutus scarlato, & insidens equo albo, & portans funem in manu accessit persona-
liter ad Regem Aragonum in castro quod dicitur Castellare, cui manu & ore ho-
minium fecerat pro terra quam ab eo acceperat in honorem, in plena curia sic
proponens: Terram quam mihi dedistis, Reginæ restitui cuius erat, meæ domi-
næ naturali. Manus autem, os, & corpus quæ fecerunt hominum, vobis offero
morte vel dispendio consumenda. Tunc Rex cum esset aliquantulum iracundus,
voluit in continenti sententialiter condemnare, sed suafus a suis sententiam distulit
promulgare. In crastino autem magnates sui in consilio suaserunt, vt tali prin-
cipi qui fidelitatem naturali dominæ sic seruauerat, & ei corpus & membra ad
dispendium offerebat, liberaliter indulgeret. fidelitatem enim vtrique domino
obseruabat, pro vt domini debitum exposcebat. Et in fontem remisit cum mune-
ribus & honore, cuius factum Hispani adhuc hodie imitantur.

*De victorijs Regis Aragoniæ contra Gallicos, & Castellanos, & morte Comitis
Gomitii. Caput II.*

CASTELLANI autem confestim castra & oppida intermutarunt, & sic regnum
in discidio constitutum ab vtraque parte grauiter vexabatur. Interea Comes
Gomitius ad Reginæ connubium anhelabat, sicut patris tempore (vt prædiximus)
a magnatibus fuerat pertractatum. Sed Regina Vrraca clanculo, non legitime,
Comiti Gomitio satisfecit. Vnde & Comes quasi de matrimonio iâ securus, cœ-
pit agere bella regni, & pro viribus Aragones propulsare, & genuit ex Regina fi-
lium furtiue, qui dictus fuit Fernandus Furatus. Interim autem quidam Comes
Petrus de Lara reginæ gratiam clandestine procabatur. Quod voluit, impetra-
uit, vt exitus comprobauit. Cumque regnum discidio & cladibus vexaretur, Al-
defonsum Rex Aragonum, qui adhuc munitiora loca in Castellæ terminis detine-
bat, exercitu congregato Castellæ fines inuasit, & Castellani omnes cum Gomitio
Comite congregati ei communiter occurrerunt. Cumq; vtrique in Campo spi-
næ prope Septem publicam conuenissent, Castellani suas acies ordinarunt: primâ
aciem cū regni vexillo Petro de Lara Comiti concesserunt: in postrema vero fuit
Comes Gomitius tanquam maior. Et cum exercitus congregari incepissent, Com-
es Petrus qui ad Reginæ connubium anhelabat, in primis iactibus vexillo proiecto
cessit

cessit hostibus sine pugna, & venit Burgis, vbi Regina tunc temporis morabatur.
Comes autem Gomitius cum cæteris Castellanis bello instritit strenue præliando,
sed præualente Rege Aragoniæ victus occubuit & occisus. Sed & miles quidam de
domo Oleæ qui vexillum Comitum in sua acie præferebat, occiso equo ad terram
cecidit, & amputatis manibus solis brachijs vexillum tenens non cessabat, Oleam,
Oleam fortiter inclamare. Fugit ergo exercitus Castellanus, multis ex eis cadibus
detruncatis, & Castella nuper incluta pro vili commercio prosternitur derelicta.
Aragonenses autem de Castellæ victoria eleuati, Doriam transeuntes per campos
Gotthicos adeunt Legionem, intermedia irruptionibus & incendijs deuastantes,
& licet incluti essent prædis, tamen cœperunt defectu pecuniæ stipendia minorari.
Vnde & Rex Aragonum ad sanctuaria misit manū, & thesauros auri, & argenti,
& preciosorum lapidum quos Regum & Reginarum deuotio dedicauerat, ma-
nu sacrilega vsurpauit, & etiam possessiones oblatas a Regibus in fisco cauit. Vnde
erga Deum & homines cessit ei in scandalum & peccatum. sperabat enim se re-
gina vxoris perpetuo habiturum. Cumque vterius processisset, Galleci & Legio-
nenses cum infante Aldefonso, qui (vt diximus) in Gallecia cõsistebat, Regi Ara-
gonum occurrerunt inter Astoricam & Legionem, in loco qui dicitur Via anguis,
& commisso prælio fugatis Legionensibus & Gallecis, & cælis pluribus ex vtrisque,
Rex Aragonum fuit victor, & per partes Castellæ rediens fautores Petri Comitis
deuastauit, & eos persequens in Montione prope Palentiam coarctauit, vbi fugi-
entes se receperant cum Regina, & ex eis aliquos ibi cepit: & sic in Aragoniam re-
diit triumpho duplici coronatus. Petrus autem Comes de Lara cum familiare
commercium cum Regina indebite propalaret, sperans illud matrimonio confir-
mare, omnibus præminebat, & cœpit Regis officium exercere, & quasi dominus
omnibus imperitare, sed magnates alii infamiam domine non ferentes, cœperunt
ei resistere, & matrimonii propositum impedire.

De electione Aldefonsi Regis in Regem. Caput III.

VERVM timentes ne res ad effectum casu aliquo perueniret, Gometio de
Maceneto & Guterris Fernandi de Castro præ omnibus instrerunt, vt
Aldefonsum Reginæ filium & Comitis Raimundi, quem a tempore aui in Gal-
lecia nutriebant, ad regni fastigium euocarent. Qui fauore omnium euocatus,
in regni folio collocatur, resistente nihilominus sibi matre, & Comite Petro
de Lara, sed adiutus a suis Comitem Petrum de Lara a regno expulit, & ex-
pulsus ad asylum Comitis Barcinonæ abiit destitutus. Rex autem matrem su-
am Reginam Vrracam obsedit in turribus Legionis, sed pace inter matrem &
filium procurata, retentis quæ Regina voluit, cætera filio resignauit, & inte-
stinis discidijs iam sedatis cœpit Rex, quamuis iuuenis, potentiam Arago-
num attentare, qui adhuc in regno suo potiora loca sub potestatis suæ domi-
nio detentabant. Cumque ex Gallecia, Legionem, Asturijs, & Castella exer-
citu congregasset, Rex Aragonum ex aduerso per partes Anagari cum suo
exercitu veniebat. Videntes autem Episcopi & Abbates Castellæ & Aragoniæ
quod ista dissensio posset Arabibus viam dare, sicut tempore Roderici, vtrique
Regi humiliter supplicarunt, vt a prælio abstinere, donec de concordia tra-
ctaretur. Demum cum esset iunior Rex Aldefonsum, fuit taliter procuratum,
vt supplicaret per Episcopos & Abbates Regi Aragonum tanquam patri, vt si-
bi restitueret regnum suum, & cum de iure non posset, nollet eum de facto
priuare, quia ipse paratus erat, tanquam filius, eum in omnibus adiuuare. Et
Rex Aragonum his auditis, cum esset vir pius & optimus, sic respondit: Gratias ago
Deo vero qui filio meo tale consilium inspirauit, quia & si antea hoc fecisset, me
nunquam hostem, sed propitium habuisset, & ecce nunc ex quo petiit gratiam,
nihil eorum quæ ad eum pertinent, mihi volo, sed cuncta restituo incunctanter. Man-
dauit itaq; omnibus qui munitiones, castra, & oppida detinebant, vt Regi iuueni
priuigno suo omnia restituerent sine mora. Et firmata pace cõcorditer & benigne,

interq; exercitus sine belli periculo ad propria remeavit, Aldefonso Regeiuvene in integrum restituto. Verum Rex Aragoniæ audiuit ibidem Arabes suis finibus aduenisse, & in eorū occursum properans in loco qui Fraga dicitur, cum Arabibus decertauit, & qui alias semper inuictus fuerat, strenuitate Aragonū frigescente, sacrilegii quod Legionē commiserat, soluit pœnas. nam victus occiditur, & si occisus inuentus fuerit, dubitatur. Ab aliquibus enim dicitur corpus eius in montis Aragonis monasterio tumulatum, a Mauris tamen ante redemptum. Ab aliis dicitur viuus a prælio euasisse, & confusionem prælii nequens tolerare, peregrinū se exhibuit huic mundo, effigie & habitu immutatus. Et annis aliquot interpositis quispiam se ostendit, qui se eundem publice fatebatur, & multorum Castellæ & Aragoniæ id ipsum testimonia affirmabant, qui cum eo in vtroque regno fuerant familiariter conuersati, & ad memoriā reducebant secreta plurima quæ ipse olim cum eis habita recolebat, & antiquorū assertio ipsum esse firmiter assererat. Demum tamen quia eum ex regno plurimi sectabantur, & de die in diem eorum numerus augebatur, Aldephonsus Rex Aragoniæ fecit eum suspendio interire.

De magnalibus Regis Aldephonsi circa principium regni sui. Caput IIII.

ALDEPHONSVS autem filius Comitis Raimundi cœpit regnare æra millefima centesima quadragesima sexta, & regnauit LI. annis. Mater autem eius regnauerat post mortē Aldephonsi qui cepit Toletum, IIII. annis & fuit vir bonus, largus, strenuus, mansuetus. Cuius tempora viris optimis, Comitibus magnatibus, & aliis strenuis magnatibus abundarunt, cum quibus magna & ardua attentauit, & scælici exercitu consummauit. Circa principium regni sui ciuitatem Cauriam acquisiuit, & in ea per Bernardum primatem qui eius tempore adhuc erat, dignitatis perditę insignia reformauit, & Mauros qui in Lusitania habitabant, sæpe & sæpius conculcauit. Interea Bernardus primas venerandus ordinatis ecclesiis prouinciæ & primatus, beneplacitis Deo actibus gloriosus quarto Nonas Aprilis, quattodecimo anno regni Imperatoris, defectu naturæ migravit ad Christum, & in ecclesia quam de Mezquita ad titulum beatæ virginis cōsecrarat, obtinuit cunctis flentibus sepulturam, acclamantibus vniuersis: Cur nos pater deseris desolatos? Vixit in pontificatu annis quadraginta quatuor. Est autem titulus tumuli sic inscriptus: *Primo Bernardus fuit hic primas venerandus.* Huic successit Raimundus Episcopus Oxomenis. Postea Imperator per partes Toleti Mauros aggrediens, Calatrauam quæ regnum Toleti grauiter infestabat, & diu obsessam pugnis & machinis occupauit, & ecclesiam cum multis possessionibus & decimis regalium reddituum domino Raimundo Toletano primati concessit, & eiusdem villæ iurisdictionis municipia quæ munitioibus præminebant, quædam retinuit, quædam solo dirupta adæquauit, scilicet Alarcuris, Caracoi, Petrochium, sanctam Euphemiam, Mestantiam, Alcudiam, Almodouar. Et cum esset irruptione frequenti Mauris infestus, omnia sibi prospere succedebant, & iam Hispaniarum Regem in suis se vocabat.

De ortu & genealogia Regum Portugallie. Caput V.

VERVM Comes Enricus, de quo diximus quod Rex Aldephonsus Tarasiam filiam ei dederat in vxorem, cum esset vir bonus, iustus, strenuus, timens Deū, cœpit aliquantulum rebellare, non tamen subtraxit hominum toto tempore vitæ suæ, sed a finibus Portugallie eiecit, prout potuit, Agarenos, sibi iam specialem vendicans principatum. Hucusque etenim cum gente sua mandatum ad exercitum & ad curiam veniebat, sed benignitas, immo negligentia Aldephonsi, tanquā consanguineo & affini improvide deferebat. Ipse vero Enricus Viseo, & Lameco, & Portugali sedes restituit cathedrales, & a Toletano primate earum Episcopi fuerunt consecrati. Coimbriæ etiam eius tempore fuit Burdinus, de quo diximus, primus Episcopus consecratus. Bracaram etiam quæ variis vastationibus adhuc diruta

diruta permanebat, vigili studio restaurauit, & per Bernardum Toletanum primatem fuit dignitati pristinæ restituta. In ea enim sanctum Giraldum Toletanum cantorem, de quo diximus, in Archiepiscopum consecrauit. Comes autem Enricus ad petitionem vxoris suæ Tarasie, quæ Regina, quia Regis filia dicebatur, terræ suæ ciuitates singulis Episcopis donationis titulo assignauit, præter Coimbriã, quæ apud eos tunc temporis vt vrbs regia habebatur. Hic Enricus genuit ex Tarasia Aldephonsum, qui mortuo patre successit in principatu, & a principio Dux Portugallie dicebatur. Hic duxit vxorem Mafaldam filiam Comitis Maurienæ, ex qua suscepit filium Sancium & Vrracam, quæ fuit postea vxor Fernandi Regis Legionensis, & genuit ex ea filium Aldephonsum, de cuius genere post dicemus, & aliam filiam quæ Tarasia dicebatur, & nupsit Philippo Comiti Flandriæ & Hannoniæ, & fuit mortua sine prole. Filius eius Sancius duxit vxorem nomine Dulcem, filiam Raimundi Comitis Barcinonæ & Vrracæ Aragonensis, & suscepit ex ea filios Aldephonsum qui ei successit in regno, & habuit vxorem Vrracam filiam Regis Castellæ nobilis Aldephonsi, & genuit ex ea filios Sancium Regem Portugallie successorem, qui etiam adhuc regnat. Habuit secundum filium Aldephonsum, qui duxit vxorem Marillam nomine de partibus Franciæ Babylonie Comitissam, & per eam habet hodie Comitatum. Habuit etiam tertium filium nomine Fredinandum, qui in Castella duxit vxorem Sanciam filiam Comitis Fredinandi. Habuit etiam filiam Alienor, quæ nupsit Regi Daciæ, & ibi fuit mortua sine prole. Rex autem Sancius, de quo diximus, præter Aldephonsum cuius generatio iam est dicta, filium habuit alium nomine Petrum. Hic duxit vxorem filiam Argmengaudi Comitis Vrgellenis, quæ expers prolis vitam finiuit. Habuit & alium filium Ferdinandum, qui duxit vxorem Flandriæ Comitissam, & antequam prolem susceperet, vitam finiuit. Habuit & aliam filiam Tarasiam nomine, quæ Aldephonso Regi Legionensi fuit incestuoso contubernio copulata, ex quo suscepit filium nomine Fernandum, & filias Sanciam atque Dulcem, & Fernando & Sancia iam defunctis, Dulcis remanet nondum nupta.

De insignibus præliorum Regis Portugallie Aldephonsi. Caput VI.

NVNC contexta generatione Principum Portugallie, ad Aldephonsum Ducem, de quo cœpimus, reuertamur. Hic Aldephonsus fuit strenuus, & pertinax in agendis. Hic primus in Portugallia sibi imposuit nomen Regis, cum pater eius Comes, & ipse Dux antea dicerentur, & ab Eugenio Papa tertio, cui regnum suum constituit censuale, multa priuilegia & indulgentias impetrauit. Hic apud Coimbriam construxit monasterium sanctæ Crucis, quod donariis & possessionibus multis ditauit. Construxit & aliud monasterium quod Alcobatia nominatur, quod multis dotauit possessionibus & ditauit. Cepit sanctam Irenæam, Sinitriam, & Vlysonam, Elboram, & Alanquellum. Multa etiam loca quæ patriæ utilitas exposcebat, & muris firmavit, & diu deserta nouiter populauit. Habuit bellum cum Fernando Rege Legionis, in quo fuit victus & captus, sed clementia aduersarii suis proinus redonatus. Propria autem morte decessit, sepultus Coimbriæ in monasterio sanctæ Crucis. Cui successit filius eius Sancius, de quo diximus, vir magnæ prudentiæ, & strenuus in agendis. Contra Mauros plurima bella gessit, & Syluam nobilem ciuitatem animosus obsedit, & aduentantibus ex Flandria plurimis bellatoribus demum cepit, & in ea pontificalem cathedram eleuauit, sed postea incurſu Arabum veniente remansit primis incolis subiugata, expulso inde catholico incolatu. Populauit etiam loca plurima, quæ in ditione Regis Portugallie adhuc extant, Caueam Iuliani quæ vulgariter dicitur Couillana, Guardiam, Montem sacrum, Portum molarū, & Turres nouas, & multa alia, quibus remansit Portugallia dilatata. Et morbo chronico diu detentus vitam finiuit, in monasterio sanctæ Crucis iuxta patrem traditus sepulturæ. Huic successit filius Aldephonsus in principio Christianissimus, in fine suæ deditus voluntati.

In diebus eius Alchazar & castra alia in deditionem fidei catholicae peruenerunt. Moriturus autem elegit in monasterio Alcobatiae sepulturam. Post haec Sancius filius eius successit in regno. Huius temporibus Heluis, Iurmenia, Serpia, & multa alia castra Maurorum, Christianorum victoriis accesserunt. Adhuc extat, & Dominus dirigat vias eius. Et ut genealogiae Regum Portugalliae seriem texeremus, a proposito diuertimus aliquantum.

Quod Imperator diuisit imperium filiis suis. Caput VII.

Nunc adgesta Aldefonsi Hispaniarum Regis, prout cepimus, reuertamur. 10
 Mortuo itaque Aldefonso Rege Aragonum, & substituto eidem Ranimiro monacho fratre suo, cepit Aldefonsus Rex Hispaniarum Aragoniam infestare, adeo quod ciuitates, & castra quae sunt citra Iberum, & loca omnia occupauit. Tandem post longa certamina ea lege in concordiam redierunt, ut Rex Aragonum omnia supradicta teneret in feudo a Rege Hispaniarum, & ei fieret in vassallum. Quod & fuit fideliter obseruatum vsque ad obsidionem Conchae, in qua dicitur Rex Castellae Aldefonsus nobilis Regi Aragonum Aldefonso hominum & dominium remisisse. Post haec rediens Legionem imposuit sibi Imperii diadema, & vocatus fuit deinceps Imperator. Habuit autem duas vxores, Berengariam atque Richam. Ex Berengaria genuit Sancium & Fernandum, Elisabeth & Beatiam. Elisabeth nupsit Ludouico Regi Francorum, ex qua genuit filiam quae dicta fuit Adelodis, & fuit vxor Comitis de Pontino. Et illa Comitissa genuit Mariam, quae fuit mater Ioannae Reginae Castellae & Legionis. Beatia nupsit Sancio Regi Nauarrae, & suscepit ex ea duos filios, & tres filias, de quibus superius est iam dictum. Post haec consilio quorundam Comitum Amalarici de Lara, & Fernandi de Transmarim discidia seminare volentium, diuisit regnum duobus filiis, Sancio & Fernando. Sancio primogenito dedit Castellam vsque ad sanctum Facundum, & Morum Reginae, & Aggerem fumorum, & Oroniam, Couellas, Medinam, & Areualum, & totum territorium Abulense, & inde sicut diuidit Calciata, quae dicitur deguinea, & in Asturiis sicut diuidit ripa Oue. Residuum versus 30
 mare, & Portugalliam dedit minori filio Fernando.

De captione Cordubae. Caput VIII.

POSTEA cum magna suorum multitudine metuenda urbem aggressus est Cordubensem. Cumque prope eam venisset, Princeps Auengamia qui Cordubae praesidebat, de viribus non confidens exiuit obuiam Imperatori, & clauas obtulit ciuitatis eius dominio sese tradens. Cumque Imperator acceptasset oblata, recepit etiam ciuitatem, & in Mezquita Raimundus primas & Archiepiscopus Toletanus ritu catholico solennia celebrauit. Cum vero ciuitas esset populosa, nec Imperator sufficeret tot ibi ad conseruationem dimittere bellatores, qui possent resistere incolis, si vellent forsitan malignari, demum consilio minus sano Auengamiae qui ei ciuitatem dederat, commisit custodiam ciuitatis, & ille super librum Mahometi qui Alchoranus dicitur, sibi & Regi Sancio filio suo fecit hominum, & iurauit. 40

De aduentu Regis Franciae in Hispaniam. Caput IX.

POST haec quidam maligni inter eum & Regem Franciae volentes odium seminare, Regi Franciae obreperunt, dicentes Elisabeth vxorem suam esse ortam ex vilissima concubina, & Rex Ludouicus volens experiri suggesta, iter arripuit ad sanctum Iacobum veniendi. Quod praesentens Imperator Burgis occurrit, turba herilium procerum comitatus, equorum & thesaurorum copiis adornatus, & gener eius ab eo & Rege Nauarrae qui cum eo venerat, gloriosissime est susceptus, ita quod ipse Rex Franciae in aspectu tantae gloriae obstupebat. Cumque eum vsque ad sanctum Iacobum produxisset, inde rediens Toleti curiam celebrauit tam 50
 Christiano-

Christianorum, quam Arabum eius imperio subiectorum, cui etiam interfuit Raimundus Comes Barcinonensis. Cumque Rex Franciae tam nobilem curiam inspexisset, admiratus omnia dixit coram omnibus protestatus, similem curiam, similem apparatus in orbis ambitu nusquam esse, nec tantam supellestem se vidisse. Tunc imperator ostendens ei Comitem Barcinonae, qui in magno & honorabili apparatu erat, Ecce, inquit, ex huius sorore Berengaria suscepi filiam quam vobis contuli in vxorem, & si vobis hanc ignobilem, & me in glorium suggesterunt, oculi vestri videant veritatem. Tunc Rex Ludouicus gratias egit dicens: Benedictus Deus quod filiam tanti domini ex sorore tanti principis habere merui in vxorem. Oblit autem Imperator infinita donaria, quae sine valore numerum excedebant, sed nil eorum voluit recipere Ludouicus, nisi quendam Carbunculum, quem in corona spinae Dominicae apud sanctum Dionysium collocauit, quem etiam meminisse me vidisse.

De ortu Almohadum. Caput X.

IN diebus autem huius Imperatoris Aldefonsi surrexit apud Arabes vir quidam nomine Auentumerth, homo in Astronomia & naturalibus valde doctus. Hic curiositate vigili inuestigans quae fuit iuuenem filium figuli qui Abdelmon proprio nomine dicebatur, & ei suadens grandia praedixit eum Regem Arabum asfuturum, qui mox consentiens prophetiae monitis acquieuit. Auentumerth autem asciuit quendam qui Almohadi vocabatur, & erat in Mahometi doctrina valde peritus, & cepit librum Mahometi qui dicitur Alchoranus, exponere & docere, & Caliphe de Baldac, qui est Papa Arabum, & descendit generationis linea de semine Mahometi, contraria praedicare, similiter contra Almorauides qui tunc pulmen regni in Africa obtinebant, rebelliam adhortari. Et tantam seduxerunt populi multitudinem, quod licet Rex Albadi qui erat Rex & dominus Almorauidum, cum eis saepius concertasset, & etiam deuicisset, tanta fuit commotio eius gentis, quod non potuit praualere. Ille etiam Abdelmomus qui regalia exercebat, adiutus praedicatione Almohadi, & conciliis Auentumerthi, Regem Aboali vicit, & interfecit, & totum regnum obtinuit Africanum, & apud Marrochum gentis illius metropolim statuit sedem suam, & Almohadi quasi Dei prophetam in omnibus honorabat, cuius praedicatione totam Africam acquisiuit, & suo gladio subiugauit. Tandem etiam in Hispaniam cisfretauit, & fere suo dominio omnes Arabes incuruauit, & eo reuerso in terram suam, mortuus est Almohadi, quem Abdelmomus non longe a Marrochis regio funere sepeliuit. Et in tanta veneratione habetur, ut in necessitatibus suis ad eum recurrant subsidia petaturi, & ab eius nomine complices huius sectae Almohades nominantur. Alii tamen dicunt Almohades, vnitos interpretari. Post haec mortuo Abdelmuno filius 20
 eius Aueniacob successit in regno, qui in Hispanias veniens a quodam Christiano occisus fuit in Portugali. Cui successit frater eius Adueniuaeph, qui in bello Alarcuris repulit Christianos, & hoc mortuo successit ei filius eius Auenmahomath, qui in Nauis Tolosae ab Aldephonso Rege nobili fuit victus, quae victoria discessionis & exterminii Almohadibus causam dedit. 30
40

De captione Beatiae & Almariae. Caput XI.

CVMQUE iam in purpura diadematis seminarium discidii germinasset, congregato exercitu obsedit Beatiam, & cum de suis aliqui recessissent, Sarraceni vndique congregati ad soluendam obsidionem ilico aduenerunt. Apparuit autem in nocte sanctus Isidorus confortans Imperatorem, & in congressu castro se pollicens adiutorem. Igitur luce castina apparente, inito praelio iuxta promissum sancti Isidori obtinuit Imperator, & fugatis auxiliis, Mauri incolae, quia resistere non valebant, eius dominio se dederunt, & ei urbis praesidium tradiderunt, quod ipse in continenti repleuit bellatoribus, & incolis Christianis, & remanfe-

runt Mauri subditi sub tributo, & propter miraculum ecclesiam sancti Iſidori conuentu regularium ordinauit, & donariis plurimis adornauit. Et inde procedens peruenit ad ciuitatem maritimam, quæ dicitur Almaria. Cumque aliquandiu ibi mansisset, Raimundus Comes Barcinonæ, & naues Ianuenſium aduenerunt. Qui cum eum in acquisitione fideliter adiuuiſſent, obtinuit, et ſibi retinuit ciuitatem, & ſpolia omnia Ianuenſibus eſt largitus, inter quæ inuentum fuit vas ſmaragdineum, ut ſcutella, & Ianuenſes illo contenti cætera dimiſerunt, quæ fere omnia Comiti Barcinonæ contulit Imperator. Et reuerſus eſt Imperator in clytus victoria & honore, & Beatiam uſque peruenit, ibique relicto ſilio ſuo Sancio ad custodiam ciuitatis & Andugari, ipſe Imperator per montem qui Muratal dicitur, iter arripuit redeundi. Cumque ueniſſet ad illicem quandam frondibus denſam & ramis, ibidem infirmitate vexatus vitam finiuit, & ſtatim Fernandus filius eius timens a fratre ſuo Sancio præueniri, cum magnatibus regni ſui regnum adiit Legionis.

De ſucceſſione Regis Sancii in regno Caſtelle. Caput XII.

CVMQUE Rex Sancio qui Beatiam remanſerat, hoc ſenſiſſet, relictiſ omnibus quæ ultra montem de Muratal Chriſtianitas poſſidebat, ad ſunus patris uelociter properauit, & cum primatre Ioanne qui tunc aderat, patrem ſuum duxit Toletum, & ibidem in patriarchali eccleſia honorifice ſepeliuit, & cœpit regnare æra milleſima centeſima nonageſima ſeptima, & regnauit anno vno, & ex tunc cœpit assignati regni negotiis provide, & uiuente patre uxorem duxerat nomine Blancam filiam Garſiæ Regis Nauarræ & Margelinæ filię Rotronis Comitis Perſicorum, ex qua iam ſuſceperat filium nomine Aldeſonſum, qui trium annorum remanſerat in morte Imperatoris. Hic Rex Sancio tanta benignitate pollebat, quod clypeus nobilium dicebatur, & tanta congerie uirtutum claruit, ut pater pauperum, amicus religionum, deſenſor uiduarum, tutor pupillorum, iuſtus iudex omnium ab omnibus uocaretur. Nihil arduum reputabat quod ad cordis magnificentiam pertineret, aſcenſiones uirtutum in corde ſuo continue diſponebat, & munditiam amans ad ea quæ uirtuoſum faciunt, anhelabat. Quid de moribus eius, de ſtrenuitate in hoſtes, de liberalitate in omnes, de iuſtitia in ſuos, de pietate in fratrem, de deuotione in eccleſias, de timore in Deum dicam? Huic pater diuiſit imperium, ſed ipſe uirtutes omnium in ſe uirtutum ſibula colligauit.

De reſtitutione magnatum Legionis per Regem Caſtelle. Caput XIII.

REX autem Fernandus cum eſſet pius, miſericors, & benignus, ſuſurronum tamen linguis aures credulitate facili inclinabat, qui uolentes regni exordia perturbare, mala de quibusdam Comitibus ſuggeſſerunt, & ipſe eorum ſuſurris inclinatus abſtulit eis temporalia feuda quæ tenebant. At illi Regem Caſtelle Sancium adierunt, qui ſtatim congregato exercitu uenit ad ſanctum Facundum. Quod cum Fernandus Rex Legionis audiſſet, uerens cum fratre committere, habito ſuorum conſilio, fratris arbitrio ſe commiſit, & cum paucis equitans uenit ad fratrem uelociffime ſine armis. Ipſo uero improuiſis omnibus ueniēte, Rex Sancio in menſa conuiuii conſedebat, & adeo Rex Fernandus uenit feſtinus, quod uix potuerunt ei aſſurgere conuiuantes. Rex autem Sancio, ut improuiſus aduentus potuit tolerare, eum recepit curialiter, & iucunde, & iuxta ſe in collegio regio collocauit. Erat autem Rex Fernandus de cultu non curans, & uenit illotus ueſtes & caput. Cumq; uidiſſet eum Rex Sancio qui munditiam ueſtium & corporis diligebat, fecit in continenti balneum præparari, & tandiu in menſa non comedens expeſtauit, donec lotus corpus & caput, optimis ueſtib. innouatus, in conuiuio cultu regio ſedit ornatus. Et conuiuio ſplēdide celebrato, Rex Sancio aduentus ſui cauſam, & cuius conſilio ſic aduenerat, ſciſcitatur. Cui reſpōdit: Ad uos tanquā ad patrē & do-

& dominum ueniſſe ſecurus, de uirtute bona præſumens, & ſupplico quod regni mei fines inuadere non uelitis, quia etiam ſi uelletis, uobis hominum facere ſum paratus. Cui Rex Sancio ſic reſpondit: Abſit a me, ut terram quam pater meus uobis contulit, mea ſubiiciam poteſtati, uel frater meus, filius tanti patris, alicui hominio ſit aſtrictus. Sed cum pater noſter regnum nobis diuiferit, & uos ueſtris, & ego meis & prouentus & terram tenemur magnatibus impartiri, quorum auxilio patres noſtri terram perditam habuerunt, & Arabes repulerunt. Reddatis ergo feuda ſua Comiti Pontio de Minerba, & aliis magnatibus quos priuaſtis, & non credatis ſuſurronibus cōtra eos, & ego in continenti recedo. Tunc Rex Fernandus cum eſſet piſſimus & benignus, omnia quæ Rex Sancio dixerat, acceptauit, & ſtatim abinuicem amicabiliter receſſerunt.

Quod Calatrana data fuit Abbati Fiterienſi, & de morte Regis Sancii. Caput XIII.

QUIBUS peractis Rex Sancio uenit Toletum, & rumor increbuit, quod Arabes ueniebant cum magno exercitu Calatravam. Fratres autem militię templi qui arcem Calatravæ tenebant, timentes quod non poſſent Arabum uolentiæ obuiare, ad Regem Sancium acceſſerunt ſupplicantes, ut & arcem & uillam Calatravæ reciperet, quia non erat eis facultas Arabibus reſiſtendi, nec inuentus fuit aliquis de potentioribus qui uellet deſenſionis periculum expeſtare. Erat autem tunc temporis in urbe regia Raimundus, homo religionis, Abbas Fiterii, & cum eo monachus quidam qui Didacus Velafqui dicebatur, homo nobilis, & quondam ſtrenuus in officio militari, & de Buronæ partibus oriundus, & a iuuentute cum Rege Sancio enutritus. Qui uidens Regem ſolicitem pro diſcrimine Calatravæ, ſuaſit Abbati, ut a Rege peteret Calatravam, & licet Abbas ſe a principio retraxiſſet, demum conſenſit monacho, olim militi, ſupplicanti, & accedens ad Regem petiit Calatravam. Et licet aliqui fatuum reputarent, tamen ſicut Domino placuit, Rex conſenſit: & Abbas cum monacho in continenti uenerunt ad primatem Ioannem qui tunc præerat eccleſiæ Toletanæ. Qui audiens ſanctum proſiſtitum gratias egit Deo, & ſtatim rerum ſuarum dedit auxilium, & fecit publice prædicari, ut omnes euntes in auxilium Calatravæ omnium peccatorum ueniam mererentur. Et facta eſt tanta commotio in ciuitate, ut uix eſſet qui aut in propria perſona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias in ſubſidium largiretur. Et Rex Sancio in continenti dedit Abbati & ſanctæ Mariæ de Fiterio in poſſeſſionem perpetuam, uillam & præſidium Calatravæ. Et Abbas cum Didaco Velafqui monacho uenit duce Domino Calatravam, & ſic eſt factum diſpoſitione altiffimi ordinante, quod Agarenorum exercitus, de quo rumor increuerat, non aduenit. Et tunc multi quos deuotio incitauit, temperato habitu, ut militaris agilitas expoſcebat, eorum ordinem receperunt, & in continenti cœperunt contra Arabes cædes & prælia exercere, & Domino adiuuante proſperatum fuit opus in manibus monachorum. Tunc Abbas reuerſus ad monaſterium, armenta, & greges, & cætera mobilia quibus tunc temporis Fiterium abundabat, nec nō & multitudinem bellatorum quibus ſtipēdia & uatica miniſtrauit, duxit ſecum ueniens Calatravam, exceptis debilibus & ægrotis quos ad miniſterium monaſterii dereliquit, & ut audiui ab his qui uiderant, fere uiginti millia hominum ſecum duxit. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas. Mortuus autem ſepultus eſt in uilla quæ Cirolas dicitur, prope Toletum, ubi Deus per eum (ut fertur) miracula operatur. Didacus autem Velafqui poſtea diu uixit, quem etiam memini me uidiſſe, & obiit in monaſterio ſancti Petri de Gomello, & ibi ſepultus requieſcat in pace. Rex uero Sancio poſtquam dedit Fiterio Calatravam, conſummatuſ in breui compleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius, & ideo feſtinauit eum Dominus educere de medio iniquitatis, & dare ei imperium non diuiſum. Obiit autem Toleti ſecundo Kalend. Septemb. cui regni, & uitæ anni circulus finem dedit. Regnauit enim anno vno, diebus duodecim, iuxta patrem ſepultus in maiori eccleſia Toletana.

De Rege Aldefonso, & persecutione quam infamia tolerauit, & nuptiis eius.
Caput XV.

POST obitum desiderabilis Sancii successit ei filius nomine Aldefonsus trimus, & patris priuilegio amplectendus, æra millefima centesima nonagesima octaua. Hunc genuerat ex Blanca filia Garfiaz Regis Nauarræ. Hic ab infamia vultu viuax, memoria tenax, intellectu capax. Sed quia regnorum principia vix earent discordia etiam in adultis, multi de suis qui ad discidia inhabant, Fernando Regi Legionensi infantis patruo suaserunt, vt Regis pueri initia perturbaret. Qui continuo acquiescens aliquas ciuitates & oppida occupauit, ita vt ipse Rex paruulus quæ reretur. Causa autē huius seditionis (vt dicitur) ista fuit. Cum desiderabilis Sancius pater eius videret diem obitus imminere, vocatis magnatibus mandauit omnibus, vt terrarum dominia quæ ab eo tenebant feudo temporali, vsque annos quindecim retinerent, & tunc filio suo fideliter resignarent. Cumque puer Guterrio Fernandi de Castro a desiderabili Sancio fuisset commissus, & ipse post patris obitum custodiæ pueri diligentiam adhiberet, accesserunt ad eum Garfias Garfiaz de Atia, Comes Amalaricus, Comes Aluarus, Nunius Petri de Lara, & hi tres vltimi erāt fratres, filii Comitis Petri de Lara & Auæ Comitissæ. Garfias Garfiaz erat frater eorum ex matre, & filius Comitis Garfiaz qui in bello Vclesi cum infante Sancio fuit occisus. Itaque omnes suaserunt Guterrio Fernandi de castro, vt daret puerum Comiti Amalarico, qui erat potens, & charus habitantibus Extrematuram, & sic posset terræ seditio complanari, & ipsi autem Guterrio Fernandi tanquam maiori deferrent. Erat enim vir grandæuus & honorabilis, qui etiam desiderabilis Sancii patris pueri curam habuerat, cum viueret Imperator. Hic dicitur fere quingentos milites manu propria accinxisse cingulo militari, & habuit vxorem nomine Theodam, ex qua tamen prolem aliquam non suscepit, sed habuit fratrem nomine Rodericū Fernandi, qui fuit Caluus agnominatus. Hic habuit quatuor filios Fernandum Roderici, & Aluarum Roderici, & Petrum Roderici, & Guterrium Roderici, & filiam Sanciam Roderici, quæ fuit vxor Aluari Roderici de Guzman. Cumq; Guterrius Fernandi adhibuisset fidem verbis Comitis Amalarici, & fratrum suorum, eorum fidei commisit infantem, & infantem receptum Garfiaz Garfiaz de Atia tanquam maioris custodiæ commiserunt. Ipse vero cum esset simplex & rerum non prouidus dispensator, quæsiuit a fratribus vn de posset de sumptibus prouidere. Ipsi vero gaudentes eo quod ad custodiam pueri anhelabant, dixerunt ei, vt se ab expensarum onere expediret, & traderet puerum Comiti Amalarico. Quod & ipse acceptas sumptibus caruit, & regimine, & honore.

De dispensatione magnatum Castellæ super custodia Regis Castellæ, & de fuga eiusdem in Atentiam. Caput XVI.

CVM vero Guterrius Fernandi percepisset hos fratres cum Rege patruo rebelare, iuxta quod promiserat, petiit ab eis restitui sibi Regem. Quem ipsi tanquam improuidum deriserunt. Cumque inter vtramq; domum, de Castro videlicet, & de Lara, longa concertatio incidisset, multa hinc inde pericula, multa homicidia acciderunt, adeo quod hæc discordia occasionem præbuit Legionensibus præualendi, in tantum quod & aliquam partem Castellæ & extremorū Dorii occuparent. Cumq; Comes Amalaricus & fratres sui sibi timerent, Regem puerum Soriaz dimiserunt sub fidei custodia in parochia sanctæ Crucis. Inter hæc autem Guterrius Fernandi vitam finiuit, & in monasterio sancti Christophori de Eucis fuit sepultus, & Comes Amalaricus in continenti petiit terrā a nepotibus Guterrii Fernandi, sed illi vsq; ad quintum decimum annum pueri iuxta statutum Regis Sancii patris sui reddere noluerunt. Vnde & ipsi corpus Guterrii Fernandi inhumaniter exhumantes, de prodicione, nisi terram restituerent, reputarunt. Sed nepotes eius ab impetitione huiusmodi liberarūt dicentes, quod Rex ab ipso nunquam petierat terrā suam. Vnde iam mortuus non poterat criminari, & sententia curiæ

curiæ absolutus propriæ restituitur sepulturæ. Cumq; in nepotes eius vellent obiecti criminis infamiam retorquere, responderunt se testamentali edicto Regis Sancii terram sibi creditam vsq; ad annos quindecim retinere, & tunc parati erant terram restituere Regi suo. His decertationibus inflammati terram Regis pueri cum deberent fideliter regere & tueri, incurfionibus & cladibus affecerunt, & crescentibus malis vsque adeo res processit, vt Regi Legionensi fere totius regni & etiam Toleti per duodecim annos soluerentur reditus & tributa, & Comes Amalaricus ad tantæ necessitatis articulum fuit ductus, vt Regi Legionensi facere hominum cogere de dando Rege puero in vassallum. Cumque cum ipso Rege Soriam peruenisset, vt iuxta hominum Regem puerum reciperet in vassallum, facto concilio Sorienti, illi quorum fidei Rex tenellus fuerat deputatus, Amalarico Comiti sic dixerunt: Liberum vobis damus, & liberum custodite. Et tunc puer a quopiam concitatus in brachiis baiuli ccepit flere, & in domum ducitur sub specie cibi dandi, vt sic a fletu cessaret, & patruo traderetur. Tunc Petrus Nunius de fonte Almexiri, miles strenuus & fidelis, Regem puerum protexit sub cappa, & velocissimo equo insidens ea die ad castrum sancti Stephani duxit eum. Cumque in concilio Sorienti Rex Legionis, & Comites, & Barones varia varie pertractarent, & simulatum somnum Regis pueri spectarent, Rex Legionis de puero percunctatur. Erat enim spectatione & desiderio fatigatus. Et dum quæreretur a pædagogo pueri quonam esset, respondit: miles venit qui cum duxit patruo præsentandum. Cumque Comites moram variis protractionibus procurarent, demum in ciuitate facta perturbatione non modica, ea conditione a Rege patruo recesserunt, vt solite inquirentes vbilibet inuenirent, puerum restituerent iuxta pactum. Et ea nocte ad sanctum Stephanum perueniunt. Sed Comes Nunius quasi quæsiturus puerum præcurrit, & inde assumpto puero sequenti die Atentiam se recepit, & pacta & hominia pro liberatione domini non curauit. Quod audiens Rex Ferdinandus doluit reputans se delusum, & misit quendam militem Comiti Amalarico qui eum de infidelitate & periurio appellaret. Qui attendens pro liberatione domini naturalis quilibet faciendum, & tenellum dominum omnibus præponendum, nuncium qui ad reptandum venerat, iocose delusum sine responso alio remiserunt. Tandem cum Rex Ferdinandus Comitem Amalaricum præsentialiter reptaret, Comes Amalaricus sic dicitur respondisse: Si sum fidelis, aut proditor, aut aleuosus, nescio, sed quocunque modo potui, tenellum puerum dominum meum a seruitute in debita liberaui, cū sim eius domini naturalis. Ad hæc omnium iudicio est ab imposito crimine absolutus.

Quod Rex Ferdinandus obtinuit fere totam Extrematuram. Caput XVII.

OCCUPAVIT itaq; Rex Ferdinandus omnes ciuitates, & castra, & villas, præter paucissimas in quibus Rex puellus receptabatur aliquando minus tute, & qui adhuc a mamillis nutricis paruulus dependebat, ætatis gratia fauorabilis, naturæ beneficio innocens, patris priuilegio amplectendus, futurorum indicis obseruandus, quasi iam reus, vel nocens ad mortem quæritur, quasi non verus hæres exhæredatur, quasi nō filius primogenitus Imperatoris, qui debebat esse hæres ex integro, a patrimonio effugatur. Quid mali fecit, qui loqui non poterat, qui nec statum suæ infantie agnoscebat? nisi hoc dignum persecutione dicatur, quod quicquid possibilitati illius ætatis suberat, hoc in puero bonorum præfagiis monstrabatur, quæ omnia processus infantie iam in pueritia ostendebat, in qua regalis grauitas leuitatis puerilis ignara successione temporum mirabiliter coalebat. Quæque in aliis principibus vix ætas etiam operatur, in isto gratia superabat. Itaq; puerorum ludicra vir mente transcendens, & bella plurima contra patruum decenter exercuit, & munitiones plurimas immerito perditas merito recuperavit, fauentibus sibi Amalarico & Nunio Comitibus, & plurimis magnatibus qui toto tempore vitæ suæ ei inseparabiliter & fideliter adhæserunt, qui etiam eum propriis humeris & brachiis nutrierunt. Nec etiam fuit locus vel ciuitas, licet Regem Fernandum

prædictis de causis stulta vulgi mobilitas sequeretur, in quibus aliqui saniori & fideliori mente præditi Regi puero non fauerent. Vnde & quidam ex eis persecutionem & damna a Fernando Rege & suis complicitibus pertulerunt, & ipsi magis elegerunt cum vero domino fideliter exulare, quam fide læsa vtilitatis causa indebito principi obedire. Horum nomen & genus etiam hodie habetur in omnibus regni finibus gloriosum, remuneratione plenum, opprobrio vacuum, potentia sublimatum, familiaritate regia honestatum.

De commendatione fidei seu fidelitatis. Caput XVIII.

QUID fide gloriosus? impossibile est enim Deo placere quempiam sine fide. Si prima gratia in iustificatione impii fides a theologis prædicatur, per hanc damnatus homo gratiæ redonatur. Quid fidelitate potius appetendum? cū enim sit vtilis & honesta, sine hac Deus qui omnia potest, noluit mundum regi, quia si hæc periret, homo homini non subesset, nec quisquam ab alio tutus esset, & conuictus inter homines non adesset, sed nec quisquam sufficeret sibi solus, & ita congregatio hominum deperiret: igitur cuncta pro nihilo facta essent. Fides itaque sit præuia omnibus, per quam quilibet Deo placet, qui est Dominus dominorum, fidelitatem etiam circa inferiores tanquam pupillam oculi inuiolatam custodiat & illæsam. Nunquam enim hæreditatis eius tuta possessio violatur, & eius negotiatio nunquam mercede fraudatur, non est in ea labor sine præmio, nec est timor sine adiutorio, oculi eius securi, frons velari nescia non indiget velamento, tuta in occulto, gloriosa in publico, iucunda inter amicos, nobilis inter odiosos, probris infesta, laudibus gratiosa, ab omnibus acceptatur, etiam vbi displicet approbatur. Sed & vitiorum monstrosa caterua fidelitatem abnuens, quam in se renuit, in aliis concupiscit. dignitate enim humanæ naturæ conspicua non prono, sed vultu incedit erecto, & terras dedignata similis cælestibus inuenitur. Quiescit securitate conscientiæ, roboratur spei magnitudine, tota pura, tota desiderabilis, tota vtilis inuenitur. Hanc exquisiuit a iuuentute sua Aldefonsus desiderabilis Sancii filius, qui cum esset paruulus (vt dictum est) & fere regno priuatus, suorum fidelitate & industria recuperauit perdita, acquisiuit non habita, reedificauit deserta, donec iaceret fundamenta vrbium, & erigeret excelsa turrium, & ruinas sæculis repararet. Proficiebat enim apud Deum & homines sapientia & ætate. Persequentium manus euasit suorum solertia liberatus. Tandem etiam Toletum obtinuit, quam duodecim annis occupauerat Rex Fernandus. Persecutus est persecutorem, & quem iniuste senferat hostem, sæpe persecutus est fugientem. Omnia enim quæ perdidit, acquisiuit, & etiam Infantaticum, quod sub dubio vertebatur. Exiit eum Deus altissimus, & magnificauit eum Creator ipsius, donec stabiliret illi folium gloriæ, & exaltaret ei diadema victoriæ. In fraude circumuentium illi affiuit, & honestum gloria fecit illum, custodiuit eum ab inimicis, & a seductoribus tutatus est illum, & dedit illi certamen, vt vinceret, & sciret quoniã omnipotens regit Reges, & per eum principes tenent terram. Obtinuit itaq; omnia quæ fuerant patris sui.

De Rege Fernando Legionensi filio Imperatoris. Caput XIX.

NVNC a prosecutione propositi aliquantulum diuertentes Regis Fernandi magnalia prosequamur. Fuit autem Rex iste Fernandus pius, hilaris, liberalis, strenuus, benignus, & in præliis fortunatus, erga religiones & ecclesias sic deuotus, vt eis fere omnia regalia largiretur, quæ tamen filius eius postea reuocauit, & adeo communis omnibus habebatur, quod, tanquam regularis, in mobilibus fere proprium non habebat, & quamuis industria immoratus, plus fauore quam timore ab omnibus amabatur. Et accepit vxorem Vrracam nomine, filiam Regis Portugalliæ Aldefonsi, ex qua suscepit filium nomine Aldefonsum. Rex igitur Fernandus, licet gener, Regi Portugalliæ, pacificus raro fuit. Vnde ad consilium cuiusdam Vernali qui a Rege Portugalliæ læsus effugerat, locum optimum populauit qui di-

qui dicitur Ciuitas Roderici, ex qua Portugalliæ intulit multa mala. Populauit etiam Letesmam in territorio Salamantino, & Granatam in territorio Cauriensi, Beneuentum, & Coiancam quæ nunc Valentia dicitur, in diocesi Quetenfi, Villarepandum, Mansellam, & Maioricam in diocesi Legionensi, castrum Toraph in diocesi Zamorensi.

De bello eiusdem cum Salamantinis. Caput XX.

CVM QVE Salamantina ciuitas cæteras regni vrbes & habitatoribus & terminis superaret, indignati ciues eo quod Rex eorum terminos decurtabat, contra Regem fauentibus sibi Abulensibus seditionem mouerunt, & in valle Muzæ pariter congregati cum duce quodam qui Munio Rauia dicebatur, cum Rege Fernando prælium inierunt, & præter spem omnium victoria Regi prouenit, & duces quem sibi fecerant, Munionem Rauiæ viuum cepit, quem capitali sententia condemnauit. Et sic maioribus sibi fauentibus, quorum sententia principio non potuit præualere, vim vulgi multitudine faciente, demum experti præsumptionis flagellum, & potentia minorati, nunc suis maioribus & suo principi prouenia supplicabant, & sic Rex victor ciuitatem, vt voluit, subiugauit, maioribus qui sibi fauerant, honoratis. Post hæc Rex Fernandus corpus Regis Ranimiri Desfrianæ sepultum Astoricam transtulit, & in cathedrali ecclesia sepeliuit.

De succursu ciuitatis Roderici. Caput XXI.

ERAT autem tunc temporis vir nobilis, de quo diximus, ex Castella Fernandus Roderici agnomine Castellanus, qui postquam feuda quæ tenebat, Regi restituerat Castellano, recesserat a Castella, & transiuit ad Agarenos, & cum eorum maxima multitudine ad ciuitatem Roderici venit festinus, vt præoccuparet locum & incolas improuisos. Sed dicitur sanctus Isidorus custodi sacrorum suæ ecclesiæ aduentum prædicti principis & Arabum reuelasse, vt ipse Fernando similiter reuelaret, & Rex Fernandus audiens egit gratias, in continenti properans ad subsidium obsessorum. Sed quia ciuitas nondum erat muris munita, populatores quadrigas, & scrinia, dolia, arcas, & lectos, & lignamina omnia in circuitu posuerunt, quibus vsque ad aduentum Regis hostibus institerunt. Rex autem veniens inuictus animo, confusus in Domino, & oraculo confortatus, cum obsessis concertauit, & maxima eorum multitudine interfecta quæ vix poterat numerari, alios egit fuga, alios retinuit in captura: & munita ciuitate Roderici quicuit terra a præliis diebus multis.

De bello Fernandi Roderici. Caput XXII.

ET Rex Fernandus optans strenuos, Fernandum de quo diximus reuocauit. Sed idem Fernandus quiescere nescius cepit inuadere Castellanos, & in campis Gotthorum, in loco qui dicitur Lubricale, pugnavit cum Comitibus Castellanis, & focerum suum Oforium Comitem qui debebat tunc temporis in Castella, & Aluarum Guterrii fratrem Roderici Guterrii interfecit, & multis aliis fugatis, captiuatis, & interfectis, Comitem Nunium & Rodericum Guterrii captiuauit, qui tamen postea recepto reuertendi hominio taliter discesserunt, vt Comes Nunius statuto tempore, & Rodericus Guterrii postquam sepelisset Aluarum Roderici, se restituerent captioni. Sed cum Rodericus Guterrii esset sagax, fratrem suum in sarcophago posuit, & tandiu distulit sepelire, donec Fernandus Roderici vitam finiuit, & sic fuit a captiuitatis hominio liberatus. Comes autem Nunius die & loco quo redire debebat, assumptis secum sexcentis militibus venit Donias, & in præsentia omnium Fernandi Roderici se obtulit captioni dicens coram omnibus, Ecce adsum, & iuxta

condictum mercepit in captiuum. Sed cum Fernando Roderici non esset facultas sexcentis militibus resistendi, nemo manus in eum iniicit. Et Comes Nunnus protestatus coram omnibus captiuitati se tempore placiti obtulisse, abiit liberatus, & sic sollicitudo delusa est captiuantis. Occiso autem Oforio Comite Fernandus Roderici filiam eius quam in vxorem duxerat, dereliquit afflictam addens afflictionem: sed ipsa nupsit Petro Ariæ, ex quo genuit Rodericum Petri de villa L uporum. Et post paucos dies Rex Fernandus iororem suam ex parte, nomine Stephaniam, ei matrimonio copulauit, ex qua suscepit idem Fernandus filium Petrum Fernandi, qui fuit postea magnus, & coram Regibus honoratus.

De victorijs Regis Fernandi, & morte eius. Caput XXXIII.

ALDEPHONSUS autem Rex Portugalliæ dolens quod Rex Fernandus adificauerat ciuitatem, misit exercitum cum filio suo Sancio primogenito contra eam. Sed quia Rex Fernandus a Rege Castellæ infestabatur, diuiso exercitu partem reliquit quæ occurreret Castellanis, partem duxit contra exercitum Portugallis, & occurrit filio Regis Sancio venienti in termino ciuitatis, in loco qui dicitur Arganale, & conferto prælio, Regi Fernando victoria, Portugallensibus cessit fuga, & multis occisis, multisque fugatis, cæteri Regis clementiæ se dederunt, quos non ut victor euerit, sed ut clemens abire permisit. Rex autem Portugalliæ indignatus cepit Galleciam infestare, & occupauit totam Linciam, & Turonium, & alia multa loca. Deinde congregato exercitu Badalloeium est aggressus, quæ in diuisione acquirendorum prouenerat Regi Fernando. Cumque super hoc nunciatus aduenisset, Rex Fernandus congregato exercitu bellum intulit Aldephonso, & cum succumberet exercitus Portugallis, Rex eorum confugit ad eam de qua agitur ciuitatem. iam enim fere duas partes occupauerat ciuitatis Agarenis in arce conclusus. Sed nec ibi quidem se tutum existimans, dum per portam effugeret ciuitatis, quæ pessulo ferreo claudebatur, impedit ad pessulum, & crure contracto vix in equo poterat residere. Vnde & ilico fuit captus, & Regi Fernando satis miserabilis præsentatus. Quem benigne suscipiens Rex Fernandus iuxta se in confessu regio collocauit. Sed Rex Portugalliæ grauis discriminis attendens statum, confessus est se Regem Fernandum indebite offendisse, & pro satisfactione regnum obtulit & personam. Sed Rex Fernandus pietate solita mansuetus, suis contentus Regi Portugalliæ sua remisit. Tunc restituit rex Aldephonsus Regi Fernando Luniam, & Turonium, & cætera quæ suæ fuerant ditionis, & dimissus ad propria est reuersus, nec propter lationem tibie potuit postea militare officium exercere. Rex autem Fernandus cum iterum Badalloeium obideret, egressi ad eum Agareni ab arce se ei cum præsidio tradiderunt, quorum hominio & fide susceptis præfecit eis quendam Arabem qui Abenhabel dicebatur, cuius fidei commisit custodiam ciuitatis. Sed Rege ad patriam redeunte prædictus Arabs oblitus fidei continuo rebellauit, & Amiramomenino se tradens Regem Fernandum postea grauiter infestauit. Arabes autem attendentes Regem Aldephonsum debilitate qua diximus, præpeditum, eundem in castro sanctæ Irenæ congregata multitudine obsederunt. Quod audiens Rex Fernandus in succursum eius celeriter properauit, & eius aduentu territus Rex Aldephonsus timuit ne ad vindicandas iniurias adueniret, sed cognita veritate egit gratias, ut debebat. Agareni autem Regis Fernandi præsentiam non ferentes ab obsidione continuo recesserunt. Et Rex Fernandus ad regnum rediens dimisit Vrracam vxorem, quia eum consanguinitatis gradu tertio attingebat, & duxit vxorem Tarasiam filiam Comitissæ Fernandi, quæ fuerat vxor Comitissæ Nunnii de Castella. Et ea mortua duxit Vrracam filiam Lupi Comitissæ Naiarensis, ex qua suscepit duos filios Sancium & Garciam, quorum vterque exers prolis vitam finiuit. Cæterum Rex Fernandus annis triginta vno in regno feliciter consummatis, obiit Beneuenti æra millesima ducentesima octaua, & in ecclesia beati Iacobi est sepultus iuxta auum suum Comitem Raimundum & Imperatricem Verengariam, matrem suam.

De Re-

De Rege Aldephonso, & eius militia, & filiis. Caput XXXIII.

MORTVO Rege Fernando, successit ei eius filius Aldephonsus. Hic fuit homo pius, strenuus, & benignus, sed successuum vicissitudine mutabatur, & a consobrino suo Aldephonso Rege Castellæ & Sancio Rege Portugalliæ infestatus circa principium regni sui venit ad Regem Castellæ, & in curia Carrionis accinctus ab eo cingulo militari, manum eius fuit in plena curia oscularus, & in eadē curia Rex Castellæ nobilis Aldephonsus Conradum filium Frederici Imperatoris Romani accinxit similiter cingulo militari, & ei primogenitam Verengariam desponsauit. Sed ipso Conrado in Teutoniā reuerente prædicta domicella desponsationi continuo contradixit, & per Gundisaluum Toletanum primatem & Gregorium Sancti angeli Diaconum Cardinalem Apostolicæ sedis legatum diuortio celebrato, puella Verengaria mansit innupta. Et sic ad tempus quieuit terra pace amicabiliter reformata. Sed quia (ut diximus) auriculariorum susurrus ad varia trahebatur, eorum consilio duxit Tarasiam filiam Sancii Regis Portugalliæ in vxorem, licet essent consanguinei in secundo gradu, ex qua suscepit Sanciam & Fernandum, qui fuerunt mortui sine prole, & aliam filiam quæ Dulcis dicitur, & adhuc uiuit. Et in odium Regis Castellæ fuit hoc contubernium procuratum. suggerentibus enim suis vernulis, dolebat se a Rege Castellæ recepisse cingulum militare, & tamen ab illa vxore fuit iudicio ecclesiæ separatus. Demum inter ipsum & Regem Castellæ guerris & vastationibus perpetratis, duxit vxorem dominam Verengariam Regis Castellæ filiam, de cuius virtutibus post dicemus, & suscepit ex ea filios Fernandum, cui Castellæ & Legionis prouenit postea principatus, & Aldephonsus: & duas filias, Constantiam, quæ fuit in Burgenfi monasterio monialis, & Verengariam, quæ nupsit Ioanni de Brena, qui ex parte vxoris quam habuerat, Hierosolymitani regni ad tempus negotia ministrauit. Postea vero filiam suam quam ex prædicta Verengaria susceperat, Baldouino Imperatori Constantinopolis desponsauit, & quia idem Baldouinus adhuc puer a Græcorum incurfibus non poterat Imperium defendere, sedes Apostolica Ioanni dicto Regi commisit Imperium toto tempore vitæ suæ, & sic fuit deinceps Imperator, & vxor eius Verengaria Imperatrix. Quibus defunctis Baldouinus cum vxore sua Maria in Imperii culmine dominantur, & dominus custodiat eorum statum. Rex autem Aldephonsus & Regina Verengaria susceptis filiis supradictis propter consanguinitatem fuerunt ab Innocentio Papa tertio separati. Et postea inter Reges guerræ & vastationes vix aliquo tempore cessauerunt, Rege tamen Castellæ in omnibus præualente, & de regno alterius castra, & plurima occupante: sed tamen nec sibi, nec filio, sed nepoti Fernando omnia acquirebat.

De actibus Aldephonsi Regis Legionensis. Caput XXXV.

VERVM in senectute positus Rex Legionis actus suos Domino dedicauit, & Arabibus mouit guerram, & obtinuit ab eis Montem angii, Emeritam, Badalloeium, Alcantaram, atque Cances. Populauit etiam Saluam leonem, Saluam tertam, & Sabucale, & alia plurima loca, per quæ regni terminos ampliauit, & conflixit etiam cum Auhenhuc industrio Sarraceno, qui nuper expulsus Almohadis Vouandaliæ usurpauerat monarchiam. Sed bello subactus Aldephonso Regi prope Emeritam dedit terga, & victa Emerita dedit manus. Mortuus est autem in Villa noua de Sarria æra millesima ducentesima sexagesima octaua, & in ecclesia beati Iacobi requiescit, et reliquit duas filias Sanciam atque Dulcem, quibus etiam successorem regni legauit. Sed quia omnes regni nobiles tam de ciuibus, quam de aliis olim filio suo Fernando iurauerant, non potuerunt regnum filia obtinere. Sed aliquantis discidiis procuratis, et ciuitatibus, et nobilibus in varia studia separatis, nobilis Verengaria Regina Castellæ interposuit partes suas, et sic omnes gratiæ solertia dulcorauit, quod licet infantes quam

plurimos fautores haberent, & munitiones, & castra quam plurima in omnibus fere regni finibus possiderent, ad hoc infantes & matrem eorum Reginam Tarasiam necessitate induxit, vt eius gratiæ se sponderent. Vnde paternæ largitatis in omnibus imitatrix curialitate sua vt infantes coadiuuarent, magnos reditus fecit a filio assignati, & sic obtinuit pacifice regnum patris æra millefima ducentesima sexagesima octaua.

De insignibus nobilibus Aldephonsi, & captione Concha. Caput XXVI.

NUNC ad Aldephonsi Regis historiam reuertamur. Licet igitur fidelitate suorum regni perdita reparasset, tamen semper fuit a patruo infestatus. Post hæc Rex nobilis Aldephonsus guerram habuit cum auunculo suo Sancio Rege Nauarræ, & euicit ab eo Lucronium, Nauarretum, & Antilenam, Grannonem, Cæfareum, & Biruescam, & fere omnia vsq; Burgis, quæ idem auunculus in eius infantia occupat. Post hæc orta est dissensio inter eum & Regem Aragonum Aldephonsum, & abstulit ei nobile castrum quod Feriza nuncupatur, per industriam nobilis viri qui Nunio Sancii dicebatur, qui cepit castrum, & dedit illi nobili Regi Aldephonso. Post hæc autem virtute altissimi roboratus conuertit manus ad infideles, vt bella fidei exerceret. In manu robusta vastauit eos, & in cordis magnificentia coegit eos, succendit ignibus ciuitates, & succidit viridia deliciarum, repleuit terram timore suo, conclusit Arabes aduentu suo, destruxit munitiones infidantium, & fidei terminos dilatauit, obsedit Concham munimentum Arabum, & laboribus pluribus arctauit eos, extruxit in gyro plures machinas, nec die, nec nocte pepercit eis, & cibus & victus defecit ei, sed cor regium confortauit eum, neglexit delicias seducentes, & zelatus est nomen gloriæ, longanimitas sua glorificauit eum, & regalis constantia direxit eum, donec concluderet obsessos in arcto, & hostis clementiam implorarent. Miserunt legatos ad Almohades, verba doloris ad gentem Arabiæ. Induratus auditor conclusit aures, & suum auxilium denegauit, timor belli confudit eum, & odor belli terruit eum, fama Regis conclusit mare, & nomen eius compescuit transeuntes, donec reddita est ei munitio Conchæ, & turres eius subditæ ei, rupes eius factæ sunt peruiæ, & aspera eius in planicies. Possedit etiam post labores multos, & extruxit eam in urbem regiam, posuit in ea cathedram fidei, & nomen præfulis exaltauit in ea, congregauit ibi diuersos populos, & vniuit in populum magnitudinis, statuit in ea præsidium fortitudinis, & Regiam decoris honestauit in ea. Dedit ei Aldeas subiectionis, & pascuis vbertatis deliciauit eam, ampliauit in alto muros eius, & vallauit eam munimine tuto, creuit in urbem multitudinis, & dilatata est in terminos populorum. Miratur eam antiquus incola, & in aspectu eius formidat Arabs. Munitio eius in rupibus eius, & abundantia eius in decursibus fluuiorum, gloria eius in principe suo, & sanctimonia eius in cathedra dignitatis, delicia eius in pascuis gregum, & copia eius in pane & vino. Recole Concha dies principis, & in memoria eius exhilara faciem, nomen eius in laudibus tuis, & gloria eius memoriale tuum, addidit protectionem terminis tuis, & dilatauit iurisdictionem cathedræ tuæ.

Item de magnalibus & piis operibus nobilibus Aldephonsi. Caput XXVII.

CEPIT Alarconem in rupibus sempiternis, & firmauit seras defensionis, Aldeis multis dotauit illud, vt abundaret in eo incola fidei, constituit fortes in munimine, vt esset Arabibus via necis, deserta apte repleuit gentibus, & in via tutatus est habitatores, Alcarias rupium domuit populis, & duritiam ilicis conuertit in vias. In Vclesio statuit caput ordinis, & opus eorū ensis defensionis, persecutor Arabum moratur ibi, & incola eius defensor fidei, vox laudantium auditur ibi, & iubilus desiderii hilarescit ibi, rubet ensis sanguine Arabum, & ardet fides charitate, mentium execratio est cultori dæmonum, & vita honoris credentium in Deum. Ripam Tagi repleuit habitatoribus, & incolis defensionis saltus Oceaniæ, obrulit excelso

excelso terram illam, & militia sancti Iacobi dedicauit eam, rupes Aureliæ vniuit ei, & præsidium more subiecit illi, vt dedicaret terram sanctimoniam, & particeps fieret religionis. Desiderabilis Sancius pater eius dedit Fiterio Calatrauam, Aldephonsus nobilis consummator eorum, suscepit militiam contemplatio, & egressus fratrum a Fiterio. Rex Aldephonsus educauit eos, & possessionibus ditauit eos, Zuritam, & Almochariam, Machedam, Acecham, & Cuculutum obtulit eis, & sustulit sarcinam paupertatis, & superaddidit diuitias competentes, multiplicatio eorum corona principis, qui laudabant in Psalmis, accincti sunt ense, & qui gemebant orantes ad defensionem patriæ, victus tenuit pastus eorum, & asperitas lanæ tegumentum eorum, disciplina assidua probat eos, & cultus silentii comitatur eos, frequens genu flexio humiliat eos, & nocturna vigilia macerat eos, deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet eos. Alter alterius obseruat semitas, & frater fratrem ad disciplinam.

De populatione Placentiæ, & exercitu Martini primatis. Caput XXVIII.

CONVERTIT manum ad nouitatem operum, & edificauit de nouo ciuitatem gloriæ: statuit in ea præsidium patriæ, & nomen eius vocauit Placentiam: conuocauit populos in urbem nouam, & exaltauit ibi tiaram pontificis: sacerdotio legis ordinauit eam, & dilatauit terminos ensis sui: Toletanam urbem vallauit castris, & territorium eius repleuit populis: in dicecesi eius extruxit oppida, & religionem fidei locauit in eis: magnificentiam suam addidit opus, & edificauit Alarcuris vallem sanguinis: iudicia Dei abyssus multa, & ignota filiis hominum: iudicium Dei super opeta eius, & sententia cœli in agmen illius: commouit arma in Regem Aphricæ, & prouocauit cito gentem Arabiæ: populus eius instaurauit acies, & arma potentiam direxit in Mauros: exercitus eius transiit Bætim, & dux eius Præful Toleti. Magnates regni in consiliis præfulis, & exercitus omnis sub præfule dignitatis, nomen eius Martinus Magnus. Et genus eius a Pisorica, honor gentis vitæ eius. Et stola eius diadema ecclesiæ, sapientia eius pax multorum. Et lingua eius informatio disciplinæ, manus eius ad subsidium pauperum. Et cor eius ad compassionem humilium, cingulum eius zelus fidei. Et arma eius ad persecutionem blasphemiam. Agmen omne ad nutum illius, sanguis Arabum in conspectu illius. Regio Bætica flammis succenditur, & factum Præfulis prosperatur. processit enim per castra Bæticiæ, terras & oppida succendendo, feliciter autem ad propria est reuersus.

De bello Alarcuris. Caput XXIX.

SVBSANNAUIT eum blasphemiam Aphricæ, & incanduit ira Arabum. Ioseph Mazemutus regnabat in Aphrica, & genus Almohadum caput gentis. Surrexit Princeps in multitudine magna, & variis vocibus repleuit campestria. Parthus, Arabs, Afer, Ethiops, Almohat, & de claris montibus in exercitu eius, & Valdeus Bæticiæ ad nutum illius transiit Tyrrenum in stricto Hispalis, et vndas maris calcavit trieribus. Exercitus eius innumerabilis, multitudo illius vt arena maris. Applicatio eius ad Hispalensem metropolim, et processus illius ad campestria Cordubæ: firmauit vultum versus Alarcuris, et faciem indignationis ad regnum Toleti. plana Tolosæ nudauit pascuis, et scopulorum semitas ampliauit vngulis. transiit montis supercilia, et in multitudine nimia siccauit riuos. fama volatilis perfudit sæcula, et celer rumor pulsauit Hispaniam. in auditu nunciis lætati sunt multi, et aduentus hostium prouocauit plurimos. ignorat homo viam altissimi, et filii Adæ consilia celsi. Cumq; congressi fuissent exercitus, succubuit exercitus Christianus, et nobilis Rex a suis violenter eductus a bello, suorum industria est saluatus, licet ipse mori potius eligeret, quam saluari. obrinuit etiam Agareus post prælium quadam castra. Hoc est bellum Alarcuris, quod fuit æra millefima ducentesima trigesima tertia, quindecimo Kalendas Augusti, sedente Cælestino Papa tertio.

De discidio Regum Legionensis & Nauarræ a Rege Aldephonso nobili. Caput XXX.

CVM autem Aldephonsus Rex Legionis & Sancius Rex Nauarræ venire in auxilium ad bellum Alarcuris simulassent, & iam ad regni Castellæ confinia peruenissent, audito quod in prædicto bello non bene successerat, a proposito destiterunt, & Rex Nauarræ qui iam ad regnum Castellæ peruenerat, retrocessit. Rex Legionis peruenit Toletum, vbi paucis diebus cum Rege nobili commoratus ad terram rediit Legionis, & post modicum temporis interuallum ambo regnum Castellæ hostiliter inuaserunt. Sed Rex Legionis Arabibus scedere sociatus, multis ex eis secum ascitis regnum Castellæ per campos Gothicos est ingressus diu- 10
ens, diripiens, & deuastans, & Rex Nauarræ ex alia parte deuastans Soriam & Almazanum, cædes & incendia exercebat. Ex illa parte contra Toletum Rex Almohadum, dictus Iucef, anno secundo obsedit Toletum, deinde Maieritum, & Alcalam, Optam, & Concham, & Vclesium, & deinde per Alcararium est reuertus, vastatis omnibus & destructis quæ extra murorum ambitum sunt inuenta. Rex autem nobilis Aldephonsus fœderato sibi fideli amico Petro Rege, qui in Aragonia tunc regnabat, terram ingressus est Legionis, & obtinuit plura castra, scilicet Bollandos, Vallem Arearum, Castrum viride, Coiancam (quæ mutato nomine Valentia nuncupatur) Carpium, & Paradinas. Et plurimis prædis actis, & cædibus per- 20
petratis, effugatis etiam Agarenis quos Rex Legionis secum duxerat, ambo ad propria redierunt. Tertio autem anno Rex Almohadum de quo diximus, iterum veniens obsedit Toletum, Maquelam, & Talaueram, sed nullam earum potuit obtinere: euertit tamen sanctam Eulaliam, & alia loca quæ munitione carebant, & inde procedens cepit Placentiam, Sanctam crucem, Montem angii, & Turgellum, & inde cum fastu & superbia est reuersus. Tunc temporis Rex Castellæ & Rex Aragonum iuxta Abulam in monte Palumbaria morabantur. Reuerso autem Agareno ad propria ex monte Palumbaria ambo Reges contra Regem Legionis pariter processerunt, & obtinuerunt Castrum Legionis, & Ardon, & Castrum Gundisalui, & Castrum terræ, & Albam de aliste, & vsq; ad Astoricam cuncta cæ- 30
dibus & incendio vastauerunt, & inde per partes Aluæ & Salmanticæ venientes omnia exterminio consumperunt, & Montem regalem castrum nobile occuparunt, inde ad propria remearunt. Sed Rex nobilis Aldephonsus dignum iudicis furori cedere venienti, ad tempus cum Rege Arabum fecit treguam, vt posset tutius vicinis Regibus obuiare.

Quod Rex Aldephonsus nobilis dedit filiam suam Regi Legionensi. Caput XXXI.

CVM QVE proponeret Regem Legionis truciori dispendio infestare, quidam guerræ periculum paucescentes familiari consilio procurarunt, vt Rex Legionensis peteret a Rege Castellæ filiam suam Berengariam in vxorem. Et licet Rex nobilis hoc respueret, eo quod ipse & Rex Legionensis consanguinitatis linea essent vincti, Alienor Regina vxor nobilis Aldefonsi, cum esset prudētissima, sagaci protudentia, & solerter rerum pericula attendebat, quibus per coniunctionem huiusmodi poterat obuiare, & Regi Legionis vallem Oleti cum suis magnatibus venienti dedit prædictam filiam in vxorem, & propter nuptias datis donationibus quæ tantæ dominæ competebant, & nuptiis solenniter celebratis, traduxit eam in regnum suum. Rex autem Castellæ nobilis Aldephonsus omnia quæ abstulerat, nunc genero, olim hosti, dedit filia suæ nuptæ. Et sic pace quasi cum filio reformata a vastationibus quieuerunt. 50

De captione Victoria, Guipuzchua, & Inida. Caput XXXII.

POST hoc Rex nobilis Aldephonsus volens Regis Nauarræ iniurias vindicare, cum Rege Aragonum fideli amico congregauit exercitum in Nauarram, & obtinuerunt

tinuerunt Ruchoniam & Aiuaire, quæ Regi Aragonum prouenerunt. Obtinuerunt etiam Inzuram & Mirandam, quæ Regi nobili remanserunt. Et sic vterque Regum patris variis vastationibus, ad propria est reuersus. Iterum autem Rex Castellæ nobilis Aldephonsus cepit Ibidam & Alauam infestare, & obsidione diutina Victori- 10
am impugnauit. Interim autem Sancius Rex Nauarræ fortis viribus, armis strenuus, sed voluntate propria obstinatus, regno discrimini derelicto cum paucis magnatibus migrationis comitibus ad Arabes transmigravit, & eis aliquādiu commorans nuncios quos ad Miramomeninum Transyrrhenum transmiserat, expectauit. Quibus pecunias & donaria reducentibus Rex nihilominus deductionis causa peragrans Arabum ciuitates, & in eorum patriam morabatur. Interim autem 10
obsessi Victoriæ pugnis & laboribus fatigati, & defectu victualium macerati, in deditiois periculum inciderunt. Sed venerabilis Garfias Pampilonensis Episcopus libertatis studio gratiosus cum famis periculum comperisset, ad Regem Sancium in terram Arabum cum obsessorum aliquo festinauit, qui rei exposita veritate a Rege obtinuit, vt Regi Castellæ Victoria traderetur. Qui rediens tempore constituto cum eo milite, quoniam obsessi Victoriæ destinarant, Regis Sancii mandatum exposuit, vt Regi Castellæ Victoria redderetur. Obtinuit itaque Rex nobilis Aldephonsus Victoriā, Ibidam, Alauam & Guipuzcuam, & earum terrarum munitiones & castra, præter Treuennium, quod fuit postea commutatione Inzuræ datum sibi. Mirandam etiam dedit commutatione simili pro Por- 20
tella. Sanctum Sebastianum, Focem Rapidum, Beloagam Zeguitagui, Aitcorroz, Aflucaam, Arzorociam, Victoriā, Marationem, Auffam, Athauri, Iruritam, & sanctum Vincentium acquisiuit. Verum Rex Nauarræ rediit onustus muneribus Agareni, sed exoneratus prædictis omnibus & honore.

De discidio Didaci Lupi, & obsidione Castellæ, & edificatione monasterii regalis. Cap. XXXIII.

HIS igitur consummatis Didacus Lupi Biscagiæ dominus, qui inter omnes magnates Hispaniæ præcipuus habebatur, a voluntate Regis nobilis familiari discidio discordauit. Vnde feuda quæ tenebat restituens, ad Regem se transtulit Nauarorum, indeque bellis & incursionibus frequenter insistens, damna plurima intulit Castellanis. Sed Rex nobilis Aldephonsus iniuriarum impatiens ascito sibi genero suo Rege Legionis fines ingressus est Nauarorum. Cumque Stellam nobilissimum oppidum obsedissent, Didacus Lupi ex Biscagia, qui erat in oppido cum multis Castellanis nobilibus impugnantibus, resistit violenter, & inter obices vinearum intercesserunt cædes & pericula præliorum. Sed quia oppidum sui munitione vires impugnantium minorabat, nec spes victoriæ animos protrahebat, Reges ab obsidione oppidi recesserunt, & vastatione in circuitu damnosa incolis consummata Reges ad propria redierunt. Postea autem inter Regem Castellæ, & Regem Nauarræ, & Regem Legionis tregua per interuallum temporis interuenit. Rex enim nobilis Aldephonsus bellum de Alarcuris corde altissimo reponerat. Sed vt altissimo complaceret, prope Burgis ad instantiam serenissimæ vxoris suæ Alienor Reginæ monasterium dominarum Cisterciensis ordinis ædificauit, & nobilissimis fabricis exaltauit, & multis redditibus & possessionibus variis sic dotaui, vt virgines sanctæ Deo dicatæ quæ ibi die ac nocte laudabiliter Deo psallunt, nec inopiam sentiant, nec defectum, sed structuris, claustro, & ecclesia, & cæteris ædificiis regulariter consummatis, expertes sollicitudinis in contemplatione & laudibus iugiter delectentur. 50

De constructione hospitalis, & institutione scholarum, & acquisitione Vasconia. Caput XXXIII.

CONSTRUXIT etiam hospitale iuxta monasterium ædificiis & domibus mirabiliter decoratum, quod tantis diuitiis dilatauit, vt omnibus peregrinis, nul-

lo patiente repulsam, omnibus horis diei necessaria ministrantur, & omnibus volentibus pernoctare lecti mirabilis apparatus continue præparentur. Infirmis autem usque ad mortem, vel restitutionem pristinae sanctitatis, per manus mulierum misericordium & virorum omnia necessaria erogantur, adeo ut opera pietatis in eodem hospitali quasi in speculo possit quilibet contemplari, & qui in vita propter excellentiam operum ab omnibus meruit collaudari, post mortem multiplicatis intercessoribus merebitur a Domino coronari. Sed ne faceret charismatum quæ in eum a sancto Spiritu confluerunt, virtute aliqua fraudaretur, sapientes a Gallis & Italia conuocauit, ut sapientia disciplina a regno suo nunquam abesset, & magistrorum omnium facultatum Palentiæ congregauit, quibus & magna stipendia est largitus, ut omni studium cupienti quasi manna aliquando in os influeret sapientia cuiuslibet facultatis. Et licet hoc fuit studium interruptum, tamen per Dei gratiam adhuc durat. Et postquam fere totam Vasconiam præter Burdegalam, Regulam, & Vaionam suam subdidit ditioni, finito termino treguarum quas cum Amiramomenino ad tempus inierat, postquam & Moiam populauerat, idem Rex nobilis pro fide Christi mori desiderans præteritum dedecus, licet prudenter, non tamen æquanimitate tolerabat. Et quia semper magnalibus inhiabat, noluit treguam ulterius protelari, sed strenuitatis proposito, & zelo fidei animatus in nomine Domini mouit guerram.

De captione Saluæ terræ.

Capitulum XXXV.

20

QUARE nunciis incipientibus inchoata est pugna inter Regem nobilem & Agarenos. Post vastationem autem aliquam factam a nostris in terra Beatiæ, Endugari, & Giemini, filius prædicti Regis Agarenorum Mahomat nomine collecto gentium suarum exercitu castrametatus est in circuitu Saluæ terræ. Cumque eam fere tribus mensibus obsedisset, diuersisque machinis impugnasset, multis diebus qui erant in castro, occisis, plerisque vulneratis, turribus & muro fere dirutis, de obsessis pluribus sitis & impugnationibus interemptis, ad vltimum castrum occupatum est in opprobrium fidei Christianæ, æra millesima ducentesima quadragésima octaua, mense Septembri. Castrum illud castrum salutis, & deperditio eius ademptio gloriæ. Super ipsum fleuerunt populi, & soluerunt vincula brachiorum. Zelus illius excitauit omnes, & fama eius conspersit plurimos. In auditu eius surrexerunt iuuenes, & in zelo eius amaricati sunt senes, dolor illius ad gentes exteras, & compassio eius ad æmulantes. Eo tempore Aldefonsus nobilis exercitum suum congregauerat circa confinia Talaueræ, & cum veller dubia sorti belli se committere, præcipue ad instantiam filii sui primogeniti Fernandi, maturiori usus consilio mandauit in sequentem annum belli dubia prorogari. vtilior enim dilata oportunitas, quam audaciæ præceps temeritas.

De condito bello, & morte Infantis Fernandi.

Capitulum XXXVI.

40

AGARENVS autem adeptus præsidium Saluæ terræ cum magna superbia ad propria est reuersus. Aldefonsus vero Rex nobilis habito cum Archiepiscopo, Episcopis, & magnatibus consilio diligenti, ore eius vniuersis acclamantibus est prolatus, melius esse in bello voluntatem cæli sub discrimine experiri, quam videre mala patriæ & sanctorum. Fecitque edictum per omnes prouincias regni sui, ut milites & pedites, relictis superfluis vestium, & aurificii, & ornamento cuiuslibet, que ad rem non pertinent, armis vtilibus se munirent, & qui prius in superfluis displicebant, nunc in necessarijs & vtilibus altissimo complacerent. Omnes autem a minimo usque ad maximum voluntati regis paruerunt, ad hæc omnia dulcissimo Fernando filio primogenito nobilis Aldefonsi competentem suam modestiam operam impendente, qui eodem tempore febre correptus finiuit vitam, antequam belli terminus aduenisset. In cuius morte fletus patriæ, luctus inaccessibilis genitori, quia in ipsum tanquam in vitæ speculum contemplantur. Erat enim spectatio populorum. Sic enim eum Dominus honestauerat, ut etiam ab omnibus amaretur, & quod ætas in adolescentibus non permittit, iam in ipso gratia dispensabat. Obiit itaque

itaque in oppido Magerito in diocesi Toletana mense Octobri, æra millesima ducentesima quadragésima nona, vacuus dierum, plenus gratia & virtute. Sepultus est in monasterio sanctæ Mariæ regalis prope Burgis a Roderico Toletano pontifice, & magnatibus sæcularibus & religiosis, excellentissima sorore sua Berengaria Regina, ad quam postea regnum Castellæ successione prouenit, impendente liberaliter & deceter officia funeris, & honoris, & gemitus dolentis. vbi virtutum eius sic plenitudo claruit, ut eius prudentia deuoti sexus excederet pietatem, & elemosynarum largitio, principum largitates: etiam pudica modestia inaccessibilis luctui solatia procabatur, ut exinde famæ eius dulcorata suauitas in augmentum cresceret & dulcorem. Religionum, & pauperum, & quorum titulos pauperes in crustabat, toto tempore vitæ suæ subuentrix exitit & leuatrix, præter opera magnifica, quæ regnante suo filio mirifice claruerunt. Verum nobilis pater consolationem de morte filii nisi in magnalibus non admittens, collecto suorum exercitu per ripam fluminis qui Sucaris dicitur, terram aggreditur Sarraceni, & obsedit castrum quod dicitur Alcalá, & cepit illud, & Surcariam, & Gardem, & Cubas, in quibus multi Agarenorum capti, multa etiam spolia sunt inuenta. quibus occupatis, & munitis vtiliter, feliciter ad propria est reuersus urgente instantia hyemali.

20

RODERICI ARCHIEPISCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIÆ LIBER OCTAVVS.

Capitulum primum.

VERTENTE autem anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, ab Aldephonso nobili citatis gentibus, congregatis armis, victualibus comportatis, nec non & omnium cordibus ad bellum erectis, factus est occurus omnium apud Toletum, quæ sola potuit sui opulencia omnium necessitatibus non deesse. Interim Roderico eiusdem urbis pontifice & cæteris nuncijs propter opus simile destinatis, aduersis partibus redierunt. Et cepit urbs regia repleri populis, abundare necessarijs, insigniri armis, diuersificari linguis, variari cultibus. Nam zelo belli ex omnibus fere Europæ partibus ad eam diuersarum nationum varietas concurrebat. Nec erat qui posset alicuius rei causari defectum, cum & ipsa ciuitas sui abundantia occurreret, & prodiga manus nobilis principis omnibus ad omnia necessaria ministraret. Concursum autem venientium a mense Februario particularis incepit, & multiplicationis paulatim incrementa suscipiens per totum vernum tempus, & amplius creuit turbarum multitudine copiosa. Et quia diuersarum nationum varietas diuersitate morum, linguarum, & cultuum discrepabant, de voluntate principis in eadem urbe eiusdem urbis pontifex morabatur, ut dissidentium varietas per eius industriam sedaretur. Et sic factum est per omnipotentis Dei gratiam qui solo nutu omnia disponebat, ut nulla seditio, nulla perturbatio exorta fuerit quæ potuerit belli negocium impedire, licet per hostem humani generis fuerit sapius attentatum. Et quia de die in diem crescebat numerus stigmata Domini in corpore suo portatum, ne intra urbis angustias arctarentur, Rex nobilis volens eorum commodis providere, extra urbem circa fluenta Tagi delicia viridaria, quæ ob Regis grauitatis recreandam maiestatem coalita fuerant, eis exposuit, ut sub vmbraculis arborum æstus iniurias euitarent,

z ij

ibiq; ex fructiferis arboribus cōstructis tabernaculis vsq; in diem processus ad bellum in Regis sumptibus permanserūt. Octauo itaque die post festū quo Christiana religio Pentecosten celebrat, Petrus Rex Aragonum nobilis Aldefonsi fidelis amicus secundum fœdus apud Concham initum, diebus plus fastu regio festinatis, die præfixa venit Toletum: vbi a pontifice & toto clero processionaliter est receptus, ibique in viridario regio fixis tentoriis gentis suæ præstolabatur aduentum.

De aduentu ultramontanorum ad bellum. Cap. II.

COEPERUNT etiam venire magnates de partibus Galliarū, Burdegalenfis & Nanatenfis Episcopus, multique Barones de eisdem partibus & Italia. Conueniunt & simplices milites, necnon & de pedestri ordine plurima multitudo. Aduenit etiam venerabilis Arnaldus, qui aliquādo sollicitudine Cistercii fundus, tūc regebat ecclesiā Narbonensem. Hic paulo ante emulatione legis Catholicæ pro-uocatus, contra quosdam qui in Narbonēsi & vicinis prouinciis blasphemare nomen Domini & ecclesiam ore nefario præsumpserunt, corda fidelium excitauit, vt signo crucis contra hereticorum versutias armaretur. Et sic factum est per Dei gratiam, quod vbi contempta prædicatio non profecit, falce crucis putatis hæresibus fides Catholica de die in diem foeliciter coalescit, & destructis Biteriis, & Carcaffona blasphemantium sanguine, & flamma vorace, & vltro gladio est consumptus æra millesima ducentesima quadragesima sexta. Hic itaq; pontifex cum multitudine citerioris Galliarū vasis belligeris, signis, & armis honesta, vrbē ingressus est Toletanā, in qua decēter a nobili Rege & eiusdē vrbis præfule est receptus. Conueniunt etiam ad eandem vrbem plerique milites de partibus Portugallis, peditū vero copiosa multitudo, qui mira agilitate expeditionis onera facile sustinebant, & audaci impetu impetebant.

De concursu pontificum & magnatum Hispania ad congressum. Cap. III.

AD hæc magnates Regis Aragonū strenuitate inclyti, apparatu insignes, armis & equis honesti, Toletum ad exercitū peruenerunt, inter quos fuerunt Garfias Romerii, Eximius Cornelii, Michael de Lusā, Anazarius Pardi, Guillelmus de Ceruaria Comes Empurenfis, Raimundus Fulconis, Guillelmus de Cardona, & multi alii principes, & Barones, & simplices milites, necnō ballistariorum & peditum copia gratiosa. Aderat in vrbe regia cum nobili Rege magnatum suorum generosa societas, nobilitate, strenuitate, & multitudine approbanda, quos sic & morum elegantia, & curialitatis prærogatiua, & strenuitatis supereminētia venustauerat, vt & in oculis hostium nō solum terribiles, verum digni honoribus apparerent. Ciuitatum vero & oppidorum cōcilia sic copiosis phalangibus, & equis, & armis, & vehiculis, & vidualibus, & omnibus ad bellū necessariis præmunita venerunt, vt non esset inter eos qui aliquo indigeret, immo sua aliis liberaliter cōmunicarent. Quamuis vero in oppidis & ciuitatibus sub vno degāt principis regimine, tamen a suæ principio gentis, & armorum etiam & militaris dignitatis insignia habuerunt, & militare nomen fortiti sunt ab antiquo. Multa etiā contra Sarracenos & contra Christianos ipsi & eorū parentes decenter exercuerunt. Fuerunt etiam ibi pontifices qui se & sua, prout Deus dedit, in sumptibus & laboribus deuote pro fidei negotio impenderūt, in sollicitudinibus vigiles, in officiis deuoti, in consiliis prouidi, in necessitatibus largi, in exhortationibus seduli, in periculis strenui, in laboribus patientes. De regno Castellæ Archiepiscopus Toletanus, Telliū Palentinus Episcopus, Rodericus Segontinensis, Menendus Oxomenfis, Petrus Abulenfis. De regno Aragonū Garfias Tyrafonēsis, Berengarius Barcinonensis electus. De seculari vero militia regni Castellæ Didacus Lupi de Pharo, Comes Fernandus de Lara, Comes Aluarus, & Comes Gundifaluus, frater eius Lupus Didaci de Camberis, Gonsaluus Roderici, & frater eius, & multi alii nobiles, & magni, & strenui, quorum nomina longū esset enumerare. Fuerunt etiā fratres Calatrauæ sub vno militiæ suæ magistro Roderico Didaci (grata Deo & hominibus fraterna societas) fratres militiæ templi sub vno magistro Gomitio Ramiri, qui post bellum foeliciter

liciter expirauit. Hi sunt qui primi in nouo testamento signo crucis suscepto, superbiam militaris fastum, strenuitate seruata, charitatis & religionis vinculo arctauerunt. Fratres etiam militiæ hospitalis, qui fraternitatis, charitati insistentes deuore, zelo fidei, & terræ sanctæ necessitate accensi defensionis gladium assumpserunt. Hi sub vno priore Guterrio Ermegildi. Fratres etiam militiæ sancti Iacobi sub vno magistro Petro Auā. Hi in partibus Hispaniæ multa opera militiæ decenter egerunt. Multi etiam Christianæ religionis diuersorum votorum & professionum zelo & compassione moniti, insigniti signaculo sanctæ crucis inibi conueniunt.

De prærogatiua virtutum & largitatis nobilis Aldefonsi. Caput IIII.

LICET autem tam diuersa, tam varia, tam extranea multitudo non esset facilis ad regendum, etiam patienti, nobilis tamen Rex magnanimitate sua omnia pacifice regebat, omnia æquanimiter & tranquille tolerabat, ita vt tædium in virtutem mutaret, cum vultu hilari tædium superaret. Irreuerenter prolata reuerenti responso in reuerentiam conuertebat, ambitionis loquacem tristitiam larga manu in lætam facundiam commutabat, curiali applausu fastibus militaribus occurrebat, regalium morum grauitate seruata. id in ipso operabatur benignitas, vt præexcellencia videretur æqualitas, sapientia grauitate conuersa sic omnia minabat, vt his fieret eius curialitas in suspirium, & strenuitas in exemplū, ita quod de eo dici posset: Hic virtutis habet plus, quam possedimus omnes. Adolescentes, iuuenes, & quos virilis ætatis robur perfuderat, senes, & decrepiti, quid laudare, quid appetere si facultas suppeteret, quid mirari, quid diligere repererunt, eius industriam in agendis stupore attoniti mirabantur, quem doni & dati perfectio sic perfecit, vt gratiæ & naturæ charismatibus abundaret, adeo vt mundi circulus fateatur Aldefonsum nobilem Hispaniæ se debere. Iuuenes & adolescentes quorū auorum nobilitas præsentabat, præficiēbat titulo militari, vt quos nondum propriæ virtutis extulerat gloria, & creantis manus, & parentum magnalia magnalibus obligarent. Hos sic equorum tuta firmabat magnanimitate, armorum copiosa securitate, vestium speciosa varietate, vt in ipso inuenirent & dominū quem diligere, & munificum quem laudarent. Et quamuis diuersus esset ritus alienigenarum, & in moribus ab indigenis dissiderent, quia mores omnes virtus magistra diiudicat, potuit omnibus satisfacere, qui virtutes omnium in se potuit conferuare, & quasi non vnus patriæ incolā, sic mores omnium in se sciuit assumere, vt nulli videretur a suis moribus dissidere. De largitate autem eius quis loqui præsumeret? cum id in ipso modicum fuerit, quod in aliis vix poterat reperiri. Sic enim ab infantia largitatem seruauit, vt obliuisci non potuerit quod de matris vtero secum traxit. Sic omnia largitatis suæ priuilegio confirmauit, vt ore omnium promulgata sententia, omnibus munificis silentio imposito, prærogatiuam munificentiae sententia obtineret. Et licet magnis magnifice distribueret, manum a minoribus non retraxit. Cum enim essent vltromontani plusquam decem millia equitum, & centum millia peditum, dabantur omni die viginti solidi vsuales, pediti vero quinque solidi. mulieres, paruuli, debiles, & cæteri ad bellum inepti non erant ab hac gratia alieni. Hæc erāt quæ in communi & publice donabantur, præter donaria priuata, quæ sui quantitate hunc numerum excedebant, quæ magnatibus non diurna distributione, sed potiori summa per nobilis Regis nuncios mittebantur. His muneribus cumulabatur equorum numerosa generositas, paruulorum iocunda varietas, quæ omnia tenacitatis curua seueritas vultu propitio nō poterat intueri. His autem omnibus si iungatur Regibus oblata donaria, suis distributa stipendia, plus modus dantis & hilaritas meruit, quam his omnibus emi posset. Et ad hæc omnia ne gens alienigena expeditionis omnibus indigeret, omnibus tentoria, & eorum vehicula est largitus. Addidit etiam gratiam gratiæ, & cibariorum vehicula cum cæteris necessariis sexaginta millia summas, & vltra cū summaris erogauit.

De processu ad bellum, & captione Malachonis. Cap. V.

SATISFACTO itaque omnibus per omnia, duodecimo Kalendas Iulii exercitus Domini ab vrbe regia est profectus: ultramontani per se, dato eis pro duce Didaco Lupi de Pharo: Petrus strenuus Rex Aragonum cum suis: Aldefonfus nobilis cum suis. Et licet separatim procederent, modicum tamen spacium exercitus diuidebat. Primo die castrametati sunt iuxta alueum Guadararaz: secundo iuxta Guadalcelet: tertio iuxta Algodor. Ultramontani vero iuxta Daralferciam castra fixerunt. Et inde procedentes obsederunt præsidium Malachonis, & signum in bonum diuina gratia faciente, licet qui erant in arce, fati viriliter se 10 defenderent, instantia tamen ultramontanorum, quæ magna strenuitate feruebat pro Christi nomine mori desiderans, virtutem resistantium & munitionum præsidium in nomine Domini minorauit, cepitque Malachonem, omnibus qui inerant interfectis. Sequenti die exercitus Regum aduenit, ibique substitit vno die, sed & aliquantulum victualia defecerunt, tamen occurrit industria Regis nobilis, & fecit exponi victualia copiose.

De captione Calatrae, & discessu ultramontanorum. Cap. VI.

INDE igitur procedentes omnes pariter peruenimus Calatrauam. Agareni autem qui inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes transitus Anæ fluminis proiecerunt, & quatuor habentes aculeos, qualitercunque caderent vno eorum erecto, pedibus hominum & equorum vngulis figebantur. Sed quia humana artificia contra Dei prouidentiam nihil valent, sic Deus voluit, vt paucissimi, vel nulli fere, illis tribulis læderentur, & gratiæ Dei manu supposita transuimus flumen Anam, & castrametati fuimus in circuitu Calatrae. Agareni autem oppidum illud sic in summitatibus turrium armis, & vexillis, & machinis muniunt, vt volentibus impugnare satis difficile videretur. Præterealacet sit oppidum illud in plano, tamen ex vna parte muri eius per tactum fluminis inaccessibile inuenitur: ex aliis partibus sic muro, & antemurali, fossatis, & 30 turribus, & propugnaculis est munitum, vt absque longa machinarum impugnatione inexpugnabile videretur. Erat autem ibi Agarenius quidam nomine Auenaliz, longa armorum assuetudine astutus, & bellorum exercitia frequenter expertus. De huius industria plus seipsum confidebat populis obsessorum, licet esset ibi in præsidio quidam Almohat, qui præsidii custodiæ præsidebat. Cumque in obsidione per dies aliquot moraremur, & Reges cum principibus de impugnatione præsidii dubitarent, post longos tractatus placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impugnatione difficilis videretur. Præterque autem melius iudicabant cæpto itinere ad bellum procedere, quam impugnationibus castrorum 40 insistere, præsertim cum in talibus & strenui periclitentur, & exercitus fatigaretur, cum & ius acquisitionis & retentionis talium pendeat ex fine belli. Assumptis itaque armis, locisque oppidi specialiter Regibus & principibus assignatis, voce fidei eleuata oppidum sunt aggressi. Sicque per Dei gratiam factum est, vt die Dominica post festum sancti Pauli expulsis Arabibus fuit Calatraua Regi nobili restituta, quæ statim a fratribus qui dudum ibidem resederant, fuit munita, & Christiano nomini redonata. Nobilis autem Rex de omnibus ibidem inuentis nihil sibi retinuit, sed ultramontanis & Regi Aragonum cuncta cessit. Sed quoniam humani generis inimicus non cessat Christianis actibus inuidere, misit Satan in exercitum charitatis, & corda æmulantium conturbauit, & quidam certamen fidei se accinxerant, retrorsum a bono proposito abierunt. Omnes enim fere ultramontani communi 50 proposito statuerunt, vt relictis crucis signaculis, ommissis etiam belli laboribus, ad propria remearet. Rex autem nobilis suorum victualia compartitus, quantum necesse erat omnibus est largitus. Sed nec sic cæpta obstinatio potuit reuocari. Immo passim omnes in gloriam recesserunt, excepto venerabili Arnaldo Narbonensi antistite, qui cum omnibus quos habere potuit, & multis nobilibus de provincia Vien-

Viennensi semper in bono constans, a bono proposito non recessit. Eterant circiter centum triginta milites præter pedites, de quibus etiam aliqui remanserunt. Remansit etiam de partibus Pictauiæ Theobaldus de Blazon, homo nobilis, & strenuus, & natione Hispanus, & genere Castellanus. Rex Aragonum cum omnibus suis vsque ad finem permanit indissolubili dilectione Regi nobili fœderatus, & quia sicut dicit Salomon: Si possides amicum, in tentatione posside illum: hic probari potuit, quisque qualiter diligebat. Sed quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, licet schismatis huius periculosus exitus timeretur, omnia tamen cœperunt de die in diem fœlicius prosperari. Recedentibus itaque 10 his qui crucem Domini in Angaria attulerunt, soli Hispani cum paucis ultramontanis superius nominatis proficisci cœperunt ad bellum Domini confidenter, & primo venerunt Alarcuris, ibique castrametati municipium occuparunt, nec non & castella alia in vicino. In eadem mansione aduenit Sancius Rex Nauaræ, qui licet a principio simulasset nolle venire, cum ad discrimen peruentum fuit, strenuitatis suæ gloriam a Dei seruitio non subtraxit. Sicque Regum ternarius in sanctæ Trinitatis nomine processerunt, & primo die castrametati sunt in circuitu Saluæ terræ. Dominica die sequenti visum fuit Regibus & principibus, vt totus exercitus armaretur, & etiam omnia tanquam ad bellum disponerentur. Et per Deigratiam talis apparuit multitudo armis, & signis, & equis ornata, vt inuentibus 20 nobilibus hostibus & terribilibus appareret, nobis amabilis, bello expediens discessum absentium compensaret, ita quod etiam corda magnanimorum creuerunt, pusillanimes confortati, dubii confirmati, & discedentium schisma quod multos terruerat, recessit a cordibus timidorum. Ibi que etiam die altero spectantes, post peruenimus ad aliam mansionem quæ dicitur Fraxineda. Tandem peruenimus ad aliam mansionem eiusdem nominis. Tertio vero die ad aliam mansionem in radice montis de Muradal, quæ dicitur Guadalfaiar.

De occupatione montis, unde ad prælium processit Christianorum exercitus. Caput VII.

INTEREA dum hæc agerentur, Mahomat Rex Agarenorum prope Giennium in montanis congregauerat gentes suas, ibique præstolabatur exercitum Christianorum. Nec erat ei cordi pugnare, quia verebatur auxilia peregrina, sed vt in reditu insiliret, vt forte Christiani fatigati laboribus, diminuti mortibus ei resistere non valerent. Et ideo forte consilio altissimi factum fuit, quod aduentum discesserunt. post discessum enim eorum, quidam initiati diabolo clanculo de nostro exercitu se furantes ad Arabes transfugerunt, eis statum Christiani exercitus, & defectum victualium detegentes, qui tamen cessauerat post discidium Calatrae. Sicque procurante prouidentia quæ in sui dispositione non fallitur, fuit factum, vt Agarenius mutato consilio, assumpta audacia præsumens gloriam, a partibus 40 Gienni processit. Contra nos properas Beatiam vsque peruenit, & aliquos inde misit ad Nauas Tolosæ, vt in angustia transitus, vbi est rupis fere in via, alueique vorago, Christianorum transitum impedirent. Et si Christiani summitatem montium non cepissent, in montis supercilio residerent, vt ascensum exercitus Domini prohiberent, sicut capti in bello postea narrauerunt. Hæc intentione obseruabant transitum, vt tandem deficientibus victualibus affecti tædio & inedia rediremus. Domino autem aliter faciente, Didacus Lupi de Pharo, cui ducatus exercitus erat commissus, præmisit filium suum Lupum Didaci, & duos nepotes eius Sancium Fernandi, & Martinum Munionis, vt præcederent ad montis supercilia 50 obtinenda. Verum cū illi de strenuitate confisi aliquantulum procederent improuisi, in summitate montis iuxta castrum quod Ferral dicitur, quosdam Arabes inuenierunt, qui insultu facientes in eos fere læsissent, nisi diuina gratia operante acceptis armis prædicti Christiani cum suis Arabes viriliter repulissent: & summitatem montis per Dei gratiam obseruarunt, ita quod statim fixis tentoriis inibi remanserunt. Quinta autem feria circa horam nonam venimus ad pedem montis, & ea-

dem die plerique de nostris ad montis ardua conscenderunt. Maior vero pars circa Guadalquivir alveum remanserunt. Sexta feria in mane tres Reges, Aldephonsus de Castella, Petrus de Aragonia, Sacerius de Navarra, inuocato nomine Domini ascenderunt, ibique in quodam decliuo montis fixis tentoriis refederunt, & eadem occupatum fuit a nostris castrum Ferral, sub quo sunt quedam voragine, & in rupe anfractus, & scopulorum præcipitia iuxta Losam, & tanta est ibi angustia transitus, ut etiam expeditos impediatur difficultas. Ibique quedam phalanges Agarenorum per diem illum & partem sequentis Christianorum transitus observabant, ibique frequenter illo die inter nostros & ipsos quedam belli præludia intercesserunt, ita quod ex utraque parte aliqui, non tamen plurimi, ceciderunt. Dū hæc agerentur, Regum & principum deliberatio eligebar, qua esset sine periculo procedendum. transitus enim Losæ non erat possibilis sine damno. Et cum iam exercitus Agareni vicinior nobis esset, necnon & eius tentorium rubeum appareret affixum, diuersorum de processu exercitus diuersæ sententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impossibilitatem transitus retrocedere consulebāt, & per locum faciliorem ad Agarenorum campestria transire. Ad hoc nobilis Aldefonsus Rex Castellæ: Et si hoc consilium discretione fulgeat, periculum secum portat. populus enim & alii inexperti, cum nos retrocedere viderint, non bellum querere, sed bellum fugere iudicabunt, & fiet discessio in exercitu, nec poterunt retineri. Sed ex quo ex vicino hostes prospicimus, ad eos necesse est ut eamus. Sic ut autem fuerit voluntas in celo, sic fiat. Cumque hoc consilium nobilis Regis præualuisset, Deus omnipotens qui negocium speciali gratia dirigebat, misit quendam hominem plebeium, satis despiciabilem, & habitu, & persona, qui olim in montanis illis pecora pauerat, & cuniculorum & leporum ibidem captioni institerat. is ostendit facilem viam, omnino possibilem per decliuū lateris montis eiusdem. Nec oportet ab aspectu hostium occultari, & ipsis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locum pugne congruum poteramus.

De processu ad locum pugne, & occisum Agarenorum. Caput VIII.

Sed quia in tanto discrimine tali personæ vix credi poterat, duo principes præcesserunt, Didacus Lupi de Pharo, & Garfias Romerii, ut si inuenirent esse vera quæ pastor dixerat, montem quendam in summitate sui habentem planitiem occuparent. Et dante Domino sic euenit, ut ille tanquam Dei nūcius, qui infima mundi eligit, verax inueniretur, & prædicti principes motis planitiem occuparunt, & tres Reges die Sabbati summo mane suscepta benedictione pontificali & gratia sacramenti, ad prædictum montem cum suis agminibus peruenerunt. Castrum Ferral quasi omnino tunc inutile est dimissum. Ipsi tamen credentes nos a prælio deuiare, eo quod Losæ transitum non seruauimus, prædictum castrum cum magna lætitia occuparunt. Reges itaque postrema exercitus obseruantes cum toto comitatu ad suos principes qui præcesserant, peruenerunt. Quod attendentes Agareni non esse subterfugium, sed processum, grauiter doluerunt, & prospicientes tentoria quæ in prædicti montis cacumine figebantur, cateruam militum destinarunt, ut a metatione castrorum primos agminis cohiberent. Nos enim propter viæ angustias porrecto agmine procedere cogebamur. cum nostris autem diutius confligentes Domino faciente viriliter sunt repulsi, & nostri occupata planitie montis per Dei gratiam castra feliciter locauerunt. Et tentoriis vix metatis, videns Rex Agarenorum quod in obseruatione transitus nihil ei proderant insidiæ, neque doli, dispositis aciebus eadem die processit ad campum, & præcipuam aciem quæ eius erat custodia deputata, super quodam promontorio ad quod difficilis erat ascensus, nobiliter collocavit, cæteris suis aciebus a dextris, & a sinistris prudētissime ordinatis, & ibi ab hora sexta usque ad vesperum spectarunt, putantes nos eo die ad prælium processuros. Sed consilii deliberatione habita prouisum fuit, ut bellum usque ad secundam feriā differretur, eo quod equi erant montium difficultate vexati, & exercitus fatigatus, & ut etiā statū eorum & processum possimus in isto medio conuerti.

Cumque

Cumque intellexisset Agarens, quod non procedebamus ad bellum, elatus in gloriam, non ex cautela, sed prouenire credidit ex timore. Vnde epistolas misit Beati & Giennum, quod tres Reges obsederat intra triduum capiendos. Tamen aliqui de suis qui altius cogitabant, dixisse talia referuntur: Videmus prouide & sollicite collocatos, & plus videntur ad pugnam parari, quam ad fugæ subsidia anhelare. Sequenti die Dominica, summo mane iterum egressus est Agarens in campum, ut pridie, & mansit in campo usque ad meridiem dispositis aciebus, & ad æstus iniuriam repellendam allatum fuit tentorium rubeum ad umbraculum Agareni diuersis artificijs adornatum, sub quo gloriosus debito residens conflictum fastu regio expectabat. Nos vero, sicut pridie fecimus, eorum exercitum attendentes obseruatis castris deliberabamus, qualiter in crastino procedere deberemus. Toletanus autem & cæteri pontifices per singularum ciuitatum & singulorum principum mansiones verbis exhortationis & indulgentiæ deuotissime proponebant. Eo die illustri Rex Aragonum consobrino suo Nunio Sancii accingit cingulo militari. Agareni etiam in modum torneamenti circa ultimam partem castrorum quedam belli præludia attentabant. Tandem inter sextam & nonam post longam expectationem Agareni ad locum quo castra metati fuerant, sunt reuersi.

De dispositione acierum, & ordinibus bellatorum. Cap. IX.

SEQUENTI vero die circa mediam noctem vox exultationis & confessionis insonuit in tabernaculis Christianis, & per vocem præconis inelamatum est, ut omnes ad bellum Domini se armarent. Celebratis itaque Dominicæ passionis mysteriis, & facta confessione, sumptis sacramentis, acceptis armis ad campi certamina processerunt. Dispositisque aciebus (sicut iam dudum fuerat tractatum inter principes Castellanos) Didacus Lupi cum suis habuit primos ictus: mediā aciem Comes Gundifalvus Nunii cum fratribus Templi, & Hospitalis, & Vclesii, & Calatrauæ: collateralem habuit Rodericus Didaci de Camberis, & Aluarus Didaci frater eius, & Ioannes Gundifalvi, & alii nobiles cum eisdem: in ultima acie nobilis Rex Aldefonsus, & Rodericus Archiepiscopus Toletanus cum eo, & alii episcopi supradicti. De Baronibus, Gundifalvus Roderici, & frater eius, Rodericus Petri de Villaluporum, Suerius Telli, & Fernandus Garfias, & alii. In qua liber autem istarum acierum erant communia ciuitatum, sicut fuerat ordinatum. Strenuus autem Petrus Rex Aragonum exercitum suum disposuit in totidem aciebus: primos ictus habuit Garfias Romerii: secundam aciem Eximius Cornelii, & Aznarius Pardi: in vltima fuit ipse cum aliis magnatibus regni sui: similiter & in collateralibus acie alios de suis nobilibus collocavit. De communibus etiam ciuitatum Castellæ habuit ipse secum. Rex Nauarre Sancius, speciali prærogatiua strenuitatis perspicuus, cum suis a dextris Regis nobilis procedebat, & in comitatu suo communia ciuitatum Secobiæ, Abulæ, & Medinæ. Dispositis itaque aciebus, eleuatis ad cælum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyrium excitatis, protensis vexillis fidei, & nomine Domini inuocato, ad belli discrimina omnes pariter peruenerunt. Primi autem qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Pharo, fuerunt suus filius, & nepotes superius nominati, strenui & audaces. Agareni vero in summitate quadam præsidium instar atrii firmauerunt: de scriniis sagittarum, infra quod erant præcipui peditum collocati, ibidemque Rex eorum refedit habens iuxta se enses, induens cappam nigram, quæ fuerat Abdelmumi, qui fuit principium Almohadum, & librum etiam sectæ nefariæ Mahometi, qui dicitur Alchoranus. Extra atrium erant etiam aliæ acies peditum, quorum quidam tam de interioribus, quam de exterioribus sibi adiuuicem colligatis, ut quasi de fugæ præsidio desperarent, constanter belli instantiam sustinebant. Erat autem exterius ante atrium acies Almohadum militaris, equis, & armis, & infinita multitudine terribilis in aspectu: a dextris autem ipsorum & a sinistris erant Arabes velocitate & lancearum agilitate nocui inexpertis, qui & fugiendo imperiunt, & fugati acius insolescunt. In planitie vero vbi volubilitati non obest angustia, no-

ciuiores reperiuntur. Hi similes Parthis sagittarum insistant negotiis, & in clauarum ponderibus vasa ferunt vertiginis, & hi, & illi extraordinariis vagationibus intenti acierum ordinem non obseruant, vt aduersarios incurfionibus turbent, & suis ordinatim venientibus ruptis agminibus ex aduerso grassandi tribuant facultatem. Sed & istorum & aliorum innumerabilem multitudinem nullum credo de nostris potuisse veraciter extimare, nisi quod postea ab Agarenis audiuius, quod erant octoginta millia militum, peditem vero turba non poterant numerari. Ad hæc dicebantur adesse quidam Agareni de partibus Azdoræ prope Marrochios, mirius accepti in oculis Regis sui. Hi equis relictis, Regi suo, vt eius gratiam compararent, pedites astiterunt, & ex his omnibus nullus creditur euasisse. Astabat etiam Regi eorum quædam acies stupenda multitudine obftrata, & militari-
bus insignibus mirabiliter adornata.

De victoria Christianorum, & strage Sarracenorum. Caput X.

A GARENI autem fere immobiles in loco manentes cœperunt repellere primos nostrum qui ascendebant per loca satis congressui impertuna, & in his repulsis aliqui ex nostris congressoribus difficultatibus fatigati aliquantulum substituerunt. Tunc etiam aliqui ex mediis aciebus Castellæ & Aragoniæ in vnum agmen ad primas acies conuenerunt, & fuit ibi commotio magna, & res dubio periculosa, ita vt etiam aliqui, non tamen de magnis, viderentur fugæ præsidio inhiare, sed primi & medii ex Aragonia & Castella coniunctim congressui insisterant, collaterales etiam acies cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant, adeo quod quidam eorum terga vertentes fugere videbantur. Quod attendens Aldephonsus nobilis, vidensque quosdam plebeia vilitate quid deceat non curare, dixit omnibus audientibus pontifici Toletano: Archiepiscopo ego & vos hic moriamur. Qui respondit ei: Nequaquam, immo hic præualebitis inimicis. Rex autem inuictus animo, Festinemus, inquit, primis succurrere in periculo constitutis. Tunc Gonsalvus Roderici, & fratres eius processerunt ad primos. Fernandus vero Garfiæ vir strenuus, & in militia industrius, retardauit ipsum Regem, consulens vt obseruato moderamine procederent ad succursum. Tunc Rex inquit iterum: Hic Archiepiscopo moriamur. talis enim in tali articulo mors non dedecet. Et ille: Si Deo placet corona victoriæ, non mors insinat: sin autem aliter Deo placuerit, vobis commori omnes communiter sumus parati. In his autem omnibus (testificor coram Deo) nobilis Rex non mutauit vultum, nec gestum solitum, nec loquelam, immo viriliter & constanter, vt leo imperterritus, aut mori, aut vincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum festinato gressu vsque ad atrium Agareni dante Domino hilariter vexillorum insignia peruenerunt. Crux vero Domini quæ coram Toletano pontifice consueuerat baiulari, præferente eam Dominico Paschasii canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculose transiit, & ibidem illæso baiulo sine suis vsque ad finem belli, sicut Domino placuit, perdurauit. Erat autem in vexillis Regum imago beatæ Mariæ virginis, quæ Toletanæ prouinciæ & totius Hispaniæ semper tutrix exitit & patrona. In cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hæcenus satis immobilis permanebat, & rebellis nostris obstiterat, cæsa gladiis, fugata lanceis, victa ictibus terga dedit. Tunc etiam ad instantiam germani sui, qui Zeit Auozecrith vocabatur, Rex Agarenius iumento varii coloris insidens fugæ præsidio se commisit, & cum quatuor militibus periculi fociis Beariam vsque venit, & Beatenfibus quid facerent sciscitantibus, dicitur respondisse: Nec mihi, nec vobis possum consilere, Dominus sit vobiscum. Ibiq; mutato iumento, Giennum ea nocte peruenit. Interea Aragonensibus ex sua, Castellanis ex sua, Nauarris ex sua parte instantibus, cæsa sunt multa millia Agarenorum. Quo viso & audito Toletanus pontifex hæc verba dixit nobili Regi: Estote memor gratiæ Dei, quæ omnes defectus in vobis supplēuit, & opprobrium aliquandiu toleratum hodie releuauit. Estote etiam memor vestrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam

riam peruenistis. His & aliis in hunc modum dictis, ipse Toletanus, & alii pontifices qui simul aderant, cum lachrymis deuotionis in laudis canticum eleuatis vocibus proruperunt dicentes: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Erat etiam ibi Tellius Palentinus Episcopus, Rodericus Segontinensis, Menendus Oxomensis, Dominicus Placentinus, Petrus Abulensis, multi etiam alii clerici Domino cantica decantantes. Campus autem sic strage Agarenorum plenus erat, vt etiam in robustissimis equis vix super eorum cadauera absque periculo transiremus. Erant autem Agareni qui supra prædictum atrium inuenti sunt, statura proceri, pinguedine dilatati, & (quod mirabile est dictu) licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam a pauperibus spoliati, in toto campo nec signum sanguinis poterat inueniri. Quibus peractis nostri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes vsque ad noctem eos infatigabiliter secuti, & secundum extimationem creduntur circiter bis centum millia interfecit. De nostris autem vix defuere viginti quinque.

De magnalibus bellatorum. Cap. XI.

QUÆ autem specialiter facta sunt a magnatibus, neminem credo sufficienter posse dicere, cum nemo potuerit omnia particulariter intueri, scilicet qualiter Aragonensium auidax strenuitas operam dedit stragi, qualiter agilitate facili præuenerit fugientes: quam viriliter Eximius Cornelii cum turba suorum aduenerit agentibus primos ictus: qualiter Garfias Romerii, & Aznarius Pardi cum aliis magnatibus Aragoniæ & Cataloniæ belli dubia magnifice peregerunt: qualiter Nauarrorum bellicosa agilitas belli instantiæ se obiecit, & persecuta sit fugientes: qualiter & ultramontani qui remanserant, in occursum magnanimi Agarenorum incurfibus restiterunt: qualiter Castellanos magna nobilitas, & nobilis magnanimitas largis copiis supplēuit omnia, manu strenua compressit pericula, victrici gladio præuenit velocia, felici victoria complanauit aspera, & cunctis impropertiam in gloriam commutauit, & hostis blasphemias laudum canticis dulcorauit. Sed si singulorum magnalia vellem prosequi, citius in scribendo manus deficeret, quam dicendi materia mihi deesset. Sic enim omnes præuentrix armauerat gratia, vt nullus de iis qui esse aliquid videbantur, aliud appeteret, nisi aut pati martyrium, aut obtinere. His itaque omnibus peractis feliciter, iam circa solis occasum in Agarenorum tentoriis sedimus fatigati, satis tamen pro victoriæ lætitiâ recreati, neque ex nobis ad castra qui redierunt, nisi famuli ad sarcinas deportandas. Tanta autem fuit in campo Arabum multitudo, quod medietatem spaciū vix potuimus occupare. In campo autem qui voluerunt rapere, plurima inuenierunt, aurum scilicet, argentum, vestes preciosas, suppellectilia ferica, & multa alia preciosissima ornamenta, necnon & pecunias multas, & vasa preciosa, quæ omnia pro maiori parte pedites & aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim & quos fidei zelus, & Regis reuerentia, & amor strenuitatis nobilitauerat, hæc omnia contemnentes vsque ad noctem persecutioni viriliter intenderunt, præsertim cum præcedenti die pontifex Toletanus sub interminatione anathematis inhibuisset, ne quis prædæ campi insisteret, si diuina prouidentia victoriam concedere dignaretur. Camelorum autem, & cæterorum animalium, necnon & victualium quæ inibi sunt inuenta, vix posset, quantumlibet subtilis discretio aestimare. In eodem itaque loco illo die & sequenti moram fecimus fatigati. Homines, & vehicula, & res, & sarcinas, quæ fuerant ob belli instantiam proposita, vel neglecta, famulorum studio sunt aduecta. Et quod vix videretur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vsus omnes nulla alia ligna combussimus, nisi hastas lancearum & sagittarum, quas secum duxerant Agareni: vix tamen in illo biduo potuimus consumere medietatem, quamuis ex industria, non ad necessitatem, ignem apponerent, sed ad eorum multitudinem consumendam.

De captione Beatie, & Vbeta, & aliorum castrorum, & reditu exercitus. Cap. XII.

EXINDE procedentes quidam ex nostris castrum de Bilche fortissimum obse-
derunt. Nos vero die tertia post bellum, quarta scilicet feria, venientes cepi-
mus castrum Bilche, necnon & alia tria, scilicet Ferral, & Balnea, & Tolosam, quæ
vsque hodie per Dei gratiam a fidelibus incoluntur, ibique moram per vnum diē
fecimus, & procedentes ex nostris ad ciuitatem Beatiam vacuam inuenerunt, fu-
gentibus Agarenis, & suorum periculo iam comperto se in Vbetam receperunt,
præter quosdam inexpeditos qui in eorum oratorio quod Mezquita dicitur, in-
cendio perierunt. Hoc audito Reges & principes communi consilio decreuerūt
Vbetam obsidere. Hoc factum fuit feria sexta post bellum. Igitur secunda feria, o-
ctauo scilicet die post bellum, aggressi sunt ciuitatem inuocato nomine Christia-
no, & sicut Domino placuit, ex ea parte vbi instabant Aragonenses, quidam armi-
ger Lupi Ferrencii de Luna murum ascendit, & in eius ascensu corda resistētium
languerunt, & se Regis gratiæ sponderunt. Super hoc itaque habito frequenti
tractatu primo obtulerunt Sarraceni mille millia aureorum, vt ciuitas eis integra
remaneret, quod & aliqui acceperunt, dolentibus admodum Regibus, dissimu-
lantibus tamen propter instantiam magnatum. Demum Toletano, Narbonēsi, &
cæteris pontificibus auctoritate pontificali pacta huiusmodi prohibentibus factū
est, vt ciuitas funditus euerteretur, Sarracenis ad vitam seruatis, captiuitati nihilo-
minus mancipatis. Et iam Dei gratia propter luxum hominum tepescente, Chri-
stiani cupiditate illecti intendebant iniuriis & rapinis. vnde & Dominus imposuit
frenum ori eorum, & percussit eos infirmitatibus, & iumenta, & vix erat in taber-
naculis qui commilitoni posset socio, vel domino ministrare. Et necessitate com-
pulsū rediimus Calatrauam, ibique inuenimus Ducem Austriæ de partibus Teu-
toniæ, qui satis in magno venerat apparatu. Indeque cum Rege Aragonum, cui er-
rat consanguinitate coniunctus, in Aragoniam est reuersus. Nos vero cum nobili
Rege Aldephonso ad urbem peruenimus Toletanam, ibique cum pontificibus, &
clero, & vniuerso populo in ecclesia beatæ Mariæ virginis processionaliter est re-
ceptus, multis Deum laudantibus, & in musicis instrumentis acclamātibus, quod
eis Regem suum reddiderat sanum & incolumem, & corona victoriæ coronatū.
Inde diuiso exercitu, vnusquisque ad propria est reuersus. Hic finis belli, quod fuit
æra millefima ducentesima quinquagesima, feria secunda, decimo sexto Kalen-
das Augusti.

*De captione Alcaratii, & Alcantara, & aliorum castrorum, & fœdere cum Rege
Legionensi. Cap. XIII.*

POST hæc autem, licet Christianorum populi essent laboribus & infirmitatibus
fatigati, Rex tamen nobilis a magnalibus non poterat abstinere. Et congregato
exercitu eodem anno mēse Februario Castrum Dominarum impugnatum ma-
chinis occupauit, & restituit, quorum fuerat, fratribus Calatrauæ. Et inde proce-
dens cepit castrum quod Eznauxore dicitur, & militiæ sancti Iacobi dedit illud.
Et inde perueniens ad castrum famosum quod Alcaratium dicitur, obsidione diu-
rina impugnavit, & in die ascensionis Domini eiusdem anni cepit illud Domino
faciente, & a Roderico Toletano pōtifice, & clero qui aderat, processionaliter est
receptus in ecclesia sancti Ignatii quæ Mezquita fuerat, diuinis solenniter celebra-
tis. Cepit etiam aliud castrū quod Riuus Oppæ dicitur, expulsis Arabibus ab eo-
dem. Et sic reuersus in terram suam, in villa ecclesiæ Toletanæ quæ sanctus Tor-
quatus dicitur, festum Pentecostes præsentē vxorē suā Regina Alienor, & filio suo
Enrico, & filia sua Berengaria Legionensi Regina, & nepotibus suis Fernando &
Alphonso, cum gratiarum actionibus & gloria celebrauit. Accidit autem eo anno,
vt Dei iudicium Hispaniam visitaret. nam sic in omnibus regni finibus vidualia
defecerunt, vt homines panem petentes, cum non esset qui porrigeret, in plateis
& compitis famis exitio morerētur, licet ipse Rex nobilis largissime eleemosynas
erogaret,

erogaret, & pontifices, & magnates, milites, & populares supra posse studerent,
quæ habere poterant, pauperibus impartiri. Nec tantum sterilitas in fructu ter-
ræ, sed etiam in volucris, gregibus, & armentis, quæ conceptu & foetu eo anno
sterilitate simili caruerunt, & equitaturæ, & equi multi defectu palarum & hor-
dei perierunt. Et licet tanta pestis patriam infestaret, Rex nobilis ab ascensionibus
corde conceptis non potuit retineri, & cum Aldephonso Rege Legionensi olim
genero fœdus initum innouauit, & restituit ei Rex Castellæ Carpium, & Mon-
tem regalem, vt diruta de cætero non starent. Et dato ei in auxilium Didaco Lu-
pi de Pharo, magnate nobili & potente, Reges pariter condixerunt, vt vterque
per confinia regni sui exercitum duceret contra Mauros: & Rex Legionensis in
eo introitu cepit Alcantaram munitionem nobilem, quam dedit postea fratri-
bus Calatrauæ.

*De obsidione Beatie, & tregua cum Arabibus, & populatione Miraculi,
& peste famis. Caput XIII.*

ALDEPHONVS autem nobilis Rex Castellæ æra millefima ducentesima quin-
quagesima prima, octauo Kalendas Decembris, congregato exercitu urbem
ingressus est Toletanam, & per Consocram & Calatrauam transiens circa Bea-
tiam fixit castra, & sic inualuit fames ibi, vt exercitus carnes humano generi insue-
tas edere cogentur, ibique aduenit prædictus Didacus Lupi cum magno militum
comitatu. Rex enim Legionensis post captam Alcantaram reuersus fuit in ter-
ram suam. Cumq; diu Beatiæ obsidio traheretur, nec a patria vidualia portaren-
tur, omnibus fere fame deficientibus, suorum consilio Rex nobilis tregua cum
Arabibus reformata rediit Calatrauam, & cum fratres & sæculares qui inibi mo-
rabantur, fame & inedia laborarent, magnates, & milites, & cæteri populorum,
prout vnusquisque potuit, subuenerunt, sicut tanta aduersitas tolerabat. Rodericus
etiam Toletanus pontifex attendens verbum Ioannis Apostoli, Qui viderit fra-
trem suum necessitatem habentem, & clauerit viscera misericordiæ suæ, quomo-
do Dei charitas est in illo: & item dicit scriptura: Pasce fame morientem, quem ni-
si pauperis, occidisti: totum argentum quod apud se potuit inuenire, fratribus ero-
gauit, & ne castra frontaria remanerent habitatoribus destituta, elegit ipse cum
indigentibus indigere, & cum fratribus in terræ solatium & subsidium eo tempo-
re remanere. Rege itaq; cum exercitu ad patriam redeunte, prædictus pontifex
omnibus sæcularibus remanentibus Calatrauæ a festo Epiphaniæ vsq; ad octauas
sancti Ioannis omni die edulium ministravit. Sed in Quadragesima ad tantæ ne-
cessitatis angustias peruenerunt, quod ipse pontifex cum fratrum capitulo potius
carnes comedere, quam terram deserere decreuerunt, nisi Dominus aliter prouideret.
Sed Dei abundantia pietati misericorditer sic prouidit, vt prædicto ponti-
ficalimoniam non deesset, & fratrum indigentiam supportaret vsq; in diem, qua
terra Domini diuitibus & pauperibus fructum dedit. Eo tempore idem pontifex
in via publica per quam Toletum Arabes grauius infestabant, castrum quod Mi-
raculum dicitur, populauit. vbi cum aliquandiu confedisset pluuiis & intindatio-
nibus impeditus, castri fabrica non crescebat, tamen in eo quod fieri potuit, reli-
ctis militibus, & aliis bellatoribus qui nouæ populationis ambitum custodirent,
imminente solennitate Ramis palmarum venit ad ecclesiam Toletanam. Vbi
processione solenniter celebrata, cum clamor insurgeret egenorum, idem ponti-
fex verbum exposuit charitatis, & sic Omnipotens corda audientium inflamma-
uit, vt ipso incipiente, cæteri qui verbum Domini audiebant, vsq; ad tempus fru-
ctuum cæteros pauperes receperint: & sic charitatis gratiarum numerum au-
gmentauit, vt in tota vrbe vix remanserit qui exhibitorem proprium non habe-
ret. Et eadem die qua fuit hæc distributio charitatis, septingenti milites, & mille
quadringenti pedites Arabum castro Miraculi aduenerunt, & eos qui intus ad-
erant, vnus diei concertatione fortiter impugnarunt, adeo quod aliquis de intrin-
secis sine morte, aut effusione sanguinis vix remansit. Agareni autem in cluorum

constantiam formidantes, multis ex suis sagittis, gladio, & lapidibus interfectis, gressu retrogrado recefferunt, & tanta fuit caesio obessorum, quod nullus ex eis in castro potuit remanere. Sed post accessum Arabum Roderico pontifici, cuius erant, nuncio destinato, successores fortes & incolumes receperunt, & ipsi Tole- rum vehiculis sunt aduecti, vbi commoditate debita recreati vsq; ad sanitatis gau- dium sub chirurgico remanserunt. Rodericus autem pontifex his dispositis iuit Burgis ad Regem nobilem Aldephonsum, qui opera eius commendans in Do- mino dedit ei viginti aldeas in possessionem perpetuam ecclesiae Toletanae.

De morte Regis nobilis Aldephonfi. Caput XV.

10

CONSUMMATIS autem quinquaginta tribus annis in regno, Rex nobilis Al- dephonfus generum suum Regem Portugalliae ad colloquium conuocauit. Cumque esset in prociactu itineris eundi Placentiam vltimam sui domini ciui- tatem, in aldea quadam Areuali, quae dicitur Guterrus Munionis, cepit grauius in firmari, vbi demum febre correptus vitam finiuit, & secum gloriam Castellae se- peliuit, facta prius confessione Roderico pontifici, & sumpto summi viatici sacra- mento, assistentibus Episcopis, Tello Palentino, & Dominico Placentinensi. Se- quenti die in praesentia Alienor vxoris suae charissimae, & Reginae Berengariae fi- liae suae dulcissimae, cum Enrico filio, & Alienor filia, & nepotibus suis Fernando &

Alphonso in aetate consistentibus puerili, aera millesima ducentesima quinquage- sima secunda, in die Fidis virginis, secunda feria, decimo Kaldas Octobris, non plenus dierum, sed virtutibus & honore, beatum spiritum suo qui dederat, resti- tuit creatori. Et factus est luctus omnium, & desolatio magnatum, nec non & o- mnium populorum. Et corpore eius in decenti sarcophago collocato, ea die per- uenimus Vallemoletum. Deinde ex omnibus regni partibus pontifices & abba- tes, religiosi & saeculares, milites & magnates, humiles & maiores ad exequias tan- ti funeris conuenerunt. Sic enim corda hominum vulnerauit relatio mortis eius, quasi quilibet improuisa sagittae iaculo feriretur. Sic enim strenuitas, largitas, cu- rialitas, sapientia, & modestia eum sibi ab infantia vendicant, ut post mortem e- ius sepulta credantur omnia cum sepulto. Omnes enim non tantum in suis, sed in aliis Hispaniae finibus effrenatis studiis, & laxatis habentibus licentiae, quolibet abi- erunt, & nihil sibi retinuerunt, cum thesauros verecundiae amiserunt. Sepultus est autem in regali monasterio prope Burgis a Roderico Toletano, Tello Palen- tino, Roderico Segontinensi, Menendo Oxomeni, Girardo Segobiensi Episco- pis, & aliis religiosis, officiosa obsequia funeris filia eius Regina Berengaria impo- nente: quae tanto dolore eius exequias consummauit, quod fere dilaceratione & lachrymis se extinxit. Et sicut in vita regnum virtutibus adimpleuit, sic in morte totam Hispaniam, immo mundum lachrymis madefecit. Sepultus est

autem in praedicto monasterio a pontificibus supra dictis,
vbi laudum eius praeconia nec inuidia,
nec obliuio poterit
abolere.

30

RODE-

RODERICI ARCHIEPI- SCOPI TOLETANI DE REBUS HISPANIAE LIBER

NONVS.

Caput primum.

10



O igitur sepulto iam continuo filius eius Enricus paruulus & haeres, a pontificibus & magnatibus, vniuerso clero, Te Deum laudamus, cantante, ad regni fastigium eleuatur. Vndecim an- norum erat cum regnare cepisset, & duobus annis, & decem mensibus regnavit. Verum post mortem Regis nobilis vigin- ti quinq; diebus transactis Alienor vxor eius fuit rebus huma- nis exempta. Haec erat Enrici Regis Angliae filia, pudica, no- bilis, & discreta, & sepulta est in praedicto monasterio iuxta virum, & custodia pueri Regis, & regni gubernatio remansit penes Berengariam Reginam sororem eius. Cuius diligentia sic apparuit toto tempore sui regiminis, ut pauperes, diuites, ecclesiastici, saeculares, sicut tempore Regis nobilis fuerant, in suis statibus serua- rentur, licet Baronum varietas zelo inuidiae circum acta discidia procuraret. Cum autem essent tres Comites, Fernandus, Aluarus, Gundisalvus, filii Comitis Nunii supra dicti, ceperrunt ad custodiam Regis pueri inhiare, ut concepta odia possent in his quos oderant, vindicare, sicut pater eorum fecerat tempore pueritiae patris eius. Aliqui etiam quibus Regina Berengaria se credebatur, eorum studiis consen- serunt, mediante quodam milite Palentino qui Gasias Laurentii dicebatur, & de mandato Reginae erat custodiae Regis pueri deputatus. Hic promissa sibi a Comite Aluaro in haereditatem villa quae dicitur Tabulata, Regi suasit, ut ad Comitis Aluari custodiam se transferret. Quod cum solers Regina Berengaria percepisset, animo gratanti concessit, sed timens insolentias quae venerunt, fecit iurare Comitem Aluarum, & magnates, ut sine ipsius Reginae consilio, nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guerram mo- uerent, nec multam, quae Hispaniae peccata dicitur, imponerent in aliqua regni parte: & iuramento, & hominio in manu Roderici Toletani pontificis firmauerunt, & si contrarium facerent, prodicionis infamia tenerentur. Sed quia Regina pro- pter importunitates militum & maiorum taedio erat affecta, timebat ne regnum in sui custodia turbaretur, & ideo Comiti Aluaro dedit puerum conditionibus supra dictis. Qui cum Gundisaluo Roderici, & fratribus suis tunc sibi fauentibus in continenti Burgis egrediens cepit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi diuites exhaurire, religiones & ecclesias ancillare, & decimarum tertias quae ad ecclesiarum fabricas pertinebant, cepit similiter inficere. Sed excom- municatus a Roderico Toletano decano, qui vices Archiepiscopi tunc gerebat, coactus fuit restituere, & iurare ne de caetero attentaret, & ecclesiarum homi- nes qui priuilegiorum regalium immunitate gaudebant, cepit angariis & exacti- onibus subiugare.

De contubernio Regis Enrici & Dominae Mafaldae.

Caput II.

VERVM cum apud Vallem oleti curiam celebrassent magnates alii, Lupus Didaci de Pharo, Gonfaluus Roderici, & fratres eius Rodericus Roderici, & Aluarus Didaci de Camberis, Alphonfus Telli de Menesis, & alii nobiles regni exterminio condolentes curauerunt tantis cladibus obuiare, & Reginae Beren- gariae prudentiam aduocantes humiliter supplicarunt, ut regni miseris condoleret. Comes autem Aluarus cepit Reginam nobilem infestare, adeo ut ea quae sibi pa-

A ij

ter suus dederat, occuparet, & ei etiam ore temerario demandauit, ne in regni finibus remaneret. Tunc Regina nobilis cum sorore sua Alienor, quæ fuit postea Regina Aragonum, & erat tunc temporis domicella, in castrum Gunfalui Roderici quod Aptellum dicitur, se recepit, ibiq; deguit vsq; ad mortem fratris. Sed prædicti magnates tanquam naturali dominæ fideliter adhærentes Regi paruo fidelitatis debitum in omnibus seruauerunt. Cæterum prædictæ Reginae solers industria omnia sic prouide ordinauit, vt magnates sibi fauentes, & Comitibus Aluari insolentias refrenaret, & iura sua Regi paruo conseruaret. Verum cum Rex tenellus intentionem Comitibus sagaci indole iam sentiret, libenter volebat ad fororis custodiã se transferre. Sed Comes Aluarus per suos complices ita cauit, quod Rex puer quod volebat, non potuit effectum mancipare. Nam Comes callide cogitauit vxorem ex Portugallia sibi dare, qua mediante posset puerum in suo beneplacito retinere. Sed in contrarium res euenit. Nam cum Mafaldam filiam Regis Portugallia adduxisset, & puer non esset in ætate nubili, remansit domina coniugali commercio defraudata, & quia se consanguinitatis linea attingebant, de mandato Innocentii Papæ fuit contubernium separatum. Et post (vt fertur) inter se, & dominam voluit Comes Aluarus connubium procurare. Sed ipsa cum esset pudica, verbum respuit indignanter.

De morte nunciũ, & captione Montis alacris, & obsidione Ville albe Cap. III.

POST curiam Vallis oleti Comes Aluarus cum suis complicitibus, & cum Rege extrema Dorii peragrauit maiorum animos sibi concilians, vt eorũ fauore posset aliis imperare, & habentiũ diuitias exhaurire, & inde se transtulit vltra Serram. Et cum venisset Maquedam, quæ est oppidum in dicecesi Toletana, Regina nobilis misit nunciũ de fratris statu clanculo percunctari. Erat enim sollicita, eo quod a Comite Alvaro negligentius seruabatur. Et cum Comes Aluarus de nuncio cõperisset, fecit scribiliteras imposturæ, & falso sigillo Reginae nobilis intercludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis scribebat aliquibus de cõsilio magnarum de campis, vt cum toxico sibi misso fratri suo exitiale poculum propinarent, vt sic puerum ad fororis odium grauius prouocarent, & hominẽ continuo suspenderent. Sed cum labia malignorum sibi velut ebria mentiantur, qui Susannam a falso testimonio liberauit, Reginam nobilem & innocentem ab imposturæ mendacio liberam declarauit, & vt in suis mendacijs caperentur iniqui, communis & fidelis assertio omnium sine dubio affirmabat Reginae nobilis veritatem, detestã maledictis & conuitijs quod iniquitas adinuenit. Et licet e fronte superbia Comes Aluarus niteretur, tanta tamen efferbuit subsannatio populi contra eum, vt cogere retur recedere a partibus dicecesis Toletanæ, & Optam veniens ibi aliquandiu fecit moram. Aduenit autẽ miles nobilis Rodericus Gundifalui de Valle viridi, qui beneplacitum Regis pueri iam habebat, vt ad fororem suam in scio Comite Alvaro se transferret. Sed cum Fernandus Munionis Comitibus Aluari fautor & nepos aduentum prædicti nobilis cõperisset, ei ex improviso assumptis militibus superuenit, & captum duxit ad Alarconem. Tunc Comes Aluarus vt in regno excidia excitaret, fautoribus Reginae nobilis mouit guerrã, & assumptis quos habere potuit, cum Rege ad Vallem oleti in sequenti quadragesima peruenerunt, & Paschate resurrectiõis dominicæ celebrato, cum militibus Castellanis, & de extremis Dorii Vallem triticariam vastauerunt, & domos magnatũ qui Reginae fauebant, hostiliter dissiparunt. Deinde in castro quod Mons alacer dicitur, Suerium Tellii obsederunt. Sed cum Gonfalus Roderici, & fratres eius, & Alphonsum Tellii pluribus militibus præminerent, Regis præsentia reuerentes noluerunt obsessio fieri in succursum. Sed ipse Suerius Tellii Regi petenti protinus castrũ dedit. Exinde Comes cum Rege procedens in campis plurima deuastrauit, & apud Carrionẽ per dies aliquos fecit morã. Deinde ad Villam albam de Alcor contra Alphonsum Tellii properauit, & quidam milites ex agmine præcurrentes extra munitionẽ Alphonsum Tellii repererunt, & captis equis & armis ipsum etiam vulnerarunt, & vulneratus in municipio se recepit, vbi per aliquot dies obsessus viriliter se defendit.

De mor-

De morte Regis Enrici. Caput IIII.

AB obsidione vero Comes recedens Pallentiam festinauit. Regina autem & sui nobiles in Aptello & Castro Cinifario morabantur, & nesciebant quid agerent, eo quod in exercitum Rege præsentem non poterant infilire, nec illatas iniurias sustinere. Vnde communiter decreuerunt Regi restituere terram suam, & de caelo auxilium expectare. Cum igitur terra (vt dictum est) variis incursionibus vastaretur, & Comes cum paruo Pallentiam aduenisset, contigit eum in domo Episcopi hospitari, & res ecclesiæ vt hostem consumere & deuastrare. Quadam autem die cum Rex puer instaret ludicris cum coartaneis Domicellis minus prouide custoditus, Domicellus quidam e turre casu regulam proiciens, Regem in capite vulnerauit, ex quo ictu post dies paucos fuit mors lugubris subsecuta. Sed antequam rumorem loquacitas diuulgasset, Regina sapiens misit Lupum Didaci & Gundifaluum Roderici magnates pro filio suo Fernando, qui apud Taurum cum patre tunc temporis morabatur. Qui cunctes rumorem de morte Regis pueri sumpserunt, & Regi Legionis causam aliam suadentes cum Infante Fernando ad Reginam Verengariam redierunt. Interim autem Comes Aluarus tulit Regem a Pallentia, vt in castrum quod Tarecum dicitur, celaretur. Sed quia res non potuit occultari, sorore eius Regina funestis rumoribus concitata Pallentiam cum magnatibus properauit, vbi a venerabili Tellio Episcopo ciuitatis cum processione solenniter sunt recepti, & inde ad castrum quod Donia dicitur, procedentes continuo vi ceperunt. Tunc magnates cum Comite Alvaro de concordia tractauerunt, sed nihil voluit Comes Aluarus acceptare, nisi Infans Fernandus Rex futurus suæ custodiæ, vt auunculus, traderetur. Cui pactiõni Regina nobilis & magnates verentes præterita, nullatenus consenserunt, & procedentes ad Vallem oleti venerunt, & consilio habito ad extrema Dorii processerunt. Et cum venissent ad villam quæ Cauca dicitur, habitatores villæ eos recipere noluerunt, sed ad Aldeam quandam quæ Sanctus Iustus dicitur, secesserunt, & ibidem nuncios receperunt, ne Secobiam, vel Abulam, vel ad aliquam extremorum Dorii accederent ciuitatem. Nunciatum est etiam quod Sancius Fernandi frater Regis Legionensis contra Reginam & filium eius magna cum multitudine adueniret. Vnde & Regina nobilis & filii sui cum his qui aderant ad Vallem oleti protinus redierunt.

Quod Infans Fernandus factus est Rex Castelle. Caput V.

CUM autem audisset Regina potiores extremorum Dorii, & de vltra Serram Secobiam conuenire, misit nuncios qui eis fidelitatis debitum suaderent. Cumq; viri extremorum Dorii hoc audissent, venire ad Reginam nobilem continuo consenserunt, & cum ad Vallem oleti communiter cõuenissent, ibidem tam extremorum Dorii potiores qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates & milites Castellani communi consensu regnum Castellæ fidelitate debita Reginae nobili obtulerunt. Ipsi enim decedentibus filiis, cum esset inter filias primogenita, regni successio debebatur, & hoc ipsum patris priuilegio probabatur, quod in armario Burgenfis ecclesiæ seruabatur, & totum regnum, antequam Rex haberet filium, bis iuramento & hominio hoc firmarat. Ipsa autem intra fines pudicitia & modestia supra omnes mundi dominas se coarctans regnum sibi noluit retinere. Sed extra portam Vallis oleti educta multitudine extremorum Dorii, & Castellæ, vbi forum agitur, conuenerunt, eo quod tantam multitudinem domorum angustia non ferebat, & ibidem filio regnum tradens, Infans Fernandus, de quo diximus, omnibus approbantibus ad ecclesiam sanctæ Mariæ ducitur, & ibidem ad regni salutem sublimatur, anno ætatis suæ decimo octauo, clero & populo decantantibus, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fecerunt hominium, & fidelitatem Regi debitam iurauerunt, & sic honore regio ad regale palatium est reductus. Cum autem audisset Regina nobilis Aldephonsum

A ij

Regem Legionensem ad villam quæ Airojum dicitur, aduenisse, modestiæ suæ infitens pudori, per Mauricum Burgensem & Dominicum Abulensem Episcopos humiliter supplicauit, vt se ab inquietatione filii temperaret. Sed ipse Rex elatus superbia, quam cordi eius Comes Aluarus instillarat, supplicationi & precibus contradixit, eo quod imperio inhiabat. Immo transiit Pisoricam, & venit Lacunam, vbi cum diebus aliquot permansisset, direxit faciem contra Burgis, & cum loca plurima & domos militum deuastasset, & alias incendio concremasset, ad villam quæ Arcus dicitur, superuenit, sperans ciuitatem Burgensem se capturum. Sed cum audisset in eadem vrbe Lupum Didaci, & multos milites congregatos, frustratus spe vacua & inani, contra consiliarios indignatus in terram suam 10
propere remeauit.

De tumulatione Regis Enrici. Caput VI.

REGINA autem in Regem filio sublimato, dum hæc fierent, Pallentiæ morabatur, & ibi venerunt ad eam ex Secobia, & Abula, & aliis oppidis extremorum Dotii milites copiosi consiliorum suorum seruitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles pontifices, Tellium Pallentinum & Mauricum Burgensem misit Tarecum, vt Enrici Regis corpus reciperent cum suis parentibus tumulandum, præsertim cum & hoc ipsum Comes Aluarus iam mandasset: & præfati pontifices recepto corpore Pallentiam redierunt. Et inde Rex nouus cum matre sua Regina nobili ad castrum quod Munio dicitur, aduenerunt, & dum Rex oppidum impugnaret, Regina nobilis fratrem suum Enricum Regem in sarcophago nobiliter præparato detulit ad monasterium prope Burgis, & ibidem iuxta fratrem suum Fernandum Infantem cum planctu magno exequiis celebratis regaliter sepeliuit. Inde vero Regina veniens Munionem inuenit castrum a Rege Fernando & suis fidelibus occupatum, militibus qui inerant, captiuatis. Post hæc ad Lemam & Laram, quas Comes Aluarus detinebat, cum Burgenſi concilio procedentes inuasas fortiter occupant, & rebellantes milites vi ceperunt. Inde ad vrbe Burgensem redeunt, a pontifice, clero, & populo honorifice & processionaliter sunt recepti, gaudentibus omnibus quod liberati ab hostibus in dominæ naturalis dominio remanserunt. 20
30

De largitate Regine Verengaria, & de captione Comitum Aluari. Caput VII.

VERVM quia perturbatione huiusmodi obſtente regales redditus ad stipendia defecerunt, & Regina nobilis quidquid habuerat in largitionibus, dispensarat, ad argenti, & auri, & gemmarum donaria misit manum, & quæq; ex talibus referuarat, in auxilium filii liberaliter erogauit, & de consilio magnatum qui secum aderant, ad partes Belli foraminis, Anagari, & Naiaræ processerunt, & receptis villis quas sibi incolæ gratissime reddiderunt, Burgis iterum sunt reuersi. munitio- 40
nes enim quas Comes Gonſalus Nunii detinebat, non potuerunt propter sui fortitudinem expugnare. Et dum Rex & Regina nobilis essent Burgis, Comes Aluarus cum fratribus & complicitibus per aggerem Alliorum & Quintanam fortunii transferunt, & in Belli foramine hostiliter irruentes, nec ætati, nec sexui pepercunt, sed cuncta cæde & incendio consumpserunt. Quod cessit nouo Regi & Regine nobili in amaritudinem & dolorem. Et hæc vastatione peracta Comites ad propria redierunt, & Rex nouus cum matre Regina nobili & suis magnatibus a Burgis Pallentiam cepit ire. Et dum ad villam quæ Pallentiola dicitur, peruenissent, Comes Fernandus in Ripella vallis Guariæ aciebus dispositis subsistebat. 50
Comes Aluarus cum suis militibus Ferrariolam se recepit, & quarta feria quatuor temporum mensis Septembris, cum Rex Fernandus & Regina nobilis ituri Pallentiam iuxta Ferrariolam pertransirent, collateralem aciem cum Alphonso Tellii & Suerio Tellii separauit, ne agmen exercitus transeuntis a militibus Comitum læderetur. Et cum Comes Aluarus extra villam cum aliquibus militibus

militibus recedisset, in villam cæteris intromissis, vt posset exercitum contemplari, remansit cum paucis in villam colligi dedignatus. Sed cum Alphonsus Tellii, & Suerius Tellii, & Aluarus Roderici, & quidam alii eum eminens agnouissent, contra eum equorum impetu processerunt, & videns multitudinem præminere, iam exanimis, quamuis superbus recolligere sese cepit. Sed cum prædicti milites aduenissent, Comes Aluarus de equo descendit, & iacens in terra clypeo se obtexit. Sed illi manibus eum trahentes captum cum duobus militibus concaptiuus Regi & nobili Regine præsentarunt. Et qui multos offenderat, qui nulli pepercit, qui naturali dominæ eius dominium abnegarat, diuino iudicio nunc prostratus suorum militum & fratrum intuentium auxilio destitutus, capitur inglorius & confusus. Tunc Regina nobilis gaudio & lachrymis Deum laudans diu gratiarum institit actioni, quod inimicum suum, & regni, & filii sibi tradidit tam facili captione. 10

Quod Comes Aluarus & Comes Fernandus restituerunt quadam castrum nouo Regi. Caput VIII.

VIDENTES igitur cuncti qui aderant, quod Deus omnipotens Regine nobilis opera dirigebat, cum gaudio & actionibus gratiarum Pallentiam intrauerunt, & inde ad Vallem oleti iuerunt, vbi fuit Comes Aluarus in captione & vinculis custoditus. Cumque ibidem de compositione aliquandiu tractaretur, ea conditione fuit pactio acceptata, vt Comes Aluarus restitueret castra omnia quæ tenebat, scilicet Cannerum, & Alarconem, Amaiam, & Tarecum Cæsareum, & Villam francam, Turrim Belli foraminis, Anagarum, Naiaram, & Pandicuruum, & his deditis solueretur. Castrum Xoriz & Orzeionem detinebat Comes Fernandus frater eius, & ad eorum captione tenebatur Comes Aluarus cum centum militibus Regem sequi, donec ea suæ potentiæ subiugaret. Comes autem Aluarus Gundifaluo Roderici fuit commissus, donec compleret superius prænotata. Rex autem duxit exercitum versus Castrum, & licet Comes Fernandus fultus copia viſtualium & multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione restituit Castrum & Orzeionem, vt eius vassallus fieret, & ab eo vt vassallus proprius Castra teneret. His peractis Domino disponente, quieuit perturbatio noui Regis, & sex mensium spacio fuit seditio sic sedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Fernandus susceptus ab omnibus cepit ibi iurisdictionem regiam exercere. 20
30

De Comitum morte, Aluari & Fernandi. Caput IX.

POST hæc autem Comites videntes in regno potentiæ suæ gloriam minoratam, immo potius annullatam, in Valle iuniperi territori Pallentini ceperunt iterum rebellare, & prædas in campis Gothicis exercere. Sed Rex Fernandus cum Regina nobili matre sua & aliqua parte magnatum venit ad Aggerem fumorum, & Medinam de riuo sicco, & sic Comitum insolentiæ pro parte maxima cessauerunt. Sed videntes Comites in Valle iuniperi non posse resistere, Regis Legionensis dominio se dederunt, & vt moueret guerram filio, suaserunt. Cumque vtrinque exercitus conuenissent, & quidam nobiles ex Castella versus partes Salmantiæ intrauissent, videntes Regem Legionis sibi cum suo exercitu occurrentem, in Aldea Medinæ del campo, quæ Castellio dicitur, intrauerunt. Cumque Rex Legionensis eos inibi obſedisset, & Comes Aluarus cepisset caligis ferreis calcari, percussus a Domino cepit grauissime infirmari, & firmata tregua inter patrem & filium ab inuicem discesserunt. Comes autem Aluarus morbi & treguæ dolore vexatus, Taurum semianimis est delatus, vbi mortis anxietate coactus militiæ sancti Iacobi sese dedit, & ibidem vitam finiuit, & Vclesii est sepultus. Et post modicum temporis Comes Fernandus frater eius, cui non vt voluit, in regno Castellæ desideria prouenerunt, in Africam transfretauit, & ab Amiramomenino susceptis muneribus varia iactitauit, & dum ibi longa mora, 50
A iij

vt moris est Arabum, traheretur, eum contigit infirmari, & fecit ad vicum prope Marrochos qui Elbora dicitur, se transferri. Vicus enim a Christianis duntaxat incolis colebatur. Et dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere, a Gundifaluo fratre Hospitalis, qui Innocentii Papæ tertii familiaris extiterat, suscepit habitum Hospitalis, & vniuersæ carnis viam ingressus, cum aliis qui ibidem obierant, ad domum Hospitalis, qui Pons Fiterii dicitur, in dicecesi Pallentinensi, in sarcophago est delatus, & ibidem ab vxore sua Comitissa Maiore, & filiis suis Fernando, & Aluaro, & multis aliis est sepultus.

De laude Regis Fernandi & eius vxore Beatrice. Caput X.

10

ADVERSARIIS itaque sic a Domino iudicatis, Rex Fernandus regnum obtinuit pacifice & quiete, Regina nobili omnia disponente, quæ adeo filium educavit, vt regnum & patriam iuxta morē aui sui nobilis Aldephonsi in pace & modestia gubernaret, vsque ad regni sui vicefimum quintum annum. Sed quia indecens erat, vt tam magnus princeps extraordinariis petulantis traheretur, mater sua quæ semper voluit eum ab illicitis custodire, procurauit ei vxorē nomine Beatricem, quæ fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filiæ Corfac Constantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, sapiens, & pudica, missique pro ea nuncii, Mauricius Burgenfis Episcopus, vir laudabilis & discretus, Petrus Abbas Sancti Petri de Aflantia, Rodericus Abbas de Riuro sicco, Petrus Odoarii Prior Hospitalis, ad Fredericum Romanorum Regem, sub cuius custodia erat tunc temporis Domicella, in Teutonia acceperunt: ab ipso Rege honorabiliter sunt recepti. Cumque legationis causam, vt iniunctum fuerat, explicassent, prædictus Rex & sui principes responsionem aliquandiu suspenderunt, & fere per menses quatuor prædicti nuncii expectarunt. Tandem Rex Federicus in Imperatorem electus consobrinam suam Beatricem, Domicellam nobilem, pulchram, compositam, & prudentem, Regi Fernando per dictos nuncios cum apparatu nobili destinauit. Et cum Parisios aduenissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Galliis præsidebat, eam honeste recepit per terram suam honorifice dans ducem. Ad regnum Castellæ felici itinere peruenerunt. Et Regina nobilis Berengaria cum comitatu nobili religiosorum & secularium magnatum, & Dominarum vltra Burgum qui Victoria dicitur, occurrit nobili Domicellæ, & Burgis ex inde venientes inuenerunt Regem Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & ciuitatum primoribus expectantem. Qui Domicellam & nuncios honore quo decuit, recepit, & tertia die ante festum sancti Andree in regali monasterio prope Burgis celebrata missa a venerabili Mauricio Burgenfi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex suscepto gladio ab altari manu propria se accinxit cingulo militari, & mater sua Regina nobilis ensis cingulum deaccinxit. Tertia die, in festo scilicet sancti Andree, Beatricem dulcissimam Domicellam duxit solenniter & legitime in vxorem, missam venerabili Mauricio in cathedrali ecclesia celebrante, & benedictionem nubentibus largiente. Et fuit ibi curia nobilissima celebrata assistentibus totius regni magnatibus, dominabus, & fere omnibus regni militibus, & primoribus ciuitatum.

De rebellionem quorundam magnatum, & morte Comitissæ Gundifalvi. Caput XI.

POST modicum vero temporis propter iniurias quas Rodericus Didaci de Camberis in terra sibi credita exercebat, licet esset cruce signatus in subsidium terræ sanctæ, Rex Fernandus citauit eum, vt ad curiam veniens satisfaceret de obiectis. Cumque ille ad Vallem oleti curiam aduenisset, cum naturaliter iræ instantia duceretur, a falsis amicis suasis inuiso & insalutato Rege recessit. Rex autem pro huiusmodi indignatus abstulit ei terram. Et cum prædictus Rodericus Didaci nollet restituere munitiones, tandem restituit eo pacto, vt Rex daret ei quatuor-

quatuordecim millia aureorum, & cum pecuniam suscepisset, tunc demum reddidit castra Regi. Anno postea iterum reuoluto, Gonfalus Petri Molinæ confilio Comitis Gundifalvi cepit contra Regem minus prouidere rebellare, & partem Reginæ, Molinæ vicinam rapinis & vastationibus molestare. Cumque monitus nec desistere, nec satisfacere voluisset, Rex Fernandus super eum exercitum congregauit, sed superuenienti nobili Regina Berengaria matre sua, cum Rex non posset Castrum Zaphare expugnare, concordiam procurauerat, & certis conditionibus Rex soluto exercitu a Molina recessit. Et diebus aliquot interpositis Comes Gundifalvus Nunii, qui ad Arabes se transfulerat, cum a Rege Castellæ beneficia non posset assequi, vt optabat, iterum se restituit Agarenis, & dum in partibus Cordubæ moraretur, in villa quæ Beatia dicitur, infirmitate grauissima contigit ipsum mori, & delatus a suis sepultus est in Cephinis, vbi habent oratorium fratres templi.

De filiis Regis, & primis vastationibus contra Mauros. Caput XII.

SVSCEPIT autem Rex Fernandus ex vxore sua gratissima Beatrice filios hic notatos, Aldephonsum primogenitum, Federicum, Fernandum, Enricum, Philippum, qui oblatus a domina Berengaria Regina nobili aui sua Deo & Roderico Toletano pontifici, per manus eiusdem pontificis ad titulum ecclesiæ Toletanæ in sortem Domini est vocatus, & in continenti idem pontifex præbendam, & alia beneficia in prædicta ecclesia assignauit. Habuit alios filios, Sancium qui oblatus Roderico Toletano pontifici, a quo cum clericali tonsura Psalmistæ officium est adeptus, præbendam & beneficium in Toletana ecclesia est consecutus: Emanuelem, & duas filias, Alienor, quæ decessit paruula, & Berengariam, quæ in regali monasterio degit virgo Domino consecrata. Verum Regina nobilis Berengaria mater Regis volens eum a Christianorum iniuriis alienum, militiæ suæ primitias voluit Domino dedicare, & treguam cum Arabibus noluit ulterius protelari: sed exercitu congregato, assistentibus sibi Roderico Toletano pontifice, & aliis magnatibus regni sui, per Beatiam & Vbetam vastationes exercens aggressus est Caſeatam, & captis & interfectis multis millibus Sarracenorum, quia castrum variis impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem Caſeata occupata, per ripam Bætis magni fluminis ad partes peruenit Giennii, & destructis quibusdam munitionibus urgente instantia hyemali ad propria est reuersus. Post hæc autem iterum exercitum congregauit, & tradente eas sibi Auomahomat, qui erat Arabum princeps nobilis filius Auoabdellæ filii Abdelmumi, cepit Beatiam, Andugarum, atque Martos, & castrum istud nobilissimum dedit fratribus Calatrauæ, & destructis aliis castris & municipiis, ad sua feliciter est reuersus. Et tertio ingressus terram Arabum cepit Seuiot, Xodarum, & Gartiez, & bellatoribus obfirmavit, aliisque vastationibus peractis ad urbem reuersus est Toletanam. Eo tempore erat in Hispaniis legatus Romanæ ecclesiæ Ioannes de Abbatis villa, quæ est in Comitatu Pontini, Sabinensis Episcopus Cardinalis, vir bonus, sapiens, literatus, qui celebratis in singulis regnis conciliis, postquam monita salutis proposuit, ad sedem apostolicam est reuersus, tribus annis legationis expletis. Post hæc iterum Rex Fernandus terram Arabum est ingressus, & cepit Eznatoraph, turrem de Albep, Sanctum Stephanum, & Chicranam, & alia vice duxit exercitum per Giennium sancti Ioannis, quod propter sui fortitudinem non potuit expugnari, & inde procedens cepit Pegum, & captis incolis & occisis, munitionem funditus desolauit, & veniens ad oppidum quod Alhama dicitur, captis habitatoribus & occisis, locum destructione simili dissipauit. Post quod ad propria cum exercitu remeavit. In hac expeditione non interfuit Rodericus pontifex Toletanus, qui Guadalphaiare remanserat febris acumine fatigatus, vbi finis periculum vix euasit, sed misit cum exercitu Dominicum capellanum suum, virum venerabilem, Episcopum Placentinensem, qui in exercitu loco eius pontificalia exercebat.

De captione Capella, & fundatione ecclesie Toleti, & Abenhuth. Cap. XIII.

ET procedens iterum contra Mauros obsedit Capellam, castrum munitissimū, in diocesi Toletana, & diutinis impugnationibus tandem cepit, & expletis quatuordecim hebdomadibus expeditionis, ad urbem regiam est reuersus. Et tūc iecerunt primum lapidem Rex & Archiepiscopus Rodericus in fundamento ecclesie Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ a tempore Arabum adhuc stabat, cuius fabrica opere mirabili de die in diem, non sine grandi admiratione hominum, exaltatur. In diebus huius Regis Fernandi surrexit quidam nomine Abenhut in castro Rechoc in territorio Murtiensi, & cœpit contra Almohades rebellare, qui cismarinos Arabes adeo crudeli dominio opprimebant, quod de facili Abenhuti proposito consenserunt, & obtenta Murtia, & finitimis oppidis & castellis, omnes Almohades quos habere potuit, capite detruncavit, & omnes Mezquitas præsentia Almohadum iudicans inquinatas, aspersione aquæ fecit a suis sacerdotibus expiari, & armorum suorum insignia fecit nigra, quæ in bellis & alibi præferebat, quasi luctu præsignans excidium gentis suæ, & in modico tempore obtinuit Vandaliam Hispanorum, præter Valentiam, & confinia, in quibus Zaen de genere regio rebellauit. Erat autem Auenhut de genere Abohaget olim Regis Cæsaraugustæ, & cum fere monarchus in cismarina Vandalia haberetur, audacia, largitate, iustitia, veritate, prout gentis eis infidelitas seu versutia tolerat, præminebat. Sed a quodam suorum qui Abenroman dicitur, inuitatus ad epulas & delicias familiarum, quas gentis illius colit voluptas, factione hospitis & vassalli occiditur in conclauis apud præsidium Almarie. Et tunc inualuit Arabs quidam dictus Mahoma Alienalagar, qui paulo ante bouis & aratri vestigia sequebatur. Hic Arionæ, & Gienni, Granatæ, Vastæ, & Accii, & locis aliis adhuc hodie principatur: & post interitum Abenhuti, Vandalia cismarina in plures Regulos est diuisa, & ab Almohadibus separata, quod Christianis vtile inuenitur.

De morte Aldephonsi Regis Legionensis, & successione Regis Fernandi. Caput XIII.

POST hæc iterum obsedit Giennium, & machinis validis impugnavit, sed videns quod ciuitas tanta fortitudine præminebat, quod non posset humano ingenio expugnari, habito magnatum suorum consilio inde recessit, & cum Abdalferriam peruenisset, rumor aduenit patrem suum in villa noua de Sarria ab hoc seculo migrasse, & in ecclesia beati Iacobi traditum sepulturæ, æra millesima ducentesima sexagesima octaua, & quod etiam regnum legauerat, quas ex Regina Tarasia susceperat, filiabus. Propter quod mater eius Regina nobilis domina Berengaria ad eum materna sollicitudine veniebat, vt ad recipiendum bonum paternum quantocius festinaret, quod ei de mandato patris pontifices, magnates, & ciuitatum concilia iurarent, ne forte in mora perturbatio aliqua oriretur. Erant autem cum eo Rodericus pōtifex Toletanus, Lupus Didaci, Aluarus Petri, Gonsaluuus Roderici, Gaspar Fernandi, Alphonsus Tellii, Guillelmus Gonsalui, Didacus Martini, & alii nobiles, & magnates, & plures milites ciuitatum, qui cum Rege inclyto venientes Regiam nobilem in pago qui Orgatium dicitur, inuenerunt, & inde communiter urbem regiam intraverunt, a qua mora proposita omnes continuo recesserunt, & ad oppidum quod Agger Sellarum dicitur, peruenerunt, indeq; ad castrum Sancti Cypriani de Mozoth cum matre & comitatu venientes, castrum ei vt domino reddiderunt. Sequenti die eum similiter in Villa Lalii receperunt, vbi ad Regem, tanquam ad dominum, ex Tauro nobilissimo oppido milites aduenerunt, qui Regem sui & oppidi naturalem dominū cognouerunt, & vt sequenti die Taurum adiret, instantissime supplicarunt, nobili Regina hæc omnia procurante. Altera vero die Taurum intrauimus, vbi omnibus annuentibus Rex Fernandus facti sibi hominio in Regem & dominum est receptus. Indeque per castra dominæ Reginæ aliquandiu incedentes recepimus ex aliis ciuitatibus milites, & nuncios

nuncios venientes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Sorores enim domini Regis, Sancia & Dulcis, de quibus diximus, rebellionem cum complicitibus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum interest regnū & sacerdotium contueri, in auditu auris Regem Fernandum in Regem illicō receperunt, scilicet Ioannes Ouetensis, Nunius Astoricensis, Rodericus Legionensis, Michael Lucensis, Martinus Salamantinus, Martinus Mindonensis, Michael Ciuitatensis, Sancius Cauriensis. Hi omnes cum suis ciuitatibus, patre mortuo, filio se dederunt, nec rebellio cogitata potuit inualere. Nam quam cito venimus Maioricam & Mansellam, Regi se protinus reddiderunt.

De ingressu Legionensi, & concordia Regis cum sororibus. Caput XV.

SEQVENTI vero die intrauimus Legionem, quæ in regno illo sedis regie præminet dignitate, ibique ab Episcopo & vniuersis ciuibus ad regni Legionis fastigium eleuatur, clero & populo cantantibus concorditer & iucunde, & extunc Rex Castellæ & Legionis pariter est vocatus. Ibique nuncii aduenerunt ex parte Reginæ Tarasie super compositione internuncia referentes, & licet verbum magnatibus displiceret, tamen Regina nobilis in tantum timuit regni & pauperum vastationem, quod procurauit, vt Rex subsisteret Legioni, & ipsa iret Valentiam de concordia cum Regina Tarasia tractatura. Cumque ambæ Regina Valentie conuenissent, sic solertia Regina nobilis Berengarie procurauit, vt Regis sorores Regi restituerent omnia quæ tenebant, & ipsæ essent prouisione contentæ, quam eis Rex & Regina nobilis assignarent: si quid iuris in regno habebant, simpliciter resignarent. Et pacto huiusmodi confirmato, Rex aduenit, & inde omnes iuimus Beneuentum, quo etiam infantes filie Reginæ Tarasie aduenerunt, vbi Rex Fernandus & Regina nobilis eis reditus triginta millium aureorum in locis competentibus assignarunt percipiendos toto tempore vitæ suæ: & sic obtinuit omnes munitiones & omnia castra quiete & pacifice Rex Fernandus. Et in hoc enituit quamplurimum Reginæ nobilis solers cura, qua non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam regnum Castellæ quod ad eam iure hæreditario pertinebat. Sic enim sciuit omnia ordinare, vt licet regnorum vno fere omnibus displiceret, ipsa studuit taliter prouidere, vt sine sanguinis effusione regnorū vno proueniret, & vtrumque regnum pace perpetua lataretur. Indeque Rex iuit Zemoram, Salamanticam, Letesiam, Ciuitatem Roderici, & Albam, & per cæteras regni partes, in quibus honore regio & hominio ab omnibus est susceptus. Tunc Rex Fernandus dedit Casteatam iure hæreditario Roderico Archiepiscopo Toletano, quæ tamen aliquantulum reparata a Sarraenis incolis tenebatur. Sed Rodericus Archiepiscopus euolutis a donatione mensibus tribus, exercitu congregato iuit contra Casteatam cum multitudine armatorum, & expulsis Mauris qui ruinas oppidi reparabant, illud retinuit, & ad honorem Regis qui illud dederat ecclesie Toletanæ, custodiuit hæctenus, & custodit cum aliis castris, scilicet Pilos, Toyam, Laca, Agosmo, Fonte Iuliani, Turribus Dela, cum Ficu, Alaulula, Arcola, duobus Germanis, Villa Montini, Nubila, & Castorla, Concha, & Chelis. Post hæc iterum Rex Fernandus obsedit Vbetam, oppidum populosum, bellatoribus & munitione magna tutatum, sed adeo fortiter impugnavit, vt cōclusi saluis corporibus oppidum resignarent. Et tunc Rex oppido acquisito ad urbem regiam est reuersus, æra millesima ducentesima septuagesima secunda. Obiit Regina Beatrix in oppido quod Taurum dicitur, & ducta ad regale monasterium prope Burgis iuxta Regem Enricum regaliter est sepulta.

De obsidione & captione Cordubæ. Caput XVI.

CÆTERVM elapso biennio a morte patris sui Regis Legionensis obsedit Cordubam regiam & patriciam ciuitatem, ad cuius obsidionem hoc modo venit. Sarraeni quidam offensi primoribus ciuitatis venerunt ad quosdam milites

Christianos, spondentes se daturos vnum ambitum el Axarquia ciuitatis. Hi autem milites qui Almogaueres dicuntur Arabice, verbum gaudii audientes, licet non crederent, periculo sese dederunt, & in noctis silentio ad murum Cordubæ peruenerunt, & cum vocem vigilum non audissent, quia soporis ignauia tenebantur, appositis scalis quas secum tulerant, ad muri altitudinem ascenderunt, & turres aliquas occuparunt, in quibus vigiles occiderunt, & ambitum qui Axarquia dicitur, inuaserunt, multis ex Arabibus interfectis qui in hoc ambitu habitabant, & ipsi metu postposito in turribus resederunt, licet ex alio ambitu Arabes sagittis, fundis, iaculis, & lapidibus fortiter impugnarent, & successum huiusmodi nunciarunt Christianis qui in frontaria morabantur. Quod cum audisset miles quidam de familia Regis qui Ordonius Aluari dicebatur, statim omnes quos habere potuit, Cordubam secum duxit, & statum obsidionis domino Regi continuo intimauit. Interim autem aduenit Aluarus Petri de regni magnatibus potens & nobilis, & obsidentibus se adiecit, & Rex Fernandus qui in regno Legionis eo tempore morabatur, recepto nuncio, conuocatis ciuibus & militibus, licet non expectatis, vix cum centum militibus cepit continuo proficisci, sed imbrum & fluuiorum inundationibus aliquantulum impeditus non potuit tam cito occurrere, ut volebat: aduenit tamen tempore opportuno, & coridie tam ex Castella, quam ex Legione veniebant milites, & magnates, & communita ciuitatum. Cæpit Corduba grauius coarctari, tandem affecta pugnæ & inedia, victa redditur, & inuita, & vitæ tantummodo conseruati inclusi Arabes exierunt, & in festo Apostolorum Petri & Pauli a foribus Machometi patricia ciuitas expurgatur. Sed Rex in turri maiori vbi solebat nomen perfidi inuocari, præcepit lignum crucis viuificæ exaltari, & cæperunt omnes cum gaudio & lachrymis, Deus adiuua, conclamare, & subsequenter regale vexillum iuxta crucem dominicam collocari, & cæpit in iustorum tabernaculis gaudii & lætitiæ vox audiri, clero cum pontificibus acclamante, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

De restauratione & dote ecclesie Cordubensis, & campanis relatis ad sanctum Iacobum. Caput XVII.

ET tunc venerabilis Ioannes Oxomensis Episcopus regalis aulae cancellarius cum Gundifaluo Conchensi, Dominico Beacensi, Adamo Placentinensi, Sanctio Cauriensi Episcopis, Mezquitam ingressus est Cordubensem, quæ cunctas Mezquitas Arabum ornatu & magnitudine superabat. Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud sedem Apostolicam morabatur, eliminata spurcicia Machometi, & aqua lustrationis perfusa, in ecclesiam commutauit, & in honore beatæ virginis erexit altare, & missam solenniter celebrauit, & sermonem exhortationis diem proponens secundum sapientiam sibi datam, & gratiam suis labiis instillatam diffudit in cordibus auditorum, adeo ut pœnitentia gaudio recreati, contriti cordis sacrificia & labiorum vitulos immolarent. Et Rex Fernandus nouæ ecclesiæ dotem obtulit competentem. Postea consecrato ibi Episcopo magistro Lupo, Rodericus primas & pontifex Toletanus aliquos redditus priuilegio confirmauit, & Lucenam insuper dedit ei. Et tanta est vrbis illius abundantia, amœnitas, & vbertas, quod audito præconio tantæ vrbis ex omnibus Hispaniæ partibus habitatores & futuri incolæ, relictis natalibus sedibus, quasi ad regales nuptias cucurrerunt, & sic incolis continuo est repleta, quod domus habitatoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobrium populi Christiani campanæ sancti Iacobi, quas (ut diximus) Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam, dependerent sanctæ officio lampadum, Rex Fernandus easdem campanas fecit ad ecclesiam beati Iacobi reportari, & ecclesiæ beati Iacobi restitutæ sunt. Cum cæteris cymbalis bene sonantibus in sanctis suis peregrinorum deuotio laudat Deum. Stabilita igitur incolis & bellatoribus ciuitate, Rex Fernandus Toletum ad Regiam nobilem est reuersus, quæ pari victoria iucundata, utpote quæ consilio & sub-

fidio, licet absens, omnia procurarat, gratias cum lachrymis egit Deo, quod antiqua dignitas, ignauia principum liturata, sui solertia & studio filii fuit Hispaniæ restituta. Hæc enim Regina nobilis Berengaria sic filium in bonis operibus enutrit, quod bona studia, quæ Regina nobilis nullius virtutis oblita, nullius charismatis expers, ut lac mellifluum gratis circumfusum cordi eius influere non cessauit, nec vnquam ab vberibus pleno virtutibus ablauctauit: & licet vir factus, in ætate roboris confirmatus, mater eius nunquam cessauit, nec cessat, quæ Deo & hominibus sunt accepta, studio vigili suadere, quia nec vnquam fœminea, sed semper magnificentia opera persuasit. Hæc enim Regina nobilis tanto studio conseruauit, & ad eo dilatauit recepta charismata gratiarum, ut omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, omnis professio, omnis natio, omnis lingua affectum sentiat cum effectu, & virtutum fasciculo non partito, omnibus misericordiæ opera compartitur, & paternorum operum prouida executrix, plus inuenitur regni & rerum prodiga, quæ virtutum, quam merito nostra tempora admiratur, cui nunquam similem, nec moderna, nec patrum nostrorum tempora habuerunt. Pro qua Dominum exoremus, ut eam dignetur diutius conseruare, & sibi profutura concedat, & bonis operibus abundare, donec felicem spiritum suo restituat redemptori.

De translatione secundæ uxoris Regine Ioannæ. Caput XVIII.

ET ne Regis pudicitia alienis commerciis læderetur, Regina nobilis mater sua domicellam nobilem generosam, proneptem Regis Francorum illustrissimi Ludouici, filiam Simonis illustris Comitis de Pontino & Mariæ illustris Comitissæ eiusdem, Ioannam nomine procurauit in coniugem sibi dari, æra millesima ducentesima septuagesima quinta. Burgis adueniens more regali curia & nuptiis celebratis ad Regiæ assumitur dignitatem. Hæc vero Regina pulchritudine, præstantia, & modestia sic floruit, ut in conspectu viri virtutibus gratiosa, coram Deo & hominibus sit accepta. Et suscepit ex ea filium qui dicitur Ferdinãdus, & filiam paruulam quæ a proauia Alienor est vocata, & alium paruulum Ludouicum. Verum Rex Fernandus cum filiis suis Aldephonso & Fernando, qui tunc in flore adulescentiæ lætabantur, Cordubæ est reuersus, & in aduentu suo multa castra Saracenorum, quæ Christianorum incurfibus & intestinis cædibus longo tempore tabescebant, volentes colere pacifice terras suas, supradictis interpositis se Regis dominio tradiderunt. Tunc datæ sunt ei ciuitates & castra, quorum præsidia Christianis (ut diximus) inuestiuit, & ab Arabibus tributa suscepit, & eorum nomina hic notatur: Ecija, Almodouar, Luc, Luxcena, Stepa, Sede, & Fila, & multa alia, quorum nomina longum esset enumerare.

Hoc opusculum, ut sciui & potui, consummaui, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, æra millesima ducentesima octogesima prima, anno vicesimo sexto regni Regis Fernandi, quinta feria, pridie Kalendarum Aprilis, anno pontificatus mei trigesimo tertio, sede Apostolica adhuc vacante anno vno, mensibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam vniuersæ carnis ingresso.

Roderici Archiepiscopi Toletani historiae
Hispanicæ finis.

B



RODERICI SAN-
TII EPISCOPI PALENTI-
NI HISTORIÆ HISPANICÆ
PARTES QVATVOR.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRIN-
CIPi DOMINO D. HENRICO IIII. CASTEL- 20
læ & Legionis Regi excellentissimo, eiusdem regis maiestatis hu-
milis capellanus, auditor, & consiliarius, Rodericus Santii de Are-
ualo, vtriusque iuris & artium professor, Episcopus Palentinus Hi-
spanus, Castris sancti Angeli almæ vrbis Romæ pro sanctissimo do-
mino, domino Paulo secundo Pontifice maximo Castellanus, se-
ipsum cum supplici recommendatione.



HALLVNTVR plurimum qui Hispaniarum laudes, patria 30
suum, gentis religionem & cultum, atque virtutes & stu-
dia, bellorum quoque victorias, aut nolunt, aut scire negli-
gunt. Idque ut arbitror ob scriptorū inopiam contigisse pu-
tandum est: quemadmodum de gestis Romanorum Salustius
in Cætilinaria conqueritur. Invidet enim Atheniensibus
quod res sue scribentium industria longe illustriores in toto
orbe, quam fuerint, referantur. Nec aliter de rebus Hispa-
nicis dici potest, nam & Persarum, Græcorum, & Romano-
rum gesta, licet amplissima fuerint, verum aliquanto for-
san inferiora quam fama ferantur. Sed quia magna scripto-
rum ingenia ea lustrarunt, per orbem terrarum pro maxi- 40
mis celebrata sunt. Hispanica tamen gens nunquam habuit talem copiam scriptorū, quia pauci
ingenium sine corpore exercebant, & quilibet optimus vir potius volebat facere quam dice-
re, cupiebatque amplius sua benefacta laudari, quam ipse aliorum benefacta narrare. Cete-
rum nonnulli Hispanas res legere dedignantur, eo (ut puto) errore ducti, quo nonnulli bona-
rum artium ac rerum inexperiti, quod in angulo mundi (ut aiunt) Hispania sita esse videatur,
contendunt, atque extra orbem posita (ut eorū verbis utar) ab orbis gloria aliena videatur.
Longe aliter sapientes cosmographi sensere, qui orbē descripturi, ab Hispania, tāquam a prin-
cipali orbis porta, inceperunt. Cum enim mundi machina marino circumfusa sit pelago, Hispa-
nia illa est quæ ad orbem ipsum aditum præbet, veluti ex cuius oris atque littoribus Atlantico 50
monti oppositis pelagus ipse oceanus profluit, & Africam, Asiam, Europamque nedum nobi-
liat, sed lustrat atque determinat. Vt igitur huiusmodi hominū error tanto apertius a men-
tibus senatorum exulet, quanto est a veritate remotior, mandavit mihi Serenitas T. quæ to-
tius orientis, simul & mediterraneæ, ac septentrionis regionū situm, descriptionem, & prin-
cipatus, præclarasque res sic mente tenet, ac si pedibus oculisque illa omnia peragrando cōspe-
xisset,

xisset, ut nostram Hispaniam, immo tuam, quæ occidentis plagam tenet, ad aliorum potius
quam tuam instructionem brevissime describerem, ac paucis quibusdam (ut ita dixerim) syl-
labis pauca quædam inter plurima quæ huiusmodi provinciam concernere & ornare vidē-
tur, subiicerem. Verum quia nonnulli sancti & egregii viri res Hispanicæ summam descri-
psere, provincia situm, gentis mores, præconia simul & præclara facinora non satis comple-
ctētes, inter quos beatus Isidorus brevis, sed gravi stylo, Gothica gentis originem qui in Hispa-
nia regnarunt (ex quibus tua maiestas tuique progenitores ortum trahitis) regumque ipsorū
gesta & successiones sua usque tempora contexuit. Rursus id ipsum egit Lucas Tudensis. Dein-
de Rodericus sanctæ sedis Toletanæ Archipresul eorundem regum successiones, pari-
ter & successus usque ad tempora Fernandi huius nominis III. (a quo per rectam li-
neam tua maiestas XI. gradu distat) brevis, sed suavi eloquio lustravit: quæ omnia eadem tua
excellētia solerter inspexit. Voluit tamen nunc singulari sui ingenii acumine, & præteritis
præclarasque res agnoscendi desiderio accensus, nedum earundem Hispaniarum situm & lau-
des, regumque successiones, simul & successus post eundem Fernandum III. agnoscere, sed lon-
ge ante, a primo videlicet Hispania rege post illius calamitosam miseramque cladem (quæna
Pelagium esse constat) usque ad moderna hæc tua tempora, præsertim quia ea omnia Latino ser-
mone descripta non plene reperiantur. Iniunxisti profecto princeps Serenissime rem optimo
principi debitam ac te dignam, dum voluisti ut ea omnium præclarissima orbis regio, quæ tibi
famulatur naturali subiectione, obsequatur & delectabili lectione, & delecteris illius præco-
nia ac res gestas legendo, quam diligis eius incrementa querendo. Faciam igitur satis non qui-
dem desiderio, sed præcepto tuæ maiestatis, & re ipsam altius repetendo, brevissimas quatuor
in hoc historia compendio particulas edisseram. In prima quidem Hispanica auræ salubri-
tatem, terræque feracitatem, auri argentique ac cæterorum metallorum & mineralium di-
vitiis ac fecunditatem, gentis quoque religionem, fidem, amicitiam, humanitatem, strenu-
itatem denique, ac cæteras hominum & glebæ Hispania laudes & præconia brevis interferā.
Situm rursus Hispaniarum, illarumque descriptionem respectu cæterorum orbis climatum,
& regionum antiquitatem: denique principatus Hispanici regnorumque erectionem, sed &
divisionem, & quando, & quomodo, & a quibus inceperunt, ac in quo tandem regno Hispa-
nia titulus resideat: rursus in ea parte Græcorum, Pænorum, ac Romanorum ad Hispanias
ingressum: initium denique & originem principatus Gothorum, Ostrogothorum, Vandalorū,
Alanorum, Hugnorum, Suevorum, illorumque ad Hispanias accessum, & incolatum,
& principatum succincte perstringam. In secunda vero parte eorundem Gothorum prin-
cipatum in Hispania regnantium principatum, illorumque regnandi ordinem, successiones, ac
gesta usque ad Rodericum ultimum eorundem Gothorum regem, sub quo calamitosa clades
Hispania secuta est, brevis calamo percurrā. In tertia tandem parte sequentium regum o-
mnium Hispania successiones, & succedendi ordinem, successus denique & clariora eorum
gesta, a reparacione Hispania inchoando, videlicet post infelicem cladem, usque ad Fernan-
dum III. prædictū, qui a Pelagio ipso primo post dictam cladem regnante XXXV. rex fuit,
summam repetam, nonnullaque addam, a prædictis scriptoribus inacta. In quarta parte
continuans Roderici Toletani historiam, incipiam a dicto Fernando, in quo ille scribendi finē
dedit. Deinde sequentium post illum in Hispania regnantium successiones, clarioraque gesta
usque ad hos nostros dies in quos fines sæculi pervenerunt, quibus T. excellentissima M. fe-
liciter regnat: demum quæ prædictorum regum temporibus digna relatu fuerunt, tā in Roma-
na & Apostolica sede, quam Imperio, clarioraque exterorum illustrium virorum & pul-
chra sapientum documenta brevis & fideliter referam, ut quod vnus Rodericus presul tam
utiliter inchoavit, alius eiusdem nominis & professionis expleat, impari tamen sapientia &
eloquio, licet pari affectu. Dabo ego enarrandis rebus testimonium verissimum, veluti qui
partim corpus dedit historia, & Hispaniarum oras, littoraque, & angulos a mari usque ad
mare, seriose ac personaliter peragravi atque conspexi. Nec dubito a quibusdam multa in re-
bus ipsis scripta fore, quæ forte a tramite veræ narrationis deviasse audio, pro eo quia nihil
oculata fide, sed per audita a remotis narrata scripturarunt. Tunc enim, ut putamus, res que-
libet certissimo comprobatur testimonio, cum eodem vitur relatores, quo teste.



RODERICI SAN-
TII EPISCOPI PALEN-
TINI HISTORIÆ HISPANICÆ
P A R S P R I M A .

*De laudibus & præconiis provincie & terræ Hispaniæ quoad aeris & patriæ
salubritatem. Caput I.*



ICTVRVS de regione Hispaniæ, eiusque situ, descri-
ptione, ac de Regibus in ea regnantibus, & de illorū
genealogia, & clarioribus gestis, decreui pauca ex
multis contexere. Scio quidem longiora, aut bre-
uiora dici posse, ego tamen potius breuitati studui
quam copix, ne legentes fastidio afficiam. Atque vt
lectores attentiores reddam, dignum existimaui in-
cipere a laudibus & insignibus præconiis eiusdem
Hispaniæ provincie, gentisque religione, fide, hu-
manitate, & amicitia. Primo itaque de terræ Hispani-
cæ salubritate, ac aeris puritate: secundo de glebæ
Hispanicæ feracitate, & rerum omnium fertilitate,
quæ naturales diuitias ad humanum victum necessarias gignunt, breuiter differe-
mus: tertio de auri & argenti, metallorum, ac aliarum rerum copia, quæ industria-
les efficiunt opes: quarto de gentis Hispanicæ religione, fide, humanitate, & laudi-
bus. Verum ne domesticæ laudes ab Hispano viro allatæ, Hispaniæ gloriam mi-
nuant, dabunt fidem historiæ, rebusque enarrandis viri sapientes a sæculo famosi,
præcipue Strabo, Pomponius Mela, denique Ptolemæus, Plinius, Solinus, Iusti-
nus, & plerique alii qui orbis & vrbs gesta fidei narratione scripserūt. Hispania
itaque ab Hispano Herculis nepote appellata est, quam lōge ante veteres ab Ibe-
ro fluuio Iberiam, alii Hesperiam ab Hespero sydere quod eam respicit, nomina-
runt, & (vt statim latius in eius descriptione differemus) Hispania sita est inter A-
fricam & Galliam, vt refert Strabo. Quj nimmo (vt Iustinus subdit) sicut minor v-
traque terra, ita vtraque longe vberior atque salubrior. Nam neque vt Africa vio-
lento sole torretur, nec vt Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter vtrāque,
hic temperato calore, ibi felicibus & tempestiuis imbribus gaudet. Rursus (vt re-
fert Iustinus) salubritas cæli per omnem Hispaniam æqualis est, nullaque paludū
grauis aeris nebula inficitur, vt plures orbis regiones. Tanta denique (vt Straboni
placuit) in ea terra aeris puritas est, vt in ea provincia non facile noxium animal re-
periat. Temperies item eius tam a priscais sæculis est laudata, vt quidam Elyfios
campos non procul ab ea posuerūt. Ibi enim mites Zephyri flant, ibi vita ducitur
facilima. nam ad eam marinæ auræ accedūt, vndique assidueque vētorum flatus,
quibus omnem provinciam penetrantibus præcipua omnibus sanitas redditur.
Nec Aristoteles rerum naturalium indagator solertissimus id ipsum negauit. ait e-
nim in

20

30

40

50

nim in Politicis salubritatem terræ ex duobus maxime causari, alterum ex cælesti
conformitate, alterum ex ventorum puritate. Conficitur primo patriæ salubritas
ex cælesti conditione, vt videlicet hyemali tempore absque nebulis debita clari-
tate lustretur: in æstate vero immoderato calore non opprimatur. Secūdo cogno-
scitur terræ salubritas e ventorum puritate. Ea siquidem terra saluberrima cōpro-
batur, quam boreales siue septentrionales purificant venti. Idque contingit, cum
talis orbis plaga ad eosdem aquilonares ventos aperta est, nec a propinquis mon-
tibus impeditur, vt Hispania. Habent enim proprium ipsi septentrionales venti,
vt a cunctis contagionibus terram quam visitant, puriorem atque salubriorem
reddant. Hinc Palladius Rutilius scribit, quia salubritatem cuiusuis regionis aeris-
que puritatem declarant ipsa loca ab infimis vallibus & nebularum noctibus ab-
soluta, ac spirituum aquilonarum flatibus non impedita: constat vtrique Hispani-
cæ terram densis tenebrarum nebulis non assidue infici, nec a quibusuis mōtibus
impediri, quin a septentrionalibus ventis libere visitetur. Cuius salubritatis signa
humana sentiunt corpora. Hominiibus enim eius regionis incolis capitis sanitas,
capillorum item firmitas inest, inoffensum denique lumen oculorum, purus audi-
tus, fauces cōmeatum liquidæ vocis exercent: contraria vero aeris malignitatem
annuntiant. Hispani itaque intra natales suos degentes acutiorem firmioremque
visum retinent, quam si alibi commorentur, vbi capitis vertiginem sentiūt, ac ca-
pillorum dentiumque tempestiuius firmitate & pulchritudine frustantur.

*De Hispaniæ laudibus quoad terræ fertilitatem & aliarum rerum vbertatem,
quæ naturales efficiunt diuitias. Caput II.*

HISPANIÆ fertilitas, ac frugum rerumque omnium ad vitam mortaliū expe-
dientium feracitas, non ignota priscais sapientibus fuit, adeo vt non ipsis tan-
tum incolis, verum etiam Gallix, Flandriæ, vtrique Britannix, ipsi quoque Afri-
cæ cunctarum rerū abundantiā præbet. In Hispania rursus (vt Iustinus voluit) nō
a quarum cursus veloces, non torrentes rapidi, vt noceant, veluti Lōgobardorum
laudata provincia patitur, sed lenes. Vineis rursus cāpisque irrigua est, vt vitæ hu-
mana congruit. Nec solum frumenti ingens copia est, verum & mellis, zuchari,
cunctorumque liquidorum. Adde, nascitur in Hispaniæ gleba alius non paruus
thesaurus, alibi rarus. lini enim, sparti vis ingens, minii nulla terra feracior est.
Tanta enim patriæ vbertas sese offert, vt foemina non modo res domesticas, sed
agrorum culturas administrant, dum viri bellis, nonnunquam rapinis & venatio-
nibus vacant. Adde, quia Strabone teste ex Hispaniæ gleba vini, frumenti, ceræ
magna extrahitur vis: item pix, grana, purpuræ & falis ingens copia. Inde lanarum
& telarum abundantia. cuniculorū quoque quos plerique lepulos vocant, tan-
ta est copia, vt sterilitatem terræ aliquando ingerant. quo fit vt plerunque habi-
tantes pecunias venatoribus, vt capiant, largiūtur. Taceo de radice ad tincturā ido-
nea, quæ inibi abundat. Arbores in Hispaniæ gleba Strabo fore testatur, ex quarū
exciso ramo lac effluebat dulcissimū. Rursus circa Carthaginem nouam fuisse ar-
borem perhibet, e cuius cortice tela pulcherrima conficiebatur. Fructuum quo-
que atque pomorum tam exuberans copia atque dulcedo inibi est, vt ad cæteras
orbis partes continuo deferantur. Nam apud Alexandriam fructibus pomisque
nostris cum eorum aromatibus permutatis, provincia nostra eorum vbertate di-
tatur. Quid de vinorum copia, varietate, & bonitate dici potest? Gallorum littora
maritima atque Flandrensiū vino carentia, id non ignorant: sed & Anglicorum
Scotorumque ampla sitis testimonium perhibet, ad quos assidue onerariæ naues
non pauca deferuntur. Olei insuper copia linit eius vbertate & dulcore orbem.
Piscium quoque tanta multitudo, & magnitudo, & bonitas est, vt incredibile vi-
deatur. Nam in capite Bæticæ prope Gaditanum fretum res non tam mirabilis
quam vtilis omni anno visa est. Certis enim temporibus anni innumera dalphi-
norum multitudo ad littora infallibiliter accedit, quasi piscatoribus se offerant.
Turres enim inibi sitæ sunt, ex quibus venire cateruatim cernuntur, & appositis

magnis retibus cum paruo labore & summo venandi gaudio tāta capitur piscium copia, quantam piscatores volunt, appositisque salibus conseruatur, & per totum fere orbem deferitur. Vnde Strabo, in mari, inquit, Hispano omnia genera piscium capiuntur, vt daphini, ostrea, conchyli, conchyli, muræna: a nostris maiores inueniuntur aliquando quatuor cubitorum. Animalium quoque & armentorum, sed & pecudum a quibus pecunia appellata, tanta copia est, vt plerunque ob vellera atque coria multa millia occidantur. Capras denique Hispania equosque producit syluestres abundanter, procreat & castores. Equorum vero ne dum copia, sed pernices greges Hispani obtinent, quorum tanta est velocitas, vt potius volare quam currere credantur, illorum præsertim quos olim expeditos equos, hodie Ginetos vocant, quos Strabo ait esse similes equis Spartarum, reliquos omnes mira celeritate superantes. Rursus equorum Hispaniæ tanta fertur esse fides, vt cum se percussos in bello sentiant, sutores suos incolumes inter hostes mira probitate extra prælium reponant. Serico vero adeo abundat, ut cæteræ sibi cedant prouinciæ. Denique in ea prouincia ingens est materialium copia ad medicamenta vitæque hominis pernecessariorum. Sed iam agemus finem, si id vnum attulerimus, quo huius fertillimæ vbertas prouinciæ feracissima designatur. Terte enim eodem Iustino in Lusitania iuxta flumen Tagum quod Tolitanos agros vsque in oceanum mira fertillitate rigat, compertum est equas vento flatuque concipere, quod a nonnullis fabulose exponitur, pro eo quod inibi tanta equorum equarumque copia generatur, vt quasi vento ipso concepti videantur: quod ipsorum scribentium salua dixerim gratia. Quinimmo natura ipsa, terræque salubritate, aeris puritate, atque supracælestium corporum peculiari quadam inibi influentia, accedente naturali denique equarum ipsarum concipiendi desiderio, id effici posse physici non negant. Idque Solinus in eo quem de mundi mirabilibus libro edidit, constanter affirmat. ait enim in ea quam ediximus Hispaniæ parte, aspirante Faunio, equas ipsas vento concipere, & cum masculos sicut, aut odorantur, aurarum spiritu maritantur.

De Hispania præconis quoad auri, argenti, & aliorum metallorū, cæterarumque rerum copiam, qua industriales opes comparant. Caput III.

SOLICITVS ordo sollicitat, vt reliquam partem amplectamur. Postquam igitur actum est de terræ Hispaniæ feracitate & rerum omnium fertillitate, ex quibus naturales diuitiæ nomen acceperunt, superest breui agere de auri & argenti cæterorumque metallorum copia, ex quibus industriales opes conficiuntur. Est itaque Hispaniæ terra mineris auri & argenti & aliorum metallorum ditissima, si solerter inquiruntur. Ferrariis quoque vltra cæteras orbis plagas abundat, adeo vt etiam aquas generet, quibus ferrum acrius temperatur. Inde chalybis copia exhauritur, & plures mundi prouincias ferro & chalybe ditat, nec vllum apud Hispanos telum probatur, quod non aut Birbili fluuio aut Chalybe tingatur. Vnde etiam Chalybes huius fluuii finitimi appellati, ferro cæteris præstare dicuntur. Plumbi denique & æris vberissima est. Sed vt de auro amplius dicamus, vsque adeo auro ditissima est, vt etiam aratro frequenter glebas aureas excitent rustici. quippe & hodie in arenis Tagi fluminis assiduo viros scæminasque non paucos conspicimus noctis tempore arenulas aureas splendentes colligere. Taceo de monte appellato sacro plurima dicere, quem Iustinus meminit, si ferro violetur, nefas grande reputandum: sed si quando fulgure terra proficissa est (quod etiam illis locis frequens res est) detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur. Adde (vt Straboni placuit) chryfocolla, id est auri lauacra, appellata reperiri. Ibi denique ex purgamento auri quædam sit terra tenax, quam electrum vocant. Apud populos Carthaginis nouæ tanta auri & argenti copia est, vt eodem Strabone teste in ea prouincia quatuor hominum cæturæ (vt verbis eius vtar) & planius loquendo quatuorcenti homines populi Romani nominem xxv. millia drachmarum

chmarum per dies singulos referēbāt, adeo vt ex nulla orbis plaga tam ingentem diuitiarum copiam exhaurirent. Cuius rei stant hodie signa patentia, cauernæ videlicet atque fodinæ minerales nimis profundæ, acruus item scoriarum & purgamentorum argenti quod illo tempore exhauriebatur, quæ in instar montis habent. Fatemur tamen, nostris temporibus hominum incuria nulla ibi metallorum vtilitas carpitur, non quod desit nobis minor veteribus auri cupiditas, sed illud inquirendi inferior sagacitas. Rursus non puto omittendum quod idem Strabo subiicit. ait enim montes Hispanicos ad Boream verfos multum vtilitatis prouinciæ afferre propter aurum, & argentum, & æs, quibus abundat. Talis est & Carpetania Celtiberorum pars & Bæturia. Generatur rursus stannum copiose admodum supra Lusitanos & in Cassiteris insulis, in quibus auri, & argenti, & metallorum copia reperitur. Ibi denique Salmoniacum, ibi vitriolum, ibi auripigmentum, ibi sulphuris ingens copia, ibi marchasitæ omnium genera alchimistis pernecessaria, ibi thutia & cætera atramenta abundanter reperiuntur. Taceo mercurii copiam designare, quod argentum viuum appellant, cuius tanta sit exhauritio, vt nulla in orbis parte tam abundanter colligatur, adeo vt magnum regi vectigal comparet. Nec minor boli armenici, aluminis, spodii copia est.

De Hispania laudibus quoad gentis religionem, fidem, amicitiam, humanitatem, strenuitatem, & cæteras virtutes. Caput IIII.

CONSEQUENS est vt post enarrata paucula quædam ex multis laudum præconia terræ Hispaniæ quoad aeris salubritatem, simul & frugum vberissimam fertillitatem naturalem, sed metallorum cæterarumque opum industrialium copiosam feracitatem: gentis quoque Hispaniæ religionem, fidem, amicitiam, ingenii denique acumen, & viuacitatem, cæterasque laudes breui repetamus. Primo igitur supponendum putamus illud Aristotelis verissimum documentum, quoniam humana anima operationes intellectuales ipsasque ingenii vires, quibus homines vtique recte laudantur, nequaquam exercet, nisi mediantibus congruis corporis organis, pro eo quia (vt aiunt) nihil in intellectu esse putatur, quin prius fuerit in sensu. Quæ vna sufficiens causa creditur, cur humanus intellectus quandoque fatigatus putetur. Idque quæquam improprie, nec secundum se dictum sit, creditur tamen verum secundum ipsos exteriores sensus, quibus mediatis intellectus agit, atque vtiliter operatur. Ex quo illud sequi necesse est, vt operationes intellectuales sint habiliores, prout corpora humana melius aut peius disposita reperiuntur. Operatur ergo habilis intellectus, ipsæque animæ vires potiores redduntur, cum corpus maiore aeris salubritate & incolumitate gaudet. Ingenii siquidem vis & intellectus acumen (vt est philosophi sententia) non parum ex bona hominis complexione & validitate prouenire putatur. Ex quo illud elicitur, quia (vt aiunt) animæ sequitur corpora, pro eo quia ex bona corporis valetudine sensus animæ sunt viuaciores: cui igitur natura dat corpus non incolume, nec optime dispositum, per consequens & dat animam non recte dispositam. Cum igitur Hispania (vt præmisimus) incolis suis optimam generet salubritatem, vt etiam eis ingenii excellentis acumen intellectusque viuacitatem tribuat, perquam necessariū videtur. Habent ergo Hispani ingenia præclara, si ea colere velint, & ad omnia sciendi genera habilia. Adde huius rei aliam non insulam, sed naturalē causam, quia ea est patriæ dispositio, ea temperies, quæ in hominibus remissos atque æquales spiritus non ad impetus sensuales agitates tribuat, sed prout bonæ corporis & mentis valetudini conuenit. quo fit vt propter remissiores animorum impetus sanguinifere æqualitatem habiles ingenio reperiantur. Demum vt virtutes corporeas non omittamus, habent Hispani corpora (vt veteribus placuit) ad inedia & labores aptissima, quarumuis corporis & animi fatigationum patientissima, duram obseruant & astrictam parsimoniam, vigiliis, solem, & hiemem, famem quoque, ac sitim pati, & quæuis pericula pro patria sustinere & pro honore adire paratissimi sunt. vinum quoque malunt in cellario quam in ventre, quippe

qui vendere potius quam gustare præligunt: foeminae vero & pueri Bacchum ut venenum fugiunt. Rursus Hispaniae gentes (vt Iustinus refert) bellū quam ocium præoprant, & (vt aiunt) si deest domi, extra hostem quærunt. Velocitas Hispanis atque lacertorum agilitas inest & fortitudo. saltandi quoque, trahēdi, luctandi, ac natandi arte & exercitio plurimum callent. Hinc Romanus Vegetius, Hispanos, inquit, non tantum numero, sed viribus corporum, lacertorum agilitate nostris præstitisse manifestum est. Sed & Liuius id non negauit cum ait: Clarissima viris & armis Hispania, quæ si vires suas cognouisset, facile in imperium euasisset. Denique Hispanis equi & arma sanguine cariora sunt. Macilenti maiore ex parte & sicci sunt: quod signum est vigilantiae, sobrietatis, & laborum patientiae: ciuiles & ad omnem dexteritatem ingenii & corporis aptissimi. Nec mirum itaque si tantum sanguinis Carthaginenses, si tantū Romani in subiuganda Hispania fudere. Quoties enim pugnatum est cum Hispanis impari fortuna? quoties caesi Romani exercitus & duces? quoties turpi inito foedere capti? quoties denique prope ad desperationem redacti fuere? licet illi nouis creatis ducibus fortius arma sumpserunt, adeo vt neminem Roma reperiret qui Hispaniam accedere niteretur. Nam (vt aiunt Liuius & Eutropius) anno ab vrbe condita dccc. omnes Romanos tam ingens Celtiberorum merus inuasit, vt ex omnibus non esset qui in Hispaniam vel miles, vel legatus ire auderet. Sed & anno sequenti, licet Metellus in Celtiberiam missus esset, infeliciter militauit. Cui successit Quintus Pompeius, & demū Quintus Scipio, qui contra Viriatum in Lusitania bellum contra Romanos gerentem pugnantem, inglorii redierunt. Fuit autem Viriatus primum pastor, mox latro, mox acerrimus dux, vt xiiii. annis Hispaniis dominaretur. tantos enim ad bellum populos concitauit, vt saepe Senatus res Hispanicas deserere cogitaret. Sed tandem (vt Liuius & Eutropius referunt) contra Viriatum Sextus Vercillus prætor mittitur, qui toto exercitu caeso, vix fuga elapsus euasit. Deinde Caium Plautium prætorem multis præliis fractum fugauit. Posthæc Claudium Vnimanum cum omni exercitu superauit. Sed interim Viriatus ipse a quibusdam Afris sibi familiarissimis interfectus est, putantibus Romanos interfectores præmio donare debere. Cum ergo a Scipione consule præmium peterent, probe respōsum est, nunquam placuisse Romanis imperatores a suis militibus interfici. De huius Viriati moderatione, cultu, & moribus, statim dicemus: cuius tempore Iudas Machabæus & frater eius Ionatas florebant in Iudæa. Quanta denique Hispanorum strenuitas fuerit, nouerunt Romani qui bello Numantino interfuere, qui publice facti sunt (vt refert Æmilius Probus) potius victos quam victores Romam rediisse, nihilque ex eo bello aliud quam securitatem adeptos, seque magis euasisse Numantinos quam vicisse dixerunt. nam cum ex ea tempestate superesset quidam Tiresus Celticus, interrogatus a Scipione qua de causa Numantia aut prius inuicta, aut post euerſa fuerit: Nostra, inquit, infelicitate, non tuis viribus. concordia enim victoriam, discordia excidium præbuit. Rursus Hispanis nullæ sunt balneorum aut vnguentorum deliciae, quæ virorum animos effœminat reddunt, nullus ibi festus dies, nullus epularum apparatus. aqua calida lauari post secundum bellum Punicum a Romanis didicere. Nec parum mirandum est (vt inquit Vegetius) in tanta sæculorum serie nullus Hispanis dux præter Viriatum fuit, qui (vt diximus) annis xiiii. Romanos vacua victoria fatigauit, quem ipsum non iudicio populi electum, sed vt cauendi declinandorumque periculorum scientia peritum secuti sunt: cuius ea virtus continentiaque fuit, vt cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus prospere gestis non vestis cultum, non armorum titulum, non denique priorem victum mutauit, sed in eo habitu quo bellare primum cœperat, perseuerauit, vt quisquis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur. Fides quoque atque legalitas erga dominos Hispanis non facile credibilis est. Huic genti obedire dominis natura est, non quidem violentia, sed amore: & cui semel dedere fidem, præstitere simul & vitam. Testis est, vt cætera taceamus, illa Saguntinorum non modo fortitudo, sed expectata ad socios fides, vt Liuius, deinde Valerius referunt. Post duorum Scipionum totidem-

ridemque Romanorum sanguinis exercituum miserabilem stragem, Saguntini victricibus Hannibalis armis intra moenia vrbs suæ compulsi, cum vim Punicam nequirent amplius arcere, collatis in forum quæ cariora cuique erant, & igne succensis, ne a fide & societate Romanorum discederent, communi rogo semeripſos superiecerunt. Hinc id ipsum Augustinus recitans ait: Hispaniæ ciuitas Saguntinorum, populi Romani amicissima & fidissima, dum eius populi fidem seruauit, euerſitur. Rursus tanta huius gentis ad dominos amicitia & fides est, vt (testibus Iustino atque Valerio) tormentis saepe pro fide, pro silentio rerum creditarum afflicti quippe & mortui, adeo vt potior illis fidei & taciturnitatis cura quā vitæ fuerit. Cuius rei celebratur etiam bello Punico serui Hispani fides & patientia, qui vltus dominum inter tormenta risu exultauit, serenaque lætitia crudelitatem læuientium vicit. Vxorū denique ad viros fides & summa dilectio apud Hispanos non solum legum animaduersione, sed assidua obseruantia celebratur. Stat illud præclarum non longe a nostra ætate, sed sempiternis sæculis consecrandum facinus. Vt enim vera perhibent annalia, cum Eduardus regis Angliæ primogenitus in domini sepulchrum transfretasset, fuissetque in via proditorie a Mauro quodam gladio venenato percussus, & medicorum remediis non tam alleuaretur quam alligaretur, tandem in Angliam sine salutis spe est reuersus. Eius itaque vxor, regis Hispaniæ filia, nouam atque inauditam, sed amore & pietate plenam adhibuit medelam. plagas enim mariti toxico infectas, quæ ipsius veneni vi claudi non poterant, lingua dietim lingebat, sugebatque humorem venenosum sibi que liquorem dulcissimum. Cuius vigore, dicam verius fidei vxorix virtute, sic omnem materiam veneni attraxit, vt integras vulnerum cicatricibus ille plene curatus, illa incolumis euaserit. Quid igitur huius mulieris fide rarius audiri? quid mirabilius esse potest? vt vxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena a dilecto marito expulerit, quæ ab electo medico trahi non valuerunt: & quod plurima exquisitaque non effecerunt medicamenta, vna vxoris pietas expleuit. Religionis insuper cultum obseruant Hispani summa cum veneratione, diuinis quoque ceremoniis delectantur apprime, assiduoque augetur in eis sacrorum cultus & sanctitudo, postquam enim sacre fidei prima rudimenta sumpserunt, quæ Iacobi Zebedæi Christi Apostoli tempore receperunt, nusquam a fide deuiarunt: Romanæ sedi quæ fidei magistra est, sunt obsequentiſſimi. Nec id Hieronymus negauit. nam ad eisdem occiduos loquens, Apud vos, inquit, incorrupta patrum seruetur auctoritas, & cespiterra fecundo dominici seminis puritatem centeno fructu multiplicat, ibi sol iustitiæ oritur. Rursus gens Hesperica nouitatum fidei inscia est atque impatiens. Hispaniæ gens denique amicitias quærir maxime, & ad omnes conuerſandi dulcorem obseruat, humanitas illis adest & mansuetudo perhumilis. Et (vt paucis agamus) Hispanos siue clementia aeris, aut benignitate soli, siue natura & instituto ingenio, non modo litteris, sed & ciuilitati constat esse aptissimos, solertiaque & moribus, alloquio sed & facilitate perornatos. Sed iam vt ad situm descriptionemque Hispaniæ accedamus, agam finem de laudibus eius, si sub quodam epilogo ea ipsa quæ attulimus, vt apud sapientes carpinimus, summatim succinpteque referamus. Hispania igitur, velut paradisi domini, quinque principalibus fluminibus irrigatur & fecundatur, scilicet Ibero, Dorio, Tago, Ana, & Bæti, montanis inter quemlibet interiectis: mediæque valles, quæ sui latitudinis vbertatem conferunt singularem. Nam humore fluminum & montium fecundantur, sed & pro magna parte riuis & fontibus irrigantur, puteorum etiam suffragia non desunt. Rursus Hispania fecunda frugibus, amœna fructibus, delicioſa piscibus, abundans venationibus, gulosa armentis atque gregibus, superba equis, commoda mulis, priuilegiata castris, curiosa vino, diues metallis, gloriosa feris, dulcis melle, copiosa oleo, læta croco, præcellens ingenio, audax in prælio, agilis exercitio, fidelis domino, facilis studio, pollens eloquio, fertilis in omnibus, nulla in ipsa fertilitate similis, paucæ magnitudine æquales, in li-

bertate præcipua, fidelitate preciosa, in strenuitate singularis.

*De Hispaniæ situ & descriptione respectu cæterorum
climatum & regionum orbis.
Cap. V.*

HISPANIÆ igitur situm describere permulti. Ptolemæus quidem per clima-
ta, prout a superioribus & cælestibus corporibus uisitur, pulchre discer-
nit. Plinius, Solinus, sed & antiqui cosmographi perabunde, sed inter eos arbi-
tratu meo Iustinus in calce Chronicæ eius situm atque differentias, simul & qua-
litas luculenter enarrat. Idem quoque fecit Orosius, ueluti qui prouinciam
eiusque situm non tam libris, quam oculis descripsit atque depinxit. Idem egit
Pomponius Mela. Strabo quoque Græcus latioribus uerbis eam distinxit pro-
uinciam. Verum quia prouinciarum & urbium antiqua nomina non satis a mo-
dernis agnoscuntur, ea de re diuersas huius prouinciæ descriptiones, ut eius si-
tus facilius percipiatur, succincte contexere decreui. In primis igitur ab eo in-
choandum putauit quod sapientibus quos ediximus, sed & cunctis cosmographis
est notissimum. Qui enim utiliter orbem describere satagunt, ab Hispaniâ, tan-
quam a principali porta ad orbis ingressum, incipere oportet. nam cum mundus
pelago cingitur marino, Hispaniâ illa est quæ (ut diximus) ad orbem ipsum una
aditum præbet. Equidem ex oris littoribusque Hispaniæ Atlantico monti op-
positis pelagus ipse profluit, Africam, Asiam, Europamque nedum nobilitat,
sed irrigat & illustrat. Est ergo Hispaniâ ipsa tota pene insularis, ueluti quæ ocea-
no atque mediterraneo mari circumfusa est, præter breuem atque angustum in-
gressum, qui quinque fere dietis constat, a mari uidelicet oceano, appellato mari
Baionensi, usque in mare mediterraneum, dictum pelagus Narbonense. Ingres-
sus itaque ad Hispaniâ difficilis est propter Pyrenæos montes, qui diuino quo-
dam ministerio angustas portas difficilemque aditum Hispaniæ naturaliter præ-
bent. quo fit ut Hispaniæ situm, cælum, & Pyrenæi montes finiant ordine qui
sequitur. Ab oriente igitur, oceano, sinu qui Hispaniam a Gallia disternit,
præsertim prouincia Aquitaniæ & Britannicæ: in nostris uero littoribus Viscaia est
& Lepuscua. Versus autem septentrionem oceano, & cingitur, ubi Asturia est &
Gallicia, in qua Compostella: deinde idem oceanus ab occidente cingit aliam
Galliciæ partem quæ Portugalia dicitur: postea uero in eisdem littoribus uersus
meridiem Lusitania est: deinde Bætica, ut in sequenti capite dicemus, in qui-
bus pars non parua Portugaliæ est: deinde Hispalis insignis urbs putatur, quæ sita
est super Bæti flumine. Rursus Gades incidit insula, ubi ciuitas Gaditensis, a
Gadibus seu Herculis columnis sic dicta, quæ nauigandi strenuitate & populi
Romani caritate eo felicitatis peruenit (teste Strabone) ut in extremo orbe sita
uniuersas celebritate nominis superet. In eis uero littoribus non longe angustum
oceani fretum accedit, ex quo oceanum ipsum ueluti torrens orbem rigans uersus
meridiem defluit, quod mare mediterraneum uocant: quod siquidem fre-
tum Hispaniam ab Africa paruo spacio XII. fere milliarium diuidit. In eisdem
item littoribus nostris Tarifa est ac Gibraltar, insigne oppidum, a quo fretum ip-
sum nomen sumpsit. appellatum est enim strictus de Gibraltar, habens in op-
positum Africam, illam uidelicet prouinciam, quæ & Mauritania, in qua famo-
sus est mons Atlanticus. Ibi & ciuitas dicta Cepta, & Tanger, sic hodie urbes
appellatæ: ubi Tingitania a Tanger urbe dicta: quæ quondam atque hodie
licet in Africano solo sitæ, tamen prouinciæ Hispaniæ connumerantur, ut in-
fra liquebit. In eisdem denique littoribus ad meridiem Hispaniâ mediterræ-
neo mari circumducitur. Ibi Bætica prouincia protenditur, in qua regnum est
Granatæ quod Sarraceni incolunt, habens in oppositum eam partem Africæ
in qua Busia est & Hipponensis urbs, cui beatus Augustinus præfuit: deinde Nu-
midia & cæteræ prouinciæ Africæ, quæ nunc aliis nominibus quam antiquitus
nuncupan-

nuncupantur, ut sunt regna Fez, Benamarini, & Barbariæ, & Tunitii. Rursus ha-
bet Hispaniâ in nostris littoribus Africæ oppositis nouam Carthaginem, deinde
Valentiam, Dertusam, Tarraconensem prouinciam ubi Barchinona, Perpinianū,
usque Narbonam in Gallia. Hic situs Hispaniæ ita generaliter descriptus est respec-
tu aliarum prouinciarum. Ut igitur cum eodem Iustino paucis utar, Hispaniâ ip-
sa inter Africam & Galliam sita est. Alii uero breuioribus uerbis utentes ad eundem
tamen sensum aiunt, Hispaniam totam oceano, deinde mediterraneo freto, Pyre-
næisque montibus claudi. Hi sunt illi montes qui, ut edixi, ingressum ad Hispaniam
præbent.

¹⁰ *De eiusdem Hispaniæ situ & descriptione respectu particularium prouinciarum in ea sitarū,
seu diuersorum regnorum in ea erectorum. Cap. VI.*

DESCRIPTA igitur Hispaniâ per differentiam ad externos, eam rursus inter sese
per antiquarum regionum prouincias & ciuitates, & demum per regna mo-
derna secernamus. Omnes igitur Hispaniæ (ut antiqui scriptores uolunt) sex habent
prouincias: Tarraconensem, Carthaginensem, Bætica, Lusitaniam, Galliciam,
sextam denique trās pontum, & in solo terræ Africæ, quæ Mauritania Tingitani-
ca cognominatur. Hæc non mea, sed Sexti Rufi uerba sunt in ea Chronica ubi ait,
quo ordine singulas prouincias respublica Romana assecuta est. Isidorus etiam in
etymologiis eadem facit descriptionem, & Mauritaniâ trans pōtum in solo A-
fricæ partem Hispaniæ asserit. Repetamus igitur unamquamque prouinciarū hu-
iusmodi per regna hodierna & nobis notas urbes. Tarraconensis itaque prouin-
cia a limitibus Galliciæ incipit, habet in se Cataloniâ totam, & partem regni Ara-
goniæ. Carthaginensis uero a noua Carthagine dicta, Valentiam & Murtiâ con-
tinet, & eandem Carthaginem cum adiacentibus, atque alteram partem Hispaniæ
quam hodie La mancha uocamus. Continet etiam Saguntum, Conchensem, &
Oxomensis, & plures alias urbes. Bætica uero secundum Pomponium Melam
in cosmographia sua, & Solinum de mirabilibus mundi, incipit post Carthaginem
uersus oceanum, & protenditur usque ad Gades, quam Solinus asserit caput Bæ-
ticæ: quo fit ut Bætica ipsa utrunque mare respiciat. In qua inclytæ sunt urbes, Afri-
gia, Hispalis, Corduba, Xeritium, & Vandalia. Nonnulli uero huic annumerant
Toletanam prouinciam. Lusitania post Gades incipit, & per Portugaliâ pro-
tenditur usque ad insigne promotorium Vlisbonense, quod Artabran alii appel-
lant, ut idem Solinus dicit. Post Vlisbonense Gallicia incipit, ut statim dicemus.
In Lusitania ergo latissimæ includuntur prouinciæ & plurimæ urbes, licet solum
oceano mari obiecta sit secundum Pomponium. Hæc continet quæ diximus Por-
tugaliæ partem, deinde Pacensem, Placentinensem, Cauriensem, Ciuitatensem,
& alias urbes & Diocensem, sed & latam regionem quam Extrematuram uoca-
mus. Gallicia uero non parua est prouincia referta urbibus, sed & montibus ple-
na. Huius (ut dixi) pars est Portugalia ad occidentem. Deinde famosam urbem
Compostellam habet, Tudenensem, Aurienensem, Mindonensem, Lucensem, totas
denique Asturias, Viscaiam, atque Lepuscua, & eas partes quas hodie Castellâ
antiquam uocamus: quæ omnes antiquitus sub Cantabria & Celtiberia notaban-
tur. Trans pontum uero in Africa quæ Mauritania appellatur, regna habet De-
belamerin, Marruecos, & de Fez. In eadem quoque prouincia Cepta sita est. Ho-
die tamē propter mare intermedium & disparem religionis & fidei cultum reges
ipsi Maurorum Tingitaniæ & Mauritaniæ prouinciam partem esse Hispaniæ,
licet de facto, non recognoscunt. Hæc igitur sunt antiquæ prouinciæ Hispaniæ,
quarum una tantum hodie nomen integrum retinet, uidelicet Gallicia: Tarracon-
ensis uero & Carthaginensis urbium, non prouinciarum nomina tenent, ea ut
puto ratione, quia Gallicia a longissimis temporibus sub uno principe, uidelicet rege
Castellæ mansit: cæterarum uero nomina propter principantium uarietates & noua
nomina regnorum antiquas nominationes perdidit. Descripta igitur Hispani-
a per antiquas prouincias, superest ut per moderna regna illam secernamus, &

qua parte vnumquodque regnum situm existat, breuiter differamus. Ex his itaq; sex prouinciis quæ totam Hispaniam conficiunt, quinque sunt orta regna. Quando igitur & quomodo prædicta regna erecta & stabilita sunt, in xv. capite latius tangemus: nunc vero regna ipsa quoad situm discernamus. Primum quidem atque principale Hispaniæ regnum illud est quod hodie Castellæ & Legionis vocatur, quod centrum Hispaniæ est, & a quo cæterorum regnorum reges vsque in hodiernum diem deriuati sunt. Hoc itaq; regnum cæteris omnibus non modo terræ situ, sed & populis maius. nam ex sex prouinciis quas Hispania continet (vt supra diximus) hoc Castellæ regnum & Legionis sic hodie appellatur, quatuor fere sub se prouincias continet, videlicet Carthaginensem, Lusitaniam, Bæticam, & Galliciam. Habet enim in longitudine xxx. dietas legales, incipiendo a Lorca prope Almeriam vsq; ad finem Galliciæ: in latitudine vero quæ mensuratur a Tarifa opposita Atlantico monti vsque ad oppidum Fontis rabidi in Lepuscua quod Hispaniam a Gallia determinat, xv. habet dietas similes. Quo fit vt a simili, impari tamen, proportionem dici possit de regnante in Castella, quod Propheta ait: Quia dominabitur a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terræ. Nam a Carthagine & a regno Murtiæ quod iungitur mari mediterraneo, vsque ad Viscaiã & Galliciam, quæ sunt ad oceanum, & ab Ibero flumine quod diuidit Hispaniã vltiorem a citeriore, vsque ad oppidum quod re & nomine dicitur Finis terræ, vbi est vltimus terminus occidentis, omnia sunt sub regno Castellæ & Legionis. 20 Ex prædictis patet quomodo hoc regnum respiciat omnes plagas orbis. Nam versus orientem Viscaiam habet & Lepuscua: versus septentrionem Asturias & partem Galleciæ: versus occidentem vltimam habet Galleciæ partem, vbi Compostella iacet (sibi enim vere occidens est qui nihil ultra orbis habet habitabile) versus meridiem vero Carthaginensem habet ciuitatem & Murtiam cum adiacentibus. Secuadum regnum est Aragonia, cui accedit Valentia atque Catalonia. Hoc versus meridiem protenditur, & mediterraneum mare respicit: versus occidentem vero & septentrionem regno Castellæ cingitur: versus orientalem plagam Nauarram & Narbonensem prouincias conterminat. Tertium est regnum Nauarræ, Castellæ & Aragoniæ contiguum. Paruum quidem est gleba, sed mira fertilitate refertum. Antiquis temporibus partim ex Cantabria, partim ex Celtiberia fumebat. mare oceanum parum attingit prope fontem rabidum. Versus orientem Gallos Vascones respicit: versus septentrionem & occidentem regno Castellæ cingitur: ad meridiem vero Aragonenses & Catalanos respicit. Quartum regnum Portugalia est, cuius non paucam partem Galleciæ antiqui connumerant. Opulentissimum certe regnum & omnibus bonis plenum, super littora oceanii constitutum, ex qua parte occidentalem plagam respicit. Ex meridiana vero & orientali parte atq; septentrionali Galleciam & Castellæ regnum respicit. Quo fit vt in Portugaliã accessus aut aditus nullibi pateat, nisi per eas partes Hispaniæ quas Castella obtinet. Quintum regnum Granata nuncupatur. Hoc solum infidelium est, & totum pene adhæret Bæticis littoribus: ad meridiem vero mediterraneo mari protenditur, oppositas habet oras Africanas. Ex reliquis vero partibus regno Castellæ cingitur, nec aliter quam per Castellam, si per terram eundem est, ad regnum illud accessus patet. Regnum quidem longum. trecenta enim milliaria in longitudine obtinet. Nam a finibus Vandalicæ per Bæticam protenditur vsque ad Carthaginem nouam. patria opulentissima est, quæ bis in anno fructificat. in montibus sita est, & pene tota motuosa. Arces habet atque vrbes inaccessibiles, quibus construendis Sarraceni mirum in modum vacant: quæ res huc vsque egit vt in nostram non venerint ditionem. Adde industriam eorum, quæ tanta est, vt totum fere regnum irriguum faciant. quo fit, vt aquis fluuiialibus vbertatem simul & securitatem nanciscantur. 50 torrentibus enim ac fluminibus manu factis, velut quibusdam strictis, sed profundis canalibus, aquas quo volunt conducunt, vt equites nisi per pontes crebros patriam illam ingredi non possint. De horum itaque regnorum initiis quando & a quibus inceperunt, latius dicemus in ix. & sequentibus capitibus.

Deini-

De initiis antiqui principatus & monarchiæ Hispaniæ, & quanto tempore per vnum regem, aut per plures Hispania fuit gubernata. Cap. VII.

EXPLEVIMVS breui Hispaniæ situm & prouinciarum antiquarum & modernorum regnorum inter se varietates, restat de antiquissimis initiis monarchiæ & principatus Hispaniæ, & quanto tempore per vnum regem aut monarchiam, vel per plures, & per quos gubernata fuerit, breui differere. Omnes igitur quas enumerauimus sex prouinciæ in Hispaniæ terra constitutæ, olim sub vno rege vnoq; monarcha multis temporibus gubernatæ fuere: qui rex Hispaniæ, aliquando imperator Hispaniarum appellabatur, vt historiæ aperte docent. Quod vtilius intueamur, a fundamentis rem ipsam repetendam censui. Primo namque supponendum est, quod in Hispania, etiam in ea prouincia quæ Castella dicitur, fuerunt reges longe ante primam destructionem Troiæ. Hercules enim ille magnus qui primæ destructioni Troiæ non paruam opem dedit, tempore regis Laomedontis ante tempora Priami venit in Hispaniam, quem constat prælium campestre cum Geryone gessisse tunc rege Hispaniæ, immo (vt verius loquar) Castellæ. Erat quidã Geryon ipse tunc rex trium regnorum, videlicet Lusitaniam quam nunc Extrematuram appellant, & Bæticam quam appellamus Andalusiam, & Galliciæ quæ hodie antiquum nomen retinet. Hæc igitur omnes prouinciæ hodiernis temporibus sub ditione sunt regis Castellæ. Hercules igitur deuicto Geryone instituit in ea regem Hispaniæ nepotem suum, a quo Hispania dicta est. Hæc autem antiquissima fore nemo ambigit. Ab vrbe. n. condita vsq; ad aduentum Saluatoris septingenti quindecim fluxerunt anni, & ab euerfione vltima Troiæ vsq; ad urbem conditam ccccliiii. Constat autem, ante illam euerfionem vltimam fuisse Herculem quasi per centum annos. Constat rursus ante Herculem fuisse reges in Hispania. Quo fit vt supputando a Geryone Hispaniæ rege sic vocato (quæ vt diximus in Castella regnasse cõperimus) vsq; ad præsentem ætatem, fluxerunt duo millia annorum. Nec est dubitandum ante Geryonem reges fuisse in Hispania, licet propter nimiam antiquitatem eorum nomina non retineamus. Ex quibus antiquitas regum & principatus Hispaniæ aperte conspicitur. 30 Taceo Teucrum e Græcia in Hispaniam pulsum, & Gargorio, & Habidem filium eius: qui per plurima tempora regnarunt in Hispania ante Herculem. Taceo demique Herculem ipsum qui quendam Cacum in Carpetania & Celtiberia commorantem, quippe & principantem, bello victum ab Hispanis fugasse fertur, qui Vulcani filius dicitur: & in prædicto Carpetaniæ monte adhuc hodie mons Caci vulgato nomine Moncayo dicitur, qui apud Celtiberos habetur celebris. Sic igitur Hispania longo tempore sub dominio Græcorum recta fuit fere vsque ad tempora Romanorum, præter illa tempora quibus Aldrubal & Hannibal Pænorum duces in aliqua Hispaniæ parte dominati sunt. Demum constat quosdam Romanos consules amicitiam, ne dixerim subiectionis, nomine quasdam Hispaniæ 40 prouincias obtinuisse: idque egisse legimus Iulium Cæsarem, qui plurimis accipitis cladibus prius totum pene orbem perdomuit, quam Hispania sibi plene cessisset. Sed & plures alios constat Hispanias tentasse subiicere, quorum aliqui prius vitam finire, quam victam Hispaniam occuparet. Post quos Vandali, Alani, Hungni, & Sueui Hispanias sunt aggressi. Quæ si quidem Barbaricæ gentes causam Hispanias ingrediendi habuerunt, pro eo quia Theodosius Imperator eos insequens a Galliis fugauit. Quare pulsi sunt Pyrenæos montes transire. Hispanias ergo intrafere, easque diuiserunt. Alani enim Lusitaniam & Carthaginensem sortiti sunt, Vandali Galleciam, Sueui maritimam, & occidua oceanii obtinuerunt, & partem Celtiberiæ, dum Romani Saguntum & Numantiam & nonnullas alias vrbes tenebant. 50 Hi Vandali Poloni esse creduntur a flumine Vandalo Poloniæ dicti. Quare ab illo tempore in hodierna vsque tempora ea Hispaniæ pars quam obtinebant, Vandalia dicitur, quam vulgato nomine Andalusiam vocamus. Obtinuerunt denique Mauritaniam Tingitanicam ultra mare in solo Africa, cuius supra mentio facta est. Horum Vandalorum rex Gensericus Romam occupauit, Eudoxam Valentini-ani relictam & duas filias duxit captiuas cum multis millibus Romanorum: a fan-

C

guine tamen abstinuit precibus Leonis Papæ sibi in ingressu vr̄bis occurrentis. Et sic Roma domina orbis quasi tertio terræmotu conuulsata & afflictata fuit, primo ab Alarico, secundo ab Ataulfo regibus Gotthorum, tertio a Genserico. Quo tēpore sanctus Paulinus Nolanus Episcopus se ipsum vendidit Vandalis pro redemptione captiuorum, vt beatus Gregorius ait in dialogo. Hic Gensericus Ariana hæresi infectus per Hispaniam & Africam ecclesiam persequitur, sacerdotesque & plurimos ecclesiastici ordinis viros exilio mittit, & non paucos martyres fecit, confessoribusque linguas abscidit, qui (vt Isidorus narrat) abscissis linguis perfecte loquebantur. Sed tandem rex ipse Vandalorum pœnas exoluit. cunctis enim effusus visceribus miserabiliter vitam finiuit. Et de his Vandalorum regibus Ariana infectis hæresi pulchre narrat Christianissimus Iustinianus Imperator in ea famosa lege quam edidit C. de officiis præfecti prætorio Africæ, inquit quod Vādali ex ecclesiis fecerunt stabula, & testatur se vidisse venerabiles viros qui abscissis radicibus linguis mirabiliter loquebantur. Hæc sub Innocentio primo accidere anno domini cccc. & sub hoc turbine Augustinus obiit.

De ingressu regum Gotthorum in Hispaniam, & quomodo Vandalos & alias gentes ab Hispania expulerunt, & de præclaris virtutibus & gestis gentis Gotthorum, & de laudibus eorum. Cap. VIII.

REGNANTIBUS igitur Vandalis in Bætica quæ & Vandalia dicitur, atque in prædicta parte Africæ, Sueui etiam regnabant in Gallicia, & in aliquibus Hispaniæ partibus. Procedete vero tempore hæc duo regna valida Gotthorum manu, & tota deleta sunt, & ad eandem gloriosam atque inuictam gentem Gotthorum vtrunque regnum deuenit. Liberet igitur in hac parte de origine gentis Gotthorum, & illorum strenuitate, nobilitate, & victoriis, atque virtutibus aliquid dicere: tamen Isidorus in Chronica sua & Rodericus Toletanus Archiepiscopus quædam succincte circa eam rem disseruerunt, & nos illico eorundem sapientum & antiquorum cosmographorum sententias sequentes aliqua compendiose adducemus. Sed vt breuibus agamus, plenus est mundus eorum victoriis. Nam (vt antiqui scribentes tradunt) Gotthi regem Ægypti Vexorem fugauerunt, Asiam subiugarunt, ex quibus Parthi (vt creditur) processerunt. Horum Gotthorum fœminæ a viris relictae armis & præliis partem Asiæ domuerunt. Telephus rex Gotthorum vicit Danaos, interemit Therandrum, insecutus fuit Vlysses. Cyrus famosus a Tomyri regina fuit occisus. Darius & filius eius Xerxes ab Anciro rege Gotthorum in prælio victi sunt. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Cum Pompeius pro accipiendo Romanæ reipublice principatu contra Iulium Cæsarē arma mouit, Gotthi fortius cæteris dimicauerunt. Thraciam irruerunt, Italiam sæpe vastarunt, Romam ceperunt, atque eius ædificia perpetuis vulneribus pro ampliore eorum memoria non diruerunt, sed perforarunt. Veronam ædificauerunt, nomen imponentes, quasi ve Romam, in odium Romanorum. Aduersus hos in Thracia Valens Augustus x. v. imperii anno congressus est, sed magna strage victus, & subito igne consumptus. Tandem Gotthi Italia capta vrbe Roma potiti sunt, licet strenuitate & potentia Bellisarii in Gallias & Hispanias transiere. In quo accessu Gallias sunt aggressi, Hispanias sunt adepti. nā postquam (vt præmissum est) tam vr̄bem, quam orbem domuerunt, Hispaniæ gentis humanitate & dulcedine freti, illorumque & strenuitatem & vires experti, derelictis cæteris orbis quas obtinuerunt regionibus, ad Hispanias se conferunt, putantes totius Europæ monarchia potiri facile posse, si gentis Hispaniæ aut subiectionem aut amicitiam nanciscerentur. Adde quia Gotthi ipsi Vandalos, Alanos, Sueuos, Hugnos, infestissimos habebat, tanquam vicinos eorum natalibus. Quare freti Hispanorum præsidii, feritatem Vandalorum, & Sueuorum, ac Hugnorum non ferentes, eosdem Vandalos, & si quæ manserunt Sueuorum & Hugnorum vestigia, ab Hispaniæ sinibus expulerunt. Quo autem tempore, quo ordine Gotthi regnarunt, & de eorum successione & successibus breui in fine huius primæ

primæ partis tangemus. Nec illud obmittendum putamus, quia duo Gotthorum genera legimus. Qui enim in Italia manserunt, Ostrogothi appellati sunt, quasi orientales Gotthi: qui vero Hispaniam sortiti sunt, Visigothi sunt dicti, quasi occidentales Gotthi, quorum primus rex fuit Athanaricus. Qui & eorum successores populorum Hispaniæ viribus freti, non solum crudelissimos Arianos Vandalos (vt diximus) ab Hispania expulerunt, sed & Rethiarium regem Sueuorum apud Astoricam deuicerunt, atque interfecerunt. Armicium etiam regem Vandalorum latitantem a sinibus Hispaniæ expulerunt. Hi igitur inclyti Gotthi monarchiam omnium Hispaniarum obtinuerunt cum prædicta Mauritanie parte post fretum Africæ, vt in fine huius partis tangemus. Tandem continuata est successio in regno & principatu Gotthorum vsque ad Rodericum, qui vltimus rex Gotthorum dicitur, vt statim in eadem parte referemus, & latius in historia Roderici Toletani enarratur. Huius igitur Roderici regis tempore propter peccata Christiani populi iustitia Dei feriente principatus, ipse atque monarchia regum Hispaniæ humiliata est, & potentia diuisa pariter & diminuta. Nam sub eodem Roderico omnes Hispaniæ prouinciæ præter Asturias & partem paruam Galliciæ per Sarracenos vltimarum occupatae sunt: quos proditor quidam & regis Roderici vassallus, Iulianus Comes Ceptæ intra Hispaniam introduxit. Roderico igitur mortuo & filiis eius interfectis, frater eius Pelagius in montibus Asturiarum latuit, & tandem Dei clementia miserante ipse & ab eo descendentes cum Christianorum Hispanorum manu paulatim deperditas terras recuperarunt. Et ab isto Pelagio continuati sunt Reges Hispaniæ per eandem rectam lineam descendentes vsque ad modernum Henricum quartum Regem Castellæ. Fatemur tamen quia post dictum Pelagium in diuersa regna diuisa est Hispaniæ monarchia, vt in secunda & tertia parte dicemus.

De origine gentis Gotthorum, & principatu illorum, & qua prouincia orti sunt, & de eorum progressu & gestis clarioribus. Caput IX.

VERVM quia succincte de Gotthis, Vandalis, & Hugnis dictum est, qui nedum Hispanias, sed plurimas prouincias diuersis temporibus affligerunt, dignum duxi harum gentium originem, nec non principatus, initium, & progressum breui inferere. Gotthorum igitur originem Isidorus late deduxit, veluti qui ex illorum stirpe originem duxit. Nam Leander, & Isidorus, & Fulgentius, filii fuerunt Seueriani ducis Carthaginensis, qui etiam genuit Theodosiam, quæ nuptui data est Leonogildo qui in Hispania regnauit. Seuerianus itaque ex vxore Theodora, ex Gotthorum sanguine descendenti, genuit præfatos gloriosos pontifices & doctores, Leandrum, Isidorum, & Fulgentium. Circa originem itaque Gotthorum Isidorus ipse & cæteri scribentes in eo conueniunt, videlicet Gotthos ex insula Scandiæ siue Scythiæ septentrionali ortū habuisse. Quinimmo (vt ait Martinus Polonius in chronica sua) tres gentes scilicet Gotthi Hypogothi, Vandalis, & Hugni vnam linguam habentes, nomine tantum diuersi, ex eadem insula & adiacentibus prodire. Quamlibet igitur gentem attingemus, & originem atque progressum breui sermone disseremus. Gotthi præfata Scandiæ insula non contenti inde exierunt, & vicinas non infestas eis gentes septentrionales subiicere cupientes, inceperunt finitimas prouincias inuadere longe ante Herculem, quem tempore Gedeonis fuisse legimus. Sed & eo tempore Gotthos reges habuisse Isidorus, Lucas Tudensis, atque Vincentius perhibent. Inter cæteros fuerunt eorum reges Berig, Gadarig, & Filimer, & alii complures. Post Herculem vero plurimos alios reges Gotthos habuisse compertum est, qui ingentia bella tam aduersus regiones aquilonares, quam orientales gesserunt: tantaque fuit eorum in belligerando ferocitas, vt ad fœminas transfret. Nam ex Gotthorum genere famosæ illæ fœminæ, dictæ Amazones, prodiisse narrantur, quarum Tomyris regina tantæ potentia & animositatis fuisse traditur, vt Cyrum Persarum regem immanissimum & potentissimum deuicit & capite truncauit, quod in vtre pleno sanguine suorum confanguineorum demisit inquiens, Satiate sanguine quem sitiisti. Has Magnus

Alexander debellare voluit, cui regina earum talia scripsisse fertur: De tua (inquit) prudentia non parum est mirandum, quod cum fœminis natura imbellibus confingere statuisti. nam si fauente nobis fortuna subcumbere te contingat, gloria quã tantopere quæris, frustraberis: quod si deuincas, nequaquam tibi ad honorem cedit, quia de mulieribus triumphasti. Super cuius prudenti responso Alexander admiratus ait, Decens fore non per gladii furorem mulieres vincere, sed potius per amorem. Sic itaque libertatem eis concessit, quas non violentia, sed amicitia suo imperio tandem subiugauit. Mortuo igitur Berig primo Gotthorum rege, successit filius Gadaricus, qui magnos & feroces populos in ea parte Scythiæ quæ nunc Dacia & Gothia dicitur, subiugauit. Postea filius eius Filimerus videns terram minus fertilem, suavitatis transmigrandum ab illis sedibus. quo euenit vt cæteras Scythiæ prouincias perquirerent: quas cum occupassent, earum vbertate delectatus Filimerus decreuit inibi residere. Cum itaque in vasto flumine pontem conspicisset, voluit regiones trans flumen peragrare, cumque aliqua pars exercitus per pontem transisset, aut diuino iudicio sic disponente, aut pontis vicio, euenit vt pons ipse corrueret, adeo vt nec transmissis licuit remeare, nec cæteris ad eos transire. Pars vero Gotthorum quæ cum Filimero citra flumen remanserat, extremam partem Scythiæ quæ adiacet Ponto mari, præclaris victoriis obtinuit: inde quæ quasi toti Scythiæ dominantes, Scythiæ vt indigenæ appellati sunt. Et quanquam diuersas orbis plagas petiissent, suos in Scythia præsidēs dimitebant. Hinc euenit vt Iosephus eosdem Gotthos Scythas appelleret. Isidorus vero Getas. Vnde mutata prima littera e in o, & vltima æ in i, qui Getæ appellabantur, Gotthi dicuntur, qui fortes per interpretationem nominis dicuntur. De quibus Poeta ait:

Contempnunt mortem laudato vulnere Getæ.

Vt igitur paucis agamus, Gotthi ex plaga aquilonari prodire. Et si accurate considerare libet, vtrique reperiemus ex illis regionibus eos originem duxisse, quæ hodie Regibus Daciæ subiiciuntur, videlicet Dacia, Suetia, Noruegia, Gothia siue Gotthorum. A quibus prouinciis & cæteris vltra situm aquilonarem in magna latitudine diffusis, quæ hodie a Barbaris & Tartaris incoluntur, Gotthi ortum trahere creduntur. Rursus Gotthi licet a principio ferocitati insudarent, & vix rationalis naturæ semitas agnoscerent, postquam tamē mores cæterarum gentium experti sunt, humanitatem induerunt, adeo vt ad doctrinas & scientias se confererēt, & philosophos ac sapientes ex eorum gente habuerunt, quorum consilio cuncta gerebant. Gotthi igitur in omni armorum genere experti erant, exercitabantur armis, ludorū certaminibus assiduo vacabant, solo nauali prælio caruerunt vsque ad tempora Sisebuti regis. Fuerunt naturaliter magnanimi, liberales, ingenio faciles, audaces, constantes, gestu decori, habitu venerandi, viribus præpollentes, statura proceri, duri vulneris, manu prompti, corpore validi, ad cuncta dispositi. De quibus apud Strabonem legimus, Atlas Scytharum principem ad Philippum scripsisse: Tu quidem Macedonibus hominibus imperas, qui bellandi peritiam didicere: ego autem Scythis qui aduersus famem & sitim & quæque aspera pugnare nouerunt. Gotthi igitur Asiam subiugarunt, quorum aliqui inibi remanserunt. Armeniam quoque, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Pisidiam, & plurimas prouincias domuerunt. Hi (vt ait Vincentius & Gilbertus) sub quinto rege suo Filimero ad citeriores partes Danubii, Thraciæ videlicet, Daciæ, Mœsiæ, longe lateque peruagantes in gentem magnam creuerunt. Tempore vero Decii Imperatoris transito Danubio, Romanum imperium molestabant, quos Decius impetens, tandem cū exercitu suo profligatus & cæsus est atque peremptus. Ex qua victoria elati, maximo fuerunt terrori nedum Romano imperio, sed orbi. Trans Danubium vero constituti tempore Valentis Imperatoris inter se ciuili bello diuisi cœperunt collidi. Alaricus vero dux vnus partis, cum præualuisset Frigiterno duci alterius partis, Frigiterus ipse a Valente imperatore petiit auxiliū, pollicens se baptizari. Valens autem misit auxiliū, sed parum profuit. Eodem tempore, anno xli. imperii Valentis, Hugni qui etiam in Scythia debacchabantur, inuadunt Gotthos discordantes inter se, quosdam autem captiuitate subiugant, quosdā patria pellunt. Quo euenit

euenit vt Gotthi subditi fierēt Hugnis. Magnificati igitur Hugni toti fere Scythiæ dominabantur, de quorū origine statim dicemus. Gotthi itaq; tergā dantes trāsito Danubio (vt Eutropius ait) a Valente imperatore sine vlla fœderis pactione suscepti sunt. Tandē propter intolerabilem auaritiā fame compulsi in arma surgentes Valentem profligāt. Qui reassumptis viribus cū eisdem Gotthis lacrymabili bello commisso, tandem exercitus eius miserabiliter occubuit, ipseque saucius sagitta versus est in fugam, sed superuenientibus Gotthis igne crematus est, idque diuino iudicio, & quidem iusto, actum creditur. Nam cum paulo ante Gotthi a Valente peterent Episcopos a quibus fidei rudimenta susciperent, ipse Imperator, vt erat Arianus, Arianos Episcopos eis misit, quorum doctrina vniuersa illa gens dogmate Ariano infecta est. Recte igitur Valens ipse ab illis crematus est, quos ipse perfidiæ succenderat igne. Gotthi itaq; versus Italiā iter agentes, omnia ferro & igne vastabant. Tandem Visigotthi appellari decreuerunt, id est occidentales Gotthi, & vsque ad vltiores Hispanias transiere. Gotthi vero qui trans Danubium remanserant, habentes super se regulos, Ostrogotthos, id est orientales Gotthos, sese nuncupari voluerunt, & postea a Zenone Imperatore Italiæ regnum dono acceperunt: quod & longo tempore tenuerunt. quo euenit vt Gotthi ipsi quasi duobus cornibus orientem & occidentem ventilantes, acriter orbem cruciarent: & in duo regna, Visigotthorum in Hispania & Ostrogotthorum in Italia se diuiserunt. Qui vero in Hispania regnarunt, Vandalos & Sueuos inde pepulerunt, sed (vt inquit Vincentius) tertia pars Hispaniæ quæ regnum Galliciæ continet, insuperabilis mansit, quam nec Visigotthi, nec Alani, nec Vandali, nec Sueui, sed nec Sarraceni subiicere valuerunt; quod adhuc viget incolume, & regnum insuperabile appellatur, quanquam postea accessit regibus Gotthorum, qui in Hispania vt indigenæ regnarunt, vt inferius differetur.

De origine Vandalorum & Hugnorum, & de illorum principatu, & progressu, & clarioribus gestis usque ad eorum exterminium. Cap. X.

CÆTERVM de origine Vandalorum & Hugnorum, & eorum regnis breui describendum est. Vandali igitur (vt quidam volunt) ex plaga septentrionali, præsertim ex ea regione quæ hodie Polonia vocatur, originem sumpserunt, dicti Vandali a Vandalo flumine (vt aiunt) sic hodie vocato. Isidorus tamen quem sequitur Vincentius & cæteri cosmographi, Vandalos de Scythia natos perhibet (vt supra diximus) quia Gotthi vici terras alienas inuadere tentāt, quos circa Danubium commorantes post multa tempora etiam Fridericus rex Gotthorum bello vicit, & inde expulit. Qui Romano se subdentes imperio a Constantino Magno terram habitationis petunt, & Pannonias acceperunt, vbi per annos lxx. pacifice manserunt, sed anno xlii. Arcadii Imperatoris rebellare contra rempublicam Romanam cœperunt, seque per Gallias diffundentes, quas aliquo tempore miserabiliter deuastarunt, sed a Gotthis expulsi sunt, non quidem compatiens Gallicam quieti, sed quærentibus omnes Gallias occupare. Vandali igitur a Gallia pulsi Hispanias petunt, & nunc illas, nunc rursus Gallias multo tempore affligunt. Sed nec sic a Gotthis tuti erant. Honorius igitur Imperator inito cōsilio, Hispanias & Gallias a Vandalis ereptas Gotthis dedit. Cum igitur Gotthi festinarent fugare Vandalos & alios hostes suos a finibus Galliarum & Hispaniarum, Vandali cōclusi vndique erant timore Gotthorum. Sed fauentibus sibi peccatis populi, inopinabilis & grata illis occurrit opportunitas. Nam inter Bonifacium & Etium dūces Romanos orta simultate per inuidiam, Bonifacius factus inferior cum dolorem suę iniuriæ nolle vlscisci nisi damno & periculo reipublicæ, ad Hispanias transiuit, & Vandalos ad occupandum Libyam & Africam inuitauit. quo cum peruenissent, regnum suū longo tempore inibi confirmarūt, diuina & humana perturbātes. Quo tempore beatus Augustinus apud Hipponā Africæ diē clausit vitę mortalis. Primo igitur anno Gratiani Imperatoris regnat super eos Modogisilus annis xxx. post quem Gudericus filius eius in aliqua parte Hispaniæ regnavit annis xvi.

qui cum occupata Hispali elatus manus in ecclesias extendisset, a dæmone interimitur secundum Vincentium: cui successit Gensericus frater eius, qui in hæresin Arianam (ut fertur) lapsus est: cui successit Honorius filius. Hic contra ecclesiam confurgens, tandem dei iudicio percutitur, & vermibus scatēs miserabiliter moritur. Post quem regnavit Guthamundus, & post illum frater eius Trasamundus. Hic Hildericum filium ex Eudoxa filia Valentiniani Imperatoris genuit, qui octo annis regnavit: post quem Guilimer regnavit annis quinque, qui tantæ fuit crudelitatis, ut nec parētibus parceret. Tandem Bellisarius patritius a Iustiniano Imperatore non nisi iussu Dei ad Africam liberandam de manu Vandalorum transmissus est, qui Guilimerem cepit, & duxit Constantinopolim ad Imperatorem: & ita 10 rabies Vandalorum funditus eversa est. Hugnorum vero originem & eorū regnū describit Isidorus, & Solinus, ac cæteri qui de orbis descriptione scripserūt, sed diuersimode. Nam Albertus Magnus eos fore Hugnos asserit, quos hodie Pānonem vel Vngaros appellamus. Pomponius Mela generalius loquēs, Hugnos originem ex Scythia sumpsisse contendit, quæ (ut diximus) vastissima regio est in partibus aequilonaribus post Danubium. Hugni itaque (ut diximus) in omni pene Scythia principatum tenuerunt, ex quibus radix peccati processit, Athila, flagellum orbis, quem ad corripendas gentes peccatrices Deus ut acutum gladiū destinavit. Igitur Guilimer rex Gotthorum, qui post egressum Scandiae insulæ quintus rex Gotthorum fuerat, cum terras Scythiæ cum valido exercitu ingrederetur, reperit in 20 eisdem regionibus quasdam magnas mulieres quas Gotthico sermone Alirimas dicunt, easque habēs plurimum suspectas de illa regione expulit. Quas cum quidam filuestres homines per desertum vagantes vidissent, earū amplexibus se miscentes hoc genus hominum, scilicet Hugnorum, ferocissimum ediderunt, quod tantæ ferocitatis fuit secundum Vincentium, ut nisi quia sermonis quasi quasdam habebant imagines, cum essent nigerrimi, oculis quasi punctis existētibus, nullus eos homines fore credidisset. Hi in filios suos primo die desæuiunt. Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lac suscipiant, sanguinem fundāt. Hi imberbes senescunt, ad equitandum promptissimi, cervicibus firmi, superbi & elati, cūctis erāt 30 horri & formidini. Horum potentiam auxit victoria habita de Gotthis manentibus circa ripas Mæotidis paludis. Quam victoriam Vincentius refert hoc modo assecutos fuisse: Venatores Hugnorum sequētes cervam, Mæotidas paludes trās-euntes explorata regione ad suos redierunt, & ad transeundum animauerunt. Cū igitur transtadissent gens ipsa Hugnorum easdem paludes, Scythicas gentes fere omnes subegerunt suo dominio, & ipsos Gotthos expulerunt sedibus suis. quo factum est, ut per LXXX. annos Hugni mundum conarentur euertere. Tandem Gallias & Hispanias plurimum vexātes, postremo a Romanis, deinde ab ipsis Gotthis Hispanis effectis dissipati & extincti sunt. Sed iā libet ut redeamus ad res Hispanicas, & breui deducamus ortum & initium regnorum & regum Hispaniæ post miseram eius cladem. Illud tamen præsupponēdum est, quia licet diuersi ante regnū 40 Gotthorum in diuersis Hispaniæ provinciis regnarūt (ut supra dictum est) quia tamen illorum principatus violentus fuit, & non voluntarius, erectio regnorum pro eo tempore non fuit legitima. cœpit enim ab euentu felice. nam potentior regnabat. Seeus autem post cladem Hispaniæ, quo tempore per legitimas successiones & iustos titulos erectio facta est, ut statim dicemus.

De origine regnorum & regum Hispania post miseram eius cladem, & a quo tempore, & quomodo diuersa regna in eadem Hispania erecta sunt, & de ortu & initio vniuscuiusque regni, & a quo incepit: & primo de origine regni & regum Legionis & Castellæ. Cap. XI.

POST QUAM igitur in superioribus deduximus initia antiqua principatus Hispaniæ, & per quos, quomodo, & quanto tempore gubernata fuit vsque ad miseram cladem & irruptionem, diuino iudicio eidem calamitose Hispaniæ inflictā tempore Roderici vltimi regis Gotthorum: superest ut breuissime ostēdamus ortum & progressum principantiū in eadem Hispania post prædictā persecutionē,

ac

ac etiam regnorum diuersorū erectionem. Vt igitur in octauo capite diximus post huiusmodi calamitose Hispaniæ cladē (de qua inferius latius agemus, in vltimo capite secūde partis sub Roderico rege) Pelagius qui (ut diximus) ex genere Gotthorum descendebat (secundum alios frater erat regis Roderici vltimi regis Gotthorum) primus fuit qui ex Asturiis exiens cœpit resistere Sarracenis, & paulatim principatum, licet tenuem, habuit super Christianos qui in Asturiis latuerāt: non tamen regium titulum Gotthorum sumpsit, ut cæteri ante regem Rodericum. Nā ille titulus regum Gotthorum penitus cessauit post eandem cladem. Licet enim Hispaniæ reges ab eisdem Gotthis descenderunt, titulum tamen Gotthicum non 10 sumpserunt, sed aliis titulis fuerūt insigniti. Nam alii reges Asturiarum, postea reges Galliciæ & Legionis, tandem reges Castellæ appellati sunt. Quo autem tempore punctualiter idem Pelagius regnare cœpit, non habemus, licet aliqui dixerunt, quos sequitur Lucas Tudensis, quod principari cœpit anno domini DCCXII. alii tamen incertum asserunt tempus principatus sui: nam paulatim principari cœpit, quo fit ut aperte nō legatur, quo anno regium sumpserit titulum. Sunt tamen qui asserūt, quod post biennium a clade prædicta regalem titulum accepit. Nihilominus pro clariore supputatione regum, & ne interruptionem admittamus in principatu Hispaniæ, congruenter dici potest, quod ex eo die regium sumpserit titulū, quo infeliciter Rodericus regnum perdidit. Computando igitur ea tempora putandum est illum regnare cœpisse anno prædicto DCCXII. regni vero Hispaniæ 20 CCCXX. qui annis XX. regnavit, ut inferius tangemus cum, de eodem Pelagio agemus. Hic itaque Pelagius sumpsit pro armis & insignibus suis leonem rubeum in campo albo: quæ constat fore arma regum Legionis, quia (ut diximus) ab eo tempore cessarūt in Hispania intitulationes & insignia regum Gotthorum. Quod putandum est ea ratione esse factum, quia prima ciuitas quam a Sarracenis recuperarunt, fuit Legionensis. Genuit igitur Pelagius duos filios, Faslam, qui post obitum eius regnavit, & Ormisindam reginam, vxorem regis Alphōsi primi, dicti Catholici, a quo effectualiter regnū Hispaniæ incepit. Hic Alphonus filius fuit Petri ducis Catabriæ, qui fuit de genere gloriosi Recharedi regis Gotthorum, qui vniuersa 30 sã Hispaniæ ante cladem prædictam principatū tenebat, & hæresin Arianam extirpauit ab Hispania. Hic Alphonus re & nomine Catholicus, & gloriosus princeps fuit, & a Mauris campos Gotthicos, plurimasque ciuitates, prouincias, castra, & oppida magnifice recuperauit vsque ad mōtes Pyrenæos, qui vere restaurator patriæ dici posset, ut dicemus infra in III. parte cum de eodem Alfonso agemus: quas siquidē prouincias & ciuitates (ut inquit Rodericus in Chronica sua) regno Legionis adiecit. Durauit igitur hæc intitulatio a regno Legionis vsque ad Sanciu dictū Maiorem, regem Nauarræ, qui ex successione vxoris suæ quæ erat filia Santii Comitis Castellæ, in titulo regio Castellæ successit, de quo statim erit sermo. Ante illum enim Castella quæ Bardulla vocabatur, Comitatus erat, sic dicta 40 stella, quasi sit castellis munita. Castellæ igitur regnum (ut prædiximus, & latius illico tangemus) initium habuit quoad intitulationem a prædicto Santio & Fernando filio eius, qui primus segregatim regni Castellæ titulum & regiam denominationem assumpsit, anno domini millesimo decimo sexto. tamen ante huiusmodi intitulationem principatus & iurisdicctio Castellæ pro aliquo tempore pertinuit ad regem Legionis. Itaque Castellani regem Legionis in superiorem cognoscebant vsque ad tempora Ordonii secundi, qui in Legionem regnabat. Hic Ordonius Cōites & magnates Castellæ ad se euocans proteruo spiritu instigatus, eos interficere iussit. Quo scelere Castellani indignati ab obedientia regū Legionis discesserunt: ne tamen rectorē carerent, & acephali reputarentur, ex nobilioribus eius prouinciæ duos sibi iudices elegerūt. Vnius nomen fuit Nunius Rasura: alterius Laynus Caluus, quorū filii & ab eis descendētes, Comites Castellæ appellati sunt vsque ad dictū Santium Maiorem & Fernandū filium suum, qui primo in Castella (ut diximus) regnavit. Itaque longo tempore distincta fuerunt regna Legionis & Castellæ. Vnio autem vtriusque regni facta est ordine sequenti. Prædictus Fernādus filius Santii, primus rex Castellæ, duxit vxorem Santiam, filiam Alfonso regis Legio-

C iiij

nis, & sororem Veremundi regis: & cum hic Veremundus absque liberis decessisset, Fernandus primus propter Santiam uxorem regnum Legionis obtinuit, & sic fuit primus qui rex Castellæ & Legionis intitulus est, & regna fuerunt vnita quousque iterum per Alfonso regem Castellæ & Legionis fuerunt diuisa, & iterum reunita, vt nunc sunt, vt lati⁹ in Chronica Roderici cōtinetur, & inferius tãgem⁹. Voluimus tamẽ breuiter hæc scripsisse, vt cuiusq; regni initiũ legentes non lateret.

De origine regni & regum Nauarræ, & partium ei adiacentium, & a quibus, & quomodo initium habuerunt, & de vnione eorum. Cap. XII.

REGNUM Nauarræ sic incepisse creditur. Cum enim circa annos domini **DCCCCLXI.** Castella & terra Legionis ac Nauarra variis Arabũ incurfionib⁹ vastarentur, aduenit ex Comitatu Bigorriæ, vir bellicosus & strenuus, ac armis assuetus, vocatus Enequus. Hic in montibus Pyrenæis Nauarræ contiguis morabatur. Deinde ad plaritiem Nauarræ descendens cum plurima bella vtiliter gessisset, tandem a populis Nauarrensis primus Rex Nauarræ assumptus est. Post quem regnauit filius eius Garfias, & post eum Santius dictus Abarca, filius eiusdem Garfias. Deinde regnauit Garfias filius eiusdem Santii, qui quidem Garfias dictus est Tremulentus, & hic fuit quartus rex Nauarræ. Post quẽ regnauit in Nauarra Santius filius eius dictus Maior, de quo paulo ante diximus. Hic fuit quintus rex Nauarræ, & duxit uxorem Eluiram filiam maiorem Comitiss Castellæ, & sic ex successione reginæ vxoris dictus Santius intitulus est rex Castellæ. Potest ergo hic Santius, aut efficacius Fernandus filius eius, dici primus rex Castellæ, præsertim post miseram cladem Hispaniæ. Hic Santius rex genuit ex dicta Eluira regina Castellæ Garfiam & Fernandum, & dimisit intuitu reginæ regnum Castellæ Fernando, regnum vero Nauarræ reliquit Garfias. Genuit denique idem Santius Ramirũ bastardũ cui reliquit regnum Aragoniæ, & hic fuit primus rex Aragonum. Regnũ vero Valentia adhuc occupabatur a Sarracenis. Quare longe post circa annum domini millesimum sexagesimum octauum Rodericus Cidus obtenta licẽtia ab Alfonso sexto rege Castellæ, cuius vassallus erat, sociatus consanguineis & plurimis Castellæ nobilibus decreuit contra Sarracenos qui Valentiam & partes illas occupabãt, bellum gerere. Cum igitur circa partes Aragoniæ & Valentia propinquasset, Petrus rex Aragonum, de quo statim dicemus, manu potenti ei resistere decreuit: tamen in bello a Roderico viuus & incolumis captus est, & illico suæ libertati donatus. Rodericus igitur Valentiam a Sarracenis occupatam petiit, illamque obsedit. Tandem deuicto rege Buchar & innumera multitudine Sarracenorum, eandem urbem Valentia gloriose accepit, quam tenuit quoad vixit: licet eo mortuo iterum a Sarracenis occupata est, & rursus a rege Aragonum Iacobo feliciter fidei lucro reddita, vt inferius tangemus in capite **xxvii.** tertiæ partis. Huius autem regni Nauarræ situm & vbertatem, vbi Cantabri degunt, gentisque strenuitatem supra deduximus in principio huius primæ partis vsque ad caput **vii.**

De origine regni & regum Aragonia, Valentia, & Catalonia, & a quibus, & quomodo initium habuerunt, & de vnione eorum. Caput XIII.

REGNUM Aragoniæ & eius intitulatio (vt antiqua annalia perhibent) incepit a prædicto Ranimiro filio Santii Maioris regis Castellæ & Nauarræ (vt supra diximus) & primus intitulus est rex Aragoniæ, de quo in præcedenti capitulo diximus. Nam ante eum nullus intitulabatur rex Aragoniæ, sed Santius tertius rex Nauarræ, dictus Abarca, primus fuit qui post cladem Hispaniæ magnam partem Aragoniæ a Mauris recuperauit, quam Garfias eius filius & Santius pater huius Ranimiri adauerunt. Ipse vero Ranimirus patre Santio mortuo aliquam partem Aragoniæ ab Arabibus occupatam post plurimas susceptas clades recuperauit. Incepit autem regnare in Aragonia circa annos domini **MXVI.** Hic Ranimirus filium genuit Santium, strenuum & animosum, qui obsedit Oscam,

Oscam, & ibi a Sarraceno sagitta letali percussus obiit, relictis Petro & Alfonso ac Ranimiro. Petrus vero regnum suscepit, & Oscam, aliaque ciuitates, & oppida regno Aragoniæ adiecit. Hic Petrus postea a Roderico de Biuar Castellano, Cido cognominato, qui Valẽtiam a Mauris recuperauit (vt diximus) in bello captus fuit & liberaliter relaxatus. Primis itaque duobus fratribus sine sobole vita functis, cũ regnum sine hærede fluctuaret, quia Ranimirus monachus & sacerdos fuerat ordinatus, ea de re magna inter Aragonenses dissensio secuta est. Tandem Ranimirus monachũ a monasterio reuocarunt, & apud Oscam regem sublimarunt, cui uxorem dederunt sororem Comitiss Pictauiensis. Hic Ranimirus filiam genuit Vrracam quæ data est nuptui Comitiss Barchinonæ: & exinde facta est vnio Catalonia ad regnum Aragoniæ. Ranimirus vero rediit ad monasterium, & regnauit pro eo in Aragonia & Catalonia dictus gener eius, vt latius dicemus in tertia parte sub eodem Ranimiro. Hoc autem Aragoniæ regnum Celtiberorum gẽs bellicosissima incolit, quæ sæpe Romanis & exteris non paruo terrori atque excidio fuit, cuius regni situm, feracitatem, gentisque nobilitatem, & laudes supra tetigimus in principio huius primæ partis.

De ortu & initio regni & regum Portugaliæ, & quando, & quomodo, & a quibus incepserunt, & quot in eodem regno hucusque regnarunt. Caput XIII.

PORTUGALIÆ denique regnum nouissime erectum est ordine qui sequitur. **20** Alfonso sextus rex Hispaniæ qui Toletum e Sarracenorum manibus recuperauit, filiam suam bastardam, nomine Therasiam, dedit uxorem nobili Henrico Comiti Lotaringiæ consanguineo Imperatoris, qui de partibus Galliarum venerat. Motus est ad id Alfonso rex, quia illum strenue pugnantem contra Mahometos conspexit. Hic Comes in rebus bellicis expertissimus fuit, atque vir magni consilii, & plurimum præsidii regi Alfonso attulit, deditque ei in dotem partem Galliciæ quæ nunc Portugalia dicitur. Comes igitur ipse patriam illam possedit cũ solita recognitione, regi Hispaniæ debita. Genuit igitur ex ea filium Alfonso Henrique nomine, quẽ rex Castellæ primo Ducẽ Portugaliæ creauit. Deinde aliquibus præliis habitis cũ Sarracenis & rebus prospere gestis, volẽte rege Castellæ, regiũ tituluũ assumpsit. Hoc igitur Alfonso Henrique vita functo Therasia eius **30** vxor nupsit cuidam Fernando Comiti. Quæ res plurimum displicuit Alfonso eius filio. Quare orta est inter eos implacabilis discordia, bellaque grauiã cõserta sunt, vsque adeo vt in quodam campestri prælio Alfonso victor euasit contra Fernandum vitricum, matremque suam Therasiam captiuauit, & in vinculis trussit, parũ imitatus Coriolanum Romanum, qui matris precibus nedum victor esse noluit, sed principatu cessit. Therasia itaque cõquefita est Romano Pontifici, qui per Episcopum Colimbriensem monuit Alfonso, vt matrem liberaret, alias illũ excommunicaret. Ille vero renuit. Quem Episcopus anathemati dedit, regnumque interdixit, & Romam aufugit. Demum prædictus Rom. Põtifex Cardinalem misit legatum, sed non profuit. Quinimmo cũ Alfonso iterũ excõmunicasset, ille in reprobuũ sensum datus, legatũ fugientẽ persequitur, & capit. Refert tamẽ Lucas Tudenfis quod Alfonso dolens legatũ cepisse, coram eo se spoliavit, eique cicatrices & vulnera ostendit pro fide catholica augenda a Sarracenis illata, indigneque ferebat vt alius a principatu eum pelleret. Placatus itaque legatus pollicitus est absolutionem a Rom. Pontifice obtinere. Mater igitur videns differri relaxationem suam, maledixit filio dicens: Quia crura mea vinculis alligasti, & mihi abstulisti honorem a patre relictum, Deum precor vt ab hostibus sis captiuus, vt ego sum, demum crura tua fracta cõspicias, sicut mea ferro vinxisti: quod paulo post expletum est. Nam cum bellum apud ciuitatem Pacensem cum Fernando rege Legionis Alfonso confereret, exiens per portam ciuitatis ad prælium iam cceptum, tibia vectis ferro inuoluta est pariter & rupta: ille vero in bello victus & captus est. Itaque eadẽ inobedientia ad mandata apostolica, simul & maledictio materna eum comprehenderunt. Scriptum est enim: Filius stultus despicit matrem suam. Et iterum sapiẽs ait: Maledictus a Deo qui exasperat matrem. Et rursus: Maledictio matris eradicat fundamẽta. Vt igitur ad inceptum propositum redeamus,

titulus regni Portugaliæ a prædicto Alfonso modo quo enarrauimus incepit, & tandem cōtinuati sunt reges vsque ad Dionysium regem Portugaliæ, qui per matrimonia præcedentia nepos erat Alfonsi x. regis Castellæ ex filia: & hic Dionysius fuit per eundem suum auum ab omni recognitione liberatus. quod non sine grauissimis scandalis actum est, vt infra in quarta parte sub eodẽ Alfonso decimo agemus. Itaque supputando ab eodem Alfonso primo qui regium titulum in eadem prouincia primus assumpsit, vsque ad hæc nostra tempora, duodecim reges successiue sortita est Portugalia, ordine sequenti. Primus fuit Alfonsus prædictus, gener Alfonsi regis sexti Castellæ. Post quem immediate regnauit Sãtius primus: deinde Alfonsus secundus. Rursus post illum Santius secundus, cognomẽto Capello, cuius corpus apud Toleum honorifice tumulatũ est. Huic successit Alfonsus tertius. Demum regnauit Dionysius: deinde Alfonsus quartus: postea Petrus: deinde Fernãdus: post quem Iohãnes regnauit ex ordine militari assumptus: deinde filius eius Eduardus. Post quem Alfonsus nunc feliciter regnat, duas habens sorores. Primam nuptui dedit Imperatori Friderico moderno, alteram Henrico regi Castellæ, vt latius sub eodem Henrico dicemus. Hoc Portugaliæ regnum (vt prædiximus) per oceani maris littora diffunditur. In eo Lusitani ferocissimi, cunctis sæculis laudati viri inhabitant, cuius regni situm, vbertatem, gẽtisque strenuitatem & laudes supra tetigimus in principio huius partis.

De ortu & initio regni & regum Granatæ, & quando, & quomodo inceperunt. Cap. XV.

GRANATÆ regnum in Bætica prouincia situm est. Ex omni fere parte a cæteris regni Castellæ prouinciis cingitur, solum versus meridiem Africã respicit. Ab occidente enim Vandaliã & Lusitaniam conterminat. Deinde per littora mediterranea vsq; ad Carthaginem nouã protẽditur. Nouissime igitur postquam alia Hispaniæ regna erecta sunt, Granata titulum regni assumpsit, magis certe Sarracenorũ sinistris quã prosperis euẽtib; fuerat enim Granata Mauris prosperãtib; nõ utiq; regni caput, sed pars regni Cordubæ, quæ vna lōgis tẽporibus patria fuit ciuitas Arabibus, & principalior eorũ sedes. Pro cuius clariore notitia liber antiqua summatim recolere. Vt enim certissima nos docẽt annalia ex Isidoro & Luca Tudẽsi referẽtib; diuina prouidentia cuius iudicia abyssus multa, exigẽtib; peccatis Christiani populi Hispaniam flagellare disposuit, ac sub ditione Arabũ & misera seruitute subiecit. Fuit eiusdẽ irruptionis pestilens instrumentũ atque principalis fautor, sceleratissimus proditor Iulianus, Comes Ceptę, ex quadam ad regẽ Rodericũ indignatione. Nã Miramomelinũ potentẽ Arabũ principem Africæ accersuit, eique liberũ ad Hispanias aditũ obtulit. Ille vero Muzam præsidem suũ & Tarif virũ bellicosũ cũ innumera Arabũ multitudine in Hispaniã transfretare iussit. Illi vero aditus liberos ad Hispaniam reperiẽtes cuncta deuasãt, occupãt, & diruunt. Veruntamen Rodericus Rex Hispaniæ qui a mari vsque ad mare omnes Hispaniarũ prouincias obtinebat, cognito ingressu Arabũ resistere decreuit. Cumq; vtrinq; acies prope Gienẽsem ciuitatẽ confligeret, & post plurima bella ex Arabibus Tarif dcc. & sex millia caesa essent, tandẽ sic disponẽte diuina sententia dominica die de anno domini dccxiiii. Christiani victi sunt, cunctis partim caesis, partim fugatis, rege Roderico interfecto. quo euenit vt intra breue tempus Mauri omnem fere Hispaniam occuparũt, & pro aliquo tẽpore qui principatũ Africæ obtinebant, etiam cismarinas partes Hispanicas gubernabant. Demum vero Mauri qui Hispaniis præerant principibus Africanis rebellantes, diuisi sunt nedum a principatu Africano, sed dominia inter se aliquando ex concordia, aliquando ex bellis & seditionibus partiti sunt. Nam quidam Mahomet dictus Abenalabeth a prædicto Africano imperio se diuidens, sedem regni apud Cordubã statuit, alius in Hispali & Vandalia. Itaque exinde Sarraceni ipsi particularibus dominis Hispanias affixerunt, quasi miseræ & calamitosæ Hispaniæ non sufficisset Mahometis spurcissimis seruire, sed & plures principantes illam deuorarent, vt expe-

vt experiretur quia iuxta prophetam propter peccata gẽtis multi principes eius. Igitur apud Cordubam regnum erectum est, sub quo Granata & Malica fuerunt. Alii regnarunt in Hispali: deinde amplius sæuiente ira Dei alii in Murta & noua Carthagine. Sic & apud Toleum, Valentiam, & CæsarAugustam, quæ quidem prouinciæ singulos reges longissimis temporibus obtinuerunt, vsque ad tempora quorundam principum Sarracenorũ qui dicebantur Almohades, qui tandem ab aliis potentioribus Mauris appellatis Almohades ab Hispania expulsi sunt. Illi vero sic pro diuiso regnarunt vsque ad tempora regis Fernandi tertii, qui regnare incepit anno Domini m. ccxvi. cuius tempore interfecto a suis Mauris quodam appellato Abenhut, qui Vandaliã & Bæticiã obtinebat, alter potens Sarracenus, dictus Mahometh Arenalagmat, animosus & strenuus, licet humiliter natus, ex aratro & bobus, in Granata & Gienensi ciuitate regnare cœpit. iam enim ira Dei placata Christianis ex misericordia vires concessit, quibus ex iustitia ante abstulerat. Nam reges Castellæ pro tempore animos reassumentes paulatim plures deperditas prouincias recuperarunt, adeo vt prædictus Fernandus, huius nominis iiii. de quo inferius agemus, diuino auxilio munitus, Sibiliam, Cordubam, & totam Vandaliã, & partem Bæticiæ lucro fidei attulit. quo effectum est vt cum Mauri Hispaliẽ, deinde Cordubam regiam eorum vrbeĩ perdidissent, necessitate compulsi sedem regiam ad Granatam transtulerunt, quia amplior & insignior illius anguli ciuitas est, quam vsque in hodierna tempora nostra obtinent in felicitate. Huius autem regni situm, vbertatem, & laudes explicatẽ latius, referremque dulcius, si a Christi fidelibus habitaretur: sed pudet, vt a Christiano viro ea regio laudibus extollatur, in qua non Christus, sed Christi hostis colatur.

Quomodo omnes reges regnorum Hispania ducunt originem ex trunco & stipite regum Castellæ & Legionis. Caput XVI.

EX hac igitur supputatione, rerumque gestarum fideli narratione iuxta historiarũ veritatem, manifeste demonstratur erectio, principium, & ortus regum Hispaniæ, eorumque origo & cōtinuatio. Constatque liquido omnes reges qui post cladem Hispaniæ erecti sunt, ex trunco atque stipite regum Hispaniæ, quos nunc reges Castellæ appellamus, descendisse & originem tulisse, nonnulli tamen remotius, aliqui propinquius, prout supra disertum est. Rex vero ipse Castellæ Henricus quartus modernus ab Athanarico ex Gotthis primo regnante per ordinatas successiones descendit. Quinimmo ab eadem domo, eademque familia, & eodem Gotthorum genere, sine aliqua extraneæ familiæ ac stirpis interpellatione, continuatus est, adeo vt computando quemlibet regem pro vno gradu, rex ipse Castellæ modernus distat ab Athanarico prædicto per lxxxii. gradus lineæ descendentis, aut a Theoderico qui effectualiter monarchiam Hispaniæ assecutus est, per lxx. successiones, & a Pelagio qui primus regnauit post cladem in Hispania per xliiii. gradus totidemque successiones. Quæ res ita singularissima est, vt in tota Europa similis forte non valet reperiri: & quanquam in ea multi antiquissimi & excellentissimi principatus existant, non tamen est regium aliquod solum tam diurnis temporibus sub eadem familia & domo regia & sine interpositione alterius familiæ continuatum. Et licet plerunque inter eosdem Hispaniæ reges certatum sit, & prælia non parua inita, caedesque secutæ, nunquam tamen ad extraneam familiam principatus deuenit. Quod tam excellens beneficium nõ alia vt putandum est ratione eis ab Altissimo donatum fore, nisi ob singularem & deuotum religionis catholicæ cultum, quem a tempore Iacobi apostoli vsque hodiernum diem perseueranter custodierunt, atque propter obseruantissimam reuerentiam & obedientiam ad sedem apostolicam, vt merito non fallat scriptura sacra quæ ait: Si obedieris voci sacerdotis Dei, faciet te Deus cunctis gentibus excellentiorem. Et alibi: Cũ rex iustitiam Deo seruauerit, firmabitur solium eius. Et iterũ iuxta Sapientẽ: Vir obediens loquetur victorias, & rursus econuerso: Non desit aduersitas contrarium agentibus, iuxta veritatem eiusdem diuini oraculi, quo

legimus propter iniustitias & contumelias nonnunquam transferri regnū de gente in gentem. Inter omnes autem iniustitias nulla capitalior est quam Christi vicario, veri Dei vices in terra gerenti, obedientiæ & reuerentiæ cultum subtrahere, aut in aliquo diminuere.

Quomodo in regno quod hodie appellatur Castellæ & Legionis, residet titulus & nominatio regum Hispaniæ. Cap. XVII.

SUPEREST igitur ut illud minime obmittendum, quinimmo & inquirendum sit, in quo videlicet regno aut prouincia principale Hispaniæ nomen insideat. **10** Erit etiam breuis sermo de quibusdam insignibus victoriis & bellis contra Sarracenos habitis. Prædicta igitur regna (quemadmodum præmissum est) per vnum regem atque monarcham longissimis temporibus gubernata fuere, & tandem diuisa adinuicem & separata (ut supra relatum est) & vnumquodque regnum nomē regium sibi assumpsit a nominibus prouinciæ, quibus tempore quo regna erecta sunt, nuncupabatur. Nomen vero Hispaniæ re ipsa & veritate, ac debito vniuersalis successionis titulo, sed & omnium nationum ore & nominatione in ea parte Hispaniæ mansit, quæ hodie subiicitur regi Castellæ, ea potissimum inter cæteras ratione, quia reges Castellæ a quibus ipsi descendunt, monarchiam Hispaniarum (ut dictum est) magnis temporibus in solidum nacti sunt. Accedit, quia constat maiorem Hispaniarum partem subditam fore regi Castellæ, ita ut iuxta iurium dispositionem, qui maiorem rei partem obtinet, totius rei dominus appellari recte possit. **20** Constat siquidem ex sex prædictis prouinciis Hispaniæ, quatuor fere integras regi Castellæ & Legionis subiectas fore, Carthaginensem videlicet, Lusitaniam, Beticam, & Galliciam. Id etiam vox omnium populorum probat, qui licet non ignoret prædicta quinque regna intra nationem Hispaniæ sita fore, cum tamen fecerunt Hispaniæ gentes, solum natos in prouinciis principatus subditi regi Castellæ vocant Hispanos: cæteros vero a regnis & prouinciis ex quibus nati sunt. Nā plurimi sunt populi qui nunquam Castellam, sed Hispaniam audierunt. Quod utique nequaquam ex ignorantia procedit, quasi nesciant potentiam & latitudinem dominiorum regum Castellæ, sed ex industria alios reges propriis nominibus appellant, veluti regem Aragonum, & Portugaliæ, & Nauarræ, atque Granatæ: solum autem regem Castellæ vocant Hispaniæ regem. Ita enim ab antiquo inhibitum est eordibus hominum, quod principatus Hispaniæ titulo vniuersalis successionis legitime continuatur in reges Castellæ: principatus vero & regna aliorum ex titulis singularibus, & ut plurimum ex regum Castellæ aut stirpe, aut dependentia processerunt, ut dictum est, non autem ex titulo vniuersalis successionis principatus Hispanici, & ideo omnes gentes prudenter & vere ipsos reges Castellæ ab antiquo nomine principatus appellant reges Hispaniæ. Nec inuenio rationem quare post illam cladem indifferenter non appellantur reges Hispaniæ. Et huius veritatis potissimum signum est, quod solus rex Castellæ habitu & animo ac re ipsa tanquam vniuersalis hæres monarchici principatus Hispaniæ, præter regna prædicta postea separata, cætera omnia habet, quæ antiquis temporibus spectabāt ad vnum Hispaniæ monarcham. Nam omnium aliarum prouinciarum conquesta, quas infideles possident, & aliquando fuerunt Hispaniæ, ut dictum est, ad eum ut vniuersalem hæredem principatus Hispanici pertinet nemine inficiente, sicut Granatæ & omnes insulæ in oceano sitæ, quæ vocantur insulæ Herculis & Fortunatæ atque Canariæ, quarum aliquas hodie rex Castellæ possidet. Illud præterea non obmittendum est, quia inter omnes turbines & diffidia in Hispaniis exorta, nusquam a bellis contra Mahometos cessatum est. Licet enim (ut præmissimus) Sarraceni per quingentos fere annos quinque prouincias Hispaniæ ex sex prædictis inuasent, & sic potentia facti diminuta est: sed tamen ius monarchiæ & vniuersalis principatus & potestas iuris non potuit hostium inuasionem tolli. quanquam enim angustaretur, tam numerus personarum, quam latitudo territorii, ipse tamen principatus, prout est ius principandi illæsum, manebat hæredibus iniuste expulsoꝝ, præsertim quia, **30** ut dictum

ut dictum est, reges qui a Pelagio prodierunt, diuino auxilio & magna eorum virtute & fide tandem eosdem Sarracenos taliter restrinxerunt, ut eos compellerent quinque occupatas prouincias deserere, & partem Bæticæ solum in qua nunc degunt, incolere. Et ut paucis agam, a ccc. fere annis Castellæ & Legionis reges maiorem Hispaniarum partem a faucibus hostiū Christi eriperunt. intra hoc enim tempus ciuitas & patria Hispalensis, a qua princeps quidam Sarracenorum rex Sibiliæ vocabatur, recuperata est per Fernandū regem tertium. Item ciuitas Cordubensis, a qua etiam rex quidam Sarracenorum intulabatur, & ciuitates Gienensis, Carmona, Vbeda, Baeza, Badaioz, & fere tota prouincia Toletana recuperata sunt. Demum Alfonso rex Conchensem, Carthaginensem, & innumeras alias vrbes & oppida recuperavit, & sui successores cum Sarracenis incredibilia bella gesserunt, in quibus diuina præsidia visibiliter opem tulerunt, & beatus Iacobus Hispaniæ patronus oculariter armis materialibus pugnare visus est. Sed inter cætera gloriosa bella illud minime obmittendum censui quod gestum est anno domini m. ccc. xli. per Alfonso regem Castellæ, & per consanguineos suos regem Nauarræ & regem Aragonum, contra Miramomelinum & alios simul reges Sarracenorum, qui fauente diuina clementia mirabiliter victi sunt atque prostrati, & magna Hispaniæ pars tunc lucro fidei cessit. Cuius belli particularem seriem prædictus rex Castellæ ad consolationem sanctæ matris ecclesiæ domino **20** Innocentio summo pontifici magno cum gaudio intimauit, quæ siquidem litera in apostolicis libris registrata reperitur, ut latius tangemus in tertia parte sub Alfonso octauo. Sed iam huius primæ partis finem absoluamus, ut tandem initium principatus Gotthorum in Hispania, & eorum successiones simul & successus vsque ad regem Rodericum succincte recolamus, quia diffusius a Roderico Toletano enarrantur. Quæ omnia ideo breui repetemus, ut addamus genealogias & successiones sequentium regum post Rodericum & Pelagium vsque ad moderna nostra tempora.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

RODERICI SANTI EPI-
SCOPI PALENTINI HISTORIÆ
HISPANICÆ PARS
SECUNDA.

P R Æ F A T I O.



QVONIAM in superioribus antiquum Hispaniæ principatum summam & in genere retulimus, & tandem deduximus Gotthorum reges in clyros, Hispanorum viribus fretos, a finibus Hispaniarum Vandalos expulisse, necnon Hugnos, Suenos, Alanos, Selinguos, sed & Afros, deinde Romanos: rursus diximus ab Albanarico primo Gotthorum rege vsque ad Henricum quartum, moderno tempore regnantem lxxii. gradus sine successiones ex eodem Gotthorum rege effluxisse: iam ergo superest ut in hac secunda huius historiae parte eorundem Gotthorum specificam genealogiam, ac principandi ordinem & numerum, sed & personarum regnantium nomina & successiones, clarioraque illorum gesta suis temporibus occurrentia vsque ad Rodericum vltimum regem Gotthorum breui differamus. Demum vero in tertia parte subsequentium regum post Rodericum, incipientes a Pelagio qui primus post cladem Hispaniæ regnauit, non solum successiones, sed & successus, insignioraque gesta suis temporibus occurrentia, vsque ad Fernandum **30**

tertium, in quo Roderici Archiepiscopi historia clauditur, succedente perstringemus. In quarta vero parte successiones regum, eorundem genealogiam & gesta, ac occurrentia usque ad presentia Henrici quarti tempora aliquanto latius describemus.

De Athanarico primo Rege Gotthorum. Caput I.

ATHANARICVS igitur primus ex gente Gotthorum obtinuit principatum, ut paulo ante diximus. Incepit autem regnare anno domini CCCXLIII. regnavit annis XIII. Licet enim hæsitandum non sit Gotthos ante Athanaricum plures inter se reges habuisse, postquam tamen ab eorum propria patria exierunt, & Italiam, Galliam, Germaniam, & Hispaniam inuaserunt, hunc Athanaricum primum regem elegisse historiographi testantur. Hic in Græcia, Pannonia, Italia diuersa bella feliciter egit. Demum ut eundem Athanaricum post deuastatam diruptamque Romam, plurimasque Italiam illatas clades, Honorius Cæsar ab Italia pelleret, Gallias ei concessit & Hispanias, ut quidam referunt. Deinde Cæsar Theodosius ex Hispana familia natus, non parum eum formidans, fœdus cum illo pepigit. Inuitus igitur ab eodem Theodosio Constantinopolim adiit, ubi honorifice receptus illico obiit. Tempore huius Athanarici sedebat in cathedra Petri Liberius primus, & Felix secundus, & Damascus primus. In imperio vero sedit Valentinianus, qui imperauit una cum Valente fratre suo. Hic Valentinianus compefcuit Valentem fratrem volentem persequi Christianos. Tandem apud Strigoniam ex apoplexia obiit: quo tempore apud Atrebatas (ut ait Eutropius) veralana de nubibus pluuiæ mixta defluit. Rursus eodem tempore terræ motus per totum orbem factus est, & mare ita terminos suos egressum est, ut Siciliæ insulas ac plurimas vrbes & populos oppresserit.

De Alarico secundo Rege Gotthorum. Caput II.

ALARICVS secundo loco Gotthorum regnum obtinuit, non illico post Athanaricum, sed aliquanto tempore post, videlicet anno redemptionis Christi CCCLVI. nam Gotthi benignitatem Theodosii Cæsaris conspicientes se eius imperio dederunt, fueruntque sine rege XXVIII. fere annis. Regnavit autem annis XXXI. quibus expletis Alaricus Gotthorum regnum suscepit. Hic Thracias, Pannonias, Germanias diuersis afflixit cladibus: deinde Italiam ingressus cuncta deuastat, sed Theodosius Gallias eis ab Honorio concessas iterum confirmat. Sed cum a Stilicone comite prædictus Alaricus in via impeteretur, eodem extincto comite indignatus Romam rediit, cuncta deuastat, dato tamen prius præcepto suis militibus, ut si qui in sancta loca, præcipue sanctorum Petri & Pauli basilicas, confugissent, hos securos cum fortunis suis custodirent, a sanguine præcipue districtè præcipiens abstinendum. Huius Alarici tanta fuit ad sacra limina reuerentia, ut cum in sacrario sancti Petri plurima preciosa iocalia Christiani saluandi gratia detulissent, Alaricus illæsa a suis custodiri iussit dicens: cum Romanis se bellum gerere, non cum apostolis: plurima deinde quæ eius milites ab ecclesiis abstulerant, illico templis restituens, quemadmodum Augustinus in de civitate Dei libris testatur. Fuit autem ab Alarico Roma capta anno M. CLXIII. ab eadè vrbe condita. Itaque Roma olim cunctarum gentium victrix sub Alarico Gotthorum rege humiliata est, & suæ ditioni subiecta. Tandem ob innumera mala quæ Romæ a se & suis perpetrata sunt, cum per Italiam cuncta vastaret, subita interiit morte, quem sui inconsolabiliter luxerunt. Ut tamen victoriæ contra Romanos obtentæ sempiterna duraret memoria, alueum cuiusdam magni fluminis mutant, ibique tumulum honorabilem Alarico confecerunt: rursus aquam fluminis ad eundem alueum redire fecerunt, ut ignotus esset locus sepulcri Alarici, sicut alias de sepulcro Moyfi sacra historia commemorat, quod usque in hunc diem

diem incognitum est. Huius Alarici tempore sedit Romæ Quiricus primus, & Anastasius, & Innocentius primus: in imperio Gratianus cum fratre Valentiniano. Hic Gratianus quendam virum strenuum moribus & armis confortem fecit in imperio orientis: sibi vero & fratri suo partes occidentales reseruauit. Tandem Maximus Constantini consanguineus Rex Britanniarum ab exercitu suo imperator eligitur, & per tyrannidem imperium inuasit, & prope Lugdunum Gratianum circumuenit & occidit.

De Ataulpho tertio Rege Gotthorum. Caput III.

ATAVLPHVVS Alarici affinis, secundum alios nepos, tertio loco regnum Gotthorum suscepit, anno saluatoris mundi CCCXI. regnavit annis sex. Hic Vandalos, Alanos, Sueuos, & Hugnos, quos Ostrogothi a Pannoniis fugauerant, & ad Gallias transire coegerant, valida manu insequitur. Illi audito Ataulphi aduentu, dimissis Galliis Hispanias petunt. Ataulphus vero post deuastatas diu Gallias, primus omnium Gotthorum Hispanias ingreditur, Vandalos cæterosque Barbaros cæsurus. Tandem apud Barchinonam a suis seditiose iugulatur. Hoc tempore sedebat Romæ Sozimus: in imperio Honorius & Arcadius fratres filii Theodosii senioris. Arcadius imperabat in oriente, Honorius in occidente.

De Sigerico quarto Rege Gotthorum. Caput IIII.

SIGERICVS Ataulphi consanguineus quarto loco regnum Gotthorum suscepit anno natiuitatis Christi CCCXVI. Parum dignum relatu egit, pro eo quia vno videlicet anno regnavit, cuius tempore præfuerunt in sede apostolica & in imperio proxime nominati. Circa hæc tempora Orosius doctor Hispanus, doctus ac eloquentiæ suauitate clarissimus, floruit. Hic (ut Genadius de illustribus viris refert) egregia descripsit opuscula, præsertim contra querulos Christiani nominis falso asserentes eclipsatum diminutumque fuisse imperium & statum Reipublicæ Romanæ per aduentum Christi. Aduersus quem errorem plurima sempiterna commemoratione digna descripsit, liquido ac apertissimis testimoniis ostendens, longe maiora grauioraque mala Romanæ Reipublicæ ac vniuerso orbi accidisse a principio sæculi usque ad redemptoris nostri aduentum, quam post euangelium divulgatum. Hic Orosius Augustini discipulus fuit secundum eundem Genadium, & pro discenda animæ ratione ad Hierosolimam missus, reliquias beati Stephani protomartyris secum tulit in Africam. De quarum innumeris virtutibus & ingentibus miraculis idem beatus Augustinus XXXI. de ciuitate Dei longum agit sermonem.

De Valia quinto Rege Gotthorum. Caput V.

WALIA quinto loco regnum Gotthorum suscepit anno saluatoris mundi quadringentesimo decimo octauo, regnavit annis tribus. Hic Vandalos Silinguos ex Bætica fugauit, & Hispaniis solus præfuit. Nam Gensericus rex Vandalorum cum omnibus Vandalis & familiis suis ad Africam transire coactus fuit, qui continuo obsederunt Hipponam. Cuius obsidionis anno primo beatus Augustinus migravit ad Christum, inter ipsos obsidentium imperus suos ad martyrium confortans. obiit autem anno episcopatus sui trigésimo quinto, anno vero decimo post Hieronymi obitum. In hoc Valia principatus Vandalorum qui & Silingui dicuntur, finem habuit. Vocati sunt autem Silingui illi Vandali, qui in Africam transiere, eadem tamen gens erat: Leonogildus tamen eorum vestigia totaliter extirpauit. Huius regis Valiæ tempore in Francia primus omnium regnavit Faramundus. Hoc tempore sedit Romæ Celestinus primus: in imperio prædictus Honorius. Hoc tempore celebrata est synodus Ephesina CC. Episcoporum.

Cusentinus tamen refert congregatam sub Theodosio iuniore. in qua synodo interfuit Cyrillus Episcopus Alexandrinus. vbi damnatus est Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, qui impie negabat beatam virginem esse veram Christi & Dei matrem, quia asserbat duas in Christo filiationes, duas personas, & duo supposita. qua de re synodus anathematizauit tredecim capitula in quibus constabant blasphemie eius, de quibus latius agitur in decreto xvi. distict. Tertia synodus. Rursus eo tempore (vt ait Martinus) apud Cretam Diabolus qui se plerunque transformat in angelum lucis, in specie Moyse apparens dum Iudæos in terram promissionis per mare pede sicco transire polliceretur, plurimos inter fluitus necauit: sed qui euaserunt ad Christi fidem conuersi sunt. Sicutaque hostis ipse malignus a seipso victus est, plus dolens de paucorum viuentium fide suscepta, quam de multorum morientium cæde adepta. Sed verum est illud Augustini, quia dæmon magis dolet de vno peccatore penitentiam agente quam de centum in peccatis decedentibus: plus odit profectum vnius, quã tormeta multorum.

De Tundero sexto Rege Gotthorum. Caput VI.

TUNDERVS sexto loco regnavit, tribus annis post Walam anno domini cccxxi. Hic ab Athila rege Hugnorum in campis Catalaunicis interficitur. Alii vero referunt hunc cæsum fuisse Theodericum. Ipse tamen Athila victus est a Gotthis & Romanis. Nec legitur a multis sæculis tam illustre, immo tam cruentum bellum in Europa contigisse. nam vt historiæ habent, trecenta millia hominum cæsa sunt. Paulo ante hoc dirissimum bellum terribilia signa visa sunt magnam sanguinis effusionem indicantia. nam post eclipses solis & lunæ, sol visus est per tres dies sanguinolentus vltra communem & solitum ordinem. Athila vero sic victus dolo Eni ducis Romanorum dimissus est. putauit enim perempto Athila Romanos opprimi posse a Gotthis. Athila vero Pannonias reperit, maioremque congregat exercitum, & furibundus Italiam ingreditur, ac primo Aquileiam expugnat triennio. Sed cum eius exercitus famem pateretur, nec amplius tolerare posset, quadam die Athila ciuitatem circuit, vt videret qua ex parte facilius oppugnare posset, & repete ciconias cernit in turrium fastigiis nidificare solitas vno imperu e ciuitate migrare, foetusque suos sublatos rostro forinsecus deportare. Quo viso auspicio, Conspicite, inquit ad suos, futurorum aues præcias perituram relinquere ciuitatem: statimque adhibitis machinis hortatur suos acriter pugnare. Vrbem itaque sine mora capit, & cuncta igne vastat & gladio. Quod cum cerneret quædam nobilissima & pudicissima virgo, in quadam altissima turri exiltens, ne sordidissimis barbaris ludibrium fieret, e summa turri euoluto capite se precipitem dedit, & (vt ait Eutropius) metum amittendæ pudicitie memorabili exitu terminauit. Demum Athila inter conuiuia vino soporatus, sanguine per os & nares effuso, suffocatus est. Qua nocte Martianus Imperator Constantinopoli exstans vidit in somniis collum Athilæ esse fractum.

De Turismundo VII. Rege Gotthorum. Caput VII.

TVRISMUNDVS filius Tunderi septimo loco regnavit anno domini cccclii. & a suis decimo anno regni sui interficitur fratrum consilio.

De Theoderico VIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput VIII.

THEODERICVS frater Turismundi post eum octauo loco regnavit anno domini ccccliiii. Hic extincto apud Rauennam Odoacre, totius Italiæ adeptus ditionem Romam pergit, & a Romanis magno cum gaudio susceptus est. Tandem Barbaros insequens Hispanias affligentes, in Galicia apud Astoricam Rhetiarium Regem Sueuorum, Hispanorum præsidis prostravit atque interfecit. Extunc principes Gotthorum effectualiter in Hispania regnarunt, & eius monar-

monarchiam tenuerunt, non tamen sub Hispaniæ titulo, sed Gotthorum. Hunc tamen Theodericum a fratre occisum ferunt. Hoc tempore sedit Romæ Hilarius: in imperio vero Martianus, qui apud Constantinopolim suorum seditione interfectus est.

De Henrico IX. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput IX.

HENRICVS post necem fratris Theoderici nono loco successit in regno anno domini cccclxvii. regnavit annis xvii. Hic primus leges Gotthorū scriptis redegit populisque tradidit: quemadmodum Phoroneus leges primus Græcis dedit, Solon Atheniensibus, Lycurgus Lacedæmoniis, Numa Pompilius Romanis, secundum Isidorum. Hoc tempore sedit Romæ Simplicius: in imperio vero Leo primus, qui quendam filiolum suum nomine Leonem fecit in imperio consortem, secundum Sicardum.

De Alarico II. decimo Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput X.

ALARICVS II. Henrici filius decimo loco apud Tolosam regnum Gotthorum assumpsit anno domini cccclxxxv. regnavit annis xxii. Sed anno duodecimo regni sui accidit quod Transmundus tyrannus Africæ, fautor hæresis Arianae omnes episcopos vltra, & viginti ex Africa exulare fecit, qui dispersi per orbem recurrerunt ad Symmachum Papam. Ille pietate motus aliquos episcopos transmisit ad Hispaniam, fueruntque humaniter recepti. Tamen paulo post Iustinianus imperator misit Belisarium qui deuicit eundem Transmundum, & eum interfecit. Hic igitur Alaricus apud Pictauium in Gallia a Fludiguino Galliciarum principe victus & occisus est. Hoc tempore sedit Romæ Felix tertius & Gelasius & Symmachus successiue: in imperio vero Zenon. Hic apud Constantinopolim regnavit annis viginti. Hic Zenon Leonem puerum Augusti filium interficere quærens, mater eius hoc sciens alium sibi similem obtulit, filiumque Leonem occulte clericum fecit ordinari, qui in clericatu vsque ad tempora Iustini vixit. Hic Zenon misit Theodericum cum Gothis in Italiam contra Odoacrem: tandem post multa bella victus est. Odoacer vero a Theoderico est Rauennæ peremptus, secundum Sicardum & Vincentium.

De Gesselarico XI. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XI.

GESSELARICVS Henrici filius ex concubina vndecimo loco regnavit anno domini dviii. præfuit regno Gotthorum annis quatuor. Hic Alarico fratre defuncto, qui filium Amalaricum ex filia Theoderici regis genuerat, qui in Italia regnabat, ad regnum Gotthorum per tyrannidem assumitur. Sed tandem victus & fugatus a quodam duce Theoderici Regis Ostrogotthorum, & in Africam transire pulsus est, ibique morte propria obiit. Sed eo tempore Romæ Hormisdas: in imperio vero Anastasius primus. Hic Imperator infectus fuit hæresi Eutychiana & Ariana, & monitus per Papam Hormisdam vt ab hæresi reslisset, cum non discederet, subito diuino iudicio a fulmine percussus est. Hoc tempore Vandali in Africam transierunt, ecclesias claudunt, Episcopos exilio mittunt.

De Theoderico XII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XII.

THEODERICVS patruus Alarici duodecimo loco regnavit, non iure proprio, sed quamdiu nepos Alaricus puer fuit, cæpit regnare anno domini dxii. Hic ex Italia celerigressu veniens regnum Hispaniæ Alarico nepoti dimisit. Regnavit annis decem, mensibus septem. Nam audito quod Gesselaricus sua ignauia fugatus, & per diuersas orbis plagas vagaretur, & regnum Gotthorum ad Amalari-

cum nepotem suum pertineret, venit in Hispaniam, & cum esset bellicosissimus & magnificus, licet Arianis deditus, vnanimiter ab omnibus Rex assumitur: qui tamen renuit, nisi solum durante pueritia nepotis sui. Quo adueniente illico regnum ei dimisit, & Italiam petiit: & sic aliquo tempore in Italia & Hispania regnavit. Hic Theodericus Arianus fuit, ecclesiam persequitur, misitque Iohannem Papam & viros consulares ad Iustinum Imperatorem, vt ecclesias Arianis restitueret, alias Christianos per totam Italiam trucidaret. Quod audiens Iustinus paululum supersevit persequi Arianos. Interim idem Theodericus Boetium Senatorem, & alios claros viros quos tenebat in carcere, iussit interfici. Hic Theodericus pater fuit excellentissimi principis Seueriani ducis Carthaginensis, qui ex nobili Theodora genuit sanctissimos ac clarissimos filios, videlicet Leandrum & Isidorum Archiepiscopos Hispalenses, & Fulgentium Episcopum Tingitanæ, ac Theodosiam vxorem Leonogildi Regis: genuit & Florentiam virginem. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes primus, & in imperio Iustinus primus prædictus.

De Amalarico XIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XIII.

AMALARICVS Alarici filius, decimo tertio loco regnum Gotthorum suscepit anno domini DXXIII. regnavit annis quinque. Hic a Gliberto Rege Francorum in bello occiditur. Mansit regnum matrisuz dictæ Amalafentæ, filiaz Theoderici Regis. Illa vero ex Italia euocauit Tendium eius consobrinum, quem in regno Italiz & Hispaniz hæredē instituit, qui tamen ei ingratus fuit, vt statim dicemus sub eodem Tendio. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Felix quartus, & Bonifacius secundus: in imperio vero Iustinianus primus. Hic xxxviii. annis imperauit, leges condidit, & consummauit codicem & digesta. Eo tempore floruit beatus Benedictus apud montem Casinum. Hic Iustinianus per Belesarium plurima prospere expleuit tam contra Vandalos, quam Gotthos. Signanter transiens in Africam multis cladibus Vandalos afflixit.

De Tendio XIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XIII.

TENDIUS Amalafentæ Reginz & quondam filii eius tutor, decimo quarto loco regnavit anno domini DXXXII. præfuit regno annis xvii. qui eandem matrem Amalarici & consanguineam suam postea in balneo mori fecit: & quia illa se & filium Imperatori Iustiniano commiserat, ipse Christianissimus Imperator misit Belesarium in Hispaniam, vt in eundem Tendium tantum facinus vindicaret, sed ante eius aduentum quadam singulari morte interfectus est. Cum enim Tendius quadam die in regio palatio maneret, præsentibus plurimis regni magnatibus vnus homo vilis conditionis, buffonis arcem exercens, seque stultum simulans, Tendium Regem gladio perfodit, & illico extinxit. Ille vero Barones hortatur, ne buffonem læderent, quia Dei erat executor, & digne poenas luebat. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes Papa secundus & Syluerius, in imperio prædictus Iustinianus, qui post multa præclara opera templum construxit apud Constantinopolim mira structione ad honorem sanctæ Sophiz, ibique in multa pace sepultus est.

De Theudiselo xv. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XV.

THEVDISELVS duxit exercitus Gotthorum, & Tendii consanguineus, decimus quintus Rex fuit. incepit regnare anno domini DXL. regnavit anno vno, postquam a Gotthis Rex eligitur. Hic pessimus fuit, & vltra communem modum valde luxuriæ deditus. nam nobilium vxores rapiebat. Qua de re apud Hispalim suorum coniuratione strangulatus est, ac paruo tempore regnavit. Ferunt Hispanica annalia, quia Regina huius Theudiseli vxor cum illum dulciter

dulciter argueret de extraneis libidinibus, ille dixisse fertur: Nil tuæ dignitati detrahit mea luxuries, nec meum ad te inuinit amorem: imitatus Ælium Commodum Cæsarem, apud quem cum vxor conquereretur propter aliarum sceminarum concubitus, ille, Patere, inquit, me per alias exercere cupiditates meas. vxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis. Suoq; tempore concurrerunt Iohannes & Syluerius Romæ, & in imperio prædictus Iustinianus, de quibus sub Tendio diximus.

De Agila xvi. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XVI.

AGILA a Gotthis Rex eligitur & decimo sexto loco regnavit anno domini DL. regnavit annis v. Hic aduersus Cordubam bellum mouit, & sanctorum Acicli & Victoriz tumulos prophanauit, tandem in bello cōtra ciues Cordubenses vindictam diuinæ vltionis sensit. nam in eo conflictu filius eius interfectus, & thesaurus suus ablatus, nec multum post apud ciuitatem Emeritam a suis occisus est. Hoc tempore sedit Romæ Pelagius Papa primus, in imperio Iustinianus primus, de quo paulo ante diximus. Hoc tempore Armeni fidem Catholicam receperunt. Eo etiam tempore secundum Martinum propter terribilem pestem apud Constantinopolim instituta est festiuitas purificationis beatæ Mariæ.

De Athenagildo xvii. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XVII.

ATHENAGILDVS post mortem Agilæ decimo septimo loco per tyrannidem regnavit, anno domini DLV. regnavit annis xiiii. Hic apud Toletum morte propria obiit. Tempore huius Regis horrenda auspicia acciderunt. nam prope flumen dictum Tedon, vnus altissimus mons prope Hispaniam Gothicā per tres dies vlulatus lacrymabiles effudit, & statim alius vicinus mons submersus est, nec manserunt vestigia illius, nec aliquorum populorum ei proximorum. Sæpe enim occurrunt prodigia ex diuina dispositione, aut vt homines corriganter, aut puniantur, sicut in Ægypto fecit signa & prodigia magna & pessima, iuxta illud: Vide opera domini, qui posuit prodigia magna. Et iterum: Ipse fecit prodigia in medio tui Ægypte. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Iohannes III. in imperio vero Iustinus secundus Iustiniani nepos. Hic bonum initium habuit, deinde cupiditati & plurimis se vitis dedit. Eo tempore Narfes patricius cum Longobardis regnum Italicum a Iustino & iugo Constantinopolitano eripuit, & ab illo tempore (vt refert Martinus) Romani per patricos cœperunt regere.

De Limba xviii. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XVIII.

LIMBA, alias Luiba, post Athenagildum decimo octauo loco Rex Gotthorum eligitur, anno domini DLXIX. regnavit annis tribus. Hic Leonogildum fratrem suum non solum regni successorem, sed participem fecit, & Hispaniz gubernatorem: ipse vero Galliz Gothicæ regno fuit contentus. Hoc tempore sedit Romæ Benedictus v. in imperio vero Tiberius II. Eo tempore secundum Martinum magna pars gentis Gothicæ Christianam fidem suscepit, dimissis cunctis hæresibus. Hic Tiberius Christianissimus fuit & plurimum pauperibus compatiens.

De Leonogildo XIX. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XIX.

LEOGILDVS post Luibam fratrem Hispaniz & Galliz decimo nono loco regnum adeptus est anno domini DLXXII. regnavit annis xviii. Hic habuit vxorem Theodosiam Theoderici neptem, filiam Seueriani ducis Carthaginensis, filii Regis Theoderici. Seuerianus vero ex vxore Theodora, ex regum sanguine descendenti, genuit clarissimos filios Leandrum & Isidorum Archiepiscopos Hispalenses, & Fulgentium Tingitanum Episcopum, & duas filias, Florentiā mo-

nialem & Theodosiam reginam, quam diximus vxorem Leonogildi, qui ex illa genuit Hermegildum qui fuit Christi martyr, & Recaredum qui fuit Rex. Hic Leonogildus bellicosus fuit, & accepit Cantabriam, Sabaudiam, & nonnullas alias Galliae vrbes, & plurimum Hispaniam ampliavit. Nam ante eum gens Gothorum angustiis terminis arctabatur, & aliquam partem Hispaniae obtinebat. Eo tempore regnum Sueuorum intra Hispaniam penitus deletum est, quoniam hic Leonogildus contra Andecam Regem Sueuorum in Galicia pugnavit, illumq; deuicit: & ex tunc cessauit regnum Sueuorum, quod centum septuaginta & septem annis principatum tenuerat, illudq; regno Gothorum additum est. Deinde hic Leonogildus Romanos apud urbem Legionem fudit, urbem cepit, & suo nomine Legionem vocauit. Hic Ariana haeresi infectus fuit, & quia Hermegildus eius filius haeresi non assensit, martyrem propria manu consecrauit. Nam assumpta occasione quod Hermegildus acceperit vxorem filiam Gidiberti Regis Francorum, contra eum exercitum congregauit, & apud Hispalim eum obsedit, & cepit, & carceribus trussit. Cui suauis ut Catholicam fidem desereret, & regna illi tanquam primogenito dimitteret. Cui Hermegildus ait, se non curare si ei in terreno regno non succederet, si aliud longe felicius regnum obtineret in caelis. Tandem post plurima supplicia ipse impius pater securi caput filii elisit. Hoc tempore sedit Romae Pelagius 11. & Gregorius primus: in imperio vero Mauricius primus ex Graecorum gente. Hic fuit gener Tiberii, & fuit catholicus & deuotus, Perfas & Armeniam deuicit. Hoc tempore beatus Gregorius in Papam eligitur, cum quo Mauricius discors fuit, adeo ut imperator mortem ei comminaretur, sed tandem de cunctis poenituit. Hic Imperator in oriente constitutus cum a rapinis & furtis suos cohiberet & puniret, prouocati milites Phocam Caesarem elegerunt, qui Mauricium in quandam insulam cum vxore & filiis fugauerunt, & tandem peremerunt.

De Recaredo xx. Rege Gothorum in Hispania regnante. Caput XX.

RECAREDVS filius Leonogildi vigesimo loco regnavit, anno domini dxc. hic regnavit annis xv. Christianissimus fuit, & patri fide & moribus valde dissimilis. Nam hic gloriosus princeps bello promptus erat, in pace praecelatus, longe plus fide quam pater armis regnum dilatauit. Hic a sanctis viris Leandro & Fulgentio a cunabulis eius in fide instructus fuit, & a populis suis Arianae haeresin in concilio Toletano congregatis multis catholicis Episcopis extirpauit. Nam ipse Christianissimus princeps personaliter in eodem concilio Toletano interfuit, gestaq; in eo sua subscriptione firmavit, damnans perfidiam Arianae, quam pro magna parte Gothi tenuerant, & proprio ore praedicauit trium personarum unitatem, vnum Deum, Filium consubstantialem genitum, Spiritum sanctum inseparabiliter a Patre & Filio procedentem. Postquam fidei professionem a haeresis damnationem, ipse princeps religiosissimus fidei armis munitus apud Linguam oecitanam xl. millia Francorum prostravit atq; deuicit. Quo bello praeter illud in montibus Catalaunicis commissum, nullum acrius commissum in Gallia legitur. Sepe hic Rex Romanos & diuersas alias gentes deuicit & fugauit. Ex huius regis tempore nulla haeresis reperitur in Hispania orta aut defensa. Hoc tempore sedebat Romae Sabinianus primus & Bonifacius tertius, & Bonifacius quartus: in imperio vero Phocas. Hic (ut diximus) seditione militari creatus est contra Mauricium. Hic Phocas concessit beato Bonifacio, ut templum Pantheon in ecclesiam consecraretur. Contra hunc Phocam Heraclius bellum mouit, & eum vita & regno priuauit.

De Luiba XXI. Rege Gothorum in Hispania regnante. Caput XXI.

LVIBA II. Recaredi filius vigesimo primo loco regnavit, anno domini dcv. regnavit annis duobus, mensibus quinque. Hic sedecim annorum erat cum a Viterico

Viterico per seditionem est occisus. Propter regni breuitatem non ponitur concursus Romani Pontificis nec Imperatoris, nisi id vnum. Nam eo tempore maxima bella exorta sunt aduersus Regem Persarum, & Romani Hierosolymam & plurimas prouincias dimittere coacti sunt.

De Viterico XXII. Rege Gothorum in Hispania regnante. Caput XXII.

VITERICVS occiso Luiba vigesimo secundo loco per tyrannidem regnum assumpsit anno domini dcvii. regnavit annis septem. Hic multa illicita fecit, & tandem qui interemit Luibam, ab eius consanguineis est gladio interemptus. Hoc tempore sedit Romae Deusdedit natione Romanus: in imperio vero Heraclius cum Constantio filio suo. Hic filius fuit Heracliani Consulatis Africae, & duos filios genuit, Heraclionem & Constantinum, qui Constantinus Heraclio mortuo Imperium suscepit. Huius Heraclii tempore Machometus impius propheta Saracenorum surrexit, causamq; huic sectae non paruam attulit tyrannis & iniqua gubernatio Heraclii in partibus Orientis, qui plurimos grauabat & affligebat talliis & exactionibus. Quare subditi ab eo recesserunt, & ut rebellio eo magis duraret, fecerunt schisma & diuisionem in secta, ut egit Ieroboam, qui ut perduraret rebellio contra Roboam & regnum Israel, recessit a cultu veri Dei, & de hoc alibi diximus latius.

De Gundamiro XXIII. Rege Gothorum in Hispania regnante. Caput XXIII.

GVNDAMIRVS post Vitericum vigesimo tertio loco regnavit anno domini dcviii. Hic praefuit regno annis duobus, ipse Vascones domuit, Romanos fugauit, apud Toletum obiit. Statuit plurimas leges in fauorem ecclesiarum, signanter quod nullus inuitus extrahatur a sacris templis. Hoc tempore sedit Romae Honorius praedictus: in imperio vero idem Heraclius, a quo Chosroes Rex Persarum victus & caesus est, & populus Christianus cum sancta cruce a captiuitate liberatus: & ex eo tempore instituta est festiuitas exultationis S. Crucis.

De Sissebuto XXIII. Rege Gothorum in Hispania regnante. Caput XXIII.

SISSEBVTVS post Gundamirum vigesimo quarto loco regnavit anno domini dcv. regnavit annis ix. mensibus vi. Hic Christianissimus & religiosissimus appellatur. Hic inter plurima opera sua zelo fidei accensus, interfuit concilio Toletano. vbi eo instante statutum fuit, ut illi qui haecenus ad Christianismum fuerant coacti, quia iam fidei Catholicae sociati fuerant, compellerentur fidem seruare, licet illam necessitate susceperint, ut habetur in C. de Iudaeis, xl. v. di. Sunt tamen qui asserunt hunc Sissebutum in principio regni sui compulisse Iudaeos omnes ad baptismum. Postea vero cernens multos ex eis reciduas & iudaizasse, assensit ut in concilio Toletano statueretur, quia deinceps nullus inuitus baptizaretur, licet qui iam taliter fidem susceperant, eam seruare cogentur. Sub hoc Sissebuto gloriosus Ildorus apud Hispalim concilium celebrauit contra haeresin Acephalorum. Hic Sissebutus in propria persona bis contra Romanos triumphauit, & aliquas eorum vrbes expugnauit: deinde in Africa trans fratrum nauigans plurimas gentes sibi & domino Gothorum subiecit. Fuit mirae clementiae & benignitatis, & in redemptione captiuorum thesauros expendit non paruos. Obiit (ut quidam asserunt) veneno, cuius obitus toti Hispaniae plurimum fuit dispendiosus. Hoc tempore sedit Romae Seuerinus & Ioannes III. in imperio praedictus Heraclius, de quo paulo ante diximus.

De Recaredo xxv. Rege Gotthorum in Hispania regnante Caput XXV.

RECAREDVVS huius nominis III. Sissebuti filius, vigesimo quinto loco regnavit anno domini DCCXV. solum mensibus sex præfuit. Hic Rex paruo tempore regnavit, ideo non fit mentio de Romano Pontifice & Imperatore suo tempore concurrentibus.

De Suintilla xxvi. Rege Gotthorum in Hispania regnante Caput XXVI.

SVINTILLA primus filius Recaredi primi Regis gloriosissimi vigesimo sexto loco regnavit annis x. incipiens anno domini DCCXVI. Hic sub Sissebuto dux fuit, & Romanos bis domuit. Hic totius Hispaniæ monarchiam exclusis omnibus vestigiis Romanorum primus obtinuit. Fuit bello victoriosus, & (ut ait Lucas Tudenis) inter Reges Gotthorum auxit principatum Hispaniæ miro modo, non tam prudentia singulari, quam virtute prælii. Hic filium suum Rachimirum in consortio regni assumpsit, & simul cum patre regnavit. Sed illico aut parum post mortem patris obiit, & manserunt duo alteri filii Suintilla & Sisenandus, quos Suintilla pater susceperat ex Theodora filia Sissebuti. Hic Suintilla belli & pacis tempore moderatissimus fuit, Deo & hominibus dilectus. Hoc tempore beatus Isidorus obiit in Christo. Circa illa tempora sedit Romæ Theodorus primus & Martinus primus in imperio vero Constantinus tertius. Hic secundum quosdam filius Heraclii dicitur, secundum alios filius fuit Constantini: unde a quibusdam appellatur Constans. Sub eo magna pars reipublicæ a Machometis desolata est. Hic pessimus fuit. Suo etiam tempore Sarraceni Africam occupant. Sub hoc Imperatore Papa Martinus concilium congregat ad delendum hæresin. Quae de re commotus Constantinus Papam capit & in exilio mori fecit. Hic Imperator omnibus fuit exosus, & in Sicilia apud Syracusas a suis occisus est: post cuius obitum milites quendam Armenum nomine Mezentium elegerunt. Sed paulo post Constantinus filius Constantini occisi applicuit, & imperialem purpuram sumpsit, interfectis tyranno & patris occisoribus.

De Sisenando xxvii. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXVII.

SISENANDVS Suintillæ filius vigesimo septimo loco regnavit anno domini DCCV. Hic regnavit annis quinque, mensibus septem. Per tyrannidem regnum obtinuit, cum regnum deberetur Suintillæ fratri suo primogenito. Apud Toletum obiit morte propria. Eo tempore Romæ Martinus primus, in imperio sedebat Constantinus tertius, de quo supra diximus.

De Suintilla xxviii. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXVIII.

SVINTILLA II. filius Sisenandi, vicesimo octavo loco regnavit anno domini DCCXL. regnavit annis IIII. cuius tempore concilia Toletana fuerunt frequentata sub beato Eugenio sedis Toletanæ Archiepiscopo Hispaniarum primante, subscribentibus Narbonensi & Tarraconensi Archiepiscopis metropolitanis sub eadem Toletana primatia. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Eugeni primus in imperio vero idem Constantinus tertius, de quo paulo ante diximus.

De Tulga xxix. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXIX.

TVLGAS ex Gothico regio sanguine descendens regnavit vigesimo nono loco, anno domini DCCXLV. regnavit annis duobus. Hic catholicus & optimus Rex fuit, humilis, liberalis, cultor iustitiæ, dilectus a clero & populo, confirmavit publicis legibus quæcunq; decreta fuerant in conciliis Toletanis. Sed peccatis Christiani populi hic Christianissimus princeps in tempestive moritur. Hoc tempore

tempore sedit Romæ Vitellianus: in imperio vero idem Constantinus tertius, de quo Suintilla primo diximus.

De Cindasuindo xxx. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXX.

CINDASVINDVS post Tulgam per tyrannidem trigesimo loco regnasse perhibetur anno domini DCCXLVII. regnavit annis decem. Cuius tempore duo apud Toletum fuerunt concilia congregata. Hoc tempore sedit Romæ Deodatus: in imperio vero Constantinus quartus, qui filius fuit Constantini tertii. Hic fuit fide catholicus & deuotus, restauravit ecclesias per hæreticos diruptas, præsertim tempore Heraclii atavi sui. Demum propter hæreses insurgentes congregavit sextam synodum vniuersalem. Constantinopolitanensis insurrexit contra Manichæos, quos pater & avus suus protexerunt. Eo autem feliciter mortuo filius eius Iustinianus eligitur. Huius Imperatoris tempore Regina Perfarum nomine Cæsarea clam venit Constantinopolim, ubi baptizata fuit, nec ad virum rediit, quousq; vir eius etiam baptisma gloriose suscepit, secundum Martinum & Sicardum.

De Recinsuindo xxxi. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXI.

RECINSVINDVS filius Cindasuindi trigesimo primo loco regnavit anno domini DCCLVII. regnavit annis xviii. mensibus xi. Hic procuravit ut suo tempore sub Eugenio tria concilia Toletana congregarentur, cuius tempore defuncto Eugenio Ildesonus præfuit sedi Toletanæ genere, scientia & moribus præclarus, virgini Mariæ deuotus, de cuius virginitate præclare scripsit contra quosdam hæreticos Heluidium & Pelagium, quos sua melliflua doctrina mirabiliter confutavit. Quare beata virgo apud Toletum eidem Alfonso matutinale officium celebranti apparuit, choro virginum comitata inquiens: Quia fide certa & recta conscientia lumbos tuos virginitate cinxisti, & virginitatis meæ gloriam cordibus fidelium depinxisti, accipe vestem de thesauris filii mei qua in festis solemnibus vestieris. Quo munere Alfonso latus remansit. Hoc tempore sedit Romæ Paulus primus natione Romanus: in imperio vero Constantinus quintus filius Leonis. Hic annis xvii. imperavit simul cum patre. Fuit autem pessimus. nam sacrificavit dæmonibus, habebat consultorem Anastasium falsum patriarcham Constantinopolitanensem.

De Bamba xxxii. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXII.

BAMBA de Gotthorum genere descendens, strenuus & mansuetus, trigesimo secundo loco in Regem Gotthorum assumitur defuncto Recinsuindo, anno domini DCCXXVI. regnavit annis ix. mense vno. Hic Paulum Græcum rebellantem captivum duxit Toletum. Hunc Paulum magno exercitu congregato obfedit apud Nemausum, tunc civitatem Hispanico principatui subditam, quæ in Gallia Gothica sita est, illumq; cepit, ac eius complices carceribus mancipavit cuius tempore cclxx. naues Maurorum littora petunt Hispaniæ, sed Bambæ Regis providentia & strenuitate cremantur. Hic liuore inuidorum veneno creditur infectus per Eringium consobrinum Cindasuindi Regis, qua pestifera potione Regis memoria, nec non prudentia confusa est. sed Quiricus Archiepiscopus Toletanus & regni optimates causam nescientes, regi ecclesiæ sacramenta ut deuote susciperet, procurarunt. Tandem paululum ad se reuersus, habitum religionis assumpsit apud cœnobium oppidi de Pampliega Burgenis districtus, quod postea translatum est ad monasterium sancti Petri de Arlanza: ibiq; vitam immaculatam finiuit. Vixit autem in monasterio annis septem. Nonnullæ vero historiæ Hispanorum quas pias fabulas aliqui putant, asserunt hunc Bambam regem ex aratro assumptum esse ad sceptrum regni. Nam aiunt, post mortem Re-

cinquendi regis omnes regnicolæ supplicarunt Papæ Leoni, vt preces Deo porri-
geret, quem idoneum ad regendum Hispaniam electuri essent. Leoni igitur sum-
mo Pontifici oranti reuelatum est, vt eligeret quendam commorantem in parti-
bus occiduis, nomine Bambam rusticum. Qui quæsitus per omnes Hispanias, tan-
dem diuino iudicio repertus est in finibus Portugaliæ, in agro quem cum bobus
suis arabat. Cum igitur duo milites eum reuerenter salutassent, dixissent ei a Deo
cæli ordinatum esse, vt Rex Hispaniæ futurus esset, ille putans sibi illudere velle,
post multa ait ad milites: Quando hic baculus cum quo boues percutiebat, germi-
nabit frondes & fructum, tunc ego Rex vester ero. Quo dicto miraculose virgula
illaradices, folia, & fructum produxit. Omnes igitur perterriti diuinæ voluntati
non resistentes Bambam ad urbem Toleti perducunt, ibiq; per Quiricum Archi-
episcopum vnctus & coronatus est. Hæc est vulgata Hispanorum opinio, quæ pro
eo quod miraculo iuuatur, a multis comprobatur: authenticæ tamen historiæ
Bambam ex Gotthorum genere descendisse perhibent, quod tamen huic diui-
næ assumptioni non repugnat. potuit enim ex Gotthorum genere descendisse.
Plerumq; enim utilius ad regimen populorum quis assumitur ex laboribus rusti-
canis, quam ex deliciis vrbanis. Quare diuina dispositione quæ nouit quid cuiq;
populorum & prouinciarum congruat, sæpe ex agro & pastura Reges assumpsit.
Sic Saul patris asinos pascens Rex eligitur. Sic & Daud de post fœtantes ad regni
sceptrum diuino iussu acceptus est. Sed apud Romanos Quintus Cincinnatus Di-
ctator ex aratro ad dictaturam vocatus est. Sic & Tullius Hostilius, qui in pascen-
do pecore diligens fuit, diligentius atq; salubrius Romanum rex imperium. Ad
eo vt teste Valerio trita illa in agricultura ætas altissimo maiestatis fastigio fulsit.
Sic & Artilius cum a Senatu quæreretur ad imperium, femina agris spargens, non
inter vrbium illecebras repertus est. Quare (vt idem Valerius subdit) illæ ex ara-
tro attritæ manus salutem publicam stabilierunt, atq; ingentes hostium copias fu-
derunt. Hoc tempore Bambæ Regis sedit Romæ Leo Papa IIII. in imperio vero
idem Constantinus, de quo paulo ante diximus.

De Eringio XXXIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXIII.

ERINGIUS Recinfinidi nepos trigesimo tertio loco regnauit anno domini
DCCCLXXXV. Hic regnauit annis septem, tyrannice intrauit. erat enim super-
stes Theophredus filius Recinfinidi, cui regnum debebatur. Hic Cislionem fi-
liam suam vxorem dedit Egicæ consobrino Regis Bambæ in odium Theophre-
di, ne impediretur in regno. Hoc tempore tria concilia Toletana fuerunt con-
gregata sub Iuliano Pomerio primate, viro scientia & moribus præclaro. His tem-
poribus valida fames Hispaniam inuasit, adeo vt multi cogerentur per mundum
vt profugi peregrinari. Hoc tempore sedit Romæ Benedictus II. & Iohannes quin-
tus: in imperio vero Iustinianus secundus. Hic Imperator fuit fide catholicus, plu-
rimum honorauit ecclesias, & diuinum officium frequentauit. Contra hunc con-
spirauit Leo patricius cum præfidiis Tiberii principis, qui eundem Iustinianum
imperio priuauit, eumq; lingua & naso truncatum in exilium mittit. Postea vero
populo acclamante Iustinianus recuperauit imperium, Leonemq; & Tiberium
vsurpatores imperii iugulat. Quinimo (vt Martinus refert) tantam in rebelles vin-
dictam exercuit, vt quoties sibi a naso præciso aqua deflueret, toties aliquem ad-
uersariorum occideret.

De Egica XXXIIII. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXIIII.

EGICA gener & hæres Eringii trigesimo quarto loco Gotthorum regnum sus-
cepit anno domini DCCXCII. regnauit annis decem. Hic postquam Rex as-
sumptus est, filia Eringii Regis vxorem suscepit, sed comperto quod dictus Erin-
gius in mortem Bambæ conspirasset, eandem vxorem suam a se abiecit. Hic tan-
dem communi morte apud Toletum obiit. Hoc tempore sedit Romæ Papa Ser-
gius pri-

gius primus, & in imperio Leo secundus. Hunc Leonem ab imperio expulit & in
exilium misit. Absumarus dux. Aliæ historiæ habent, quod vincitum in vrbe deti-
nuit. Eo tempore, secundum Martinum, magnum schisma fuit, & synodus con-
gregatur apud Aquilegiam.

De Vitiza XXXV. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXV.

VITIZA filius Egicæ post patris obitum trigesimo quinto loco regnat anno do-
mini DCCCII. Hic regnauit annis nouem, minimū tamen bonus vixit. pessi-
mus namq; fuit & flagitiosissimus. Nam Theofredum filium Recinfinidi Regis
exilio relegauit, & oculos effodit. Hic Theofredus ex Retilene vxore sua regio
genere descendenti genuit Costam & Rodericum, & secundum alios Pelagium.
Præfatus Vitiza itaq; voluit occidere Pelagium, cuius patrem peremerat, sed ad
Cantabriam fugit euadens furiam persequentis, quia per illum diuina prouidētia
decreuerat a clade miseram Hispaniam liberare. Hic Vitiza post multa scelera ab
eo commissa pœnas luit. Nam Rodericus filius Theofredi quem Vitiza interfice-
re voluerat, fauore Romani Senatus, cui Recinfinidus amicus erat, contra Vitizā
rebellauit, & tandem eum cepit, regnoq; priuauit. Alii dicunt Costā fratrem Ro-
derici id egisse. Inter cætera flagitia Vitiza hoc addidit. Nam sprete propria vxore
plurimis concubinis adhæsit, & omni luxuriæ se dedit, dicens illud sapientis, Non
sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra: & vt multitudinem haberet soci-
am tantæ libidinis, auctoritatiue dedit præceptum, vt clerici possent publice du-
cere quotquot mulieres valerent nutrire, nec obedirent præceptis apostolicis cō-
trarium iubentibus. Deniq; restituit Iudæos, quos Christianissimus Sisebutus a
regno expulerat. Quorum flagitiorum pœnas perfoluit, quia (vt diximus) oculis
simul & vita multatus est, iuxta sententiam prophetæ: Disperdam habitantes in
domo voluptatis & luxuriæ. Hic Vitiza cum a multis argueretur, quod quendam
sceleratum virum sibi acceptum, omnibus odio habitum, ad magnas dignitates
peruexisset: ad illos, Mentitur, inquit, vulgus, qui me omnium mortalium pessimū
arbitratur: imitatus Dionysium seniore tyrannum, qui eum accusantibus quod
hominem iniquissimum, cuius molestum, ad summos magistratus vocasset: Vo-
lo, inquit, eum esse, quem magis quam me ciues odiant. Funestum verbū tali au-
ctore dignum. Ferunt deniq; Hispanorum annalia quendam Buffonem facetum
Vitizæ ioco aut serio dixisse: Cum filius Regis & Rex ipse existas, cur ita agis vt re-
gnum perdas. At ille, vt alter Dionysius Syracusanus, Pater, inquit, sua mihi regna
reliquit, non fortunam. Ad quem iterum Buffo ait, Falleris in hoc, veluti in aliis,
dum putas fortunam tibi vitia & scelera induxisse, quæ potius ad bonū quam ma-
lum impellit. Hoc tempore sedit Romæ Iohannes sextus & Iohannes septimus:
in imperio vero Iustinianus secundus, iterum ex exilio reuersus, de quo diximus
supra cum de Eringio egimus. Hunc Iustinianum de iniuriis sibi illatis vindican-
tem homines prouinciæ ab imperio expulerunt, & quendam Philippum elegerūt,
qui Constantinopolim veniens Iustinianum cum filio peremit.

De Costa Theofredi filio, XXXVI. Rege Gotthorum in Hispania regnante. Caput XXXVI.

COSTA Theofredi filius, & frater Roderici trigesimo sexto loco regnum Got-
thorum suscepit, anno domini DCCXCI. regnauit annis quinq; mensibus se-
ptem. Hunc Rex Vitiza solita malitia, sicut patrem Theofredum, voluit obcæca-
re, sed Costa restitit etiam patre viuente, & eum excæcari iussit, sicut ipse fecerat
Theofredo patri suo. Attulit autem auxilia Costæ Senatus & populus Romanus,
ob amicitiam quam cum Recinfinido auo suo habuerant. Nam in bello campe-
stri eundem Vitizam deuicit, & oculis ac regno priuatu. Cordubam misit, vbi mi-
seram, sed debitam vitam finiuit. Nonnulli historici, vt Rodericus Toletanus, nul-
lam de regno Costæ faciunt mentionem, sed immediate post Vitizam Rodericū
E

regnasse perhibent: alii Costam licet paruo tempore, tamen post Vitizam regnasse affirmant. Qui (vt aiunt) propria morte obiit, relictis duobus filiis imuberibus. Sub hoc Costa præsuit Romæ prædictus Iohannes VI. & in imperio sedit Iustinianus secundus, de quo hæc tenus diximus.

De Roderico XXXVII. & ultimo Rege Gotthorum in Hispania regnante, & de infelici clade Hispania eiusdem Roderici tempore occurrente, & de causis præfata irruptionis, & de malis quæ ex vindicta procedunt, & quare Rodericus dicitur ultimus Rex Gotthorum, & de aliis occurrentibus. Cap. XXXVII.

RODERICVS vltimus Rex Gotthorum ante irruptionem & cladem Hispaniæ, filius Theofredi & frater Costæ, trigesimo septimo, sed vltimo loco regnavit, anno domini DCCCIX. regnavit annis duobus cum Vitiza, & vno solus. Hic regnavit vivente Vitiza. Fuit autem Rodericus agibilis valde, sed in bellis infortunatus, moribus non satis ornatus. Hic Rodericus filiam Iuliani Comitis in suo regio palatio enutritam violenter oppressit, dum pater in Africa legationis officio fungeretur. Erat Iulianus ipse vir nobilis, & de Gotthorum profapia descendens, consanguineus Vitizæ, sed & plurimum audax, & armis strenuus: cuius filii infelix stuprum infelicissimam Hispaniæ cladem attulit. Nec solum huius præclaræ regionis irruptionem hæc fornicaria pestis adduxit. Nam (vt Methodius voluit) quid aliud quam supra & libidines mundum ipsum diluio diluere? quid Gomorrâ & Sodomas villas incendit? Equidem raptus simul & stuprum Helenæ Troiæ euerfionem peperit, Græciamque viris præclaris orbavit. Sed & raptus Dinæ filiz Iacob regni Sichei desolationem pertulit. Verum quia (vt aiunt sacri interpretes) altissimus Deus, iustus malorum vindex est, & corruptos hominum mores, supra, ac funesta flagitia solet bellis plerumque emendare, nonnunquam conterere: igitur huius Roderici & aliorum regum Gotthorum peccata, tyrannides, iniustas successiones, cædes, rapinas, & alia scelera vindicare voluit. Non enim durabilis est scelere quaesitus principatus. Vnde noster Lucius Seneca in tragediis: *Violata nemo imperia con-* 30 *tinuat diu, moderata durant.* Cum igitur ad perditionem & Hispaniæ euerfionem festinarent tempora, Iulianus ipse ex legatione rediens, stuprumque filiz comperiens, iræ stimulis accenditur, lingua confunditur, cor palpitatur, facies ignescit, exasperantur oculi, nequaquam cognoscit notos, superiorem non videt, nihil nisi de vindicta cogitat ad quam properat. Quare uxorem, filios, ac res suas ad urbem Ceptæ in Africam tradit, ibique habita coniuratione cum Arabibus, tandem obtinuit filius ipse perditionis a Miramomelino principe Africæ, vt quidam Muza princeps Africæ, & alter dictus Tarif, cum Iuliano magnis Arabum copiis suffulti in Hispaniam transirent. Quibus Iulianus plurimis nequissimis Christianis sociatus aditum præbuit, & Tarifam, Algeziram, pleraque alia loca occuparunt, ingentemque prædā 40 in Africam attulerunt. Quæ res maiorem Muza iterum transeundi fiduciam tribuit. Quare idem Tarif Iuliano comitatus cum infinita multitudine Arabum secundo in Hispaniam transeunt. Contra quos Rodericus Rex Santiū nepotem suum mittit, qui victus & interfectus est. Tunc Sarraceni dilatantes potentiam suam, Bæticam & Lusitaniam iam diuina indignatione animis & viribus destitutas, sibi subiecerunt. Cumque Rodericus Rex cognouisset stragem suorum, patriæ denique inuasionem, congregatis copiis suis, Arabibus se obiecit, & prope Xeritium diuersa & acerrima bella commissa sunt, in quibus (vt refert Lucas Tudensis) DCCCXVI. millia Arabum diuersis bellis ceciderunt. Sed tandem die quadam dominica, anno domini DCCCXIII. Iuliano & cæteris perfidis Christianis ac Mauris fortiter 50 dimicantibus, & nouis eis copiis aduenientibus, vt deo placuit, franguntur acies Christianorum, & Rex Rodericus (vt putatur) extinctus est. non enim nisi vestigia coronæ & vestium sunt reperta. Tandem Sarraceni per omnes Hispanias debacchantes omnia diruerunt. Nam infra biennium principatum Hispaniæ obtinuerunt præter Asturias, quousque ira Dei permisit, quæ propter populi Christiani peccata, magis

magis quam manus hostium pugnabat. Nec solum Hispania eam diruptionem passa est, sed magna pars Galliarum, præsertim Aquitania, Vasconia, & tota Narbonensis prouincia, in qua Lingua Occitana, quæ olim Hispanica Gothica appellata est. Nec facile dici posset, quantus illo infelici tempore sæuit in Christianos Sarracenorum gladius. Vbiq; enim per omnes Hispanias Mauri passim sæuebant, etenim interficiebant fideles vt pecudes, paratus erat ad cædendum gladius, parati qui cæderentur. Vnde Stephanus Papa interpellatus a Rege Roderico pro auxilio, eidem (vt aiunt) in hæc lacrymosa verba scripsit: Tuæ excellentiæ litteras tristis accipi, lætus relegi. Quis enim (inquit) tam miseram terræ tuæ cladem non lugeat? quæ Barbarorum gladiis tradita pene iam non habet qui in ea viuat, & tamen habet qui cotidie in domino, immo pro domino moriantur. Quæ omnia funesta mala vnius hominis vindictæ rabies induxit. O infelix vindicta, quæ ab ipso vindicante incipit, & ad se vindicta retorquetur, dum primo pœnas in se exigit, quam aliis exsoluat: O infelix vlciscendi libido, quæ hostis iniurias in se vindicat, & suas hostibus offert vlciscendas! O iterum infelix vindictæ rabies, quæ in suos sæuit, vt hostes liberet: suos expilat, vt hostes dicit! O infelix hominis religio, quæ Deum immortalem deserit, & sceleratam Machometum colit, & fidem negat, vt perfidiam induat! O infelix impietas, quæ suam patriam prodit, vt alienam conciliet: ac suos filios vilissimam mancipia facit, vt hostes simul & seruos non modo liberos, sed dominos constituat! O rursus infelix ad dulcem patriam crudelitas, quæ proprios expellit ciues, vt hostes inhabitent: ac propinquos interimit, vt exteris vitam donet: fugat domesticos, vt admittat Barbaros! Et (vt paucis agamus) o infelicissima omnium victoria, qua qui victor putatur, victus euadit! Cætera huius infelicissimi Iuliani scelera, ac tantæ cladis & diruptionis calamitates Rodericus Tolertanus sapienti, sed mæsto ac lugubri stylo deplorat. Verum Iulianus ipse perfidissimus pœnas in hoc seculo non euasit, acerbiores apud inferos recepturus. Nam ab ipsis Mauris iuste trucidatus creditur suspicionis & Christianitatis ei notam frangentibus, vt verum sit quod Propheta ait: Impii consumuntur ab idolis quibus sacrificarunt. Et iterum in se experiretur quod sapiens ait in Ecclesiastico: Qui vindicare vult, a Deo inueniet vindictam. Et rursus in Ezechiele: Pro eo quod fecit vltionem tuam. Destruit enim Deus omnem inimicum & vltorem, sed præcipue in eos parata est vindicta qui in patriæ perniciem vlciscuntur, dicente propheta, Vlciscar in eos qui destrunt regionem suam. Hinc Gregorius: Si ob illatas nobis contumelias implacabiles sumus, vindictæ furor in nos ipsos reuertitur, & inde punimur, vnde alios puniri sperabamus. Fuisset fatius maledicto Iuliano iniuriam contemneret, quam in se vindictam agere, quia iuxta Ambrosium sapientior est qui contemnit, quam qui dolet, qui enim contemnit, quasi non sentiret ita despicit: qui autem dolet, ideo dolet, quia sentit. Sed iam ad Rodericum redeamus vltimum Regem 40 Gotthorum. Appellatur autem (vt putamus) vltimus Rex Gotthorum, non quod Pelagius & sequentes Reges ex Gotthorum genere non descendant, sed quia reges omnes ab Athanarico qui primus ex Gotthis (vt diximus) regnavit, vsque ad istum Rodericum, solo nomine regio Gotthorum appellati sunt. Nec enim intitulati sunt Reges Hispaniæ, aut Castellæ, vel Legionis, sed Reges Gotthorum simpliciter. Qui & arma atque insignia deferebant, non Hispaniæ quidem, sed gentis Gothicæ, aut originalis prouinciæ Gothicæ a qua processerunt, quæ Dacia & Noruegia putatur, in qua & Gothia est, vt latius in prima parte tactum est. Post Rodericum vero Pelagius & cæteri qui ei in principatu Hispanico successerunt, etsi ex sanguine Gotthorum (vt diximus) descenderunt, tamen non Gotthorum titulis, sed Hispaniæ 50 primo, deinde Legionis & Asturiarum, rursus Castellæ regis intitulationibus sunt appellati, quamquam substantia principatus eadem in vtrisque fuerit. Ea igitur causa fuit, cur Rodericus vltimus rex Gotthorum communiter appellari solet. Post cuius infelicem cædem & occupatas Hispanias prædicti Arabes Muza & Tarif duces Regis Miramomelini transfretarunt in Africam, constituentibus Regem principatus Hispaniæ Bellazim filium Muza, qui paruo admodum tempore regnavit,

& a suis est interfectus. Post illum vero regnarunt in Hispania quindecim Reges intra viginti annos. omnes enim occidebantur ab eisdem Sarracenis vsq; ad principatum Acabat filii Laget, quem Sarraceni in Regem elegerunt apud Hispalim. Hic Acabat astutus & solers admodum fuit. Inuenit enim remedium, quo & principatus eius duraret, & præteritorum regum interfectores puniret. Ea enim die qua Rex electus fuit, decreuit potius ingratus viuere, quam gratus mori, iussit enim electores vt paululum in palatio spectarent: interim vero quibusdam sibi fidissimis ad cameram vocatis, Scitis, inquit, quia inter hos omnes qui me elegerunt, partialitates & discidia sunt, & quilibet voluit Regem ad sui voluntatē eligere, Deo tamen placuit, vt illi prudentia & consilio parentum & amicorum meorum vota sua in medirexerint. Si igitur de me vt de cæteris Regibus disponunt, satius mihi foret viuere vt priuatus, quam cito Rex mori. Deliberauit itaq; eos omnes electores gladio cedere. Paratis igitur licitoribus, singulos aut binos ad se euocat, & tandem eos eadem hora numero trecentos interficit. Quo facto cæteri de regno perterriti fuere, nec in eum conspirarunt. Regnavit autē longo tempore & plurimas clades Christianis intulit. Tempore Roderici præfati sedit in cathedra Petri Constantinus secundus, qui ex laico factus est presbyter, & tandem per tyrannicam ambitionem papatus inuasor fuit secundum Martinum: sed tandem a fidelibus, oculis priuatur. Sedit etiam post eum Stephanus tertius. Hic ex Gallia & Italia conuocata synodo, omnia a Constantino prædecessore ordinata deordinauit, & omnes per eum ordinatos degradauit. Huius Pontificis tempore (vt refert Sicardus) in partibus Liguriæ, vir magnæ sanctitatis, Boadinus nomine floruit, qui sæpe futura prædixit, absentia quoq; quasi præsentia nuntiabat. Nam cum Rex Luprandus venaretur in sylua, alter ex familiaribus putans ceruum percudere, nepotem Regis Anfulum nomine sagitta fauciauit. Quem cum Rex vnice diligeret, sancto viro recommisit. Ille vero ad Regis seruitorem ait: Scio quid Rex optat, sed hac hora puer obit in Christo. Significa ergo Regi, magis sibi proficiet mortuus quam viuus. Rex itaq; licet doluerit de obitu nepotis, tamen sustinuit æquo animo, Deo gratias agens quod suo tempore vir Dei spiritu prophetiæ iustraretur. Eo deniq; tempore sedit in imperio Philippus secundus, qui (vt diximus) Iustinianum Imperatorem iugulans imperauit annis duobus. Parum vero post eundem Philippum Anastasius Imperator secundus, qui & Artemius dictus est, oculis & imperio priuauit. Hic secundum Martinum & Vincentiū hæreticus & nequissimus fuit, omnesq; picturas & imagines ab ecclesiis præcepit abradi, propter quod Romani imaginem ciuitatis ipsius recipere noluerunt.

PARTIS SECVNDÆ FINIS.

RODERICI SANTI EPI-
SCOPI PALENTINI HISTORIÆ
HISPANICÆ PARS
TERTIA.

PRÆFATIO.

IN superioribus huius historie partibus ex multis pauca complectentes de salubritate auræ Hispanica, eiusq; terræ feracitate, auri deniq; argenti, cæterorumq; metallorum diuitiis & ubertate, nec non gentis fide, religione, strenuitate, amicitia, & humanitate breuiter egimus. Situm rursus & eiusdem præclaræ prouinciae descriptionem respectu aliarum orbis nationum, sed & prouinciarum sub ea contentarum succincte conteximus. Postremo regnorum in ea erectorum originem, tempora, diuisiones & uniones summam ostendimus. Verum quia inter cætera quæ fideliter retulimus,

retulimus, Isidorum, Lucam Tudensem, Rodericū deniq; Toletanensem historiographos clarissimos sequentes, id constanter diximus, quoniam ab Athanarico qui ex Gottis primus in Hispania regnavit, Henricus quartus Rex Castellæ & Legionis modernus LXXXII, gradibus totidemque successionebus per rectas lineas distat, quarum successionebus gradus XLV. numerantur, supputando quemlibet Regem pro vna successione siue gradu, incipiendo a Pelagio qui primus regnavit post infelicem calamitatem miseramque Hispania cladem, peccatis populi Christiani diuinitus permissam, verius iuste inflatam, qua omnes fere Hispania, & non parua Gallia pars sub Machometi seruitute miserabiliter subacta fuerunt, vsque ad Henricum quartum prædictum nunc feliciter regnantem, veridica computatione constat, quia prædicta LXXXII. successiones totidemque regnandi gradus intra eandem familiam continuati fuerunt, intra eandem stirpem, eandem deniq; domum, idemq; genus, nec in eodem Hispania principatu alterius extraneæ familie interpolatio inuenta est. (Quæ res in nullo cæterarum orbis nationum principatu reperiri facile potest) dignum duximus sub quodam epilogo omnes reges, eorumq; successiones, & regnandi ordines, illorum successus, & clariora gesta a Pelagio prædicto vsq; ad inclitum Fernandum tertium qui Vandaliæ & Beticam a Mauris recuperauit, breuissimè recensere. Rursus pro maiore historia ornamento aliqua præclara gesta ac similia exempla & memorabilia dicta & facta inseremus, tam ex sacra scriptura, quam ex veterum Romanorum & Græcorum annalibus, addentes insuper quedam moralia documenta rerum narrationi congruentia, latiore rerum Hispaniarum narrationem historia Roderici Toletani relinquentes, qui res Hispanicæ vsq; ad Fernandum prædictum inclusit, & graui stylo perstrinxit. Deinde paulo extensus subsequentiū post prædictum Fernandum in Hispaniis regnantium generationes, successiones, & regnandi ordines, nec non successus & clariora gesta describemus.

De Pelagio primo Rege in Hispania post eius cladem & desolationem a Mauris, & de genealogia eius, & Regibus Gothorum, & de gestis suo tempore. Cap. 1.

PELAGIUS primus Rex Hispaniæ fuit post eius cladem, & xxxviii. ab Athanarico primo Rege Gothorum, incepit regnare anno domini dcccxi. regnavit annis xx. Hic (vt historia perhibent) filius Theofredi fuisse creditur. Ipse vero Theofredus filius extitit Recensuindi Regis Gothorum, qui fuit pulsus in exilium per Egizam patrem Vitæ. Et hic Theofredus pater fuit Regis Roderici, & per consequens Pelagius fuit frater Roderici ultimi Regis Gothorum. Alii historiographi aiunt Pelagium ipsum fuisse filiū Fasille ducis Cantabriæ: omnes tamen concordant Pelagium per rectam lineam a Regibus Gothorum descendisse. Adde quia Alfonso dictus Catholicus, filius Petri ducis Cantabriæ, ex progenie gloriosissimi principis Recaredi Regis Gothorum, gener fuit Pelagii. Quo fit vt ex omni successione Pelagius, & ab eo descendentes, verum Hispaniæ principatum obtinuerunt. Hic igitur Pelagius primus post cladem Hispaniæ principatū in ea tenuit, (altem iure, licet nō plene de facto, vt dictum est: tum quia in eo vno repræsentabatur ius & successio principatus Hispaniæ, cæteris Regibus Gothorum & præsertim Roderico fratre mortuis atq; cæcis: tum quia (vt ait Rodericus in Chronica sua) populi Christianorum qui in Asturiis latitabant, in quibus residebat ius eligendi principē, eundem Pelagium in principem elegerunt: quamquam illa electio fuit quasi quedam iuris continuatio potius, quam noui domini assumptio. Hic Pelagius diuina pietate præseruatus creditur, vt miseram Hispanias peccatis Christiani populi afflictas, & pene euersas restauraret, ne inclytæ gentis Gothicæ lucerna in orbe penitus extingueretur, vt de Roboam legimus, quem ob merita Dauid & patrum suorum Deus in regno Iudæ præseruauit. Postquam igitur apud Asturias latuit diuino confortatus auxilio, paucorum Catholicorum copia fretus, Mauros quibus vndiq; circumseptus erat, paulatim insequitur. Tandem eo magis respirans, incredibilia & plus quam humana bella gessit, adeo vt paucis interiectis annis non mediocrē terrarū perditarū partem, iuuante domino, recuperauit. Hic recte primus liberator & patriæ instaurator dicendus, immo iustratus est. Huic sacerrimo principi cedit Romanus Camillus, qui (vt aiunt) Romam captam a Gallis liberauit. Cedit & Quintus Fabius M. qui imperium Italiæ

Romanis restituit, ac sæpe cõseruauit. Amilcar quoq; fidei pater Hannibalis, qui imperiũ Carthaginẽsibus restituit. Pelopidas item qui tyrannos ex vrbe Thebarũ expulit. Brutus deniq; qui Tarquinium Regem Superbũ a patria ignominiose deiecit. Sed & Dion Syracusanus qui patriam a manibus Dionysii tyranni liberauit. Thrasylbulus quoq; Pelagio inferior est, licet Athenas patriam a xxx. tyrannis liberauit, & Themistocles qui Græciam a manibus Persarũ tutatus est. Pelagius igitur de quo sermo est, postquam magnã Hispaniã obtinuit partem, contra Mauros ingentia bella deuicit, & de cætero successores sui nõ fuerũt intitulati Reges Gotthorum, sed Reges Legionis & Asturiarum. Genuit duos filios Fafillam, qui post eum regnauit, & Ormifebam reginam vxorem Alfonso Regis Catholici. Hoc 10 tempore sedebat Romæ Gregorius Papa 11. in imperio Anastasius, & post eum Theodosius 111. Hic Anastasius nequissimus fuit, qui Philippum Imperatorem prædecessorem suum iugulauit. Theodosius vero Anastasium deposuit, & fecit presbyterum ordinari. Hic gesta v. i. synodorum fecit describi. Tandem a Leone Papa depositus clericus effectus in pace quieuit.

De Fafilla 11. Rege Hispaniã post dictam cladem, & de gestis suo tempore. Cap. II.

FAFILLA filius Pelagii, 11. Rex fuit in principatu Hispaniã post illius cladem, & xxxix. ab Athanarico primo Rege Gotthorũ, incepit regnare anno domini dcccxxx. regnauit annis 11. Hic magnus venator fuit, & a quodam vrfo quem insequabatur occisus. Non parua dementia est sese periculis exponere, cum necesse 20 non sit, maxime vero cum feris voluntarie contendere, vt de Adonide legimus ab apro interfecto, & Aty Cræsi filio, qui Adraisti hospitis hasta trãsfigitur, dum aprũ petit. Qui enim feras insequitur, dignum videtur, vt a feris lædatur. fera enim bestia se natura tuetur, cum persequente ferit: homo vero contra naturam agit, cũ bestiam non lædentem persequitur. Cuius tempore Gregorius 111. Romæ sedebat: in imperio vero Leo 111. quo tẽpore Sarraceni Cõstantinopolim obsederũt, & plurima damna intulerũt. Huic Leoni Imperatori successit filius eius Cõstantinus v.

De Alfonso primo dicto Catholico 111. Rege post cladem Hispaniã, & de eius genealogia & gestis. Caput III.

ALFONSVS primus dictus Catholicus, 111. Rex fuit in principatu Hispaniã post eius irruptionem, xl. vero ab Athanarico primo rege Gotthorũ, regnauit xix. annis. Hic gener Pelagii ex regum Gotthorum genere descendit. Fuit enim ipse Alfonso filius Petri ducis Cantabrię de genere Recharedi gloriosi Regis Gotthorum, qui ante cladem Hispaniã hæresin Arianam extirpauit. Veluti enim fide & opera Constantini Magni in v. i. synodo præcisa est hæresis Manicheorũ in oriente: sic in occidente eadem religione & fide Alfonso Arianam hæresin extirpauit. In Italia vero Gratianum Cæsarem hæresin extirpasse legimus, & ad rectam fidem perduxisse, qui libros beati Ambrosii contra eandem hæresin ab omnibus recipi obrinuit. Incepit autẽ regnare anno domini dcccxxxi. dictus est Catholicus, quia fidei documenta obseruabat. Hic in omni parte Hispaniã multa 40 oppida & castra obtinuit a Mauris. Deinde Astoricam, rursus Legionem vbi sedẽ regiam posuit, campos etiam Gothicos, & plurima castra in Castella deuicit. Sed quid hæc minima commemoramus? Fuit gloriosissimus & victoriosissimus. nam ingentes victorias cõtra Sarracenos obtinuit, & plurimas prouincias, ciuitates, & oppida a Mauris occupata mira animositate lucro fidei adiecit. Inter cætera recuperauit Portum, Bracham, Viseum in Portugalia, deinde Bejar, Ledesma, Zamoram, Salamanticam, Simancas, Duennas, Saldanam, Mirandã, Segobiam, Curugnam: in Gallicia, Transmieram, Garnicam, & prouinciam Barduliã quæ nunc Castella vetus appellatur, Ordunam, Visciam, Bitoriam, Pampilonam & Nauarram, Pancoruo, & quasi vsq; ad montes Pyrenæos. Deinde Alfonso re & nomine Catholicus omnes ecclesias a Mauris destructas reparauit, quibus calices & ornamenta donauit. Merito igitur hic excellentissimus rex post irruptionem Hispaniã ac post Pelagium, 11. instaurator patriæ recte dici potest: vt alter Camillus Romanus, qui vrbe a Gallis obsessam liberauit, etiam recipientes aurum pro tributo expulit, & ad eam libertate vocatus est alter Romulus, vt ait Linius. Rursus idẽ Alfonso

Alfonso vt alter Iosua amissa patrũ suorũ hæreditate (vt scriptura commemorat) expugnauit insurgentes hostes, vt consequeretur hæreditatem perditam, inuocauit Altissimũ, & impugnauit inimicos vndiq;: & vt alter Natan ornauit tẽpla vsq; ad consummationem vite, vt laudarent sacerdotes nomen sanctũ domini. Deniq; Alfonso ipse tam feruentissimi zeli fuit ad augendam Remp. Christianã, vt sæpe dissimulato habitu castra Maurorũ exploraret, qui plerunq; cognitus fuit, sed mira strenuitate euasit: imitatus Mutiũ Scæuolam, qui obsessa vrbe a Porfena Rege Hetruscorũ, iuit in castra Regis, vt eum interficeret, loco cuius occidit secretariũ. Captus igitur & ad Regem ductus cõstanti animo affirmauit peccasse, quia Regẽ 10 occidere decreuerat, manumq; in igne positam combussit. Qua animi constantia Rex ab obsidione recessit. Sed iam Regis Alfonso prolem referamus. Igitur ipse Alfonso ex filia Pelagii genuit Froilam & Aureliũ, qui regnauerunt post eum successiue. Genuit & Egimadam quę fuit vxor Silonis, & propter eam regnauit: & Immarum patrem Veremundi Regis: & Mauregatũ ex concubina. Incepit regnare anno domini dcccxxxi. fuit piissimus, & Deo & hominibus dilectus. Suo tempore sedit Romæ Zacharias Papa: in imperio Cõstantinus quintus. Hic fuit patre peior, quia sacrificia dæmonibus immolauit. Tandẽ pessimi incẽdii plaga percutitur, & clamãs adhuc viuus igni simul inextinguibili traditõ miserabiliter moritur.

De Froila primo, qui tertio loco post cladem Hispaniã regnauit, & de eius genealogia & gestis. Caput IIII.

FROILA huius nominis primus, Alfonso filius, quartus Rex fuit post Pelagium, sed xli. post Athanaricũ primum Regem Gotthorũ. Incepit regnare anno domini dccccli. regnauit annis xlii. Hic contra Sarracenos Galleciã infestantes bella felicia egit, lxxx. millibus Arabũ cæsis, a quibus ditissima spolia & diuitias cõsecutus est. Maiorẽ certẽ in ea re laudem consecutus, quam Cæsar qui totidem Gallorũ: item quam Marius qui Cimbrorũ multa millia imperãdi gratia occidit, cum hic religionis, nõ ambitionis causa hoc fecerit. Nauarros rebellates inuasit, Vascones infestos subdidit. Tandẽ in Asturiis ab Aurelio fratre suo iniuste regnãdi gratia propriis manibus occiditur, idemq; frater filii interfecit fratris, nomine Veremundũ, quasi pro satisfactione ad optauit, imitatus Ptolemæum, qui teste Valerio Memphitem filium suum, quem ex Cleopatra, eadẽ sorore sua & vxore, sustulerat, optima spe puerum, in conspectu suo occidi iussit: nec ea sæuitia contentus, caput, manus, & pedes eius abscessos manibus contrectauit, naribusq; applicas, dicebat: optime olere filii hostemq; occisum. Tandem membra ipsa incisa chlamyde coopta, p munere natalicio matri suæ misit. Demum tantum flagitiũ arbitrans beneficium delere, alterũ filium parti regni præfecit. Similis regnãdi cupiditas Romulum, Atreum, Polynicem ad tale facinus impulit. Ferunt Hispanorum annalia quẽdam veteranũ militem dixisse Alfonso Catholico patri huius Froilæ, vt modũ daret in successione regni. videbat enim Aureliũ omne periculũ subiturũ regnãdi 40 gratia. Ad quẽ Alfonso verba Magni Alexandri retulit, vait Q. Curtius, designas enim Froilam, Nefas, inquit, est forti viro alium quam virũ fortem succedere, aut tantũ regni opes aliis quam fortibus, & probatis viris relinquere: & subdit, Talem quippe vobis in regno dimitto, sed futuri periculi timorem non aufero. Tempore suo in cathedra Petri sedebat Stephanus secundus: in imperio Constantinus sextus cũ filio Leone quarto. Hic Leo cupiditate ductus a crucifixo cuiusdã ecclesiæ coronam habentis lapides preciosos asportauit. Cũ igitur eandem coronam in capite portaret, exierũt lapides & gemmę, ipse q; febre mortuus est: post quẽ deuenit imperium in manus vxoris Irenes dictæ & Constantini filii secundum Sicardum.

De Aurelio quinto Rege Hispaniã post cladem. Caput V.

AVRELIVS filius Alfonso Catholici, quinto loco regnauit post cladem Hispaniã, sed xlii. Rex fuit ab Athanarico 1. Rege Gotthorũ, regnauit annis sex. Hic post interfectionẽ fratris sui cepit regnare anno domini dcccxlvi. Huius Aurelii tẽpore ferui p oēs Hispanias cõtra dominos surrexerunt, sed Aurelii industria verberati in pristina seruitutẽ sunt redacti. Voluerũt. n. imitari Scythas, de quibus Herodotus ait: E iij

quia cum perfequerentur gentes Cimmerias, Asiam ingressi sunt, & Medos imperio eiecerunt, quod xxviii. annis tenuere. Reuersi itaque in patriam inueniunt vxores impatientia libidinis cum seruis concubuisse. Quare opus fuit, vt serui contra dominos arma sumerent: qui superari non potuerunt, nisi domini eos verberibus, non gladiis comprimerent, fuerunt queiecti cum prole extra patriam. Ex his originem ducunt populi qui appellantur Sindi. De quib. Valerius Flaccus ait:

*Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.*

Hac de causa Scythæ quoscunq; capiunt seruos, occidunt. Sic & in Sicilia ingens seditio seruilis insurrexit contra dominos, plus quam triginta millia, quorum insolentiam Fuluius & Rutilius represserunt, & teste Iustino, viginti millia ex eis trucidarunt. In Minturnis vero ccccl. serui in cruce suspensi fuere. Apud Sueffam quoq; quatuor millia seruorum tumultuantium a Q. Metello & Gneo Seruilio oppressa sunt. Regnante autem eodem Aurelio, sedebat Romæ Paulus primus: in imperio Leo quartus.

De Silone sexto Rege Hispania post cladem. Caput VI.

SILON frater Aurelii, gener Alfonfi Catholici, post Aurelii obitum sexto loco regnauit post Pelagium, sed post Athanaricum primum Regem Gotthorū quadragesimo tertio loco regnum suscepit, regnauit annis octo. Hic vxorē duxit Odifindam sororem Regis Froilæ, & Alfonfi filiam, propter quam regnū simul & pacem obtinuit. Nuptiæ enim sæpe ex regia stirpe conciliant regnum, vt olim accidit multis Regibus Syriæ, Macedoniæ, & totius orbis. Incepit autem regnare anno domini dcccxxxii. Hic pacem ignobilem firmavit cum Arabibus, sed tandem male ei fuit obseruata, vt in eo verificaretur, Quia qui turpem pacem conficit, honestum bellum patitur. In pœnam quidem perniciosæ pacis iusto Dei iudicio graue bellū & improuifum a Mauris sustinuit, vt de eo propheta dicere visus sit: Decepisti populum tuum, dicens, Pax erit vobis, & ecce gladius. Et iterum, Curabant contritionem populi cum ignominia, & dixerunt pax, & non est pax. Tandē correctus de turpi pace, vt iliter postea contra Mauros bellauit. Deniq; Gallæciam rebellantem domuit. Eo tempore sedit in cathedra Petri Constantinus secundus natione Romanus, & Stephanus natione Syrus: in imperio præfuit Constantinus septimus. Hic Constantinus cum matre sua Irene nomine imperauit annis decē, quorum tempore congregata est Nicena synodus ccccl. patrum. Hic Constantinus matrē priuat imperio, & solus imperat, vt Ninus iunior matrem Semiramim regno Babyloniæ. Ipsa vero Irene mater erepto sibi imperio rañcore stimulara Constantinum filium exoculans, vita & imperio priuat, & sola tribus annis imperat. Hanc Irenem, quia Carolo nubere voluit, Græci in monasterium intruserunt, & Nicephorum Imperatorem elegerunt.

De Mauregato septimo Rege Hispania post eius cladē, & de gestis suo tempore. Cap. VII.

MAUREGATUS Alfonfi Catholici naturalis filius Silone defuncto per tyrannidem regnum occupat. nam Sarracenis confederatus eorum auxilio fretus regnum obtinuit. Et sic numeratur septimus Rex a Pelagio primo Rege post cladē Hispaniæ, sed quadragesimus quartus ab Athanarico primo Rege Gotthorum, regnauit annis tribus. Hic Mauregatus Pseudophilippo similis fuit, qui licet spurcius, regnum tamen per tyrannidem occupare conatus est, Alfonso Catholico patri suo valde dissimilis. Ille enim talis fuit, vt nullus clarioribus viris fuerit deditior, isto vero nullus turpioribus coniunctior: illo nullus principū melior, isto nullus hostis deterior: illo nullus principū suo tempore castior, isto nullus voluptatibus inclinatio: illo nullus liberalior, isto nullus rapacitate auarior: illo nullus animosior, isto nullus timidior. Ipse enim quadā animi malitia in Dei offensam vt Sarracenis placeret, certas virgines pro tributō annuatim mittebat. Qua de re Deo & hominibus ingratus est, & in quinto anno regni prauus in Præua Asturiæ prouincia mortuus &

tuus & sepultus est. Cū enim variis voluptatibus & deliciis deditus foret, euenit vt ignauus, imbecillis, ac pusillanimis euaderet. Nā qui tā turpibus seruiebat vitiis, necesse erat tam turpia tributa præstaret. Scriptum est enim per Sapientē: Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa fuerit, seruiet ignobiliter. Hoc est certe illud funestum tributū, de quo in Threnis propheta lamentabatur inquiring: Contrita sunt virgines populi mei. Et sequitur, Quis audiuit talia horribilia. & iterum, Virgines eius squalidæ, oppressæ amaritudine. Nec aliud tributum deplorabat Ieremias: Audite (inquit) obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meū. Virgines meæ abierunt in captiuitatem inimicorum suprum. Eo tempore sedebat Romæ Adrianus primus: in imperio Nicephorus Cæsar. Hic imperauit apud Constantinopolim annis nouem, & post eum Stauratus filius eius secundum Sicardum.

De Veremundo primo, qui octauo loco in Hispania regnauit post cladem, & de gestis suo tempore. Caput VIII.

VEREMUNDVS huius nominis primus, filius Bilmarai filii Alfonfi Regis Catholici, fuit octauus Rex a Pelagio, ab Athanarico primo Rege Gotthorū xlv. Hic regnare incepit anno domini dcccxxxiii. regnauit annis duobus. Hic Mauregato mortuo in regem assumitur. Fuit magnanimus: recolens tamē ordinē diaconatus suscepisse, regno sponte cessit post duos annos, & confobriniū suū Alfonso qui ad Nauarros cōfugerat, in regno substituit successorem, relicta vxore sua in religione: ex qua duos filios suscepit, Ramirū postea Regē effectū, & Garfiā. Hic Veremundus Imperatorem Lothariū imitatus est, qui partito inter filios regno, seculo renuntiauit, vt ante animo conceperat, & monachus effectus est, magisq; orationibus suis quam filiorum armis regno profuit. Imitatus est deniq; Lycurgū, qui filio fratris factō adulto regnū restituit. Hoc tempore sedebat Romæ Papa Leo tertius: in imperio Michael apud Constantinopolim annis duobus. Huius Imperatoris & duorum prædecessorum, videlicet Nicephori & Stauratii, imperium orientale (vt inquit Sicardus) ad nihilum redactum est.

De Alfonso secundo, cognominato Casto, qui fuit nonus Rex post Hispania defolationem, & de gestis suo tempore. Caput IX.

ALFONSVS secundus, cognominatus Castus, filius Regis Froilæ filii Alfonfi Catholici, incepit regnare anno domini dcccv. Hic nonus Rex fuit a Pelagio primo Rege Gotthorū post cladē Hispaniæ, sed xlv. ab Athanarico primo Rege Gotthorū, regnauit annis xli. Sobrius autē & pudicus admodū fuit, pius & humilis. Ideo recte nomen Casti sortitus est. Quare Deus ei præcipuas cōtulit victorias, quia scriptū est: Vir humilis loquetur victorias. Nā magna Arabū multitudo Asturias ingressa est, quā Alfonso Deo duce prostrauit, lxx. millibus Arabū cæsis. Aedificator fuit præcipuus ecclesiarum, inter quas Ouetensem & Astoricensem cōstruxit & dotauit: & vt cultus Dei augetur, plurimum fuit sollicitus. Quare auxi Deus domum & regnum suum. gratissima est enim Deo templorū ædificatio & reparatio. Nā vt sacra scriptura commemorat, Abraham quamprimū ædificauit in terra Cham altare domino, illico audire meruit, Tibi & semini tuo dabo terram hanc. Sed & Salomon quia prius ædificauit domum Dei, quam palatium regium, auxit Deus regnum suum, & siluerunt coram eo omnes inimici eius. Demum hic Alfonso Gotthorum pristinam gloriam pene extinctam ad hominū memoriā reduxit, & ad eandem ecclesiam Ouetensem reliquias sanctas ex Toletō & alijs partibus honorifice transportauit. Hic rursus (vt a multis fertur) vicit Carolū Magnum Regem Francorum, & Rolandū, & cæteros a seculo famosos, dictos Pares, apud montes Pyrenæos, in valle quæ hodie Hospita vallis dicitur. Iste Alfonso religione & pietate Constantinum Magnum imitatus fuit, Numam Pompiliū superans. Nec mirū si exteriores deuicit hostes, qui interiores superauit, carnem videlicet ad libidines prouocantem. Nam Hieronymo teste, Iudith castitas hostem Holofernem vincere meruit, quæ sæuissimum sui hostem superare potuit. Hoc tempore sedit Romæ Stephanus quartus, & Paschalis, & Eugenius: in imperio Carolus Magnus filius Pipini secundi. Hic Carolus fuit coronatus a Leone

Papa tertio, in basilica sancti Petri, cum regnasset super Francos annis xxxiii. hic primus Francorum Romanis imperavit annis xiiii. & cum Michaele & Nicephoro imperantibus apud Constantinopolim concordauit, ut inuicem se iuuant, & fratres appellarentur, & Graecus Imperator haberet orientem, Carolus vero & successores occidentem.

De Ramiro primo, qui fuit decimus Rex post Hispania cladem, & de gestis suo tempore. Caput X.

RAMIRVS huius nominis primus, filius Veremundi Regis praedicti, decimus 10
Rex fuit a Pelagio, sed xlvii. ab Athanarico primo Rege Gothoru, regnavit annis sex, mensibus noue. Incepit autem regnare anno domini dcccxxiii. Hic dum in Castella pro accipienda vxore moram traxisset, quidam Nepotianus Comes palatinus tentauit regnum occupare. Cui Ramirus festina & armata manu resistit, & tandem eum fugauit, quem iterum bello cepit, & in monasterio vitam finire fecit. Hic Ramirus adeo dilexit Garsiam Infantem fratrem suum propter virtutes & merita sua, ut eum secum conregnare fecit, & ita cuncta gubernabat, ut Ramirus. Inter quos fuit singularis vnitas, nec vnquam audita est scintilla discordiae. Suo etiam tempore gens Normannorum innumera littoribus Galliciae applicuit, cui Ramirus occurrit, & cum eis conflixit. Tandem septuaginta nauibus Normannorum succensis, & copiis eius fuis, qui euaserunt, in gloriam abierunt. iustus est enim Deus, cui (Iesaja teste) ingrata est omnis violata praedatio, & (ut ait Iob) iudicat opera & scelera aliena occupantium, quia dignum est, ut propriis careat, qui aliena rapere conatur, ut illud prophetae in se experiatur: Vae qui depraedaris, quia depraedaberis. Hic felix Rex cum Sarracenis apud Calagurram decertauit, in quo bello sanctus Iacobus apparuit, & caesa sunt multa millia Arabum, & Calagurra cum adiacentibus partibus in deditioem Ramiri deuenit. Bello inquam apparuit sanctus Iacobus, non fiste, ut olim de Castore & Polluce finxerent Romani. Merentur catholici principes diuina auxilia, cum infideles persequuntur zelo ampliandi legem Dei, non augendi regna temporalia. Sic Machabaeis pro lege Dei sui certantibus contra Timotheum, visus est sensibiliter de caelo vir Dei Iudaeis auxilia praebens, & Iudam in eolumem feruens: & iterum contra Lyfiam apparuit sanctus Dei de caelo in veste candida, hastam contra hostes vibrans. Tandem obiit Ramirus in domino. Tempore huius regis praefuit sedi Romanae Valentinus, deinde Gregorius quartus: in imperio sedit Lodouicus primus cognomento Pius, Caroli Magni filius. Hic fuit natura ipsa clementissimus, ideo vocatus est Pius: imperauit annis viginti sex.

De Ordonio primo qui in Hispania undecimo loco regnavit post eius cladem, & de gestis suo tempore. Caput XI.

ORONIOVS Ramiri filius regnavit anno domini dcccxxvii. & fuit undecimus Rex a Pelagio, ab Athanarico vero primo Rege Gothoru xlviii, regnavit annis decem. Hic genuit quinque filios, Alfonso, Veremundum, Nunium, Ordonium, & Froilam. Hic aduersus Vascones rebellantes exercitum congregauit, quo simul & patriam subiugauit, quam paululum seuerè rexit, regem quendam Iuda imitatus qui populum Edom rebellantem, & ne ei foret subiectus summopere conantem, graui seruitute afflixit, dignum iudicās, ut qui humanitatis dulcedinem non sapiunt, acerbis pocula degustent. Hic Ordonius in reditu Arabes inuenit patriam depopulantes, quos vicit atque fugauit: & iterum Muzam principem Sarracenorum patriam infestantem deuicit, decem millibus militaribus caesis, & Lupus filius Muzae qui in Toletis principabatur, Ordonio se subiecit. Hic Cauria Salamanticam recuperauit. Huius Ordonii tempore sedit Romanae Sergius, in imperio Lotharius huius nominis primus, Lodouici filius, qui solus imperare tentauit. Sed fratres eius Carolus & Lodouicus contra eum insurgunt, & magna vtriusque strage

strage secuta pax initur. Nam regno diuiso Carolus in Francia, Lodouicus in Germania, Lotharius vero qui maior natu erat, tenuit Italiam, & eam partem Franciae quae dicitur Lotharingia, ab eodem Lothario sic dicta. Deinde Lotharius seculo abrenuntiato habitum monachalem suscepit, & regnum filii diuisit.

De Alfonso cognominato Magno, qui duodecimus fuit post illius cladem, & de gestis suo tempore. Caput XII.

ALFOVSVS huius nominis tertius, cognominatus Magnus, filius Ordonii, duodecimus Rex fuit a Pelagio, ab Athanarico vero xlix. incepit autem regnare anno domini dcccxxxiii. regnavit annis quadraginta, genuit quatuor filios, Garsiam, Ordonium, & Froilam, & hi tres successiue regnarunt: genuit & Gundisaluum archidiaconum Ouertensem. Contra Sarracenos victoriosus fuit, & plurima sibi loca subiecit. Inter caetera subiugauit Alabam, Colimbriam cepit atque Viseu & alias vrbes in Portugalia, & catholicos terminos dilatauit. Hic amator fuit pietatis & iustitiae, & bella contra Arabes assidue gessit, & Galliam Gothicam, & populos Vasconum, & Nauarrorum non paruas terras quas Arabes detinebant, flamma & caedibus coarctauit, ecclesias plurimas aedificauit, Constantinum & plurimos Christianissimos imitatus, qui firmamentum imperii in religione & fide collocarunt: quod & gentiles Caesares egerunt, falsos deos colentes. illi enim (teste Valerio) ita se humanarum rerum commercia gentiumque cuncta imperia se obtinere existimarunt, si diuinæ potentiae bene atque constanter fuissent famulati. Tandem hic Alfonso filium Garsiam sibi reconciliauit, & contra Arabes eum misit, qui duodecim millia caecidit. Hic princeps Alfonso etiam catholicus & animosus fuerit, crudelitate tamen simul & ingratitude non caruit, quendam ex regibus Israel imitatus, de quo scriptura commemorat, quia pietatem & religionem sua crudelitate maculauit. Nam Veremundum, Nunium, Ordonium, & Froilam, fratres suos oculis priuauit, quia (ut fertur) in eius necem conspirabant. Sub hoc Alfonso militauit strenuus ac nominatissimus miles Bernardus de Carpio, cuius ad Regem fides, ac ad parentes pietas, & clarissimarum victoriarum felicitas nulla obliuione delebitur. Huius Bernardi patrem nomine Sandias Comitem, virum praestantissimum, Rex Alfonso quorundam aemulorum suorum suggestione captiuauit, tanquam parum sibi fidum. Nam (teste Emilio Probo) est hoc commune vitium apud magnos principes liberaeque ciuitates, ut inuidia gloriae comes sit, & libenter iis detrahunt, quos virtute eminere alius vident. Tanta enim erat patris & filii in rebus bellicis & omnium virtutum genere praestantia, ut caeteri magnates aequo animo eum non intuerentur: quare Regi de eis obloquebantur. Bernardus igitur saepe Regem suppliciter exorauit, ut eius genitorem libertati donaret, nec inuidis suis aures daret. id etiam expetebant ingentia patris & nati obsequia eidem Regi praestita, illud praecipue quo idem Rex fidei Bernardi exploratissimum argumentum agnouit. Nam cum apud Beneuentum Alfonso contra Mauros praelium confereret, quippe qui interfecto eius equo & in terra prostratus, & multitudine hostium obsessus, extremo foret periculo adductus, nihilominus fidelissimus Bernardus de suo equo descendens Regi assignauit. Quo egregio facinore & insigni fidei experimento e manibus Arabum Regem exemit, ut alter Ionathas qui se tunica spoliavit sua, & eam Dauid dedit, ne imminens periculum incurreret: imitatus illum fidelissimum feruum, quem Valerius commemorat, qui ut dominum proscriptum a morte liberaret, permutatis cum eo vestibus & domino per posticum misso, sese dominum quem hostes quaerebant, finxit: imitatus denique amicum Bruti, qui videns hostes Brutum inuestigasse, ille falso se Brutum afferuit, ut vere Brutum liberaret. Sed verum est quod Sapiens ait, Quia ingratus sensu derelinquit liberantem se, & vix dimidium reddet qui solidum dedit. Rursus Bernardus recolebat aliud non inferius beneficium. Cum enim ciuitas Zamorensis a Sarracenis obsideretur, praesidiis, copiis, ac strenuitate Bernardi ab hostibus liberata est: quo tempore Rex Alfonso eidem Bernardo patrem liberatum pollicitus fuerat. Verum quia ingrati animus causas semper inuenit, ne referat,

& nunquam de reddendo recolat, qui semper de nocendo cogitat, quia scriptum est per Sapientem: Ingratus etiam si potuerit reddere, aduerfabitur: Rex ipse post plurimas preces respondit Bernardo, nullo pacto patrem velle liberare. Ipseque Bernardus, ut alter Quintus Crispinus quem Valerius commemorat, qui ingratum contra se principem prius monere quam vincere maluit, iterum regem hortatur, ut patrem relaxet. Rex vero comminationem ei mortis indixit, si de ea re amplius loqueretur, ut de eo Sapiens loqui videretur, Quia ingratus conuitia & maledicta reddet ei, & pro honore & beneficio reddet contumeliam. Bernardus igitur suis & amicorum copiis fretus terras regias vastat, & inuictus, sed voluntaria pietate motus, maximas depredationes subditis regis infert. Contra quem Rex exercitum mittit. Sed quia pietas ad omnia valet, Bernardus regis exercitum deuicit, & duces exercitus captiuauit, quos eo pacto regi transmittit, ut patris liberationem obtineret. Quorum precibus, simul & omnium regni magnatum instantia Rex ipse deuictus annuit, & solenniter pollicitus est patrem Bernardi liberare, si Bernardus castrum del Carpio regi assignaret. Idque egit Bernardus illico libes. Rex vero misit ad urbem Legionenses, ut pater Bernardi duceretur: sed quatuor antediebus obierat. Quæ res cum regi secreto innotuisset, iussit corpus exanime certis unguentis & aquis calidis perungi, & optimis pannis vestiri, supra equum ut viuus crederetur, putans promissioni fecisse satis mortuum reddere, qui viuum dare promiserat. Cum igitur Rex intelligeret aduentum eius, obuiam ei 20
cit, & Bernardo patrem assignauit. Qui ut primum eum mortuum cognouit, inconsolabiliter lacrymatus est. Cui Rex loco consolationis quæ pro causa & tempore debita erat, grauius comminatus est, ut omni mora postposita a regno exiret. Quod sine mora expleuit Bernardus, & ad Carolum dictum Caluum, regem Franciæ, se transtulit. Sed nec inuidiam fugita suorum conspectu recedendo. Quinimo quanto maior fuit eius gloria, tanto amplius æmulos comparauit, eumque absentem persequabantur. Ille tamen tantam ingratitude, dicam inauditam inuidiam, passus, a caritate patriæ recedere non potuit. in Gallis enim militans saluberrima auxilia patriæ contra Mauros tulit, maiorem consecutus gloriam odio quam obsequio æmulorum. Non parua fuit huius principis ingrati- 30
tudo. Nec aliter Themistocles accidit, qui cum principi Græciæ tantum præsidii & consilii impendisset, ut per eum Rex vitam, simul & Græciam recepisset, tamen eo usque ingratum eum Themistocles sensit, ut pro cuius vita & regno paulo ante triumphauerat, non debitam sibi vicem, sed nec misericordiam reperiens, ab eo effugere cogeretur. Sic rursus, ut apud Machabæos legitur, Demetrius egit, qui cum de manu hostium Antiochenorum a Ionathasæpe liberatus esset, paulo post se ab eo alienauit, quem valide persecutus est. Sic & Ioas Rex Iuda pro maximo a Ioiada pontifice recepto beneficio maximam ingratitude perfoluit, cum filium eius occidit, ut apud Paralipomena scriptura sacra commemorat. Habent tamen quædam Hispanorum annalia Alfonso regem post hæc omnia 40
sibi Bernardum ob sua ingentia merita reconciliasse, amboque contra Sarracenos gloriosa simul bella gessisse. Nec aliter Salinatori & Neroni accidisse Valerius refert. Cum enim inuidia Neronis per ingratum senatum missus esset in exilium, Senatus cognoscens ingrate egisse aduersus Salinatorem, qui plurima Romanæ Reipublicæ beneficia præstiterat, illum cum honore reuocauit, atque simul & Neronem consules creauit. Qui pristinae inimicitia obliuiscuntur apud Metaurum fluitum quinquaginta millia Pœnorum captiuarunt. Sic Marcus Lepidus & Fuluius: sic Scipio & Tiberius depositis grauissimis inimicitias in miram vtilemque Reipublicæ amicitiam deuenerunt. Refert Lucas Tudensis tempore huius Alfonso 50
tertiæ apud Cordubam a Sarracenis tunc occupatam, regnasse quendam Machometum nomine, qui cum quadam die ad amœnissimum viridarium variis & odoriferis arboribus & rosis constitum diuertisset, ait ad eum vnus miles: O quam pulcher, quam dulcis, sapidus, & delectabilis est hic mundus, si homines non essent morituri. Ad quem Rex, Erras, inquit, grauius in eo quod loqueris. Si enim non esset mors, utique ego non regnarem. Ad quem rursus quidam sapiens qui aderat, Grauius,

Grauius, inquit, tu erras, o rex, dum ideo caram habes mortem, quia tibi regnum attulit. odias ergo mortem necesse est, quia tibi breui regnum auferet. Quare tu magis præ cæteris timere debes mortem, qui magis cæteris perditurus es per mortem. Adde quia si dulce putas regnare, amarissimam puta & mortem, quæ ne regnes efficiet. Mihi igitur crede, o rex, mortem minus timet (teste Romano Vegetio) qui minus delectationis minusque terrenæ habet felicitatis. mors enim quæque sua uia spernit, odit alta fastigia, quæ diu stare non finit. Ad quem rex, Quid igitur regnare iuuat? At ille, Ut honore rex solum fruatur & gloria. Cui autem (teste Aristotele) hæc non sufficiunt, tyrannidem exercere, non regnare, dicendus est, nec 10
regnat, quæ ratio non regit. Eo tempore sedit Romæ Leo III. & Iohannes VIII. demum Benedictus III. & Nicolaus primus: in imperio præfuit Lodouicus I. Lotharii filius, de quo paulo ante diximus.

De Garfia primo, qui fuit in Hispania XIII. rex post eius desolationem, & de gestis suo tempore. Caput. XIII.

GARSIAS primogenitus Alfonso XIII. rex fuit post cladē Hispaniæ, post Athanaricum vero primum regem Gotthorum quinquagesimus. Incepit autem regnare anno domini DCCCLXXXIII. regnauit annis III. Hic Arabum terras duris 20
incurfionibus afflixit, & breui tempore præclara bella contra Arabes confecit. Inter cætera deuicit & captiuauit Aiolas Regem Maurorum, & cum magna præda rediit ad propria, & cū religiosissimus & catholicus foret, preciosiora spolia ecclesiæ sancti Saluatoris Ouerensis contulit, imitatus Gratianum Cæsarem, qui uota sua deo dirigens inæstimabilem hostium multitudinem apud Argentariā Galliarum oppidum incredibili felicitate prostrauit, & Romam rediens liminibus sancti Petri partem spoliolum dedicauit: quam siquidem uictoriam cultura rectæ fidei & eximie religionis tribuit. Sic & Iosua ob eius religionem & ad deum deuotum cultum Gabaonitas mirabiliter cæcidit. Gedeon quoque religione plus quàm armis deuicit. Garfias igitur post tres annos propria morte obiit, sepultus apud O- 30
uectum. Eo tempore sedit apud sedem apostolicam Adrianus II. in imperio Carolus II. cognomēto Caluus, rex Francorum, Ludouici II. filius. Hic audita morte imperatoris nepotis sui properat, & Iohannem papam VIII. & Romanos sibi concilians, imperator efficitur secundum Vincentiū: contra eum tamen a Ludouico fratre suo rege Germaniæ bellum paratur, quia eo in consulto imperium usurpauit. Tandem cum ab Italia rediret in Franciam, creditur ueneno extinctus.

De Ordonio II. qui decimo quarto loco in Hispania regnauit post cladem, & de gestis suo tempore. Cap. XIII.

ORDONIVS II. frater Garfiæ prædicti, XIII. rex fuit, & LI. post Athanaricum primum regem Gotthorum. Incepit regnare anno domini DCCCLXXXVII. regnauit annis VIII. mēsis VI. Hunc Ordonium Alfonso præfecerat Galleciæ adhuc uiuens. Hic prudens & sagax fuit, in bello captiuum duxit principē exercitus regis Cordubæ, & plurimas alias uictorias contra Arabes obtinuit, rotam fere Lusitaniam deuastauit, & castrum Alarim occupauit, ecclesiā Legionensem plurimum decorauit & dotaui. Semel tantum fuit uictus a Mauris, quo bello fuerunt captiuati Legionenses & Astoricenses Episcopi. Hic Astoricensis Episcopus Pelagium nepotem obsidem dedit, & tandem apud Cordubam per Abderramem regem Sarracenorum martyrio coronatus est. Ordonius ipse a principio tam pius 50
& mansuetus fuit, ut Tito & Vespasiano & Antonino comparari potuerit. Verum quia insolens est regia dignitas & festinata prosperitas, gloriam suam appetitu uindictæ maculauit, & non mediocribus uitiis uirtutes pristinas dehonestauit. Sed uerum est, quia (ut inquit Valerius) sicut aliqui degenerant a parentum nobilitate & dignitate, sic aliqui degenerant a seipsis & pristina uirtute & probitate: sicut Nero, de quo quantum ad sui principatus initium dicit Seneca in libro de clementia:

Nemo viuens homo vni homini tam carus fuit, sicut tu populo Romano. difficile hoc fuisset, nisi naturalis tibi bonitas inesset: qui tandem omnium nequissimus euasit. Ordonius ergo vitis accessit, sed infeliciter ei successit. Nam pro eo quod impleuit iram suam iniquitate & dolo, ac loquutus est in fraude pacifica, regni Legionensi honorem & præminentiam perdere meruit, ut alter Tryphon quem scriptura recolat, ne veritas fallat, quæ ait propter iniustitias & dolos regna transferri de gente in gentem. Hic enim Ordonius crudeliter & impie agens Comites Castellæ qui tunc regi Legioni subiciebantur, sub securitate vocatos apud Carrionem dolo cepit, & tandem apud Legionem in carceribus occidi iussit. Fuerunt autem quatuor Comites sic interfecti: Nunius Fernandi, & Donus Almudo Aluo, Didacus filius suus, & Fernandus Zul. Quæ res plurimum displicuit Deo & hominibus, & non parum virtutes Ordonii obtenebrauit. Fatendum est enim, iusta fuit regis indignatio contra Comites, qui vocati a rege suo pro iusto & pio bello venire contempserunt: veruntamen tam acrem vindictam inferre non debuit, præsertim cum violatione fidei a se præstitæ. Nam cum scriptum sit, Quia iustus ex fide viuunt, non recte iustitiam exercet qui fidem a se oblatam violat, quæ etiam hostibus seruanda est. Hæc aliter fecit Ioab, ut scriptura commemorat, qui vocauit in pace Amasa ad colloquium, & quasi osculari vellet, in dolo eum percussit. Sic & Antiochus rex locutus est verba pacifica commorantibus in Ierusalem, & illico in dolo irruit super eos, & percussit plaga magna. Sed & Ismael apud Machabæos legitur Goliath ducem Ezechie regis apud Masfad a se inuitatum ex insidiis occidisse. Sed tanta fidei violatio per Ordonium perpetrata, perpetua vindicta punita est. Nam ob eam causam prouincia Castellæ quæ hætenus regibus Legionis subiciebatur, ob illud scelus a subiectione prædicta se subtraxit. Castellani enim regibus Legionis deinceps rebellauerunt, & iudices de nobilioribus patriæ elegerunt, videlicet Nunium Rafura auum nobilissimi principis Fernandi Gundisalui Comitis, & Laynum Caluum proauum egregii bellatoris Roderici Cidi: ex quibus descendunt reges Castellæ. Dictus vero Ordonius genuit Alfonso & Ramirum. Huius tempore sedit Romæ Ioannes VIII. in folio vero imperii Carolus III. Ludouici Germaniæ imperatoris filius ac nepos ex fratre Caroli Calui. Hic annuentibus sibi quibusdam Romanis imperium adeptus est. Hic Carolus corpore & animo deficiens ab optimatibus repudiatur, & Arnulphum in imperatorem eligunt.

De Froila II. qui fuit XV. rex in Hispania post cladem, & de gestis suo tempore. Cap. XV.

FROILA II. frater Ordonii, & filius Alfonso III. decimus quintus rex fuit post cladem Hispaniæ, sed LI. post Athanaricum primum regem Gotthorum. regnare autem incepit anno domini octingentesimo nonagesimo quarto, vno anno & duobus mensibus regnauit, genuit quatuor filios, Alfonso III. & Ramirum II. uterque fuit rex: item Ordonium & Froilam. Hic sæuus fuit (occidit enim multos nobiles) & tandem lepra percussus est, ut alter Sylla Romanus, qui ob eius crudelitatem pediculari morbo percussus extitit. Digne quidem a vilissimis animalibus vita priuatur, qui nobilissimos homines morte affecit. Nihil legit memoria dignum. Eo tempore sedit Romæ Martinus XI. in imperio Arnulphus filius Caroli Magni nepotis ex fratre Caroli III. Hic Arnulphus filius Caroli, non tamen legitimus, tandem imperator efficitur, & pediculis moritur. nã irremediabiliter (ut fertur) ab eius corpore scaturiebant vermes, qua afflictione obiit. Huius tempore Franci imperium perdidit, quod apud eos fuerat circiter centum viginti annos.

De Alfonso quarto, qui in Hispania decimo sexto loco post cladem regnauit, & de gestis suo tempore. Caput XVI.

ALFOVS III. filius Froilæ, XVI. rex fuit a Pelagio primo rege post cladem Hispaniæ, & LI. post Athanaricum primum regem Gotthorum: cepit autem regnare

regnare anno domini DCCCXCV. regnauit annis quinque, mensibus VII. Hic ex Ximena genuit Ordonium vocatum Malum: ipse vero Alfonso monachus effectus regnum Ramiro fratri dimisit, & tandem penituit. Nam apostatauit a religione & monasterio sancti Facundi. Tandem iuit Legionem ubi in regem se erexit. Sed a fratre Ramiro captus & excæcatus fuit. Ramirus imitatus Ludouicum regem Francorum, qui Carolum Magnum filium suum pro eo quod apostatauit, & plurimis sceleribus genus regium maculabat, carceribus trussit atque excæcavit. Alter enim Iulianus Apostata effectus erat. Ordonius vero filius huius Alfonso apud Cordubam interfectus est. Hoc tempore præfuit sedi apostolicæ

10 Stephanus V. & Formosus, & successit Bonifacius III. in imperio vero Ludouicus XI. filius Arnulphi. In isto Ludouico cepit deficere progenies Caroli Magni, & cessauit imperium Francorum, & huius Ludouici tempore Italici ceperunt imperare. Hic Ludouicus propter tyrannorum Italiæ insolentiam non habuit benedictionem imperialem.

De Ramiro II. qui in Hispania XVII. rex fuit post cladem, & de gestis suo tempore. Cap. XVII.

RAMIRVS II. frater Alfonso, & filius Froilæ, XVII. rex fuit post cladem Hispaniæ, sed LIII. ab Athanarico. cepit autem regnare anno domini DCCCCL. regnauit annis XIX. mensibus II. Hic genuit duos filios, Ordonium & Santium, qui ambo fuerunt reges. Hic bellis deditus contra Arabes victorias obtinuit. Nam sociatus nobili Fernando Gundisalui Comite Castellæ, apud Osmam contra Arabes gloriosam obtinuit victoriam. Huic Ramiro Abenaye rex Casaraugustæ obedientiam & tributa dabat, qui tandem fiducia regis Cordubæ nedum rebellauit, sed Castellam ingressus est usque ad Simancas, ubi grauissimo bello commisso, tandem octoginta millia Arabum ceciderunt, & Abenaye proditor captus est. Vix tot millia hominum vno prælio cæsa reperimus, non a Romanis, non a Carthaginensibus, non denique ab Alexandro. Quare putandum est, pieque credendum, angelo duce, ut in castris Senacherib, tantam cædem contigisse. Clariore tamen victorias ac cætorum numerum latius infra tangemus, eum de Alfonso VIII. agemus. Ferunt Hispanorum annalia, quod cum Abenaye rex Maurorum prædictus cum magnis copiis Castellam intrasset, nonnulli Barones Ramiro persuadebant stipendiis admittendos esse quosdam Barbaros, dictos Alarabes, inimicos Abenaye: illique se velle Christianos iuuare pollicebantur, si eis salaria militaria soluerentur. Plures vero ex militibus Ramiri negabant Barbaris stipendia danda fore. Ramirus vero, ut alter Cato Senior, errare ultimos grauiter asseruit. Si enim Barbari (inquit) vicerint, non a nobis, sed ab hostibus mercedem exigent illis soluendam: quod si victi fuerint, nec a quibus stipendium petatur, nec qui petent erunt futuri. Ceterum cum parva victoria contra Abenaye regem Maurorum milites Ramiri de diuidendo

40 spolia contenderent, quæ pauca admodum erant, Ramirus singulis militibus singulos nummos argenteos solum distribuit, dicens quod apud Quintum Curtium, Alexandrum in pari casu dixisse fertur: Longe melius fore pauperes domum redire, quam diuites extra eam mori. Sic & Catonem Seniore dixisse ait Polybius. Nam cum libram argenti militibus suis distribuisset, ait felicius esse ut multi cum argento quam pauci cum auro a bello reuerterentur. Habent annalia Hispaniæ contra hunc regem Ramirum rebellasse duos nobiles de regno Legionis, vocatos Fernandum Yuanens & Didacum Nunii, adeo ut Ramirus nullo pacto posset eos a seditionibus retrahere. immo facti sunt vassalli Aceffæ regis Sarracenorum, qui ab eisdem militibus instigatus congregato exercitu terras Ramiri hostiliter inuasit.

50 Qui Ramirus adunatis genibus suis animose occurrit, & ut Deo placuit, Sarraceni victi & cæsi sunt: sed & capti illi duo nobiles, contra quos ventilato iuridico processu fertur capitalis sententia. Sed illico plurimi nobiles regni regi supplicarunt, ut eis ea vice indulgeret, supponentes capita sua si amplius rebellarent. Quibus rex Ramirus, ut erat natura clementissimus, Dono, inquit, vobis vitam illorum, experiarque an vincam beneficiis quos minis & terroribus flectere non valui. Quare sua illis bona

restituo ac certas illi villas regio munere tribuo. Ipsi itaque milites conspecta tanta erga eos regis clementia & beneficentia, deinceps fidelissimi omnium fuerunt. Imitatus est Ramirus illū principem quem Seneca in de beneficiis recolit, qui cū non posset quendam potentem militem sibi satis conciliare, vxorem cōsuluit, quę dixit ei: Fac quod medici solēt facere, qui vbi vītata remedia prodesse nō possunt, tentant contraria. Tu ergo si seueritate nihil profecisti, nunc tenta per viam clementiā. Ille igitur vxoris consilium sequens ei nedum indulgit, sed munera dedit, fuitque deinceps sibi fidissimus, adeo vt illum hāredem faceret. Hic itaque actus Ramiri clementia & beneficentia plenus plures vitę Ramiri insidiantes sibi deuotissimos & fidelissimos reddidit, vt verū sit quod idem Seneca ait: Quia grauiterr
 10 errat, si quis extimat tibi tutum esse principem, vbi nihil est tutum a principe. securitas enim securitate pensanda est. Rursus hic Rex Ramirus maiores victorias obtinisset, sed a fratre Alfonso impeditus est. Quem quia excācauit, pœnitentia ductus monasterium sancti Iuliani construxit, ibique fratrem sepeliuit. Salubri consilio ductus pœnitentiam egit, ne comminatas sibi cœlitus pœnas lueret, vt a quodam sancto viro dicitur habuisse, dicente saluatore: Si dixerō impio morte morieris, & egerit pœnitentiam a peccato suo, conuertar ad eum, & si pœniterit, ego pœnitentiam agam super malo quod cogitauī. Hoc tēpore sedit Romę papa Romanus, & Theodorus, & Iohannes I x. & Leo v. & Christophorus: in imperio Berengarius & Cōradus Alemanus huius nominis primus. Hic successit Ludouico
 20 tertio in Germania. Hic coram principibus regni instituit Regem Henricum, filiū Othonis ducis Saxonum. Quo effectum est, vt cessaret progenies Caroli in regno Germaniæ.

De Ordonio tertio, qui in Hispania decimo octauo loco post cladem regnavit, & de gestis suo tempore. Cap. XVIII.

ORDONIVS III. filius Ramiri, xviii. rex fuit a Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & lv. ab Athanarico primo Rege Gotthorū. cœpit autē regnare anno domini dccccxx. regnavit annis quinque. Hic genuit Veremundum paulo post Regem. Hic prudens fuit. Verumtamen frater eius Santius quem Ramirus
 30 ex forore Garthiæ Regis Nauarræ susceperat, fauore & auxilio eiusdem Garthiæ, & Fernandus Gundissalui Comitis Castellani attentavit, eundem Ordonium fratrem a regno expellere. Sed Ordonius derelicta Vrraca vxore sua, quia pater eius Fernandus Gundissalui Comes fratri fauebat, duxit aliam in vxorē, in nullo Pōpeium imitatus, qui Iuliam vxorem, licet Cæsaris hostis filiam, non modo nō repudiavit, sed eo tenacius dilexit, maiorique honore habuit, sed nec animū Iulię patris nec mariti odium mutavit. Tam tenere itaque maritum amavit, vt cum Pompeii vestem cruore resperfam de castris adductam vidisset, de salute mariti territa exanimis concidit, partum edidit quem ventre conceperat, & cum magno dolore expiravit. Illa denique viuente diffidia inter Cæsarem & maritum quieuerunt: mortua
 40 vero tranquillitas orbis & vrbis sua parta virtute truculentissimo cruore perturbata est. Cæterum quia Gallicia fauebat fratri Santio, Ordonius congregato exercitu Gallecos perdomuit vsque ad Vlisbonam. Tandem facta est concordia inter Ordonium & Comitem Fernadum. Hoc tempore præfuit Romanæ sedī Sergius & Anastasius: in imperio vero Berengarius. De isto Berengario primo & de secūdo, ac de Hugone & Berengario III. nulla fit mentio in Chronica Vincentii.

De Ordonio quarto, qui in Hispania XIX. loco regnavit post cladem. Caput XIX.

ORDONIVS IIII. cognomēto Malus, filius Alfonsi excæcati, XIX. rex fuit, & lv. ab Athanarico primo Rege Gotthorū. Hic tyrannice regnum vsurpauit,
 50 ideo nō attribuitur ei anni regni, nec cōcurrētia, quia omnia supputātur sub Santio. Hunc Ordonium cum nonnulli hortarentur, vt a tam infesta tyrannide abstineret, & cū Santio cōponeret, ad eos Ordonius dixisse fertur, Quia regnandi auiditas non nisi gladio amittitur. Imitatus est Ordonius, immo secutus Adriani imperatoris sentētiam, qui (vt ait Volcatius Gallicanus) dicebat, Quia misera cōditio regnantium

regnantium de affectata tyrannide, non aliter quam eis occisis credi potest. Hic Ordonius duxit vxorem filiam Fernandi Gundissalui Comitis Castellæ, sed propter scelera eius eam sibi abstulit, & fugatus a regno per Santium apud Cordubā occisus est. Recte quidem ab hoste infideli occiditur, qui infidelis & hostis auxiliū inuocat, vt illud prophetę experiatur qui ait: Consumentur impii ab idolis quib⁹ sacrificarunt. dignum enim videtur, vt ab exteris cædatur, qui suos cædere conatur. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Anastasius, in imperio Berengarius secundus.

10 De Santio primo, qui primus rex fuit Legionis & magnę partis Hispaniæ, & quomodo Castella fuit liberata a subiectione Legionis. Cap. XX.

SANTIUS huius nominis primus, nominat⁹ Grossus, filius Ramiri, & frater Ordonii, xx. rex fuit a Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladem, & lvii. ab Athanarico primo Rege Gotthorū. cœpit autē regnare anno domini dccccxvi. Hic regnavit annis xiii. fuit intolerabili pinguedine grauatus: quare pacem fecit cum Abderame Sarraceno Rege Cordubæ, qui copiam medicorum habebat. Cordubam igitur adueniens & magnifice susceptus, conuocatis medicis antidoto cuiusdam herbę a grauitate pinguedinis est liberatus. Intolerabilis pinguedo
 20 pro morbo habetur iuxta illud Iuuenalis:

Montani quoque venier adest abdomine tardus.

Hunc annalia tradunt herba curatum, verius dicerem maturius necatum. Nam in Iudicum lib. dicebat vnus ex Regibus Ægypti: Nunquid possum deserere pinguedinem meam? Dum vero Santius apud Cordubam moram traheret, magnates regni Asturiarum, & Fernandus Gundissalui Comes Castellę Ordonium Malum in principem elegerunt, qui habuit vxorem Ximenam dicti Comitis Fernandi filiam. Quo audito Santius fretus auxilio Arabum Regis Cordubæ venit in Asturias, & Ordonium Malum fugauit, & domitis rebellibus regnum recuperavit. Ordonius Malus victum se exhibuit, & in nullo restitit. Quare Comes Fernandus ei abstulit vxorem. Hic Santius deuotus fuit, & construxit monasteria apud Legionem, qui Rex Legionensis existens, ex pacto facto cum Fernadō Gundissalui Comite & domino Castellæ, a iurisdictione Regum Legionensium quibus hactenus obediebat, Castellam perpetuo liberauit. Obiit Santius (vt creditur) ex veneno. adeo enim est infida Regum fortuna, vt vel gladio crebrius, aut veneno eos mori sæpe contingat. Reliquit autem Ramirus filium suum qui postea Rex. Eo tempore sedebat Romę Anastasius Iii. & Iohānes x. in imperio Henricus primus. Hic primus dicitur inter Reges Teutonicos. Fuit filius Othonis ducis Saxonie. Quo defuncto filius eius Otho primus in Regem coronatur. Aliqui non computant in numero imperatorum, quia nec benedictionem obtinuit, nec
 40 in Italia regnavit.

De Ramiro tertio qui XXI. loco regnavit in Legionē, & magna parte Hispaniæ post cladem, & de gestis suo tempore. Caput XXI.

RAMIRVS III. filius Santii, XXI. rex fuit a Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & lviii. ab Athanarico primo Rege Gotthorū. Cœpit autem regnare anno domini dccccxxvii. regnavit annis xxv. Hic quinque annorum existens de consilio matris cum Arabibus pacem fecit. Interim Normannorum multitudo cum Rege eorum Gunderico littoribus Gallicię applicuerunt, vrbes & loca vastantes, & cum vellent discedere, nobilis Comes Gundissalvus Santii, vocato nomine domini & Iacobi apostoli mirabiliter sunt prostrati, & in ore gladii cæsi, nauigiis eorum succensis. Interim Arabes rupta pace cum Ramiro patriam Castellæ & Legionensis insequuntur, cædibus & incendiis cuncta vastantes, & venientes Zamoram funditus eam subuerterunt. Ramirus vero duxit vxorem Vrracam. Hic ætate & actibus puer insolenter regebat. Quare Gallici Veremundus
 F iij

dum filium Regis Ordonii in Regem apud Compostellam creauerunt, contra quem Ramirus cum magno exercitu vadit, & prælio commisso vterque inuictus a prælio discessit, non sine graui vtriusque gentis cæde. Plurima incommoda hic Rex sua imprudentia expertus est, quia Comiti Gúndissaluo parum credidit. Scriptum est enim: Rex sapiens stabilimentum regni, & qui spernit cõsilia, perdet populum suum. Et iterum apud Daniele: Confurget Rex imprudens, & non prosperabitur. Obit autem morte communi apud Legionem absentes liberis. Tempore huius Ramiri Regis Legionis erat dominus Castellæ Garfiæ Fernandi, filius nobilissimi Comitis Fernãdi Gundissalui. Cum igitur iussu eiusdem Garfiæ Comitis nobiles viri septem Infantes filii Gundissalui Gústii de la rra, terras Sarraceno-
 10 rum inuaderent, ex insidiis & prodicione perfidi auunculi sui Roderici Vasti traditi sunt ad manus Sarracenorum. Nam et si horribile atque infaustum auspiciis confpexissent in via (viderunt enim aquilam seipsum percutientem) multique eisdem suaderent, ne vltra procederent: illi tamen non acquiescentes illico obuiarunt auículo proditori, qui sub pacis velamine eosdem nobiles infantes deduxit ad insidias paratas. Eius enim industria latebant duo Sarracenorum Reges, videlicet Aliquamte & Viara magnis copiis muniti. Commisso itaque bello tãdem victi pariter & occisi fuerunt Infantes prædicti. Sepe enim prodigia & auspicia futura indicant. Sic enim ante mortẽ Iulii Cæsaris (vt ait Comestor) fulgur cecidit iuxta
 20 stauam eius quæ Iulia dicitur, & de nomine eius C literam capitalem amputauit, mortem eius præsignans. Rursus iuxta Martianum, 1. 1. de nugis philosophorum: plerunque Deus commouet mortales vel syderis cursu, vel fulminis iaculo, vel prodigiali nouitate, sicut excidium Troiæ stella super domum fascem ducens, viamque significans in Ida se condidit: quo signabatur Troianos ad domum Anchisæ fugituros. Hæc tamen auspicia siue prodigialia signa terrere, sed nec mouere catholicos debent. similes enim actus avium & animalium secundum sanam doctrinam contingere possunt, ex corporum supracælestium dispositione: quo casu signa quædam sunt circa naturalia. Nonnunquam vero accidunt diuina dispositione, quæ ita disponit, vt per aliqua animalia certa futura prænoftentur: veluti
 30 coruus qui pascebat Heliam. Sed plerunque talia contingunt diaboli illusione, qui per tales actus animalium decipit, quos prospicit pronos ad talia credendum, vt tandem inducat ad dæmonum culturam, vel vt ipsos fideles terreant, quo facilius ab infidelibus vincatur cum fidei iactura: quemadmodum Hispanica annalia referunt accidisse tempore nobilis viri Fernandi Gundissalui Comitis Castellæ, patris huius Garfiæ Comitis. Nam cum potentissimus Rex Sarracenorum Almanzor adunatis copiis terras Christianorum inuaderet, præfatus Comes Fernandus Gundissalui ei viriliter occurrit. Ea igitur dæmonum deceptione vitus est ingens draco in aere volitans, ignesque euomens, atque terribiles vlulatus emittens: cum
 40 vero Christianus exercitus non parum terreretur, Fernandus Comes eos cõfortans illa dæmonum esse præstigia ad terrendos decipiendosque fideles, suadens vt in Deo spem ponerent. Commisso igitur sequenti die bello Sarraceni victi fuere. Hoc tempore sedebat Romæ Stephanus VII. & Iohannes XI. & Leo VII. & Stephanus VIII. in imperio sedit Berengarius III. Hoc tempore graue schisma fuit in Italia.

De Veremundo II. Rege Legionis & magna partis Hispaniæ, & de victoriis, & de gestis suo tempore. Cap. XXII.

VEREMUNDVS II. filius Ordonii, XXI. Rex fuit a Pelagio primo Rege post Hispaniæ cladem, & LX. ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Hic mortuo Santio patruo suo & Ramiro consobrino, regnum Legionense ad eum deuolutum adeptus est, anno domini DCCCCLXXII. regnavit annis VII. Hic binas successiue vxores duxit. Ex prima Alfonso genuit postea Regem. Hic cõtra Almanzor Regem Maurorum, qui vsque ad Compostellam cuncta vastabat, viriliter pugnavit, assistente Garfia Fernandi Comite Castellæ, & eum primo deuicit. Deinde Alman-

de Almanzor reassumptis viribus regnum Legionis potenter ingreditur, adeo vt Rex Veremundus cogeretur fugere in Asturias sanctis reliquiis in Ouetum trãsportatis. Tãdem Almanzor Legionem obsedit, & ciuitas occupatur miris destructis. Deinde cuncta deuastã, fastu & superbia elatus in patriam rediit, Osmam & Berlangam obtinuit. Nec his Almanzor contentus, iterum in Galleciam ingreditur per partem Portugaliam, Compostellanam cepit ecclesiam, eamque dirupit, sed locum vbi erat corpus Iacobi, fulgure territus violare non valuit. Sed statim pœnã tanti sacrilegii suscepit. Nam incredibili dysenteria percussus vix euasit. Reliqui morte subita perierunt, quorum spolia Veremundus colligi fecit. Tueretur enim
 10 Deus quæ sua sunt, tuentur & sancti. Sic enim in libris Iudicum sacra scriptura cõmemorat, quia Barbaros sanctum templum domini contaminantes apprehendit tremor & horrot, ne facerent quod cogitarant. Quinimmo Machabæorum principes illico post templi violationem ingenti victoria potiti sunt, dixeruntque, Vadamus mundare templum domini. Quod & si priscorum gentiliũ annalibus credimus, sacra offendentes ii multos dimisere. Sic Dionysius tyrannus quia templũ Proserpinæ violauit, simul & spoliavit, ac Æsculapio barbam euulserat, a regno eius filius deiectus est. Sic & Varro quia parum honorauit sacra templa, Cannensem cladem pati meruit. Item Varro propter sublatas tegulas a templo Iunonis Lorinæ insanus factus est. Sic rursus & Quintus Flaminius quia offendit sacra, Romanis suis memorabilem illam stragem apud Trasymenum perpeffus est. Denique Nero ipse & Domitianus fidei nostræ hostes pœnas luerunt sacrilegiorum in templa commissorum. Valens quoque perfidus quia sacra & religiosos insequabatur, diuino miraculo in bello contra Gotthos viuus cælesti igne cõsumptus est. Legitur denique in Tripartita, quod Pompeio obsidente Hierosolymam Aristobulus & Hyrcanus intra urbem plurimum diffidebant, dum alter ingressum Pompeii impedire, alter vt intraret niteretur. Quæ discordia effecit, vt libere Pompeius urbem caperet. Captiuatis itaque Aristobulo & filiis, Hyrcanum dimisit põtificem & ducem ciuitatis. Interim tamen Romani insolentes ex victoria effecti, sacrum templum irreuerenter polluunt, equosque in porticu locãt, & sacra multipliciter profanarunt. Qua de re fertur Pompeium ex illo tempore infelicem fuisse, & semper victum qui ante victoriosissimus fuit. De hac violatione sacrorum tangemus
 30 infra sub Santio maiore. Tandem igitur reformata pace inter Veremundum & Garfiã Fernandi Comitem Castellæ, ambo personaliter Almanzor insequuntur, qui iam exercitum magnis copiis auxerat, & apud oppidum Decanatãnãz prope Soriam bellum est commissum, in quo plurimi Mauri ceciderunt. Quo dolore prostratus Almanzor vitam finiuit apud Medinam Celi. Rursus in eodem loco filius eiusdem Almanzor post dies paucos victus & fugatus est. Veremundus igitur tantis victoriis plenus rediit gloriosus. Hic postea leges Gotthorum confirmauit. Vitiis tamen non caruit. facilis enim fuit ad credendum. Ex qua re seuitias
 40 exercuit, præsertim contra Episcopum Compostellanum, in quem taurum ferocẽ iniecit, qui mansuetus effectus ad Episcopum innocentem accedens, cornua in manibus eius dimisit. Hic Rex etiam Episcopum Ouetẽsem incarcerauit, & tãdiu pluuia cessauit, & inges siccatas terram oppressit, quousque Episcopus liberaretur. Eo itaq; liberato pluuia abundanter de cælo descendit. Quo miraculo Veremundus compunctus ecclesiam sancti Iacobi & cætera pia loca per Almanzor dirupta restaurauit, & penitentiam de consilio prælatorum egit. Cauere catholici principes debent sacrilegas manus in Episcopos domini mittere, qui ait, Nolite tãgere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: sed imitari debent Constantinum gloriosum, qui teste Eusebio Cæsariensi, dicebat, Absit vt nos deos iudicemus. Quid enim mirum si nostra pietas eos dignetur honorare, quibus Deus in suo eloquio honorem tribuens illos deos, aliquando angelos nominauit? Et subdit, Dei ergo solius est eos iudicare, eo per prophetam dicente, Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem discernit Deus. Ea igitur de re princeps ille deuotissimus felicissimus fuit & victoriosissimus. Longe aliter sacra annalia perhibent de his qui sacerdotes Dei inhonorant. Sic Sedechias Rex cum Ieremiam

prophetam captiuasset, pessima occubuit morte. Ozias item Rex quia cōtumelias intulit sacerdotibus, eisque pœnas pollicens, statim lepra in fronte resperus est. quis enim dubitat iniuriam ministris illatā deo inferri cuius sunt ministri? qui ait, Qui vos tangit, me tangit, & qui vos spernit, me spernit. Tandem Veremundus obiit relicto Alfonso filio & Rege. Hoc tempore sedebat Romæ Martinus III. & Agapitus II. & Iohannes XI. & in imperio Lotharius imperator huius nominis II. Hic imperauit apud Italiam annis duobus.

De Alfonso quinto, qui XXXIII. Rex fuit in regno Legionis & magna partis Hispania, & de victoriis, & de gestis suo tempore. Cap. XXIII.

ALFRONSVS V. filius Veremundi vigesimo tertio loco post cladem regnauit, anno domini DCCCCLXXIX. regnauit annis XXVII. Hic genuit Veremundum regni sui successorem, & Santiam quæ nupsit Fernando filio regis Nauarræ, qui & Rex Castellæ fuit, sed & propter eam regnum Legionis adeptus est. Hic Alfonso prauo ductus consilio cum esset puer, Therasiam sororem suam cuidam Abdalæ Sarraceno Regi Toleti uxorem dedit, vt ei auxiliū præstaret contra Regem Cordubæ. Ipsa autem sancta fœmina renuens suasit Abdalæ, ne eam tangeret, alias Christus filius Dei eum percuteret. Rex autem impius talia deridens, eam amplecti tentauit, sed illico ab angelo percussus est quasi ad mortem. Quare vocatis familiaribus sanctam virginē auro & argento ac preciosis vestibus onustam ad Legionem remisit, quæ in monasterio sancti Pelagii vitam cœlibem fecit. Quid enim mirum si Christus castitatis amator, virginitatis sectator, virgines suas tueatur? Cū teste Egecippo gentiles virgines falorum decorum patrociniō tutæ legatur. Claudia enim virgo Vestalis (teste Valerio) cum in suspicionem stupri venisset, & simulachrum deæ matris in vado Tiberis ad probandam suam pudicitiam peteret, fertur cingulo duxisse nauem, quam multa hominum millia trahere nequiuerunt. Ex eo tamen Alfonsi tentato infelici contubernio, quo magis ipse culpæ reus arguitur, eo magis filia pudicitia lustratur. Hæc enim virgo imitata est Corneliam Scipionis filiam cunctis seculis commēdatissimam, quia spreuit nuptias Ptolemæi Regis Ægyptiorum barbaræ religionis ac sectæ. Pater vero parum imitatus est quosdam imperatores Romanos, qui quāquam omnia possent, tamen nequaquā cum potētissimis ex terrarum nationib. nuptias fecere: etsi Cæsar Cleopatræ reginæ Ægypti se vinxerit, pœnas (vt putatur) eo scelereluit, & M. Antonius interfecit Cæsare non alieno supplicio emendatus cum eadem Cleopatra fœdus nuptiarum iunxit, filiosque suos Regibus Iudæorū nuptui dedit. Ex quo flagitio sibi manus inferre coactus est. Hic Alfonso apud Viseum in Portugalia, quæ tunc Arabū erat, & quam tenebat obsessam, a sagitta cuiusdam Sarraceni lateraliter est percussus, & vitam finiuit. Sed paulo post Fernandus primus Rex Castellæ gener eius iterum Viseuensi ciuitatem obsedit, tandem eam cepit. Sed ballistarum Sarracenū qui Regem Alfonso percusserat, diuersis mortis suppliciis affecit, atque in vindictam necis Alfonsi maximam Sarracenorum multitudinem cecidit. Eo tempore Santius Comes Castellæ apud Cordubam Arabes famoso prælio deuicit. Sedit eo tempore Romæ Benedictus V. Leo VIII. Iohannes XIII. & Benedictus VI. & Benedictus VII. in imperio vero sedit Otho I. & II. Hic Otho primus secundum Sicardum, primus imperator fuit Alemanorū vsque ad tempus præsens. Hic Otho apud Medeburg ecclesiam mirifice ædificauit, & in ea fuit tumulatus: Otho vero secundus Romæ moritur, sepultus apud sanctum Petrum.

De Veremundo III. qui in regno Legionis vigesimo quarto loco regnauit, & quomodo post istum Castellam in regnum fuit erecta. Caput XXIIII.

VEREMUNDVS III. filius Alfonsi, vigesimo quarto loco post cladem Hispaniæ regnauit, & ab Athanarico primo Rege Gotthorum LXI. Rex fuit. cœpit autem regnare anno domini M. V. I. regnauit annis X. Hic Veremundus Rex Legionis despon-

nis desponauit Santiam sororem suam Infanti Garfiæ filio Santii Comitis & domini Castellæ, qui Garfiæ apud Legionem proditorie est interfectus, vt illud Luciani dici possit: *Nulla fides regni sociis, omni que potestas*

Impatiens consortis erit. ---

Deinde eadem Santia desponsata est Fernando filio Santii dicti Maioris, Regis Nauarræ, qui postea (vt paulo ante diximus) fuit primus intitulus Rex Castellæ propter uxorem, quæ erat filia Santii Comitis Castellæ. Et cum inter hos Fernandum & Veremundum dissensio orta fuisset propter successionem regni, bellum inter eos initum est apud Carrionem, & Veremundus regno pariter & vita priuatus, & translatus est regnum Legionis ad dictum Fernandū propter Santiam uxorem suam, qui etiam fuit Rex Castellæ. Et sic regna Castellæ & Legionis fuerunt vnita in persona Regis Fernandi, vt olim Romanorum & Albanorum, item Persarum & Babyloniar. Igitur vsque ad istū Regem narrata est genealogia regum Legionis. nam Castella regebatur per Comites (vt prædiximus) nec hæcenus fuit regio titulo illustrata. Sæpe enim sic disponente Dei prouidentia regna aut eriguntur, aut supprimuntur: Nā Aug. teste, regna Deus distribuit, vt ei placet, cui nihil iniuste placet. quādo enim voluit, regnū dedit Romanis, sicut dedit Assyriis, vel Persis. Castella igitur erecta est in regnum, cuius sectio siue diuisio a regno Legionis Deo disponente facta est, quemadmodum Alexandrum Macedonem fecisse liber Machabæorum ostendit, qui prouincias pueris suis diuisit, & illi posuerūt sibi diademata. Sic & prouincia Iuda quæ sub regno Israel fuit: postea regio titulo fuit decorata. Nec id ingratum fuit Deo, quod ex eo liquido patet, quoniam Ieroboam primus regnauit in Iuda, cumque vellet eam prouinciam tantquam per tyrannidem diuisam persequi, & regno Israel, vt hæcenus fuerat, subiacere, prohibitus est populus iussu Dei ne pugnaret contra fratres suos. Vnde subdit August. manifeste comprobari iussu aut voluntate Dei, aut vindicantis, aut sic occultis nobis causis disponentis, quosdam regiones sic diuidi, vt duo regna efficiantur, non nunquam regius titulus supprimatur, vt dictum conspicimus in Lombardia & Burgundia, quæ antiquo tempore titulo regio gaudebant. Sic & in Hispania, Valentia, Cæsaraugusta, item Hispalis, Corduba, Tolerum, quæ omnia regis titularis olim lustrabantur. Rursus non est obmittendum, quia ab Athanarico primo Rege Gotthorum in Hispania vsque ad Rodericum cuius tempore Hispania destructa & a Mauris occupata est, Hispania ipsa gubernata fuit sub titulo regio Gotthorū, postea vero Pelagius qui Hispaniam restaurare & recuperare cœpit, licet de genere descenderet Gotthorum (vt diximus) tamen ipse & posterius sui non fuerunt intitulati Reges Gotthorū, sed sumpserunt titulos Legionis & Asturiarum, deinde Castellæ, prout eas a Sarracenis recuperarunt. Huius regis temporibus sedit in cathedra Petri Benedictus VII. & Iohannes XIII. & Gregorius V. & Iohannes XV. in imperio vero sedit Otho III. filius Othonis II. Hic coronatus fuit Romæ a Gregorio V. & (vt fertur) in Italia fuit veneno extinctus, & hi tres Othones per successionem generis regnarunt. Post eos vero ecclesia Romana instituit, vt per officiales imperii eligatur Imperator. Vnde versus:

*Maguntinensis, Treuerensis, Colonienfis,
Quilibet imperii sit Cancellarius horum:
Palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio præpositus camera, pincerna Bobemus.
Hi statuunt dominum cunctis per secula summum.*

De Santio dicto Maiore qui vigesimo quinto loco regnauit post cladem, & quomodo fuit primus Castellæ propter uxorem. Cap. XXV.

SANTIVS dictus Maior, Rex Nauarræ, filius Garfiæ Tremulenti regis Nauarræ, XXV. rex fuit a Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladem, & sexagesimus secundus ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Huic non computantur anni regni, quia paruo tempore præfuit tanquam Rex Castellæ. Hunc propter uxorem Elui-

ram filiam Comitis Castellæ aliqui primum Regem Castellæ intulerunt, vt supra dictum est: alii vero Fernandum filium eius propter matrem in Castella & Legionem primum Regem effectualiter dixerunt. Vt cunque sit Santius dici potuit propter uxorem primum rex Castellæ, quia (vt iura volunt) vir coruscet honore & dignitate uxoris. Sed Fernandus filius eius ex successione efficacius fuit rex Legionis & Castellæ. Hic Santius ex dicta Eluira genuit Garfiam, & ex concubina Ramirum bastardum, de quibus inferius dicitur. Santius itaque instigatus ab uxore Eluira prædicta, sorore Infantis Garfiæ, qui fuit dominus Castellæ, iustissime condemnauit Comites, Enecum, & Didacum, ac Rodericū Vela, filios Comitis Vela, quia proditorie interfecerunt præfatum Infantem Garfiam dominum Castellæ. Nam 10 post longam obsidionem in castro de Monzon, tandem eos cepit, & sententialiter comburi iussit. Cæterum hic Santius Maior bellum graue gessit contra Veremundum regem Legionensem & plurima castra & loca ab eo euicit. Hic cum esset magnus venator, aprum sequutus est vsque in ecclesiam sancti Antonini, quæ tunc in quadam silua nemorosa sita erat. Nec eo tempore aliqua populatio, nec ecclesia cathedralis ibi erat. Cum vero aper ad altare sancti martyris confugisset, Santius rex conatus est illum venabulo percutere, sed propter irreuerentiam sacri templi & reliquiarum beati martyris diuino flagello percussus, illico obriguit brachium eius, nec potuit bestiam percutere. Rediens igitur ad se & prostratus apud altare, tandem precibus beati martyris vires brachii fuere sibi restituta, ipseque 20 ecclesiam mirifice ædificauit, & opulenter dotauit, atque in cathedralem erigi obtinuit, & ciuitatem Palentinam ædificare & populare incepit. Hic Santius irreuerenter se habuit volens bestiam apud sacrum altare interficere, imitatus sæuum illum Syllam Romanum, qui Mutium Scæuolam ad templum Vestæ quo nihil sanctius Romæ habebatur, obfugientem aramque ipsam amplexantem irreuerenter gladio perfodit, vt ait Augustinus. Quod sacrilegium inultum dii non permiserunt. Summam certe reuerentiam antiqui sacris templis præstabant, nec violentam aut sanguineam effusionem in eisdem templis patiebantur. Nam scriptura sacra quandam securitatem cunctis animantibus polliceri videtur, dicens, Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro tute morabitur. Adde, quia fugientes præ 30 lassitudine bestias persequi, non est actus fortitudinis. Simile narrat Herodotus de Cambyse qui in Ægypto contemnens templum, in eo vulnerauit Apim bouem. Quo scelere equo descendens pugione seipsum transfodit. Rursus Meleager quia interemit aprum Calydonium sacrum Dianæ, mortis causam sibi præbuit. Cæsus quoque cum aper sacer se ei in venatione offerret, casu quodam, siue quia rem sacram rex ipse polluisset, filium suum Atym occidit, dum hastam iacularetur in aprum. Vide quæ de irreuerentia templorum & sacrorum diximus supra sub Veremundo 11. Huius regis Santii temporibus sedebat in cathedra Petri Iohannes xvi. & Benedictus vii. qui fuit a papatu eiectus, & fuit teterrimum schisma in ecclesia, de quo alibi dicemus: in imperio vero sedit Henricus 11. Hic secundum 40 Richardum filius fuit Conradi.

De Fernando primo qui vigesimo sexto loco post cladem regnavit, & quomodo in eo regna Castellæ & Legionis fuerunt unita. Caput XXVI.

FERNANDUS huius nominis primus, filius Santii maioris prædicti, xxvi. rex fuit Pelagio primo rege Hispaniæ post cladem, & lxxiii. ab Athanarico primo rege Gotthorū. Cæpit autem regnare anno domini m. xvii. regnavit annis xl. Hic (vt diximus) duxit uxorem Santiam filiam Alfonso regis Legionis, sororem Veremūdi. Quo sine filiis decedente Fernandus prædictus propter uxorem 50 Santiam regnū Legionis obtinuit. quo euenit vt iste Fernandus virtualiter & ex successione primus rex intituleretur in Castella & Legionem. Hic genuit ex Santia uxore Santium, Alfonso, Garfiam, & Eluiram, & ex concubina Fernandum qui fuit sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis. Hic Fernandus optimus princeps fuit, & valde bellicosus, Colimbriam in Portugalia ab Arabibus occupatam sancto Iacobo visibiliter

visibiliter apparente obtinuit, & maiorem Portugaliæ partem suæ ditioni subiecit. Nam (vt ait Lucas Tudenfis) dum hic Fernandus eadem ciuitatem Colimbriæ a Mauris detentam obsideret, accidit quendam Episcopum Græcum nomine Hostianum limina sancti Iacobi visitasse. Et cum multis referentibus audiret gloriosum apostolum Iacobum vt militem sæpe visum fuisse, auxilia Christianis ferere, deridens, Nolite, inquit, apostolum vocare militem, sed pastorem, aut piscatorem. Dum igitur ea nocte dormiret, apparuit ei sanctus Iacobus dicens, Noli Hostiane dicere me non fore militem contra Christi persequutores. quod vt pro explorato habeas, ecce iam equito laturus auxilia regi Fernando, qui per septem annos obsedit Colimbriam, & vt sis certior, cōspice clauas quibus cras hora tertia aperiam 10 portas ciuitatis Christianis. Qua reuelatione perterritus, facto mane canonicis ecclesiæ Compostellanæ reuelauit, & compertum est ita euenisse. Sæpe enim diuino nutu in somniis reuelantur futura, quemadmodum ait Polybius, quia ea nocte qua mortuus fuit Athila rex Hugnorum, Imperator Martianus tūc apud Constantinopolim residens, vidit in somniis arcum Athilæ fractum. Ex quo sequenti die affirmavit mortuum fore Athilam. In domo huius Fernandi nutritus est inclytus vir Rodericus Cidus, qui postea Valentiam a Mauris obtinuit. Sic & Philippus princeps Macedonum nutritus est apud Epaminundam Thebanum. De quo pauca ex multis in sequenti capite dicemus. Cum autem Garfias rex Nauarræ, 20 Fernandus rex eum visitauit, sed Garfias eum decreuerat retinere. Cuius maleuolam mentem Fernandus agnouit, & incolumis ad propria remeauit, quem infirmantem rex Garfias frater eius simili modo personaliter visitauit. Fernandus vero vires eigerens captum custodiri fecit, vt de eo illud Sapiētis verū sit: Quia qui fraudem cogitat, incidet in eam. Et iterum: Laqueū aperuit, & cadet in ipsum. Sic Andronicus in eodem loco occubuit, vbi alios fecerat trucidari, vt apud Machabæos legitur. Sed & Aman eodem patibulo quod alteri parauerat, est suspensus. Postea vero Garfias a carceribus euadens vindictam procurauit, & congregato exercitu Castellam ingreditur. Cui occurrit Fernandus cum copiis suis, & inito prælio cum 30 Garfias insolens esset, & suorum animos non haberet, in eo bello victus & captus est, ne hostes quantūcunque debiles contemnamus. Nec aliter Remus egit. cogitauit enim fratrem regno pellere. Quod ille præsentiens Remum nō modo regno priuauit, sed vita. Fernandus vero fratre occiso & fugato motus pietate suis iussit, ne fugientes læderet, corpusque Garfiæ honorifice ad monasteriū de Anaioro quod ipse construxerat deportari fecit. Sæpe enim prosperitas hominis causas inuidendi reprobis occasionaliter tribuit, sibi que tandem in perniciem vertitur. Sic Isaac cū esset locupletatus, patiebatur inuidias simul & insidias a Palestinis. Sic & fratres Ioseph inuidebant ei, quod prospera ei succederent. Nō enim propinquis inuidia parcat. Nam & Maria atque Aaron Moyse fratri suo inuidebant, quod dux a Deo 40 constitutus esset. Regno præsertim inuidia innata est, cuius dignitati multi inuidet, plures etiam concupiscunt. quo fit vt plerunque fratres regnantes non libenter fuerint ante oculos fratrum suorum. Hic igitur Garfias iuste pœnas inuidiæ luit, & iniquitas quam fratri inferre cogitauit, in se reuerfa est, vt puniatur in quo delinquit. Sic Saul cogitauit capere Dauid, & ipse in manus eius incidit. Sic & Amasai cogitauit occidere Ioab, qui eadem fraude eum percussit. nam quasi osculari eum vellet, gladio effudit intestina illius. Hic igitur Fernandus fratre mortuo, regnum fratris obtinuit, & factus est monarcha Hispaniæ vterioris, scilicet Castellæ & Legionis, rursus Galleciæ in qua Portugalia, & Asturiarum. Terra autē Nauarræ inter Iberum & Pyrenæos montes mansit Santio regis Garfiæ filio, qui postea 50 ea occisus est. Aragonia vero cum Ripagorcia Ramiro fuit assignata. Hic Fernandus contra Sarracenos qui partem Lusitaniæ occupabant, personaliter accedit, & multas ciuitates ac oppida fidei lucro dedit. Tandem Fernandus ipse ne filii super regnis post mortem contenderent, dum viueret, regna diuisit. Nam primogenito Satio Castellam contulit, Alfonso Legionem, Asturias, & Transmeram: filiabus vero Vrracæ & Eluiræ contulit Zamoram & Taurum, Alfonso fratre id petente.

Garfię vero totam Galleciam assignauit cum ea parte quę dicitur Portugalia. Hic multas ecclesias & pia loca construxit & dotauit. Huic Arabes Celtiberiæ & Carpetanię tributa soluebant. Et instante die mortis suę, quem sibi reuelauit beatus Isidorus, feliciter obiit. Vir certe fuit cuius regum externorum comparandus, non solum fortuna ei alludēte, sed magnitudine animi, pietate, religione, ac sobolis felicitate. Sepultus est in ecclesia sancti Isidori apud Legionem, quam ipse construxerat.

De strenuitate & nobilitate Roderici Cidi dicti Campiatoris, & de praeclaris gestis suis, & quomodo recuperauit Valentiam. Cap. XXVII.

CÆTERVM quia (vt diximus) tempore huius Fernandi floruit æternis victoriis Rodericus de Biuar cognomento Cidus Campiator, exiguit eius ingentia merita, vt paucula ex multis in medium afferamus de eius strenuitate ac innumeris virtutibus, rursus de excellentissimis eius victoriis quę totū pene orbem repleunt. Duxit itaque originem Rodericus Cidus ex illustribus & antiquis Comitibus Castellę, signanter a clarissimo viro Layno Caluo, qui vna cum Nunio Rasuralongo tempore per se suosque successores iudicauit Castellam. nam prædictus Laynus genuit Fernandum Layni, a quo genitus est Laynus Fernandi, qui genuit Nuniū Layni, a quo genitus Laynus Nunii, a quo genitus est Didacus Layni, qui ex vxore sua Tereſia Nunii quę neptis erat ex concubina Regis Legionis genuit illustrem bellatorem Rodericum prædictum, qui fuit pater Eluirię reginę Nauarrę, ex qua natus est Garſias Rex Nauarrę, pater domine Blanche, quę fuit regina Castellę, vxor Santii regis dicti Desiderati. ex quo matrimonio genitus est Rex Alfonsus VII. Ex qua breui genealogia aperte conspicitur excellentissima Roderici Cidi generis claritudo. Verum magnifica ac inclyta eius gesta tam excellentia & sempiterna sunt, vt ea magnus non caperet liber: succincte tamen quędam paucula summam tangemus. Fuit Rodericus creatus miles per prædictum Fernandum Regem Legionis, ea præsertim die qua Colimbriam a Mauris recuperauit. Præfatus igitur Rex cum cognosceret strenuitatem, prudentiam, & virtutes Roderici, sciens quod scriptum est per Sapientem, Quia legatus fidelis, sanitas, & ipse est protectio fortis: & iterum, Sicut frigus niuis in die messis, sic homo fidelis ei qui misit eum: decreuit committere Roderico gubernationem Burgenſis ciuitatis & Castellę. Cum igitur quinque Reges Sarracenorum terras Christianorum ei commiſſas hostiliter ac valida manu ingressi forent, Rodericus multitudinem Maurorum non perterritus cum quadam animi latitudine & strenuitate eos insequitur in domino confusus, qui (vt ait Iob) prout ei placet, dat fidelibus suis victoriam. Tandem eosdem reges Maurorum & eorum copias gloriose deuicit, atque plurimos captiuauit. Deinde superauit simul & interfecit fortissimū militē Martinum Gomecii, qui Calaguram nomine Regis Aragonum occupabat, & ciuitatē ipsam regi Fernando subiecit. Præterea his victoriis non contentus, cecidit maximum exercitum Arabum prope oppidum sancti Stephani de Gormas, qui magna spolia de terris Christianorum deportabāt. Demum vero cum Rex Alfonsus VII. eundem Rodericum ad Regem Sibiilię vassallum mitteret, vt solitum tributum reciperet, euenit vt Roderico moram apud Sibiliam trahente, Rex Granatę plurimis nobilibus Christianis sociatus qui erant ab Hispania exules, durissimū bellum contra regem Sibiilię prædictum ageret. Rodericus itaque ad defensionem Regis Sibiilię vassalli regis Alfonsi viriliter accessit, tandē regē Granatę & prædictos nobiles prostrauit, & plurimos captiuauit. Rursus maxima vi & arte castrum fortissimū de Alcozer a Mauris cepit, & parum post, duos Reges Sarracenorum eundem Rodericū in dicto castro obsidētes mirifice deuicit, & ingentia spolia reportauit. Post prædicta bellū cāpestre tribus vicibus gessit cū Raymūdo Comite Barcinonę. & regem Denie & toties eum deuicit, & postremo captiuauit, quem tandem liberaliter relaxauit. Denique Petrū regem Aragonum in campo collatis vtrinque signis strenuissime deuicit atque cepit, quem cum multis nobilibus domus suę

mus suę magnifice liberauit. Post has præclaras victorias & plurima alia quę enarrare operosum foret, cepit sibi que subiugauit inclytam ciuitatem Valentię. contra quem Rex de Marruecos dictus Vnes potentissimam ex Africa classem parauit, & tandem obsedit Valentiam quinquaginta millibus equitum & centum millibus peditum. Rodericus vero Cidus non expectata longa obsidione ei animose occurrit, commissoque durissimo bello, demum vt Deo placuit, victi sunt Arabes, magna eorum parte caesa & captiuata. Rex vero Vnes percussus sese & quos adunare potuit, ad classem recipientes patriam infeliciter petierunt: ipse vero Rex ex vulneribus post paucos dies vitam mœstus finiuit, iniungens Buchar potentissimo fratri suo, vt tantę iniurię non immemor quantocius eam vindicaret. Buchar igitur adunata sua potentia Valentiam petit. Tantę itaque erant Arabum copię, vt (teste Gilierto qui Africanam historiam contexuit) in castris Regis Buchar magna tentoria quinque millia reperiebantur præter papilionones innumeros. Cum igitur exercitus Roderici innumeram Maurorum multitudinem expulseret, Rodericus ad suos ait: Sinite timere. armorum enim varietas, non militum strenuitas est, quę conspicitis, adducens illud Titi Quintii cōsulis Romani, qui cum videret milites suos ex aduentu exercitus Regis Antiochi in Peloponnesum non parum pavidos, ad eos valde probe & facete ait: Cum Chalcide apud hospitem cœnarum, mirarerque multitudinem carniū, hospes ad me inquit, eas omnes porcinas esse, sed condimentis atque apparatus differre. Proinde ait, nec vos admiremini Antiochi copias. nam sagittarii astuti, equites, ac pedites, Syri sunt, quos sæpe vicistis, nunc tamen solis armis sunt differentes. Qua ipe confortati hostem vicerunt. His igitur dictis contra hostes Rodericus Cidus viriliter occurrit. vbi acerrime pugnatum est, nec sine ancipiti fortunę varietate. Nam Sarraceni de multitudine confidentes, ac priorem cladem, mœstissimis animis recolentes, in Christianos primos impetus plus quam viriles dederunt. Sed diuino auxilio nostris opem ferente, in progressu prælii imbecilles animos & minus quam fœmineos habuisse rerum euentus demonstrauit. Nam in eodem bello Sarraceni victi & prostrati sunt. Habent enim illius temporis annalia vltra triginta millia in bello occubuisse, præter captiuos & eos qui in mari submersi sunt. Ipseque Buchar illorum Rex victus & fugatus infelix euasit. Quem cum sui improperarent, quod non a Rege, sed a priuato homine esset victus, Sinite, inquit, talia loqui, non dignitas, sed strenuitas victoriam comparat. Et addit, Quid enim mirum si vnum Regem vicerit, qui plures eadem die superare solet, nec mihi (inquit) pudori est ab eo vinci, qui meliorem me fratrem deuicit. nam si vinci oportet, præeligerem ab Hercule vinci, quam cum Sardanapalo vincere. Imitatus es in his verbis Buchar Darium, qui (vt ait Quintus Curtius) gratum sibi esse asseruit, si Alexandrum vincere non possēt, nec sibi dedecori putauit, quod a tali clarissimo duce vinceretur. Rodericus igitur deuictis hostibus ex eo bello ditissima spolia assecutus est, de quibus magnas oblationes ecclesiis & piis locis deuotissime obtulit. Nec in vita hic gloriosus dux Arabes deuicit, sed mortuus, vt eius habent annalia. Ex huius Roderici nobili stirpe procedit nobilis domus de Mandoza, vt historię ferunt. Hic certe Rodericus Cidus nunquam reperitur superatus, sed semper victor euasit, non impar Iulio Cæsari, qui (vt aiunt) signis collatis quinquages dimicauit, & Marco Marcello, qui triginta nouem vicibus fuit præliatus, & toties victoria potitus. Quibus hic Rodericus in bellando par fuit, in victoria tanto gloriosior, quanto illi non pro religione, sed pro caduco imperio dimicauerunt: hic vero non pro terreno incremento, sed fidei catholicę augmento conflixit. Fuit Rodericus tantę bonitatis, vt quos armis subegit, clementia magis vicerit. Sed vt paucis agamus, quantę excellentię & virtutis prædictus Rodericus Cidus fuit, inter cætera ex honore ei a Rege Alfonso sexto, filio huius Fernandi, præstito facile cognoscitur. Rodericus enim ex Valentia discedens nongentis electis militibus sociatus, ad curiam Alfonsi Regis apud Toletum accessit, iustitiam petiturus contra Infantes Carrionis propter iniurias factas vxoribus suis, filiabus eiusdem Roderici. Alfonsus igitur cognito aduentu Cidi, obuiam exiuit ei honorifice. Cui vt

vberiolem exhiberet honorem, leuius semper cum eo per totam viam & urbem incessit, eumque vsque ad eius hospitium sociavit. Cumque sequenti die Rodericus Regem in suo palatio visitasset, quæreretque a Rege, quonam in loco se & suos sedere volebat: ad quem Rex non tam vrbane quam prudenter, Tam ingentia, inquit, sunt merita vestra, vt in nullo alio loco nisi mecum vobis sedere conueniat. Nam merito sedere debet apud Reges, qui solet vincere Reges. Decernimus igitur sedem vestram contiguam imposterum sedi regie, immediatamque esse debere. Longe certe arbitrato nostro Rex Alfonso moderatior prudentiorque fuit quam Actius poeta, quem Maximus Valerius commendare nititur, qui Iulio Cæsari amplissimo ac florentissimo Imperatori in collegium poetarum venienti non assurrexit, quasi in comparatione studiorem aliquanto inferior esset Cæsaris maiestas. Sed nisi fallor istius humanitas & illius petulantia facile ex eo conspicitur, dum iste regia dignitate insignitus priuatam virtutem honorauit, ac ille infimæ conditionis vir tantæ maiestati impudenter non assurrexit. Huius Fernandi temporibus sedit in cathedra Petri Romæ Iohannes decimus octauus, & Benedictus octauus. Fuit maximum schisma in ecclesia Dei, de quo alibi dicemus: in imperio vero sedebat Henricus secundus.

De Santio secundo, & de præclaris gestis suis, & de cæteris occurrentibus suo tempore, & de eius genealogia. Caput XXVIII.

SANTIUS secundus, primogenitus Fernandi, vigesimus septimus Rex fuit a Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladem, & sexagesimus quartus ab Athanarico primo Rege Gotthorum. Cæpit autem regnare anno domini millesimo quinquagesimo septimo, regnavit annis sex. Hic cum Alfonso fratre suo concertans, regnum Legionis a patre diuisum vi accepit. Ipse vero Alfonso metu fratris Santii ad Regem Toleti Maurum dictum Habalmone se transfudit, qui solenniter est receptus. Eo autem apud Toletum manente Garfias alter frater se transfudit ad Agarenos regni Cordubæ, quorum præsidio incepit Portugalam Regi Fernando subiectam infestare. Cui occurrit Santius apud Sanctum Anderium. Bello itaque commisso Santius vincitur, & captiuatur simul, & Nunius de Lara & Garfias de Cabra, plurimis ex suis cæsis. Garfias tamen volens victoriam prosequi Santium quatuor suis militibus commisit custodiendum. Interim vero nobilis Alvarus Fannes Minaya qui erat de fidelioribus Santii, relictis gentibus quas adunare potuit, circuibat vt leo rugiens, quærens dominum suum. Quem vt vidit, ait ad milites custodes Santii, Dimittite Regem vestrum, o proditores. Tam animose igitur atque strenue cum illis conferuit, vt eos vicerit, illorumque equos Santio & cæteris captis assignauit, qui omnes reassumptis viribus cæteros Santii milites dispersos congregant. Interim vero nobilis Rodericus Cidus cum trecentis electis militibus applicuit opem laturus Santio. Iterum ergo confligitur, & post multa Garfias victus est pariter & captiuatus. Fuit denique interfectus Infans Santius nutritius & director Garfias & plurimi alii. Garfias vtique sciuit vincere, sed nesciuit victoria vti. Nec enim parum esse debuit vincere, a quo viribus vinci debuit. Sed verum est quia (vt ait Valerius) sæpe victor ab ipsa victoria vincitur. Idque accidit cum victor immoderate ipsam victoriam ad insolentiam vertit. Vt enim idem Valerius subdit, decet victorem victoriam temperare, & insolentes animositatis impetus cum pietate & ratione ab animo cohibere, quia (vt aiunt) ipsa optatissima victoria moderatione temperari desiderat. Fatemur, vincere egregium est, sed superuincere inuidiosum. Hinc alius ex sapientibus ait, quia victoriam assequi gloriosum est, sed victoriam insequi periculosum. Libuerat enim Regi Garfias reliquias ipsas victoriæ non persequi aut humanitatis intuitu, aut quo testes superessent victoriæ suæ. Sed iuste ab ipsis belli fragmentis fractus & superatus est, qui victo quippe & captiuato principali hoste, immo fratre contentus non est. nec enim modo hostem, sed & fratrem persequeretur.

persequeretur. Quare hostilem decuit animum deponere, ac aduersam calamitatem fraternis lacrymis deplorare, non penitus exterminare, memor illius prudentissimi ducis Abner, quem libri Regum commemorant, qui ait ad Ioab: Nunquid vsque ad interuentionem tuus mucro defæuit? An ignoras quod periculosa sit desperatio? & subdit, Vsquequo non dimittis persequi fratrem tuum? Sed iam ad Santium reuertamur, qui potius vltima victoria, Garfiam captiuum apud Lunam castrum in Asturiis vinculis tradidit. Hic Santius terras sororis voluit occupare, & cum Vrracam sororem conclusam apud Zamoram teneret, a quodam Vellido proditore proditorie est interfectus. Proditorum autem ipsum Rodericus Cidus insequens interfecit. Proditor inquam putabat se rem gratam fecisse Vrracæ sorori illius, tamen acerbissime tulit, & vindictæ operam dedit, imitata Magnum Alexandrum, qui (teste Quinto Curtio) familiarem proditorem atque interfectorem Darii in vindictam proditoris fratri Darii concessit trucidandum, dicens falli eos qui ab eo proditoris præmium expectarent: imo violatæ fidei neminem acriorem fore vindicem quam seipsum. Santius itaque sic in regna & fratrum dominia ambiens vita caruit atque regnis, parum imitatus Scipionem Africanum, qui adeo Lælio caritate fraterna coniunctus erat, vt supplex rogaret Senatum, ne provinciæ fors quæ a fratre suo eripienda erat, ad eum transferretur, dicens dignitates fratribus se optare non eripere. Santio itaque sine liberis decedente magnates regnorum Alfonso qui a facie fratris ad Regem Sarracenum apud Toletum confugerat, per nuntium secretissimum reuocarunt. Tandem Alfonso præstito iuramento quod Regi Toleti & filio suo amicus esset, liber permissus est ad regna accedere. Qui obtento regno quod perdidit, atque etiam regnum fratris ac imperii diadema accepit, vt infra dicemus. Huius Santii tempore sedit Romæ Victor secundus, qui imperiali fauore factus est Papa, & Stephanus nonus, & Benedictus decimus, & Nicolaus secundus, & Alexander secundus: in imperio vero sedebat Henricus quartus. Hic fuit filius Henrici tertii Imperatoris. Hic suscepto imperio secundum Sicardum, patrem suum cepit, ac in vinculis mori fecit. Quare iusto Dei iudicio punitus est, quia patrem dehonoraui. Nusquam aut raro legitur tale facinus, nisi de Ioue qui Saturnum patrem captiuauit, & regno spoliavit, si fabulis credimus. Mithridates etiam regnandi gratia contra patrem dimicauit, & Soria alter contra Tigranem patrem Armeniæ Regem pugnavit. Decessit enim sine filio. Successit ei Lotharius Dux Saxonie.

De Alfonso sexto, qui vigesimo octavo loco post cladem Hispania regnavit, & quomodo ab eo Reges Portugalia ortum & initium habuerunt, & de vxoribus & prole Alfonso, & quomodo recuperavit Toletum & alia loca a Mauris, & qualiter ecclesia Toletana ex Mesquita fuit consecrata, & de his que ob eam rem acciderunt, & de præclaris victoriis & virtutibus eius. Cap. XXIX.

ALFONSUS sextus, filius Fernandi & frater Santii, vigesimo octavo loco regnavit post cladem, & sexagesimo quinto post Athanaricum primū Regem Gotthorum. Incepit autem regnare anno domini millesimo sexagesimo octavo, regnavit annis quadraginta tribus. Ex hoc descenderunt Reges Portugaliæ, vt statim dicemus, & supra diximus in prima parte, capite decimo quarto, vbi egimus de origine Regum Portugaliæ & aliorum Regum Hispaniæ. Hic igitur Alfonso filium masculum non genuit, sed plures filias reliquit ex sex vxoribus. Ex prima procreavit Vrracam, ex aliis vero genuit alias filias, ex quarum vna quæ fuit Sarracena filia Regis Sibilie, vocata Zaida, ad fidem conuersa Maria cognominata, genuit Infantem Santium qui in quodam prælio occisus est, vt statim dicemus. Ex quadam vero concubina genuit Therasiam quæ nupsit Henrico Comiti Lotaringiæ, & dedit eis in dotem partem Galleciæ quæ nunc Portugalia vocatur: ex quibus descendunt Portugaliæ Reges. Nam ille Henricus Comes fuit pater primi

Regis Portugaliae. Hic Alfonso sextus Rex Castellae Toletanam urbem variis vastationibus fatigatam post longam obsidionem obtinuit modo qui sequitur. Regnabat enim Alfonso tempore in Toletum Alemaymon Rex Sarracenorum qui singulari foedere & amicitia Alfonso vinctus erat, adeo ut Alfonso ipse iurauerat eundem Regem & filium suum iuare, & in vita eorum protegere: idque sibi fideliter obseruauit. Verum vita functis eodem Alemaymon & filio, Alfonso solutus a fide praestita durissimum bellum gessit contra eandem urbem. Tandem necessitate famis venerunt Sarraceni in deditionem Alfonso, eo pacto ut Sarraceni ipsi tanquam ciues & vassalli manerent in vrbe, retinerentque domos & agros, rursus illa eis maneret Mesquita maior eiusdem vrbis: arces vero & caetera omnia ad manus Alfonso dederunt. Decreuit igitur Alfonso in eadem vrbe dimittere Reginam uxorem suam & Bernardum electum Toletanum, ipse vero pro occurrentibus rebus ad regnum Legionis se transtulit. Interim itaque Regina ipsa spiritu Dei vigorata, & Bernardus quadam intempesta nocte multis Christianis sociatus militibus, Mesquitam Sarracenorum ingrediuntur, quae expulsis cunctis Machometi spurcitis in ecclesiam sanctae Mariae dedicata, & per Bernardum deuotissime consecrata est, altareque erectum, & inibi solennia celebrauit Archiepiscopus. Sarraceni vero ruptis vestibus, simul & internis visceribus plurimum fuerunt conturbati, & illico lamentabiles querelas per suos legatos apud Regem fecerunt. Quare Alfonso acerrime iratus, & vehementer contra Reginam & electum indignatus est. Itaque cunctis dimissis rebus Toletum celerissimo gressu petiit. deliberauerat enim & firmo animo fixerat Reginam & Archiepiscopum publice interficere. Et quia sciebat plurimos Barones pro Regina & electo fore exoraturus, iurauit Rex praesentibus legatis Sarracenorum nihil facere eorum quae pro parte Reginae & Archiepiscopi sibi foret petendum. dicebat enim iniuriam non Sarracenis, sed eidem Regi fuisse factam, asserens quia cum omnis Rex non nisi pacto & fide subditorum regnet, indigne Rex appellari potest qui pacta & fidem subditis non seruat. Tandem Regina & electus intelligentes Regem tam acriter esse commotum, clerum & omnes religiosos processionaliter & Regis filiam inductam cinere & cilicio in medio processionis incedentem praemisere. Quos cum Rex vidisset, ut erat deuotissimus, descendit de equo, ut sacris solitam reuerentiam ageret, & cum filiam conspexisset nulla paterna pietate flexus: Vah, inquit, matrem sociabis in morte. Iuravi nil agere eorum quae petitura es. Filia vero quae iuramentum nouerat, instructa quid diceret, Peto, inquit, domine mi Rex, ut Reginam tibi terreno Regi non parentem, sed caelesti Regi fidelem simul & Archiepiscopum illico interficias. Tunc Rex obstupuit, quinimo tam pia sagacitate deuictus ad filiam ait: Liberaisti, o filia, a morte matrem, sed perpetuo maritali carebit consortio. Nedum enim verba expleuit, & vidit vniuersos Sarracenos vtriusque sexus sibi obuiam facientes, qui mutato proposito Regi supplicarunt, ut omnino Reginae & Archiepiscopo veniam daret, asserentes multis retro diebus per certum vaticinium id ipsum nutu diuino futurum esse. Tunc Rex penitus placatus acquieuit precibus supplicantium, & laetus intrauit ciuitatem. Primo tamen ecclesiam ex Mezquita consecratam deuote visitans, in medio portae Reginae sacco indutam, & Archiepiscopum pontificalibus ornatum inuenit. Qui Regi aiunt, Peccauius in te, o Rex, sed oramus considera peccati causam, & finem respice. Rursus quia felix est culpa quae tam insigne templum meruit obtinere, felix paucorum transgressio qua multorum peccata purgantur. Tunc Rex manus praesulis deosculans, Reginam amplectens, regale palatium petiit. Commendanda est industria filiae Regis, qua perniciosum Regis iuramentum in matris beneficium vertit, imitata Anaximenum praepceptorem Alexandri. Cum enim (teste Maximo Valerio) ipse praepceptor occurrisset Alexandro festinanti ad excidium cuiusdam rebellis vrbs Graeciae, cum primum eum Alexander vidit, timens ne irae suae preces opponeret, iurauit non se facturum quod petisset. Tunc Anaximenes, Obsecro, inquit, ut urbem

urbem diruas. Qua solerti industria ciuitas liberata est. Postquam vero Rex Alfonso Toletum & adiacentia loca fidei lucro dedisset, mansit aliquandiu apud eandem urbem regiam cum magna nobilium & militum copia. Verum milites eius balneis & deliciis plus solito se dedere, quemadmodum in eadem vrbe Toletana Sarraceni agere soliti erant. Cum igitur quidam Barbari dicti Alarabes ex Africa transissent, vastassentque prouinciam Carthaginensem, exercitus Alfonso eis occurrit, & peccatis Christiani populi apud Alcazar de Consuegra victi & prostrati sunt, ibique interfectus fuit Santius Infans filius Alfonso. Occubuerunt etiam septem nobilissimi Comites, a quo tristi euentu locus ille vsque in hodiernum diem vocatus est Septem Comitum. Rex vero filii mortem aequanimiter tolerauit. Verum tamen cum inuestigasset Rex solertissime, cur nam milites arma & bellicos labores non satis ferrent, a sapientibus responsum est causam fore potissimam, quia plus solito milites luxuriae & balneis vacabant. Iussit igitur Rex ut omnia balnea destruerentur, prohibens libidines ac delicias, quae militum corpora simul & animos effecerant. Demum induxit hastiludia torneamenta & alia bellica exercitia, qua solertia pristinas vires milites recuperarunt. Imitatus est Rex Alfonso Scipionem consulem in Hispania, qui (ut ait Valerius, & recitat Augustinus nono de ciuitate Dei) ut fortissimos Numantinorum spiritus contunderet, iussit ut omnia quae voluptatis causa comparata erant, auferrentur. Quo effectum est, ut duobus millibus scortorum a castris expulsis, sic Romanorum exercitus a tali luxuriae sentina vacuatus, recreata virtute animosam Numantiam delcuit.

De Gelaira & Vrraca filiabus Alfonso, & de prole earum, & quomodo Alfonso Rex Aragonum duxit uxorem Vrracam, & de eius impudicitia, & qualiter uterque coniunx propter irreuerentiam ecclesiae pessima morte obierunt, & quomodo Aragonenses quendam a se in Regem electum regno priuarunt, & Ramirum monachum in Regem crexerunt. Caput XXX.

CAETERVM Alfonso cernens se filiis masculis orbatum, auiditate procreandi filios futuros regni successores quandam nobilem duxit concubinam dictam Ximenam Nunens, ex qua genuit Alfonso Iordanis, sic appellatum quia in flumine Iordanis fuit baptizatus. Nam ipsa cum Comite praedicto viro suo in Syriam transiret tempore illius maximi pasagii, in quo Raymundo Comite & Duce Ierusalem, Tripolis & Antiochia lucro fidei accreuerunt. Hic igitur Alfonso de quo agimus, Hispaniarum decus & lumen fuit, dextera eius praesidium patriae, ut Macedonum Alexander, ut Epirotarum Pyrrhus, ut Hebraeorum Moyses, Iosua, & Gedeon, ut denique illius antiquae Hispaniae Viriatus, qui tot cladibus Romanos afflixit, & nouissime ut Rodericus Cidus Campiator, ac Fernandus tertius, de quo in suo loco dicitur. Plurimas denique alias virtutes Alfonso narrauit Rodericus Archiepiscopus in sua historia. Tempore huius Alfonso Rodericus Cidus Valentiam acquisiuit, de cuius victoriis & clarissimis gestis diximus supra sub Fernando primo patre huius Alfonso. Hic autem Alfonso iam in senio constitutus cum filios non haberet masculos, filiam eius Vrracam viduam quam ex Regina Constantia genuerat, & quam Raymundo Comiti Barcinonae uxorem dederat, mortuo Comite qui filium Alfonso reliquit, Alfonso Regi Aragonum matrimonio copulauit. Ex quo nullum filium suscepit, immo plurimum cum ea discors fuit, pro eo quia (ut dicitur) inhonestam vitam ducebat. Quam rem tarde intellexit Rex. Palam enim de eius impudicitia dicebatur, ipse tamen ignorabat, quia (teste Seneca) nouissimi incommoda domus nostrae didicimus. Nec aliter de Metella uxore Syllae narrat Hieronymus, cuius tam nota erat impudicitia, ut Athenis cantaretur quod Sylla ignorabat. Quinimo secreta pudenda domus suae non aliter quam hostium conuicio didicit. Nec aliter accidit Gneo Pompeio victori vrbs, qui impudicissimam uxorem sortitus est. Ferunt historiae quos-

dam familiares Alfonsoi suasse, ut Vrracam vxorem tantopere impudicam repudiaret. Ad quos ille probe & facete ait illud Marci Antonini Cæsaris. Cum enim vxorem de adulterio suspectam haberet, suaderentque plurimi ut eam repudio daret, ille dixisse fertur: Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem erat imperium. Alfonso igitur post multa præclara opera ad Dei cultum & ad fidei defensionem gesta obiit morte communi, & apud monasterium sancti Facundi vna cum Zaida alias dicta Maria sepultus est. Fertur enim eum ante recepisse habitum monachalem, sic tamen ob fratris sui Santii timorem. Hic magnus ædificator fuit ecclesiarum. Reparauit enim ecclesiam Toletanam, instituit Burgensem, vtramque mirifice dotauit. Post mortem vero Alfonso sexti, prædicti Regis Castellæ Alfonso Rex Aragonum in regnis Castellæ & Legionis tentauit regnare propter vxorem, & fuit non parua discordia, aliis fauentibus Regi Aragonum, aliis præsidia ferentibus Alfonso filio Vrracæ. Tandem post plurima dissidia & bella obtinuit Alfonso filius Comitis & Vrracæ. Ferunt Hispanorum annalia hanc Vrracam irreuerentem fuisse ecclesiis & piis locis, sæpe sacra templa spoliando & ecclesiæ ministros vituperando & capiando. Quare iustissime acerrimas suorum sacrilegiorum pœnas soluit. Cum enim bellum gereret contra Alfonso Imperatorem filium suum, ingressa est monasterium sancti Isidori Legionensis, atque a monachis importune petebat pecunias. Cum vero illi dicerent se non habere, iussit militibus ut ecclesiam spoliarent ornamentis & calicibus. Illi non sunt ausi. Quare ipsa indignata templum cunctis iocalibus spoliavit. Cum vero egrederetur limen ianuar, media crepuit cunctis videntibus, & iudicia Dei laudantibus. Nec dissimili morte interiit Alfonso Rex Aragonum, maritus Vrracæ. Fertur enim multa sacrilegia perpetrasse, ecclesias spoliasse, & ob eam rem creditur diuino iudicio punitum esse. Nam vltimo bello quod contra Sarracenos apud Fragam conseruit, occisus est, & (ut ait Rodericus Toletanus) nulla eius vestigia reperta sunt. Eodem Alfonso Rege Aragonum sic interfecto (ut ait Lucas Tudenis) nonnulli proceres & Barones regni Aragoniæ decreuerunt eligere quendam nobilem appellatum Petrum Tares, multorum iudicio probum. Qui ut se vidit in regio throno, se supra se extulit. Incepit enim despiciere nobiles regni, & leges ac consuetudines patrias abrogare. Cum igitur pro more regni curiæ generales tenerentur, essentque Barones & nobiles vocati, plurimi Aragonenses & Nauarri qui primo venerant, non exierunt, ut est moris, Regi nouo obuiam, nisi solus vnus miles vocatus Petrus Tizon: cæteri vero petierunt Regis palatium, ut viderent an aliquod curialitatis signum Rex eis ageret. Ille vero indignatus iussit portas palatii sibi claudi. Barones vero & nobiles sequenti die curias sine Rege celebrarunt, atque in primis Petrum Tares titulo & regno pellere decreuerunt, quia cum in honore esset, non intellexit. Sed verum est illud Aristotelis, quia magistratus virum ostendit. Non parum periculi est, priuatos homines in magnis magistratibus non expertos subito ad regale fastigium sublimare. Nam (teste philosopho) nuper ditati & exaltati nesciunt ferre magnas fortunas. Quinimo ut plurimum sunt despectiui, dedignantur enim amicos priores, notos ignorant, histriones honorant, comites contemnunt, grandia loquuntur, sublimia meditantur, rationi subesse non patiuntur, præesse moliantur, sunt denique subditis onerosi, omnibus infesti. Quare (ut inquit Seneca) talibus repente exaltatis facilius est potentiam amittere quam acquirere. Expulso igitur Petro Tares, regnicolæ Aragoniæ communi consensu reuocarunt a monasterio Ramirum monachum presbyterum filium legitimum Santii Regis Aragonum & fratrem Alfonso sine filiis præmortui, cui dederunt nobilem vxorem, videlicet filiam Raymundi Comitis Piçtauiensis, obtaque dispensatione apostolica genuit vnicam filiam. Sed non putamus alienum a proposito fore, breui differere quid interim Ramiro & nobilibus suis acciderit. Narrant enim Hispanorum annalia Ramirum fuisse probum virum, & penitus diuinæ contemplationi deditum, sed valde simplicem, agibilibus inexpertum. Contigit autem ut necessarium bellum contra Sarracenos consereret.

Ille

Ille vero armorum & equitandi vsu expertus equum ascendit. Nobiles vero scutum in manu eius læua posuerunt, & lanceam in dextera. Rursus dixerunt ei, ut bridam siue frænum caperet. Ille vero, Ponite, inquit, in ore, quia vtraque manus occupata est: & ita actum est. Tandem Sarracenos viriliter aggreditur, & eos strenue deuicit. Nihilominus nonnulli Barones de huiusmodi actu & cæteris simplicitatibus tam assiduo & irreuerenter irridebant, ut Ramirus ferre æquo animo non posset. Quare deposita monachali simplicitate animo induit plus quam militarem. Nam vndecim nobiles ad se apud Oseam vocatos gladio ferire fecit, & ad superstites ait in vulgari Hispanico: *Non sabe la volpeia con quien trobeia*, quod est dicere, Nescit vulpecula cum quo ludit. Quo terribili exemplo cæteri perterriti nedum ab irrisione cessarunt, sed ei insidias parabant. Ramirus vero se & regnum Alfonso v. Regi Castellæ dicto Imperatori recommisit, quousque filia eius fuit nubilis. Quam accepit vxorem Raymundus Comes Barcinonæ, qui postea fuit Rex Aragonum & Comes Barcinonæ. Deinde dictus Ramirus donauit eidem Regi Castellæ Soriam cum districtu, quæ ante ad regnum Aragoniæ pertinebat. Cunctis igitur pacatis Ramirus rediit ad monasterium, vbi cælibem vitam egit. Barones ergo ac nobiles Aragoniæ quo pacto non incusent Regem irridentes, non facile inuenio. Scio scriptum esse, Non irridebis homines in amaritudine animi sui. Vnde de Regibus videtur dictum illud Iesaiæ: Illudam illufores eorum. Et iterum: Abominatio domini omnis illufor. Et rursus Sapiens: Irridentes erunt deridentes sine honore. Denique scio, iuuenes irridentes Helisæum vrsi lacerarunt. Sed & viri Sadoch irriserunt principem Gedeonem, sed luerunt pœnas. Iezabel quoque irrisit Achab qui pessima morte obiit. Verum tamen quomodo Regem a tanta crudelitate excusent ignoro, præsertim in monachali innocentia nutritum, qui sæpe illud Senecæ legerat: Nondum felix es, si te turba non deriserit: si vis beatus esse, cogita hoc primum contemnere contemni. Et iterum idem Seneca, Ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemtus. Et Cicero, Nemo contemni timer, nisi qui se contemnendum arbitrat. Hoc tempore fedit Romæ Gregorius v. & Victor i. & Vrbanus i. in sede vero imperii Henricus v. filius Friderici primi. Hic fuit coronatus a Celestino. Mortuus est in Sicilia. Quo mortuo orta est dissensio in imperio, quibusdam eligentibus Otho-nem filium ducis Saxoniar, aliis vero Philippum fratrem quondam Henrici Imperatoris.

De Alfonso v. i. intitulato Imperatore, qui vigesimo nono loco post cladem regnavit, & quomodo regna iterum diuisit, & de clarissimis gestis suis. Caput XXXI.

ALFONSVS VII. prædictus nepos Alfonso ex filia, intitulatus Imperator Hispaniarum, vigesimus nonus Rex fuit a Pelagio primo Rege post Hispaniæ excidium, & LXXVI. post Athanaricum primum Regem Gotthorum. Incepit regnare anno domini M. CVIII. regnavit annis LI. Hic diuisit iterum regna. Nam in regno Castellæ instituit primogenitum Santium, in regno Legionis Fernandum secundo natum. Diuisio siue partitio regni etsi plerumque fiat ex voluntate Dei, aut vindicantis, aut præsentia dissidia tollentis (ut inquit Augustinus) simpliciter tamen regnorum diuisio minime ad perpetuitatem regni cedere compertum est. Regnum quidem (teste philosopho) non nisi vnitatem firmatur. Hinc pro benedictione singulari Deus in vno principatu vnicum principem constituit, dicente scriptura per prophetam: Adducam vos de medio nationum in gentem vnã, & Rex vnus erit omnibus imperans. Quemadmodum pro maledictione datum est, ut regnum diuidatur, quia (ut ait Sapiens) propter peccata populi multi principes eius. Sic propter scelera Salomonis & filii Ieroboam eius regnum diuisum est. Fatemur tamē, quia nonnunquam ad vitanda inter fratres intestina dissidia, expedit regna inter eos partiri, idque plurimi imperatores fecere, ut supra diximus. Quæ siquidē regnorū partitio etsi discordiis protunc occurrētibus prouidere videatur,

G iij

maiores tamen timentur inquietudines. Adde, quia facilius partes diuisæ ab hostibus inuaduntur, quam totum in unitate roboratum. Hic igitur Alfonso regna diuisit. In qua redum filiis præsentibus prouidit, futura scandala non vitauit, quousque regna iterum vnita fuere, vt inferius tangemus. Hic fuit vir bonus, strenuus, & mansuetus, multa castra & oppida Mauris, signanter Calatrauam cum adiacentibus, suæ ditioni subiecit. Huius Alfonso tempore, mortuo Alfonso Rege Aragonum, & substituto ei Ramiro monacho fratre suo, Alfonso Rex Hispaniarum cœpit Aragoniam infestare, & ciuitates ac castra citra Iberum occupauit. Tandem in concordiam redierunt, vt Rex Aragonum prædictam patriam in feudo teneret a Rege Hispaniarum, essetque ei pro dictis locis vassallus: quod fideliter obseruauit vsque ad obsidionem Conchæ, in qua fertur Alfonso regi Aragonum homagium remisisse. Hic se Imperatorem Hispaniarum appellauit. nam principatum tenebata mari oceano vsque ad mare mediterraneum. Sortitus est Alfonso duas vxores, Berengariam atque Vrracam. Ex Berengaria genuit Santium & Fernandum, Elisabet & Beatricem. Hæc itaque Beatrix nupsit Ludouico Regi Franciæ. Fuit hic Rex Alfonso gloriosus & virtuosus, magnas prouincias & vrbes fidei lucro adiecit, vsque adeo vt Sarraceni ei seruirent in tributo, & ad curias suas, vt subditi, venire cogerentur. Huius tempore Ludouicus septimus Rex Franciæ gener Alfonso decreuit visitare limina sancti Iacobi, deniq; voluit Alfonso foceri curiam accersiri. Fuerat enim eidem Ludouico falso suggestum, reginam Francorum vxorem suam filiam Alfonso non esse legitimam. Alfonso igitur sociatus regi Nauarorum Ludouicum apud Burgensem ciuitatem solennissime recepit, quem sociauit vsque ad Compostellam, eumq; expleta peregrinatione Toletum conduxit, vbi Rex curias generales indixerat. Interfuit in eisdem curiis Raymundus Comes Barcinonæ & plurimi alii principes, fideles pariter & infideles, fuitque tanta inibi adunata nobilitas, vt Rex Franciæ palam dixerit, non fuisse in orbe similem regis curiam. Alfonso vero plurima dona Ludouico & militibus suis contulit. Fuitque abunde certificatus vxorem suam legitimam fore filiam Alfonso imperatoris. Quare plurimum delectatus, rediit incolumis & hilaris in Franciam, quem Rex Nauarræ & Comes Raymundus vsque ad Baionam sociarunt. Hic Alfonso iustitiæ zelantissimus fuit. Fertur enim patriam regni sui executores quos Alguaziles vocamus non indigem: ibique ministrabatur iustitia. Habent enim gesta huius regis quandam rusticam Galecum apud Toletum querelas egisse contra vnum potentem militem bona sua inuadentem. Cui Rex Alfonso breuem literam concessit, iniungens vt illico miles quæ abstulerat, rustico assignaret. Ille vero pro restitutione minas mortis laboratori intulit. Regem itaque rusticus iterum adit, qui commotus finxit se ægrotum, & interim secreto Galleciam petiit celerigressu, domumque militis obsedit, quem tandem cepit, & prope eius domum suspendit. Quo singulari actu multi perterriti fuere, & ab inuasionibus & rapinis abstinerunt. Hic Alfonso Cordubâ magno exercitu obsedit. Cui princeps Sarracenus qui eam regebat, de viribus suis diffidens exiit obuiam, ciuitatis clauas offerens. Alfonso ergo accepta ciuitate eam commisit cuidam Mauro sibi fideli sub homagio. Tandem procedens per maritima Almeriam obrinuit, deinde Bæzam, ibique relicto filio suo Santio obiit in via ex ægritudine sub quadam arbore, in monte qui dicitur del Muladar. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Innocentius II. & post eius obitum Celestinus II. & Lucius III. quo tempore fuit magnum schisma: in imperio autem fuit Conradus II. & Fridericus primus. Hic Conradus nepos Henrici imperatoris ex sorore benedictionem non habuit.

De Santio II. Desiderato appellato, qui post irruptionem Hispaniæ trigesimo loco regnavit, & de virtutibus & gestis suis. Caput XXXII.

SANTIUS III. cognominatus Desideratus, primogenitus Imperatoris Alfonso, XXX. Rex fuit a Pelagio primo rege post cladem Hispaniæ, & LXV. post Athana-

Athanaricum primum regem Gotthorum. Cœpit autem regnare anno domini M. CLIX. regnavit anno vno. Hic cum intelligeret mortem patris, concito gressu corpus eius duxit Toletum, ibique honorifice sepeliuit. Hic vxorem duxit patre viuente Blancam filiam Garciæ regis Nauarræ, qui fuit nepos ex filia nobilis Roderici Cidi, ex qua susceperat Alfonso, qui post eum in cunabulis existens regnavit in Castella. Hic Rex Santius multis virtutibus pollebat, & clypeus nobilium dicebatur, & (erat enim humanissimus) nulli fides eius, nulli victus, nulli auxilium defuit. Imitatus est Simonem Atheniensem ducem, cuius tanta fuit ad suos caritas & beneficentia, vt nullus inopia rei familiaris moestus esset, multos locupletauit, suoque sumptu extulit, vt eo mortuo non tam dux quam omnium pater extinctus videretur. Fernandus autem frater Santii cui pater regnum Legionis dimiserat, licet pius & benignus, tamē quorundam prauis consiliis abstulit feuda & castra quibusdam nobilibus, quæ pater eis concesserat. Illi vero regem Santium Castellæ adierunt, qui congregato exercitu regnum Legionis ingreditur. Fernandus tamen bello captus est, qui tandem fratris arbitrio se commisit. Quem frater conspiciens nudum regalibus vestibus induit, imitatus Pompeium regem Armeniæ, qui fratrem bello captiuatum genibus flexum iacere non permisit, sed benignus fratrem recreauit, & diadema quod amiserat, capiti imponere iussit, vitamque simul & regnum contulit, æque pulchrum iudicans & regem vincere & facere. Nec aliter Santius, etsi regno fratris, imo suo potiri potuisset, fratrem sibi conciliauit, quem futurum hæredem in spiritu præsensit. Tandem rebus compositis vnusquisq; in patriam rediit. Rex vero Santius consummatus in breui compleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius. Ideo festinauit eum dominus adducere de medio iniquitatis. Obiit enim apud Toletum. vocatus est enim Desideratus, quia præmature tam dilectus de terra delectus est. Hoc tempore sedit Romæ Lucius III. in imperio prædictus Fridericus primus. Hic dux fuit Sueuorum & nepos Conradi Imperatoris. Hic coronatus fuit ab Adriano Papa. Cum igitur transisset in orientales partes, & fatigatus magno æstu in quodam fluuio nataffer, submersus est, vt dicitur in Chronica Sicardi.

De Fernando secundo, qui post cladem Hispaniæ trigesimo primo loco regnavit in Legionem, & frater eius Santius in Castella. Caput XXXIII.

FERNANDVS II. frater Santii & filius Alfonso Imperatoris, XXXI. Rex fuit a Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ, & LXIII. post Athanaricum primum Regem Gotthorum. Cœpit autem regnare in regno Legionensi anno domini M. CLIX. regnavit annis triginta vno. Eodem enim tempore Santius in Castella regnavit, & Fernandus in Legionem, sed non æquali periodo in regnis perdurarunt. Santius enim vno anno, sed Fernandus triginta vno præfuit. Santius itaque cum recte, pie, & iuste regnauerit, licet paucis annis, longo tamen tempore vixisse censendus est. Nam ætas hominum bene distributa, longa est: si male, breuissima. Diu enim non viuit, qui diu impie viuit, dicente Salomone: Si quid impiorum longæ vitæ fuerit, in nihilum reputabitur. Vnde Seneca, Decipitur qui propter canos & rugas in fronte putat diu vixisse. Hic Fernandus, sicut præmissum est, præmature mortuo Santio Rege Castellæ eius fratre qui Alfonso filium anniculum reliquerat (vt quidam aiunt) ad regnum aspirabat, aut (vt alii volunt) nepotem sibi vassallum subiicere tentauit. Sed obstetit explorata ac æternis laudibus illustrata erga Alfonso nobilium suorum fides, præsertim duorum fratrum Manrici & Nunii Comitum de Lara. Cum enim ipse Alfonso mortuo Santio patre in cunabulis agens a nobilibus Castellæ iure in Regem electus atque receptus esset, Fernandus, de quo agimus, patruus eius, manu armata regnum Castellæ ingreditur, & magnam eius partem occupauit. Persequeretur enim miro odio Manricum & Nunium Comites prædictos, quibus Santius Rex filium commiserat. Ipsi igitur nobiles viri non valentes aliud efficere, homagio pro tunc ab eis præstito assenserunt Regis Fernandi voto, vt

Alfonsum tanquam vassallū sibi traderent alendum. Cum igitur Fernandus oppidū Sorie peteret, vbi erat puer: & esset coram patruo adductus, cœpit plorare. Cui Fernandus ne ploraret, blandiri cœpit. Tunc Comes Manricus sciens quod scriptum est, quia in tempore tribulationis fidelis agnoscitur, omni timore deposito ad regem ait: Puer (inquit) lactari cupit, non seruire, nutricis potius mamillis quam patruī oblectamentis indiget, longe magis puero opus esset lactantis solatio quam patruī palatio, magis optat lac quam sanguinem, longe magis ei expedit ablactatus vagire quam coactus seruire. Voluisti hodie, o Rex, efficere quod natura non patitur. Cupis enim vt tibi præstet homagii formam, qui formare verba non didicit. Cupis rursus vt tibi seruire incipiat, qui vix viuere inchoauit. Opras vt tibi homagium dicat, qui quid sit quod petis ignorat. Et vt paucis, sed veris, tua pace agamus, vis vt tibi fiat vassallus, qui dominus iure fore deberet. Facigitur quod tibi libet. Sed vide an liceat, nos cedemus tempori, non rationi, dum tu respicis pueri ætatem, non tui honestatem. Si igitur placet, puerum ad nutricem adducam quæ eum lactabit, postea iocunde videbit eum Rex. Interim vero quidam miles dictus Petrus Melendi iussu Comitum ascendit equum, & puerum sub mantello abscondit celerigressu duxit ad oppidum sancti Stephani de Gormaz. Idque cum intimatum esset Regi Fernando qui Alfonso auide expectabat, nimis ira indignatus est contra Comites. Illi vero quodam rubore perfusi, dixerunt se velle Regem quærere, & ad Fernandum adducere. Comes itaque de Lara paulum cæteros præcedens ad oppidum pergit sancti Stephani, puerumq; ad arcem de Atienza attulit, nec putauit ire cõtra homagium, vt dominum suum aut a morte aut seruitute liberaret. Fernandus ergo rex Nunium diffidauit. Ille vero statim se regi præsentauit, quem Rex toruo oculo conspiciens proditorem appellauit. Sed Nunius patienter tulit, dicens id egisse vt dominum suum liberaret, nec credebatur contra regni instituta egisse. Fernandus itaque rem deduxit ad consilium, & a cunctis proceribus iudicatum est, Comites minime cõtra homagium, quinimo strenue & fideliter egisse. Quo præclaro facinore Rex Santius aut a morte aut a seruitute liberatus est. Manricus igitur & Nunius æterna sunt laude commendandi, qui nedum vitam, sed honorem domini sui vitæ propriæ prætulērunt, iunitati fidelissimos illos Ioiadam & Iehoseba, quos scriptura sacra commemorat, qui absconderunt Ioas paruum filium in virtute sua & in cubiculo suo, contra Athalam & cæteros semen regis extinguere molientes. Sic puer Prolemæus Rex Ægypti, quem pater eius Prolemæus Romanorum fidei commiserat, per eorundem Romanorum fidem & probitatem (vt ait Valerius) defensus est contra patruos & Ægyptios regnum illius eripere molientes. Hic Fernandus deuicit in prælio Alfonso qui primus fuit Rex Portugaliæ. Huius Fernandi temporibus sedebat Romæ prædictus Lucius III. in imperio vero Fridericus primus, de quo paulo ante diximus.

De Alfonso VII. qui post cladem Hispaniæ trigesimo secundo loco regnavit, & de clarissima eius prole, & bellis & victoriis suo tempore occurrentibus. Caput XXXIII.

ALFRONSVS VII. cognomento Bonus, filius regis Santii, XXXII. Rex fuit a Pelagio primo Rege Hispaniæ post cladē, & LXIX. ab Athanarico primo Rege Gothorum. Incepit autem regnare in regno Castellæ anno domini M. CLX. & regnavit annis LIII. Hic Alfonso (vt paulo ante prædiximus) patre Santio vita functo inter ipsos vagitus infantia regnare cœpit. Nec parum fuit miraculi eū in tanta euasisse innocentia, cui tot pectora nocentia insidiabantur. Sed nec carebat mysterio illum incolumem posse seruari, quem tanta ambitio, aut tanta inuidia inuaserat. Quare futurum videbatur, vt quem maxima fides defenderat, maxime ipse fidem defenderet, & inter multos clarissimus euaderet, quem clarissima auspicia futurum clarissimum demonstrarunt. Hic igitur Alfonso post annos suæ adolescentiæ non sine conflictu, sed cum victoria feliciter exactos, duxit vxorem Leonoram filiam Ricardi Regis Angliæ. Ex qua genuit tres filios, scilicet Santium, qui obiit in infantia, & Fernandum strenuissimum atq; excellentissimū principem, qui cum esset xxv. annorum apud Maoritum communi morte obiit. Deniq; genuit Henricum qui postea regnavit. Genuit rursus plures filias, videlicet dominam Blancam quæ nupsit regi Franciæ, ex qua genuit sanctum Ludonicum etiam regem Franciæ. Nec mirum cum ex generoso semine nascatur in quauis specie optima proles. Fuit igitur singularis felicitas huius Alfonso, tam egregiam claramque obtinuisse prolem, quæ ipsum pene orbem excellentissimis principibus repleuit. Teste enim Aristotele, multitudo & bonitas prolis magnam felicitatem parentibus affert. pro singulari enim munere concessit deus Abraham & Iacob, vt viderent filios & filios filiorum suorum, pacem super Israel. Adde, quia probitas filiorum plerumque deriuatur a patre, & transit in filios, quia scriptum est: Iustitia illius in filios filiorum suorum. Et sicut (teste sapiente) filius insipiens ignominia patris, ita virtus filiorum gloria & felicitas est patris. Nec enim parua fuit gloria Pauli Q. Mutium & reliquos præclaros habuisse filios, qui in eodem genere laudis patrem ne dixerim imitari, sed excellere visi sunt. Sic & Africanus in remilitari paternis laudibus addidit. Id ipsum fecerunt Timotheus & tres eius fratres Cononis filii, qui in belli laude doctrinæque & ingenii præstantia non inferioriores patre fuerunt. In optimam hæreditatem a patribus receperunt, tales videlicet patres obtinuisse. Patres quoque præstantissimum patrimonium filiis reliquerunt, cum tales filios genuissent. Rursus quid felicius Metelli Romanorum principis felicitate, si prolem respicimus? quid præclarior filii, si patrem non despiciamus? Hic enim Metellus consul, imperator, triumphator, ex vxore pudica quatuor inclytos genuit filios tribus consulatibus & censuris & vna prætura. Gyges denique Lydorum rex adeo prole felicissimus fuit, vt Apollinis oraculum consulere sit ausus, an quisque se filiis felicior foret. Iterum Alfonso genuit dominam Berengariam, quæ fuit vxor Alfonso Regis Legionensis, ex qua genitus est gloriosissimus Fernandus Rex, qui Hispalim, Cordubam, & totam fere Bæticam, & Vandaliam a Mauris obtinuit. Ex eadem rursus Berengaria genitus est Alfonso qui dictus est Infans Molinæ. Item dictus Alfonso VII. genuit Vrracam quæ fuit regina Portugaliæ, & Leonoram quæ fuit regina Aragoniæ. Hic Alfonso a Mauris in prælio deuictus est apud locum de Alarcos. Fuit autem dux Maurorum Miramomelinus, qui prosequens victoriam multa castra acquisiuit, obseditque arcem de Alarcos, præsertim quia cognouerat nobilem virum Didacum de Haro dominum de Viscaia post prælium in eadem arce receptum esse, sciebatque obsessis victualia defecisse. Miramomelinus itaque iurauit super Alcoranum, quod si Didacus de Haro illico sibi non assignaret castrum, omnes gladio feriret. Verum cum apud eundem Miramomelinum exularet nobilis vir Petrus Fernandi de Castro, occasione inimicitiarum cum Nunio & Alvaro Comitibus de Lara, generis eiusdem Didaci, suscepit idem Petrus Fernandi onus intimandi Didaco votum regis Sarracenorum. Exposita igitur legatione Didacus necessitate famis compulsus, deliberauit arcem assignare, eo pacto vt omnes secum existentes saluarentur. Quod placuit regi exceptis Comitibus de Lara, qui debebant capti assignari Petro Fernandi inimico eorum. Pacto igitur inito, rogauit Didacus Petrum Fernandi, vt secum duos milites deferret, idemque Petrus iurauit, quod assignato castro Miramomelino, eadem hora omnes existentes in arce liberarentur præter Comites de Lara. Didacus vero mandauit suis, ne castrum redderent post quatuor horas recessus sui. Ille vero assumptis secum eisdem Nunio & Alvaro generis suis exiit de castro, & infra paucas horas aliud castrum Christianorum securus petiit. Cum itaque Petrus Fernandi lætus admodum esset, putans se habere ad manus Comites de Lara, ac inuenisset eos abiisse cum Didaco, doluit se illudum. Nihilominus seruans quod iurauerat, cunctos qui in arce manserant, illæsos abire fecit, datis per Didacum duodecim obsidibus

adoleſcentiæ non sine conflictu, sed cum victoria feliciter exactos, duxit vxorem Leonoram filiam Ricardi Regis Angliæ. Ex qua genuit tres filios, scilicet Santium, qui obiit in infantia, & Fernandum strenuissimum atq; excellentissimū principem, qui cum esset xxv. annorum apud Maoritum communi morte obiit. Deniq; genuit Henricum qui postea regnavit. Genuit rursus plures filias, videlicet dominam Blancam quæ nupsit regi Franciæ, ex qua genuit sanctum Ludonicum etiam regem Franciæ. Nec mirum cum ex generoso semine nascatur in quauis specie optima proles. Fuit igitur singularis felicitas huius Alfonso, tam egregiam claramque obtinuisse prolem, quæ ipsum pene orbem excellentissimis principibus repleuit. Teste enim Aristotele, multitudo & bonitas prolis magnam felicitatem parentibus affert. pro singulari enim munere concessit deus Abraham & Iacob, vt viderent filios & filios filiorum suorum, pacem super Israel. Adde, quia probitas filiorum plerumque deriuatur a patre, & transit in filios, quia scriptum est: Iustitia illius in filios filiorum suorum. Et sicut (teste sapiente) filius insipiens ignominia patris, ita virtus filiorum gloria & felicitas est patris. Nec enim parua fuit gloria Pauli Q. Mutium & reliquos præclaros habuisse filios, qui in eodem genere laudis patrem ne dixerim imitari, sed excellere visi sunt. Sic & Africanus in remilitari paternis laudibus addidit. Id ipsum fecerunt Timotheus & tres eius fratres Cononis filii, qui in belli laude doctrinæque & ingenii præstantia non inferioriores patre fuerunt. In optimam hæreditatem a patribus receperunt, tales videlicet patres obtinuisse. Patres quoque præstantissimum patrimonium filiis reliquerunt, cum tales filios genuissent. Rursus quid felicius Metelli Romanorum principis felicitate, si prolem respicimus? quid præclarior filii, si patrem non despiciamus? Hic enim Metellus consul, imperator, triumphator, ex vxore pudica quatuor inclytos genuit filios tribus consulatibus & censuris & vna prætura. Gyges denique Lydorum rex adeo prole felicissimus fuit, vt Apollinis oraculum consulere sit ausus, an quisque se filiis felicior foret. Iterum Alfonso genuit dominam Berengariam, quæ fuit vxor Alfonso Regis Legionensis, ex qua genitus est gloriosissimus Fernandus Rex, qui Hispalim, Cordubam, & totam fere Bæticam, & Vandaliam a Mauris obtinuit. Ex eadem rursus Berengaria genitus est Alfonso qui dictus est Infans Molinæ. Item dictus Alfonso VII. genuit Vrracam quæ fuit regina Portugaliæ, & Leonoram quæ fuit regina Aragoniæ. Hic Alfonso a Mauris in prælio deuictus est apud locum de Alarcos. Fuit autem dux Maurorum Miramomelinus, qui prosequens victoriam multa castra acquisiuit, obseditque arcem de Alarcos, præsertim quia cognouerat nobilem virum Didacum de Haro dominum de Viscaia post prælium in eadem arce receptum esse, sciebatque obsessis victualia defecisse. Miramomelinus itaque iurauit super Alcoranum, quod si Didacus de Haro illico sibi non assignaret castrum, omnes gladio feriret. Verum cum apud eundem Miramomelinum exularet nobilis vir Petrus Fernandi de Castro, occasione inimicitiarum cum Nunio & Alvaro Comitibus de Lara, generis eiusdem Didaci, suscepit idem Petrus Fernandi onus intimandi Didaco votum regis Sarracenorum. Exposita igitur legatione Didacus necessitate famis compulsus, deliberauit arcem assignare, eo pacto vt omnes secum existentes saluarentur. Quod placuit regi exceptis Comitibus de Lara, qui debebant capti assignari Petro Fernandi inimico eorum. Pacto igitur inito, rogauit Didacus Petrum Fernandi, vt secum duos milites deferret, idemque Petrus iurauit, quod assignato castro Miramomelino, eadem hora omnes existentes in arce liberarentur præter Comites de Lara. Didacus vero mandauit suis, ne castrum redderent post quatuor horas recessus sui. Ille vero assumptis secum eisdem Nunio & Alvaro generis suis exiit de castro, & infra paucas horas aliud castrum Christianorum securus petiit. Cum itaque Petrus Fernandi lætus admodum esset, putans se habere ad manus Comites de Lara, ac inuenisset eos abiisse cum Didaco, doluit se illudum. Nihilominus seruans quod iurauerat, cunctos qui in arce manserant, illæsos abire fecit, datis per Didacum duodecim obsidibus

de assignando castrum, vt statim dicemus. Sic itaq; auaritia vindictæ Petri Fernandi optima arte illusa est. Cæterum non aberrabimus ab incepto proposito, si breui inferuerimus quid huius incliti Alfonso temporibus eidem nobili Didaco de Haro acciderit. Fuit enim Didacus (vt ferunt Hispanorum annalia) Alfonso regi carus, plurimumq; acceptus, nam erat vir strenuus, corporis atq; animi viribus pollens. Verumtamen apud semetipsum cunctis fortior videbatur, quinimo bellandi arte, animositate, & fide plurimis se præstare arbitrabatur, vt alter Metellus, quem Salustius in Iugurtha commemorat, qui quamquam gloria & virtute clarissimus, tamen ei erat arrogans atque contemptor animus, quia arrogantia commune nobilitatis malum est. Ea igitur infelicissima die qua rex Alfonso con-
 10 fligere debebat cum Miramomelino rege Maurorum prope Alarcos, Didacus ipse quatuor problemata publice & arroganter deuouit. Erat primum, nullo periculo dominum suum in bello dimittere: secundum, quod nulla necessitate castra aut arces domini sui hostibus traderet: tertium, quod si vnquam obsides assignaret, illos omnino redimeret: quartum, quod iam conferto prælio, si semel calcari-
 20 bus equum percuteret contra Sarracenos, nullo discrimine respiceret retro. Sed altissimus Deus cuius est omnis fortitudo & potentia, fregit arrogantiam eius, quia scriptum est: Qui se iactat & dilatat, Deo displicet, & iurgia concitat. Et in Ecclesiastico scribitur: Nec te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relin-
 20 quaris velut lignum aridum in eremo. Hinc Augustinus in libro de conflictu vitiorum: Define grandia loqui. Frangit Deus omnem arrogantem, magniloqui cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur. Itaq; tantam arrogantiam Didaci de Haro Deus non sustinuit, quippe ea die contra prædicta quatuor aut metu, aut infelicitate, vel necessitate agere coactus est. Nam victo exercitu Christianorum, ipse Didacus plurimos Christianos fugere conspicens, ad arcem de Alarcos au-
 30 fugit. At cum cerneret victualia deesse, exiens de castro suis militibus sociatus, impetum in Arabes fecit, vt tandem euadere posset. Verum sui eum deseruerunt. Cum itaq; retro respiceret, neminem prope se videns, verecunde fati rediit ad arcem. Rursus eadem die duodecim milites Miramomelino regi Sarracenorum ex pacto obsides assignauit, ipseq; sequenti die incolumis, sed infelix, euasit, & arcem infelicius hostibus consignauit. Sic itaq; eadem quatuor eadem die nescio an in-
 40 solentius ac impudentius fregit ac violauit. Nec defuit qui ei palam iactantiam suam impropere dicens, O Didace memor esto, quia in quo multa te acturum iactasti, in eo multos offendisti. Iactantia enim (vt inquit noster Quintilianus) audientibus non modo fastidium, sed etiam odium generat. qui enim se iactant hoc facere, tanquam superiores aut fortiores sibi videntur. Quare supra modum cæteros premere & despiciere creduntur. Hinc & noster Seneca ait, quia magnanimitas si se supra se extollat, facit virum minantem, inflatum, turgidum, inquietum, cunctis odiosum. Tu ergo, o Didace, illud Scipionis vtinam animo cogitasses, qui militem tacitum esse debere ad exequendum, ad faciendum potius quam ad di-
 40 cendum proniorem. Tu ergo qua die te verbis ostentasti, ea te operibus defraudasti, & qua die vouisti, ea votum fregisti, vt in te illud Sapientis impleatur: Superbia tua extulit te. Et iterum: Est qui hodie extollitur, & cras decidet. Verba tua te polluerunt, sed hostes non terruerunt, quia (vt poeta ait)

Non semper ferit quodcumq; minabitur arcus.

Heri verbis hostes vicisti, a quibus hodie victus euasisti, vt imiteris Damasippum quem Macrobius commemorat, qui cum polliceretur aprum solus interficere, Cicero quæsiuit an ipsum venabulo
 50 vel verbis interficere promittebat.

De glo-

De gloriosa victoria Alphonsi VIII. contra Sarracenos in illo famoso bello de Nauibus Tolosæ, & quomodo crux Christi preciosa visibiliter opem tulit, & de innumera multitudine castrorum. Inferuntur etiam copie intersectorum in antiquis bellis & caterarum nationum. Cap. XXXV.

LIBET igitur breui differere gesta Alfonso VIII. post infelicem cladem peccatis populi Christiani susceptam apud locum de Alarcos. Postquam idem Alfonso a Miramomelino rege Sarracenorum sic infeliciter victus fuit, conspicens peccatis suis id euenisse, compunctus corde multa pietatis opera fecit. fundauit enim
 10 atque dotauit monasterium de Holgis, & Hospitale regis apud Burgensem ciuitatem, & alia plurima monasteria monialium. Fernandus itaque filius eius cum esset ingentis roboris animi, incessabiliter interpellat patrem Alfonso, vt Miramomelinum regem Maurorum paulo ante victorem aggrediretur. Pater vero cum conspiceret Sarracenos instructos copiis multis, ac in locis saluosis manere, ad filium ait: Aggredere, o fili, hostes libens, si plurimos tibi similes in castris meis conspicerem, & hostium vires expertus non essem: imitatus Paulum Fuluium, qui contra Macedones consul missus, cum essent hostes in locis inaccessibilibus, hortante eum
 20 Nafica optimæ indolis iuvene, vt hostes adorirentur: Facerem, inquit, istud, si tua mihi ætas fuisset, aut tibi mea experientia. Verum pluries expertus sum non tutum esse, vt recenti infelicique clade prostratus aduersus instructam aciem dimicem. Tandem Alfonso precibus filii atque sui animi amplitudine roboratus, eundem regem Sarracenorum diffidauit. Interim Rodericum Archiepiscopum Tolosanum Romam misit pro cruciata, quam contestim obtinuit. Adueniente igitur die belli, congregato & instructo exercitu, Sarraceni in multitudine confidentes, vt moris
 30 habent, clamitabant magnis vocibus, & diuersis sonorum & tubarum strepitibus rigeant, vt nostris timorem, suis vero animam darent. Cum vero Alfonso suos hostium potentiam formidare conspiceret, ad eos ait quod Salustius in Catilinaria refert: Semper (inquit) in prælio illis est maximum periculum qui maxime timent. Nobis ergo, o Christi milites, audacia pro muro, spes pro securitate, gloria pro victoria, iustitia pro certitudine vincendi habeatur. Et subdit: Nec vos conturbent
 40 hi hostium clamores. illis. n. pauor est in animo, quibus effusa vox est in ore. Imitatus est Alfonso Magnum Alexandrum, qui (vt Quintus Curtius refert) contra Darium pugnaturus in simili casu ad suos formidantes ait: Quid Barbarorum clamoribus turbamini, qui timoris habent testimonium, non confidentiæ probationem. Nam & canibus infelicioribus mos est, quanto plus defecerint vires, eo magis latratibus indulgere. Expletis igitur his verbis, omnes in domino confortati Sarracenos impetunt. Vtrinque itaque pugnatum est acerrime, & non sine varietate fortunæ, eo auxilium ferente, coram quo fortuna ipsa aut nihil est, aut nihil potest. Tandem Arabes mirabili strage fusi & cæsi sunt. Fuit hoc bellum famosum dictum
 40 de Nauibus Tolosæ, vbi crux Christi visibiliter opem tulit. Meruit hic Alfonso sua ad Christi crucem deuotione & reuerentia, crucis triumphantissimæ auxilio vincere, vt alter Constantinus Constantii filius, qui (vt inquit Cassiodorus) aduersus Maxentium pugnaturus vidit per somnium signum crucis in caelo flammeo more rutilare, & angelos assistentes atque dicentes: In hoc signo vinces Constantine. Triumphauit autem Constantinus in signo crucis, vt nec solus vnus de suis in bello mortuus atque captus fuerit. Quo effectum est, vt crux quæ primo apud Romanos supplicium fuerat, in numismatum figuris sit descripta literis ascribentibus:
 50 **HOC EST INVINCIBILE SIGNVM DEI VI VI.** Fuit itaq; tā gloriosum hoc bellum, sicut vnquam in Hispania accidisse legitur. Cæsa enim fuere circiter c. milia Arabum. Stupenda clades, inaudita lues, tot intersectorum hominum multitudo, quæ non miseranda, non deslenda, sed cum summis gaudiis referenda, atque immortalis Deo gratulanda est. Quis enim Barbarorum miserebitur quos cum non lædimus, catholicam fidem euertere, nosque & nostra diripere, suæque perfidiae subiicere conspiciamus? Tantam itaque castrorum stragem, tantamque occisorum multitudinem, vt eo bello Alfonso intulit, nulla referunt annalia. Nam
 H

cti clariora bella truculentioresque præliorum cædes recolimus, huic Alfonso victoriarum non facile comparantur. Vt enim refert Orosius in primo congressu Alexandri cum Dario sexcentum millia Persarum bellantium fuere, quæ non minus arte Alexandri superata, quam virtute Macedonum. vbi magna cædes fuit Persarum. In exercitu vero Alexandri tantum centum viginti equites, & octo pedites defuere. Parum vero post, Darius cum quatuor centum millibus peditum & centum millibus equitum in aciem prodiit, pugnaque committitur, amboque reges vulnerantur. Tandem Darius fugit, cæsaque sunt octoginta millia peditum, equitum vero decem millia, capta autem quadraginta millia. Et rursus: Darius spe pacis amissa, quatuor centum millia peditum & centum millia equitum congregauit, & Alexandro ab Ægypto reuertenti apud Tharsum bello opponitur. raroque in ullo prælio, vt in hoc, tantum sanguinis fufum est, totusque oriens in potestatem Alexandri venit. Quantus autem numerus militum Alexandri ceciderit, non tradunt scriptores. Veterum enim mos est, ex ea parte quæ vincit, occisorum numerum non ponere, ne victoriam maculent damna victoris. Denique contra Pyrrhum apud Lucaniam Curius cõsul bellum gessit, vbi octoginta millia peditum, & septuaginta millia equitum regem Pyrrhum habuisse ferunt. Ex his triginta sex millia cæsa referuntur. Rursus Regulus aduersus duos Hasdrubales & Amilcarem acerrimum bellum gessit, vbi triginta millia Romanorum ceciderunt. Postea vero anno ab vrbe condita quingentesimo sextodecimo apud Aretium commisso prælio, Attilius consul est occisus, octoginta millibus Romanorum cæsis. Cæterum Sylla Mithridaticum bellum cepit, initoque prælio cum Archelao conflixit, vbi nonaginta millia interfecta referuntur. Parum vero post cum Mithridates adiutorium Archelao misisset, secundo prælio quinquaginta millia ex suis interfecta sunt. Item Iulius Cæsar apud Rhodanum Gallos bis vicit, vbi quadraginta millia Gallorum ceciderunt. Sed & Tiberius priuignus Augusti Germanos bello superauit, vbi centum viginti quatuor millia cæsa & captiuata feruntur. Quod bellum maximum & formidolosum quinquaginta legionibus gestum est, nec fere vllum maius bellum post Punicum fuit. Postremo (vt id Orosius refert) anno vrbis conditæ octingentesimo vigesimo quinto, Vespasianus templum Hierosolymis dirupit, murosque vrbis solo æquat: & ibi sexcenta millia Iudæorum interfecta Cornelius & Suetonius asserunt. Iosephus vero vndecies centena millia Iudæorum gladio & fame periisse, nonaginta vero millia toto orbe dispersa: de Romanis vero vix viginti quinque equites ceciderunt.

De his quæ acciderunt regi Alfonso VII. post famosum bellum Nauium Tolosæ, & de ciuitatibus & locis quæ acquisiuit, & de singulari facinore circa arcem de Zorita, & obitu eius. Cap. XXVI.

SVPEREST igitur vt ad Alfonso præclarissima facta & eius tempore gesta redeamus. Postquam itaque bellum prædictum de Nauibus Tolosæ toto orbe famosum Alfonso feliciter expleuit, creuit ad maiora animus. Vt enim inquit Valerius, felicitate obtentæ victoriæ roboratur nobilis animus atque nutritur, vt clariora semper aggrediatur, illaque cum laudum cumulo perficiat. Prosequitur igitur victoriam sibi a Deo missam, & post multa laboriosa bellica certamina, plurimaloca a Sarracenis euicit, lucroque fidei adiecit, præsertim Calatrauam, Alcarã, Concham cum districtu Alarcon, castrum Dominarum, Vbedam, Bæzam, & innumera alia castra & oppida quæ tempore Alfonso VI. fuerant a Mauris occupata. Nec putamus alienum a proposito nostro, breui referre quoddam, non dixerim præclarum facinus, sed & dolendum pariter & ridendum exemplum, quod etsi Alfonso non parum afflixerit, tamen sua prudētia & industria in eius vtilitatem & gloriam versum est. Rebellauerat contra Alfonso miles quidam dictus Lupus de Arenis, seque in arcem famosam de Zorita inclusit atque intrusit, ex qua incõmoda plurima finitimis ingerebat. Cupiebat rex quam maxime castrum simul & militem ad manus habere. Idque cum quidam mimus siue bufo dictus Domin-

guellus, facetus, sed prudens, qui apud Lupum erat, intellexisset, regem ipsum accessit, sibi que castrum & militem se daturum pollicetur. Percunctatus a rege quonam pacto id fieri posse confidebat, ille, vt erat astutus, remque diu animo digesserat, regi vtilem, sed funestam malitiam aperuit, vt videlicet pateretur, se aliquem ex regis militibus in facie citra mortem percutere, statimque ad castrum fugeret, vt Lupo Castellano nuntiaret quendam ab eo militem in regis præsentia pro eo interfectum, quia de eodem Lupo detraheret, proditoremque appellasset: qua occasione grate eum reciperet, & tandem castrum ad regis manus deduceret. Annuir rex, sed non reperiebatur qui se percussa bufone permetteret. Affuit tandem quidam nobilis & grandæuus miles Petrus Didaci. Is vt rex castrum obtineret, passus est se a bufone in facie percipi. Expleto igitur concepto facinore, Dominguellus cõcito gressu ad arcem fugit, Castellanoque retulit ob eius honorem in regis conspectu militem occidisse. Quæ res pergrata Lupo fuit, illumque dilectum habuit, & custodibus arcis præposuit. Cum igitur captata die Castellanus in camera raderetur, oblata opportunitate lancea bufo spatulas eius perfodit, & illico interemit, ac per locum ab eo destinatum ex arce exiēs ad castra regis deuenit: cui, Expleui, inquit, quæ promisi, Lupum proditorem interfeci. Eoque loquente nepos Castellani ad regem accessit, clauēque arcis donauit. Meruit certe Lupi proditio, vt alia proditione plecteretur, quia scriptum est: Delictum actores insequitur: & dignum fuit, vt ei qui fidem fregit, fides frangeretur ipsa. Sed dum proditio punitur, illius nobilis fidelitas ad cælum vsque extollitur, qui facie se perpetuo vulnere truncari permisit, vt domini statum incolumem redderet. Fuit hic Alfonso miræ patientiæ & longanimitatis, qui sæpe a subditis conuitia impune ferebat. Aiunt enim annalia Hispaniæ iuuenem quendam non satis moribus ornatum, licet nobilem, præturam ciuitatis Toletanæ ab eo postulasse. Rex vero ætatem & mores illi impedimento fore dicebat. Ad quem iuuenis liberior quam modestior, Et tu, inquit, rex mihi ætatem improperas, qui in cunabulis regnare cepisti. Demum plures agnosco, qui tecum pridie pila & alea luserunt, a te præturis & honoribus exaltatos, sed vt puto ideo illos ad dignitates admisti, quia simul cum eis lufisti: me vero ideo repellis, quia cum rege non lufi. Risit rex facientiam iuuenis, & libertatem in lacescendo, in regem præsertim, qui ludendo atque ridendo proscribere solet. Itaque nullata commotus armis & equo iuuenem donauit, imitatus Cæsarem Marcum Antoninum, qui cum quendam adolescentem non satis moratum, honorem petentem repelleret, moneretque vt se bonis artibus muniret, quo postulato honore dignus haberetur, ille libera fronte ad Cæsarem ait: Multos agnoui, o Cæsar, qui tecum in arena pugnarunt, tecumque gladiatorum arte vsi sunt, quos prætores & tribunos euexisti. Quod Cæsar patientissime tulit. Post prædicta igitur clarissima Alfonso gesta & ampliffimas victorias ipse gloriosus Alfonso a domino vocatus, in quodam rure oppidi de Aréualo vocato Gutierre munno grauitè infirmatur, vitamque finiuit & secum Hispaniæ gloriam sepeliuit. Hoc tempore sedit Romæ Vrbanus III. quo etiam tempore ciuitas sancta Ierusalem a Sarracenis occupata est. Hoc etiam tempore Constantinopolis a Francis & Venetis capta est. Eo etiam tempore floruit in Hispania sanctus Dominicus institutor ordinis Prædicatorum. Hoc tempore sedit in imperio Henricus VI. & Otho III. Hic Otho per industriam Innocentii papæ III. imperium obtinuit, Philippo interfecto. Hunc Othonem tandem Innocentius papa excommunicauit & deposuit, quia contra eius voluntatem ingressus est regnum Apuliæ, quod conabatur auferre Frederico regi Siciliæ. Principes Alemaniæ Fredericum elegerunt, & Otho schismaticus moritur.

De Alfonso IX. qui post destructionem Hispaniæ trigesimo tertio loco regnauit, & quomodo in isto Alfonso iterum regna fuerunt unita. Caput XXXVII.

ALFRONSVS IX. filius Fernandi regis Legionis xxxi. rex fuit a Pelagio primo rege post cladem, & lxx. ab Athanatico primo rege Gotthorum. Cœpit autem regnare anno domini millesimo ducentesimo, regnavit annis xxviii. Hic ex domina Berengaria filia inclyti Alfonsi vii. regis Castellæ genuit (vt diximus) excellentissimum regem Fernandum tertium fidei catholicæ propagatorem, qui Hispalim, & totam Vandaliam, & maiorem partem Batiçæ suæ ditioni & lucro fidei subdidit. In quo Fernando fuerunt regna Castellæ & Legionis iterum unita, vt apud Romanos mortuo Lepido & Marco Antonio, qui partiti inter se orbem fuerant. Fuit ergo hæc reintegratio regnorum Castellæ & Legionis ad maius firmiusque principatus stabilimentum & quietudinem ingentem, vt sub eodem Fernando tertio dicemus, quia scriptum est in libris Regum: Vnum virum quaras, & totus populus erit in pace. Rursus hic Alfonsus nonus genuit etiam Alfonsum dictum Infantem Molinæ. Tandem Alfonsus rex fœdus iniuit & renouauit cum nobilissimo Alfonso octauo rege Castellæ olim focero suo, & ab eo plurima castra dono accepit, & plurima dissidia inter vtrumque regnū sedata fuere. Tempore huius Alfonsi noni accidit cuiusdam fidelissimi militis præclarum facinus, non nisi sempiternis laudibus commemorandum, & a cunctis nobilibus arcium custodiibus non modo animo figendum, sed imitandum. Hic enim Alphonfus ab Vrraca nouerca sua, sorore Didaci de Haro domini de Viscaia, non parum offensus, patre Fernando vita functo, eandem Vrracam etiam sibi non satis fidam, simul & Didacum fratrem suum a regno expulit, castrumque famosum de Guiar septem continuis annis obsedit, plurimumque affligit. Cui Didacus de Haro quædam fidelissimum Castellatum præfecit, videlicet nobilem virum Marcum Guterrii, cuius fides, constantia, & animi magnitudo nullis præconiis satis lastrari potest. Cum enim & longa obsidione non modo homines, sed cuncta victualia defessent, Guterrius Castellanus solus, sed forti animo sociatus in castro permanfit. Erantque ei cibi animalium coria, herbæ demum, ac mures, & cuiusuis generis bestia quam occupare poterat. His igitur consumptis, Marcus suspensus ad cololum arcis clauibus, inedia fameque consumptus ad portam interiorem turris in medio cardinis fere exanimis prostratus decubuit. Sic itaque mansit integra die. Effecit igitur Marcus spiritu & viribus deficiens, quod incolumis patrare solitus erat. Vnde moriens se se in media porta intrantibus obicem opposuit, vt nemo nisi supra eum intraret, cum nullus dum viueret, contra eum ingredi potuerit. Rex vero solitum imperum ad arcem dirigens, neminemque resistentem prospiciens, apponi iussit ad murum scalas. Ascendentes nobilem virum semiuuium reperiunt castrum, non se custodientem. Arbitrantes igitur qui ascenderant, Castellatum mortuum, ad regis præsentiam supra humeros detulerunt. Lacrymatus est igitur rex ob viri illius ingentem virtutem, curamque de eo gessit, remediisque adhibitis paululum conualuit. Cum itaque rex ob eius egregia gesta ac pertinacissimam fidem plurima obtulisset, Absit, inquit Marcus, vt a te, o rex, aliquid capiam, qui gloriam, qui honorem arripuisti meum. Erat mihi sempiterna gloria in arce mori, quam tu vt viuerem abstulisti. Ibo si permittis ad dominum meum libens, vt vitam adimat quam tu inuito donasti. Sed quid agam, fidem ei præstitisti quam non nisi morte persoluerem poteram. Perpetuas igitur contra te, o rex, agam querelas, qui ne fidem persoluerem, impedisti. Tandem Marcus a rege dimissus, Didacum eius dominum in Africa exulantem mœstus adiit, a quo gratissime receptus. Cumque rei feriem cognouisset, die vna per celebri cum a multis nobilibus Guterrii fides & constantia ad astra vsque tolleretur, ad eos ait Didacus, Verissimum atque fidelissimum Guterrium extitisse Castellatum nemo ambigit, verum tamen castrum libenter reciperem meum Marco fiducialiter commissum. Quod insulsum atque sæuum & inhumanum verbum cum Marcus audisset, seque de fide inculatum, nec illam satis domino præstitisse putans, illico curiam regis Legionis petiit, vilissimisque vestibus indutus, prolixam barbam negligensque detrensus capillos, inter canes venatorios se in regis aula recepit, atque cum illis panem angustia in terra pluribus sumpfit diebus. Tandem a quibusdam nobilibus notus

relatum

relatum est regi, Marcum Guterrii inter eius canes vitam agere. Admiratus rex cum efflagitasset, cur illud egisset, ille rem gestam apud Didacum dominum suum enarrauit, effusus lacrymis supplicans ne rex ipse pateretur, vt profugus & tanquam proditor per mundum discurreret, eique morem gereret, vt fidem ipse seruaret, castrumque ei redderet. Cui rex prudentissimus, Libenter, inquit, te ab eo periculo liberabo. Effecit igitur illico castrum vt erat, armis & victualibus munitissimum ei redderetur, illudque Marcus cum vellet, domino restitueret, ac fidem seruaret. Marcus itaque latus arcem plene possidens ad Didacum scripsit, vt veniret castrum suum recepturus, petens vt fidem homagiumque remitteret. Cui Didacus fidem viri admirans rescripsit, vt arcem regi Legionis traderet, eumque nihilominus a fidelitate & homagio liberans. Consecranda certe & perpetuo illustranda est illius immortalis viri fides, quam non aliter arbitratus est se plene domino soluere potuisse, nisi vt castrum redderet, aut vitam, nec a fide se verbis, sed facto, non fame, sed morte liberatum credidit. Sed nec minus liberalissimi atque magnificentissimi regis extollenda est liberalitas, quæ vt Marci constantissimi impetum fidem seruaret, optatissimum sibi & a se preciosum iocale, non modo precio numario, sed multorum sanguine comparatum Marco restituit. Hic nobilis Marcus imitatus est claros viros Casilinales, qui cum Hânibalis obsidionem paterentur, alimentorum facultate defecti, lora coriaque necessariis vsibus subducta, atque a scutis detractas pelles feruenti aqua resolutas ederunt, & tali cibo vt sustinuerunt, ne fidei constantiam Romanis præstitam violarent. Nec aliter quidem Cretensium nobilis animus egit, qui in arce obsessus ad vltimam penuriam compulsus fuit, ac iumentorum vrina sitim correxit, quia dum vinci timuit, id passus est quod victor eos pati cogere non potuisset, vt ait Iulius Frontinus. Sed de eximia fide & constantia antiquorum in custodiendis arcibus latius tangimus in libris de Castellanis & bellorum ducibus, quem nuper edidimus. Hoc tempore sedit in cathedra Petri Innocentius iii. in imperio præfatus Otho, de quo paulo ante diximus.

De Henrico primo, qui post destructionem Hispania trigesimo quarto loco regnavit, & de intempestina eius morte. Cap. xxxviii.

HENRICVS huius nominis primus, filius inclytissimi Alfonsi vii. regis Castellæ & Leonoræ filia Ricardi regis Angliæ, xxxiii. rex fuit a Pelagio primo rege post cladem, & lxxi. ab Athanatico primo rege Gotthorum. Regnare itaque incepit anno domini millesimo ducentesimo decimo quarto, regnavit annis duobus. Hic cum esset puer xi. annorum, statim mortuo Alfonso vii. patre suo, in regem assumitur. Matre eius defuncta, regni gubernationem suscepit nobilissima domina Berengaria soror sua. Parum tamen post Aluarus Comes filius Nunii Comitum specialem curam regis pueri suscepit. Hic tempore Alfonsi vii. patris Fernandi potentia, diuitiis, & fauoribus existens plurimum creuerat. Insolens itaque effectus non parua dissidia seminavit, & contra dominam Berengariam guerram mouit, & tentauit puerum regem filia regis Portugaliz nuptui tradere. Quinimo Aluarus ipse oblitus fidelitatis, immemor beneficiorum, crudelis in patriam, vnitatis hostis, plurima discrimina regno attulit, & bellum contra regem & matrem Berengariam aperte gessit, quia scriptum est: Homo apostata omni tempore iurgia seminat. Et iterum: Semper iurgia querit impius, & discordias prouocat. Et rursus Sapiens ait: Homines pestilentes dissipant ciuitatem. Sed verum est, quia (Aristotele teste in iii. Politicorum) existentes in excessibus fortuna, potentia, aut diuitiarum, subiici nec volunt, nec sciunt. Quod videre libet in pueris infantili ætate gaudentibus, qui propter delicias etiam parentibus & doctoribus subiici nesciunt. Quare subdit idem philosophus, quia non contingit bene principari, qui sub principe non fuit, aut bene subiici non consuevit. Tentauerat enim Aluarus (vt diximus) Henricum regem puerum filia regis Portugaliz nuptui tradere, regina & magnatibus regni inuidis. Idque de facto obtinuit, & quia se contingebant consanguinitatis gradu, nec ad quietem regni expedie-

H iij

bat, ab Innocentio papa III. celebratum est inter eos legitimum diuortium, super quo emanauit illa famosa decretalis: *Esti necesse de donationibus inter virum & uxorem.* Sæpe vnita coniugia inter sanguinis vinculo coniunctos prauos exitus parturire conspicimus, idque scriptura sacra nos docet. Ait enim Daniel in altera visionum suarum, se ferrum vidisse mixtum testæ fictili, quæ licet commiscebantur humano semine, non tamen adhærebant, quemadmodum ferrum testæ terrea commisceri non potest. Quod verbum sacri interpretes de Romano regno exponere visi sunt. Illud enim diuidendum erat in orientale & in occidentale. Vt coniungeretur, facta sunt plurima connubia, vt de Marco Antonio & Cleopatra, sed & plurimis aliis libet repetere, qui licet humano semine commiscebantur, non tamen amicitia vinculo sibi ipsis adhærebant. Quinimo, eo grauiores surgunt iniquitates. Vt igitur ad Henricum redeamus, celebrato diuortio cum moram traheret apud Palentiam, casualiter obiit. Nam eo ludente cum cæteris pueris nobilibus, tegula cecidit, & cerebrum eius illisit. Siquidem minus prouide custoditus cū esset, quidam ex domicellis tegulam ludi gratia prouiciens, regem in capite vulnerauit: ex quo post duos dies spiritum exhalauit. Post cuius obitum plurima disturbia Aluarus Comes procurauit. Sed tandem inclytus Fernandus filius Berengaria, vt iustum & debitum erat, in regem Castellæ feliciter est assumptus, quem tamen simul & Berengariam Comes Aluarus insequabatur. Postea tamen diuino iudicio idem Comes per milites Berengaria & regis Fernandi filii sui captus est, & qui multos offenderat, & fidelitatem debitam non seruauerat, in offensorum manibus iuste deuenit, carceribusque mancipatur: quos non euasit, nisi plurima castra quæ occupauerat, restituerat. Sic itaque impletum est in eo illud Sapientis: Qui in altum mittit lapidem, cadet super caput eius. Aluarus itaque lapidem scandali misit in altum, vt altum videlicet & eminens sceptrum regis deprimeret: digne igitur cecidit super caput eius. Deus enim in laqueo suo humiliavit eum, quia teste Sapiente, Qui parat alteri scandalum, offendetur in eo. Superbus Aman & dissipator vnitatis, qui erat secundus a rege, incidit in scandalum quod reginæ & Mardocheo parauerat. Sic & Camillo consule Faliscos proditiōis supplicium luisset comperimus, quod aliis parauerant. Sedit tēpore huius Henrici in cathedra Petri Innocentius III. in imperio vero Otho III. de quo paulo ante diximus.

De gloriosissimo rege Fernando, qui post cladem Hispania trigesimo quinto loco regnavit in Castella & Legionē, & quomodo utrumque regnum fuit in eius persona unitum, & de claris eius filiis, & quomodo Beticam totam recuperavit, & de victoriis & clarissimis eius operibus.

Capit. XXXIX.

FERNANDVS excellentissimus huius nominis III. filius Alfonsi regis Legionis & dominæ Berengariæ, filia inclytissimi Alfonsi VIII. regis Castellæ, xxxv. rex fuit a Pelagio primo Hispaniæ post illius cladem, & lxxii. ab Athanarico primo rege Gotthorum. Regnavit annis xxxv. Hic mortuo casualiter (vt præmissimus) Henrico auunculo suo, cœpit regnare in Castella anno domini millesimo ducentesimo decimo sexto, qui viuente Alfonso rege Legionis patre suo regnare incepit in Castella. Postea vero xv. anno regni sui prædictus Alfonso Fernandi pater decessit. cui Fernandus ipse successit in regno Legionis: in regno vero Castellæ successit ex prædicta domina Berengaria filia primogenita inclytissimi VIII. regis Castellæ sine liberis masculis decedentis. Itaque regnum Castellæ dictæ dominæ Berengariæ naturali optimoque iure debebatur. Sic igitur Fernandus ex patre in regno Legionis, ex matre in Castella regnavit, fueruntque in eius personam regna vnita. Quæ vnio & reintegratio monarchiæ Hispaniæ facta est anno domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo. Duxit itaque duas uxores successiue, Beatricem filiam ducis Brabantia electi in Imperatorem Alemanniæ, ex qua genuit Alfonsum x. qui post eum regnavit. Genuit denique Fredericum & Emanuellem, & Philippum, & Santium, & Henricum. Hic Henricus Fernandi filius longo

longo tempore exulauit, tempore fratris sui Alfonsi, vt sub eo dicitur. Defuncta vero Beatrice contraxit cum Iohanna filia Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludouicum & Leonoram. Hic Fernandus gloriosus rex fuit, qui proprie Augustus dici potest, quia plurimum regna auxit. Laudamus Camillum pro eo quod patriæ fines dilatauerit, sed longe plus Fernandus perpetuis laudibus consecrandus est, qui tantæ virtutis fuit, vt & bona patriæ auxerit, & mala in hostes transtulerit. Licet enim in eius personam regna vnita fuerint, postea tamen diuino assistente auxilio, longe maiora regna & dominia lucro fidei attulit. Vicit enim plurima bella contra perfidos Machometos, recuperauit denique Hispalim, Cordubam, & partes adiacentes, necnon vniuersam Vandaliæ & Bæticæ. Fuit denique Fernandus religiosissimus. Nec enim tantum laudandus est, quod de nobilissima & antiqua regum prosapia originem traxerit, quantas & quot victorias ingentes consecutus sit, sed de hoc inter cætera prædicandus est, quod inter fulgura palatii & honorum culmina Deum timuerit, ecclesiam coluerit, & inter regalis sanguinis & diuitiarum affluentiam, materiam virtutum non deseruerit, dicente scriptura, Sic protegit sapientia, quod non protegit pecunia. Hic princeps sacrificiis & orationibus assiduus erat, Alexandrum superans, de quo ait Q. Curtius, quia eo sacrificante omnis hominum turba deorum laudibus vacabat, nec ad bella pergebat, quin deos suis precibus conciliaret, rediensque de castris primo templa quam aulam petebat. Rursus hic Fernandus armis excitatus fuit, laborum bellicorum patientissimus, toto fere vitæ suæ tempore bellorum contra infideles iustissimo exercitio vacabat. sciebat enim quia (vt Cato Censorinus & Vegetius de re militari referunt) ars & exercitium solent præstare victoriam, non enim multitudo militum, non numerus annorum, non splendentia auroque fulca arma triumphum vincendi comparant, sed bellandi exercitatio & frequēs vsus, nutrit enim audaciam conferendi frequentia, quia eodem Catone teste, nemo facile metuit quod se fecisse sæpe confidit. Quare Fernandus ipse suos milites verbis sapientissimis & congressibus frequentissimis ad armorum exercitium commonebat, inquit illud sapientis Vegetii: Quia in pugna amplius solet vsus prodesse, quam vires. nam si doctrina & vsus cessat armorum, nihil villanus differt a milite. Rursus semper illud Augustini 3. de ciuitate Dei in ore gerebat, quia per annos septingentos & vnum ab Hostilio Tullio vsque ad Augustum Cæsarem, vna tantum ætate Romana viscera sanguinem non sudauerunt. Denique fuit Fernandus in ordinandis aciebus prudentissimus, in congregiēdo strenuissimus, denique pius, mansuetus, Deo & hominibus carus, humilimus quoque fuit. Quare merito victoriosissimus fuit, quia scriptum est: Vir humilis loquetur victorias. Sæpe enim totius fere Africæ Mauri contra Fernandum transfretauerunt, Hispaniam valida manu vastantes, quos Fernandus mirabiliter fregit, & contra eos diuinæ potentia victor euasit. Hic Fernandus, vt alter Alexander quem Iustinus commemorat, tam gloriosus in præliis fuit, vt cum nullo hoste congressus est quem non vicerit, nullam urbem obsedit quam non expugnarit, nullam gentem aggreditur quam non calcauerit. Fertur, in ore eius ille propheticus versus semper resonabat: Dominus mihi adiutor, & non timebo, quid faciat mihi homo. Quia igitur in Deo confidit, fugerunt a facie eius inimici illius, & requiem dedit illi Altissimus, & liberauit eum a concussionē & afflictionē hostium suorum, & per eum contriuit dominus baculum impiorum, virgamque inique dominantium confregit, quicquid animo concepit ac agere cœpit, feliciter Deo adiuuante compleuit, dimisitque amplissimum principatum Alfonso decimo filio suo a mari oceano vsque ad mediterraneum, & quicquid in illa infelicissima clade tempore regis Roderici vltimi regis Gotthorum Sarraceni occupauerunt, Fernandus ipse post multa annorum spatia felicissime recuperauit. Regem vero Granatæ tributarium fecit, nam (vt ait Cusentinus) omni die mille Morabetinos aureos ei persoluebat, & ad illius curias venire tenebatur, & vocatus etiam contra Mauros ccc. milites mittere astringebatur. Fuit denique hic gloriosus princeps tantæ moderationis & virtutis, vt nunquam nisi iustis ex

causis cuiquam bellum indixerit, illud Augusti Octauii semper commemorans, videlicet iactantis esse animi & leuissimi ardore triumphandi & ob lauream, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem fidelium ciuium præcipitare. Et iterum aliud Scipionis semper in ore gerebat: Malle se vnum ciuem feruare, quam mille hostes occidere. Hic catholicus Fernandus de tot & tam præclaris victoriis non intumescens, nec de tanta dominorum amplitudine superbiens, victorias ipsas Deo altissimo tribuebat, & incrementa fidei ac Christianæ religionis potius quam terrenæ dominationis mente gerebat, atque pro ea fide assiduis periculis se exponebat. De quo verius quam de Pyrrho dici potest, quia non satis erat illi pro salute pugnare, nisi salutem pro fide contemneret. Hic princeps interrogatus, cur longe plus regni fines auxisset, quam multi eius primogenitores, quippe qui recuperavit quæ illi perdidit: respondisse fertur verbum suo auctore dignum, & sempiterna commemoratione dignum. Patres (inquit) mei fortassis animo gerebant principatum terrenum exaltare potius quam fidem placare, augere sibi populum multum, sed non stabilire diuinum cultum: quare decepti sunt in aduentionibus suis: itaque ad cælum oculos vertens, Tu Domine qui scis corda & renes hominum, nosti quia non meam, sed tuam gloriam quaero, non tam caducorum regnorum quam fidei tuæ Christianæque religionis augmentum desidero. Denique semper illud in ore gerebat, quia non propter eius merita, sed propter infidelitatem hostium omnia prospera ei successissent. Sciebat enim deuotissimus princeps, quia sic Moyses, sic Iosua, sic David vicerunt regna. tunc enim prostrarunt hostes, cum pugnarunt animo tuendi & augendi religionem vniuersi veri Dei. Sic & Iosaphat rex Iuda dicebat militibus suis: Credite in domino pro quo pugnat, & securi eritis. Et Nehemias, Deus, inquit, noster pro quo pugnamus, pugnat pro nobis, & dabit victoriam, nos ipsi faciamus opus. Nihil profecto tantum ad victoriam cõfert quam recta bellandi intentio in vera iustitia stabilita. Scriptum est enim, Iustus iuuabitur in die periculi sua iustitia. Et iterum, Iustitia eleuat gentes. Hinc & apostolus commemorat sancti per fidem vicerunt regna. Iustitia autem belli ex ipsa recta bellantis intentione procedit, dicente Augustino, illa bella iuste suscipi posse, in quibus non est nocendi cupiditas, viciscendi crudelitas, & libido dominandi. tali quippe intentione bellantibus victoria promittitur. Nam (vt inquit Gregorius) non deerit certantibus optata victoria, si desit in animo humana gloria. Hinc Bernardus, Ex cordis, inquit, affectu, non belli euentu pensatur vel periculum, vel victoria Christiani hominis, quia si bona fuerit causa pugnantis, pugnae exitus malus esse non potest. Rursum Ambrosius: O homo ideo non vicisti, quia de tuo præsumpsisti. Qui vero bella etiam contra infideles gerit, non augendæ aut tuendæ religionis gratia, sed amplioribus dominis potendi, aut quadam humana gloria, parum victoria fruitur. Sic Romani, qui (vt ait Augustinus) non diligebant gloriam propter iustitiam, sed iustitiã propter humanam & inanem gloriam, ingentes clades passi sunt: & quamquam pro puniendis orbis malis aliquando celeriter bella confecerunt, ipsam tamen victoriam celerius perdidit. Quod facile comperiet qui recolet quam diuturna bella a veteribus gesta fuisse, quam varios euentus, quam luctuosas clades, & quam parum diuturnas victorias experti sunt.

De nonnullis incidentibus quæ huius Fernandi tempore in diuersis partibus occurrerunt, & de ortu pestiferae partialitatis in Italia, videlicet Guelforum & Gebelinorum: & quomodo eo tempore per Iacobum regem Aragonie Maiorica & cetera insulae Balearis lucro fidei accreuerunt: & de felici obitu huius Fernandi, & quomodo prohibuit sibi fieri statuam: & de diuisione in imperio, & qualiter in discordia electus fuit Alfonso huius Fernandi filius.

Capit. XL.

FERNANDI igitur prædicti tempore varia in orbe occurrerunt digna relatu. Nam facta est orta partialitas in Lombardia inter eos qui fauebant parti ecclesie

ecclesie Romanæ & fauentes imperio. Ex quo tempore incepit pestifera partialitas Gebelinorum & Guelforum, quæ fuerunt nomina duorum fratrum in Tuscia, qui in has duas partes se diuiserunt. Gebelinus enim sequebatur partes imperiales: Guelfus partes ecclesie, vt Consentinus ait. Rursum eiusdem Fernandi tempore Iacobus rex Aragonum cum Fernandi regis adiutorio summa strenuitate insulas Balears, quæ Maiorica & Minorica dicuntur a Sarracenis, deuicit, & lucro fidei addidit, vt Consentinus refert. Postquam igitur Fernandus omnia feliciter peregisset, tandem vt Deo placuit, licet cum grauissimo Christianitatis damno potius quam suo, beatum dedit Deo spiritum qui eum creauit.

10 Quo die auditæ sunt voces in cælo: En moritur iustus, & nemo considerat. Cuncti fideles ob eius obitum incessabiliter flebant dicentes, Vtinam talis princeps aut non nasceretur, aut non moreretur. Quo nullus ante eum bellis felicior fuit, aut in pace moderatior, in cunctis liberalissimus, in amicos fidelissimus. Habent enim Hispanorum annalia, quia cum hic gloriosus princeps in agonia mortis esset constitutus, a quodam milite interrogatus est, quale sepulcrum aut statuam sibi iubeat apponi. Cui ille, Immaculata, inquit, vt potui, vita mea ac gesta sint mihi sepulcrum & statua, imitatur Catonem seniore, ad quem cum amici dicerent plurimorum vbi que principum erecta fore insignia sepulcra & statuas: ille, Malo, inquit, vt homines flagitent, cur Catonis statua posita non est, quam cur est posita.

20 Rursum cum Fernandus paulo ante eius obitum non ignoraret precium ab infidelibus esse datum pro eius morte, dicebat ad suos, Me (inquit) non quaerunt, sed patriam. putant enim Mauri facile Hispanias obtenturos, si Fernandus moreretur, sed & credunt Hispaniam ipsam vinci non posse, si Fernandus non vinceretur. Nec aliter (teste Polybio) Scipio iunior de se dicebat. Recte (inquit) qui patriam oppugnant, me prius volunt de medio tollere. Non enim Romam casuram putat Scipione superstiti, nec videt Scipionem si Roma ceciderit. Huius gloriofi Fernandi regis tempore (vt scribit Martinus Consentinus) quoddam mirabile ad nostræ catholicæ fidei defensionem accidisse fertur. Nam cum apud Toletum quidam Iudæus gratia ampliandi vineam suam rupem comminisset, in medio saxi concauitas reperta est, vbi liber erat folia lignea habens, descriptus tribus linguis, Hebræis, Græcis, & Latinis: scriptura vero quasi vniuersi psalterii videbatur. Hic liber de triplici mudo differebat ab Adam vsque ad Antichristum. Principium vero tertii libri incipiebat a Christo sic exordiens: *In tertio (inquit) mundo filius Dei natus est in mundo ex virgine Maria, patieturque pro salute hominum.* Quod cum Iudæus conficeret, statim cum familia sua sacro fonte renatus est. In fine itaque libri dicebatur, quod tempore Fernandi regis inueniri debebat. Sed de huius gloriosissimi Fernandi regis deuotione, religione, pietate, strenuitate, ceterisque eius innumeris virtutibus & triumphantissimis victoriis parum a nobis in hoc epilogo dicitur. Exigerent enim præclara gesta eius integrum volumen. Accedit, quia Rodericus Toletanus archiepiscopus in hoc Fernando 111. ætatis suæ contemporaneo historiam clausit, cuius vitam, gesta, atque præclara facinora in calce historiarum suarum discrete contexuit. Temporibus huius Fernandi sedit in cathedra Petri Innocentius 111. qui ad petitionem baronum & totius regni Portugaliæ deposuit, verius suspedit ab administratione regia regem Portugaliæ, dans illi coadiutorem Alfonso, de quo habetur M. C. grandi de supplenda negli. præla. libro 1. Post obitum eiusdem pontificis sedit Honorius 111. natione Romanus, post cuius obitum sedit Gregorius 19. natione Campanus, & Celestinus 1111. natione Mediolanensis, Romanum vero imperium gerebat Fredericus 11. Henrici quodam imperatoris nepos, qui Othone iam deposito ab Electoribus imperii consilio & præiudis Philippo regis Franciæ Imperator est electus, anno millesimo ducentesimo decimo, vt refert Vincentius. Hic Fredericus coronatus fuit Romæ ab Honorio 111. de facto tamen imperauit, non iure. qui tandem depositus & obstinatus anathema Apuliam petit, quem egrotantem Manfredus filius eius naturalis ad regnum Siciliae ambiens, timens quia cõualesceret, fecit suffocari. Quo mortuo Electores imperii in duos se diuidunt, quidam Alfonso regem Castellæ filium huius Fernandi

III. alii Ricardum Comitem Cortimbiæ, fratrem regis Angliæ. Quo schisma te-
longo tempore durante, tandem Alfonso rex Castellæ zelo (vt aiunt) Christianæ
pacis succensus & Gregorii papæ precibus resignauit. Ricardo denique mortuo
electus est Rodolfus Comes Aneburgenfis. Verum licet propofiti noſtri fue-
rit genealogiam & ortum regum & regnorum Hiſpaniæ, clarioraque eorum ge-
ſta & ſucceſſus ſolum a tempore huius Fernandi III. vſque ad moderna tempora
Henrici quarti nunc feliciter regnantis contexere, pro eo quia idem Rodericus
archiepiſcopus in ſua Chronica præcedentium regum generationes, geſta, atque
ſucceſſus latiore ſermone profecutus eſt: nos tamen quædam præclara ab eo inta-
cta addentes, voluimus ſummatim & ſub quodam epilogo genealogiam & ſuc-
ceſſiones omnium regum percurrere, qui ante Romanos & poſt eos in Hiſpania
principatum obtinuerunt, eos etiam qui ex Vandalis, Hugiſ, Gotthis regnarunt,
incipientes ab Athanarico primo Rege Gotthorum, & demum ſequentiũ regum
qui poſt miſeram cladem Hiſpaniæ, & a tempore Pelagii vſque ad hunc Fernan-
dum incluſiue regnarunt. Contexuimus etiam clariora eorum temporibus ge-
ſta, necnon exterorum principum & clarorum virorum accommodata exem-
pla, breuius quam voluimus, vt tandem cæteros reges qui poſt eundem Fernan-
dum vſque ad hæc noſtra tempora in eiſdem regnis præfuerunt, ſucceſſiones pa-
riter & ſucceſſus aptius continuemus.

PARTIS TERTIÆ FINIS.

RODERICI SANTI EPI-
SCOPI PALENTINI HISTORIÆ
HISPANICÆ PARS
QUARTA.

PRÆFATIO.

OGIT ſcribendi ratio & rerum magnitudo, vt in hac quarta & vlti-
ma parte poſt enarratas breui ſtylo genealogias, ſucceſſiones ſimul &
ſucceſſus regum Hiſpaniæ, præſertim Caſtellæ & Legionis, vſque ad glo-
riſſimum Fernandum huius nominis III. qui Hiſpalim, Cordubam,
& totam pene Vandaliam & Baticam lucro ſidei catholicae adiecit, hi-
ſtoriam ipſam continuemus, etiam genealogias, ſucceſſiones, & clariora
geſta ſequentium regum poſt eundem Fernandum vſque ad Henricum
III. nunc feliciter regnantem. Verum vt hiſtoriam ipſam pulchriorem elegantioreque
reddamus, ſolium obſeruabimus ordinem. Nam ad narrationes rerum Hiſpanarum aliqua
inſignia & præclara ac relatu digna geſta & dicta tam ex ſacra ſcriptura, quam ex annali-
bus Romanorum præſcorum & Græcorum ſimilia exempla aptabimus, moraliaque docu-
menta & ſapientum ſententias addemus, vt qui hanc Hiſpaniæ hiſtoriam percurrerit, cete-
rarum etiam partium clariora facta legiſſe lætetur, & aliquid ad humane vitæ informa-
tionem attigiſſe videatur. Demum hiſtoriam ipſam rerum Hiſpanicarum alius repetemus,
pro eo maxime, quia præfati Roderici Toletani hiſtoria regum ſequentium tempora non atti-
gerit, ſed ſolum in eodem Fernando III. narrationem clauſit. Itaque agemus in hac quarta
parte de XI. regibus qui poſt Fernandum II. prædictum in Hiſpania, Caſtella videlicet &
Legione, regnarunt, atque in prouincijs eidem principatui ſubditis, & de eorundem regum
genealogijs & ſucceſſionibus ac claris geſtis. Nec omnia particulatim tangemus, ſed ſolum
illuſtriora. Quilibet enim rex pro rerum occurrentium magnitudine & varietate vnũ ex-
pectet volumen, ſi cuncta contexeremus. Verum quia in occurrentibus aut recentibus rebus
ſcribere non parum diſcriminis & difficultatis verti ſolet, pro eo quod inxta ſcribentium va-
rias

arias paſſiones plerumque varia aliquando ficta narrantur: nos veritatem rerum geſtarum
pro ſcuto ſumentes, nec adulationibus, nec odijs vincemur, ſed prout ex veridicis Hiſpaniæ
annalibus carpere potuimus, & ab egregijs & omni exceptione dignis perſonis, ab illis præ-
fertim qui nonnullis ex narrandis rebus interſuere, didicimus, rerum geſtarũ ſeriem deſcri-
bemus. Abſit enim vt ipſa hiſtoriarum notitia qua ad eruendam veritatem inuicta eſt, con-
tra eandem veritatem militet. Nam (teſte Iſidoro) ſapientes præterita hominum geſta ad in-
ſtitutionem præſentium hiſtorijs demandarunt, qua eſi ſummis retro temporibus accide-
runt, ſi tamen veritate nituntur, quam maxime nos dirigunt, atque quodam certo testi-
monio admovent, qua ſequi, qua ruruſ vitare debeamus. Quosdam enim longe magis præſcorũ
geſta mouent quam viſa recenter. Vt enim inquit Gregorius, Ex tranſacta præſcorum homi-
num vita didicimus, qualiter nos in ſubſequenti conuerſari debeamus. Et Caſiodorus, Inſtru-
ctus reddiur animus ad futura, quando præteritorum præclara geſta ad memoriam recolimus.
Hinc Poeta ait: Præteriti ratio ſcire futura facit.
Ea de re Cicero cum de oratore agit, Hiſtoria, inquit, temporũ teſtis eſt ac lux veritatis, vi-
ta memoria, magiſtra vitæ. Incipimus igitur ab Alſonſo X. filio glorioſi Fernandi III. de
quo paulo ante egimus.

De Alſonſo X. filio Fernandi III. & de Violanta eius vxore, & quomodo tentauit aliam
accipere vxorem, & de exitu eius rei, & de eius nobili prole, & de virtuti-
bus illius, præſertim de ſolertia in legibus condendis.

Caput primum.

ALſonſus huius nominis X. glorioſo Fernando III. patri eius in regnis ſuc-
ceſſit anno domini milleſimo ducentefimo quinquageſimo ſecundo. Hic
LXXIII. rex fuit poſt Athanaricum primum regem Gotthorum, & xxxviii. a Pe-
lagio primo rege poſt cladẽ Hiſpaniæ. Regnauit autem xxxii. annis, duxit vxorẽ
Violantam, filiam Iacobi regis Aragoniæ, ex qua cum prolem non ſuſciperet, ar-
bitrans defectum generandi in ea fore, miſit oratores ad regem Daciæ petens in
vxorem ſpecioſiſſimam eius filiam dictam Chriſtianam. Ille vero ob celebritatẽ
nominis Alſonſi regis filiam comitatam pluribus nobilibus ſuis ad eum trãſmiſit,
& tandem Hiſpalim applicuerunt. Interim vero domina regina Violanta ex Alſon-
ſo cõcepit, & peperit in clytam Beringuelam, poſtea dominam Guadalſaiaræ. Cũ
igitur Alſonſus intelligeret filiam regis Daciæ ab eo tantopere exoptatam aduen-
taſſe, ingenti rubore & verecundia confuſus eſt, nec ſciebat quonam modo tãtæ
leuitati conſuleret: non tamen illius pudicitiam attentauit, ſed ſummo ſtudio re-
media inquirebat. Quod Philippus frater eius conſpiciens, qui erat Abbas Vallif-
oleti & de Cãueis rubeis, ac electus eccleſiæ Hiſpalenſis, clericatu dimiſſo, obrulit
ſe Chriſtianam ducere in vxorem. Quæ res gratiſſima admodũ fuit regi Alſon-
ſo, deditque in dotẽ Aluam & Valdecornia & alia plurima caſtra & dominia. Sic
itaque pernicioſum huius facti initium accommodato fine reparatur. Alſonſus i-
gitur Violantam plurimum dilexit, & genuit ex ea Fernãdum primogenitum, qui
poſtea contraxit matrimonium cum domina Blanca filia ſancti Ludouici regis
Franciæ, vt inferius tangetur. obiit autem Fernandus ipſe viuente patre. Genuit
denique idem Alſonſus alios filios, Santium videlicet qui poſtea regnauit, ac Io-
hannem, & Iacobum, ac Petrum: Berengariam & Leonoram. Ex concubina vero
genuit Beatricem quæ fuit vxor Alſonſi regis Portugaliæ, ex qua genuit Diony-
ſium qui fuit rex Portugaliæ. Iohannes vero ſecundo natus eiũdem Alſonſi regis
fuit valde ſtrenuus & animoſus in armis, duxit vxorem dominam Margaritam fi-
liam magnifici Marchionis Montisferrati, ex qua duos filios genuit. Hic Iohãnes
præclara bella geſſit contra Mauros, plurimaque caſtra & oppida ab infidelium fau-
cibus eripuit. Toto tempore huius Alſonſi exulauit Infans Henricus frater eius (vt
ait Cuſentinus) quia eundem Alſonſum fratrem nõ ſatis honorabat, nec vnquam
manum regis, vt moris eſt, voluit oſculari. Quare idem Henricus Romæ ſenator
effectus eſt fauentibus ſibi quibuſdam nobilibus. Tandem fauens Corradino cõ-
tra Carolũ regem Siciliæ ab eo in regno victus eſt. Vtigitur ad Alſonſum redea-

mus, fuit hic princeps excelsi ac magni animi, & ad grandia mentem dedit. nam veluti (teste Isidoro) Moyses leges Hebræis tradidit, Lycurgus Lacedæmoniis, Solon Atheniensibus, Romanis vero Numa Pompilius prout a numinibus accepit: sic hic Alfonso legibus condendis deditissimus fuit. Nam conspiciens per diuersa volumina plurimorum principum & populorum leges dispersas fore, eadē curiositate, qua olim Romani, usus est. Illi enim (Augustino teste) post Romā conditam ab Atheniensibus leges Solonis receperunt, quas tamen postquam accepere, meliores ac commodiores facere conati sunt: idque vt de legibus Lycurgi Lacedæmonii ferunt, quamuis Lycurgus ipse ex Apollinis auctoritate leges illas se instituisse finxerit, quod Romani credere noluerunt. Quare re leges vt ab hominibus, non a diis latas admiserunt. Nec aliter Alfonso effecit. leges enim Romanas in regnis suis legi fecit, licet minime eis subiiceretur. Demum ex omnibus summa moderatione & ratione ac æquitatis vibramine septem libros quos Partitas vocant, instituit, & salubriter compilauit, in quibus sacratissimæ leges non solum ad causas hominum decidendas, sed ad diuinum cultum dirigendum augēdumque continētur. Denique idem Alfonso rerum in orbe gestarum librum accommodatissimum per sapientes scribi fecit, quem Generalem historiam Hispani appellant. Rursus hic Alfonso ad arma strenuo se vertens, regnum Murtiæ a Carthagine noua vsque ad Chinchilla a Sarracenis recuperauit, Murtiamq; Christianis populauit, quam ciuitatem plurimum dilexit, & illa fidelissima ei fuit in aduersitatibus suis, vt inferius tangemus.

De liberalitate huius regis Alfonsi & mira ad calamitosos compassione, & quomodo grandi pecunia redemit Imperatorem Constantinopolitanum captiuitum a Soldano Babylonia, & de claris victoriis eius contra Mauros. Caput II.

PLVRIMIS quidem virtutibus Alfonso præditus fuit, præsertim liberalissimus, munificus, atque magnificentissimus erat. Inter plurima igitur illius principis magnifica gesta breui aliqua differemus. Cum enim apud ciuitatē Burgensem, solennissimas nuptias celebraret Fernādo dela Cerda primogenito filio suo cum domina Blanca filia sancti Ludouici regis Fræcorum, interfuerunt inuitati ab eodem Alfonso multi principes de maioribus orbis, videlicet Philippus primogenitus eiusdem sancti regis Ludouici, qui postea regnavit in Francia, rursus Eduardus etiam primogenitus Angliæ, qui nepos erat filius sororis Alfonsi: item infans Petrus, primogenitus Iacobi regis Aragoniæ: item infans Santius frater eius: item Fredericus, & Emanuel, & Philippus, Infantes, fratres Alfonsi: item Sātius, ac Petrus, & Iohannes Infantes, filii eiusdem regis Alfonsi: eratque tāta inibi congregata nobilitas, quanta a multis sæculis pacis tempore coadunata non reperitur. Quibus principibus tam excelsa, tāque assidua parabat conuiuia, vt excedere videretur Caium Caligulam & Vitellium, qui (vt ait Suetonius) prædia & cœnas simul regibus pararunt, adeo vt in vna famosissima cœna duo millia electissimorum magnorumque piscium, & septem millia auium siluestrium in edulium præparasset. Hic Alfonso Metellum excessit, qui (vt aiunt) famosam, immo infamē fecit cœnā, cuius excessum difficilius est referre, quam intelligere. Itaque non facile credi posset, quanta fuit Alfonsi industria in eisdem festis atque conuiujs, quātus ministrorum ordo, quanta sedulitas obsequij, quanta vrbánitas hospitij: vbi Alfonsi iussu victualibus in foris dimissis nullus erat custos, vt quisque quibus vellet fruere, numularij publice aderant, qui omnibus forēsibus quas petebāt pecunias dabāt, & erant alij deputati, vt si quem male vestitum viderent, illico indumentis iam factis tegerent, ne differendo negare viderentur. Festis vero finitis, incredibilia dona eisdem principibus contulit, nec fuit quisquam ita minimus qui regis liberalitate fraudaretur. Vt igitur paucis agam, tanta fuit eius liberalitas, vt quemadmodum de Rom. pop. Valerius ait, sicut tantum accepisse vix inuidiam vitare potuit, sic tantum tribuisse gloria carere nō potuit. Cæterum eisdem nuptialibus festis

durantibus allata est opportunitas, vt alia Alfonsi Regis excelsa magnificentia & ingens pietas toti orbi claresceret. Cum enim Imperator Constantinopolitanus ob Christiani populi demerita a perfido magno Soldano Babylonia bello victus & captus foret, & decem millibus marcarum argenti eius relaxatio esset composita: Imperatrix vxor eius Romanum Pontificem accessiuit, qui partem tertiam redemptioni donauit, Rex deniq; Franciæ Christianissimus certam quoram itidem persoluit. Poscebat igitur ipsa Imperatrix ab eodem Alfonso, cuius liberalitatem & virtutes audierat, vt sibi atque tam pio operi subueniret. Alfonso igitur honorifice Imperatricem suscepit, & in regia aulā vna cum regina consorte locauit, cumq; conspiceret redemptionem Imperatoris in longum protrahi, considerans illud Ambrosii: Quia illa vera est liberalitas, vt fratres ac proximos tuos non despicias, si eos in manibus hostium cecidisse cognoscas, quoniam melius est vt ipse subuenias, quib. pudor est ab aliis sumptus deposcere, aut alteri postulare subsidium: attendens deniq; quia proprium est liberalis & magnifici libenter ac cito facere, quia (teste Seneca) duplex est benignitas, cui accedit celeritas. Quare idem Alfonso Imperatori simul & Imperatrici compatiens eam ad prandium cum regina fecit inuitari. Illa vero vouisse asseruit, nunquam ad mensam sedere, nisi liberato Imperatore pariter & marito. Rex igitur Alfonso audito tam insigni facinore coniugalis fidei, ei simul & infortunio totis visceribus compatiens ad Imperatricem verba fecit, exorans vt læta & consolata pranderet, pollicens infra decem dies totam argenti summam liberaliter numeraturum. Addidit deniq; velle oratores ad Soldanum dimittere qui Imperatricem incolumem conducerent, & pro liberatione instarēt. Igitur infra eundem terminum vniuersam argenti summam persoluit: voluit tamen, id quod ab Imperatrice summo opere petiit, vt Romano pontificiatq; regi Franciæ quicquid ab eis exegerat, illico restitueret: quod & nobilis Imperatrix effectualiter impleuit. Extollenda certe & perpetuis laudibus consecranda est huius principis liberalitas. Quæ enim excelsior magnitudo animi esse potest, quam magnum principem a misera magni principis seruitute abducere, & tantam pecuniam contemnere, vt tantum principem redimeret? Nec enim fratrem & proximum, licet per multa terrarum spacia remotum atq; incognitum, neglexit, quia (vt inquit Gregorius) vera compassio diuidi locis non potest, etsi corpore longe disiungitur, mente tamen quem diligit, habet. Hic Alfonso quamdiu humilis fuit, victor extitit, quia scriptum est: Vir humilis loquetur victorias. Cum vero se supra se extulit & arrogantiam induit, infelices successus expertus est. Huius enim regis temporibus Rex Granatæ munitus auxilio Mauro-rum Africæ, rupta treuga quam cum Rege Alfonso pepigerat, plurima castra regni Murtiæ vi obtinuit, deinde obsedit ciuitatem de Xericio in Bætica, & occupata ciuitate arcem diuersis machinis debellabat, quam nobilis vir Gatsias Gomeciii Carrillo custodiebat. Diruptis igitur muris interfectisq; custodibus, solus Castellanus mansit, qui vltra humanas vires, non dixerim se, sed duo parua mœnia quæ intacta restabant, custodiebat, fecitq; grandem stragem in Arabes. Quod Rex Granatæ conspiciens, ne interficeretur, sed viuum omnino caperent, districte præcepit, quodq; vt facilius explerent, curuatis ferris eum trahebant, qui carnes trahi vndiq; maluit quam viuus capi. Tandem amplius agere non valens captiuatus est. Quem Rex Granatæ ob eius ingentem fidem libenter conspexit, eumq; de illatis vulneribus solite curatum incolumem Regi Alfonso transmisit. Superauit profecto hic Gomecius duorum Brutorum constantiam in obsidione Mutinensi. Rursus nec illi par fuit L. Antonius Perusiæ & Q. Cicero, qui obsessi in Gallia fortissime obsidionem tulerunt. nec ipsi Crentenses pares fuere Gomecio, qui in obsidione Metelli ad vltimam penuriam compulsi iumentorum vrina sitim sedauerunt. Sed Gomecius noster Saguntinos nostros imitatus, rores noctis ob aquæ defectum lambebat. Numantinorum quoq; fidem æmulatus est, qui a Scipione obsessi ob victualium defectum humanis carnibus pascebantur. Nec aliter egerunt Calaguritani, qui a Pompeio circumsepti vxores & filios deuorarunt. Sic & Aquilegienfes qui sub duce Menosilo obsessi a Maximino, pro neruis funes ex ca-

pillis matronarum ad arcium & ballistarum vsu fecere, idq; teste Liui Romæ actum comperimus: quo euenit vt Veneri caluæ templum a Senatu cōstitueretur.

Quomodo Alfonso X. recuperavit oppida de Niebla & del Algarbe, & quomodo inconsulte liberavit regnum Portugalia ab eo tributo quo regibus Castella tenebatur, & de scandalis propterea subortis. Caput III.

ALFOVSVS itaq; x. de quo sermo est, in regni sui initis oppidum de Niebla in Vandalia per Sarracenos diu occupatum mensibus decem obsedit, illudq; machinis continuo debellauit. Occurrit tamen in castris suis innumera quædam muscarum plaga, quæ manducare homines non sinebant, quin & illas vna cum cibis commanducarent. Ex qua re omnes fere de castris ventris fluxum quem dysenteriam vocant, incurrerunt, plurimiq; moriebantur. Cum barones & milites Regi suaderent, vt ab obsidione discederet, ille tamen perseuerandum dixit in re incepta, vt alter Ioab in obsidione Rabba, qui (vt scriptura sacra testatur) suorum suasionibus non acquieuit, donec ciuitas, licet cum suorum incommodo, caperetur. Sciebat enim quia (vt Hieronymus ait) absq; perseuerantia nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam triumphi assequitur. Vix itaq; Alfonso verba expleuerat, illico duo monachi ad Regem accesserunt, monentes ad perseuerantiam obsidionis, quoniam Mauri victualibus carebant, muri deniq; rupti erant. Plagam vero muscarum pollicebantur cessare, si eorum consilio Rex annueret. Peruascerunt enim Regi vt publica banna acclamarentur, vt quisquis certam muscarum summam ad quosdam puteos prope castra afferret, duos Turonenses argenteos pro salario obtineret. Qua industria euenit vt infra biduum tribus profundis puteis muscarum spurcitiis repletis, plaga muscalis, simul & dysenteria morbus penitus cessarent. Quare a Sarracenis cognita, non modo Regi oppidum dedere, sed & alia castra & oppida ad Comitatum Algarbi spectantia, præsertim Gibralion, Huclua, Mora castro Marin, & quamplurima alia. Post prædicta vero hic Alfonso quandam filiam bastardam vxorem dedit Alfonso Regi Portugalia, cui dotis gratia castra & patriam de Algarbe, quam paulo ante a Mauris euicerat, liberaliter assignauit. Ex quo tempore Reges Portugalia Algarbi Reges sese intulerunt. Prædictus igitur Alfonso Rex Portugalia ex eadem Alfonso filia genuit Dionysium. Hic factus adolescens cum nobilissimæ indolis valde prudens atq; decorus foret, Regem Alfonso auum suum apud Hispalim visitauit, cui enixe & pro singulari munificentia dono postulauit, quatenus regnum Portugalia dignaretur ab eo tributo liberare quo Regibus Castellæ & Legionis tenebatur, videlicet vt ad eorum curias Reges vocati accederent, & demum trecentos milites contra Mauros requisiti mittere astringerentur. Rex vero Alfonso etsi rem difficilem conspiceret, paululum substitit: sequutus tamen cuiusdam militis consilium, vt alter Amon filii Dauid, qui consilio Ionadab rem fecit sibi & populo damnosam, vt erat magnificentissimus, nepoti cum suo nec minus totius regni discrimine complacere decreuit. Res igitur ad consilium deducta est. Cum itaq; egregius & nobilis vir Nunius de Lara quid sibi videretur, dicere moneretur: Dignum est, inquit, o Rex, vt plurima huic clarissimo nepoti tuo beneficia conferas. id enim natura, id tuorum suorumq; antiqua nobilitas ex postulat, & tibi innata profusa liberalitas. Verum vt regnum Portugalia ab hoc tributo, non tam personæ tuæ quam substantiæ regnorum tuorum debito, tam facile liberes, neq; decere, nec te id face-re posse video. Alfonso igitur Rex qui iam rem animo conceperat, contra Nuniū verba non satis decencia indignatus protulit, eumq; odio habuit, sicut Sedechias Rex Ieremiam odiuit, pro eo quod rem ingrati, sed veram & vtilem ei dixerat. Alfonso igitur cæteros afflagit, illi vero quo Regis voluntas tenderet, conspicientes, Regem nepoti complacere debere consulebant: quod & Rex sine mora expleuit. Nunius vero ea hora nec petita nec obtenta Regis licentia discessit. fuit enim res ipsa maioribus regni ingratiſſima, ne dixerim incommodiſſima, quippe

quæ vnam præcipuam causam futuris magnisq; diffidiis attulit. non enim paulo post Philippus Infans frater Regis, & Nunius de Lara prædictus, ac Lupus Didaci de Haro, & Stephanus Fernandi de Gallicia, Fernandus ite Roderici de Castro, ac Ximenus Roderici dominus delos Cameros, & Aluarus Didaci de Asturias, ac Lupus de Mendoza, plurimiq; alii Barones vltra numerum trium millium se a naturalitate & fide, simul & obedientia Alfonso Regis expediterunt, eamq; ei subtraxerunt. Ad quos placandos cum Rex Alfonso quosdam mitteret, causamq; discussus quærerent, dixerunt illud Micheæ prophetæ, Volumus restaurare regnum & restituere, sicut erat ante. Ad Regem itaq; Granatæ accesserunt, bellumq; contra Alfonso Regem acerbissimum gesserunt non sine maximis cladibus, quod non paruo tempore durauit. Nec abs re. nam Ieremias propheta pestilentes vocat eos principes qui minuunt ciuitatis & regni iura. Quare de eis ait: Luxit terra, & infirmata est pulchritudo populi, quia principes transgressi sunt leges patrum, & ius mutauerunt: dissipauerunt pactum, propter hoc maledictio vorabit terram. Longe aliter dux & princeps Machabæorum effecit, de quo scriptura ait, quia dilectissimus & honoratissimus a populo fuit, quia dilatauit gloriam regni sui. Quare dilatatus est honor eius & fines gentis suæ.

Quomodo hic Alfonso X. fuit electus Imperator Alemania, & de infelici exitu eius rei, & de discordia inter Sanctum Ludouicum Regem Francia & eundem Alfonso super iure regni, & de pace secuta. Caput IIII.

QVAMQVAM igitur hic Alfonso x. ob eius sagax ingenium & ingentem liberalitatem & ad omnes munificentiam per totum fere orbem commendatissimus esset, vitis tamen non caruit. Fuit enim non tam magni quam superbi elatiq; animi, arrogans plurimum, & quadam sui sensus singularitate confusus. demum egregiorum operum æmulator erat. nec enim modo maxima quæq; aggredi conabatur, & illorum erat audius, sed potius inuidus videbatur, quicquid enim pulchri, quicquid memoria dignum a quouis gestum cernebat, acerrime dolebat ab eo gestum non fuisse, aut effici non potuisse, imitatus Iulium Cæsarem (vt Suetonius refert) qui cum orbem circumiens Gades Hispaniæ aduenisset, ibiq; Alexandri imaginem vidisset, ingemuit, suamq; ignauiam detestans quod nihil a se memorabile esset actum ea ætate, qua Alexander orbem subiecerat. Et vt paucis agamus, tam cupidus gloriæ fuit Alfonso, vt aliquando gloriæ suæ, vt ita dixerim, indignaretur, si alius quouis modo eius particeps erat. plerumq; enim duces ac capitaneos suos victorias insignes obtinuisse dolebat, imitatus Alexandrū Magnum quem Quintus Curtius recolat, qui audiens Agim Regem Lacedæmoniorum rebellantem, cum postea Antipater eius nomine illum vicisset, hostes quidem suos victos fore gauisus est, sed Antipatrum vicisse tacitus indignabatur, suæ gloriæ detractum arbitrans, quicquid accreuisset alienæ. Cæterum Alfonso de se supra se plerumq; præsumebat, & nonnulla non satis deliberate tentauit. Est enim (vt inquit Seneca) prudentis principis quanta sit res concupita discernere, & non cito facilia iudicare quæ optat, atq; in magnis dubiisq; rebus non definire, sed suspensam tenere sententiam. Nam Alfonso ipse ab aliqua parte Electorum imperii Romanorū Imperator electus est, quamquam in discordia. Tandē cum re indigesta nec magnitudine eius pensata ad imperium suscipiendum pergeret, cognita eius elatione, imperii, ne dixerim confirmatione, sed nec possessione potitus est: licet (vt quidam referunt) callide actum est, vt occasione vitandi schismatis in imperio, Romani Pontificis iussu iurii imperii resignare visus esset, idq; egit apud Belicardum prope Auinionem. Sic nonnullos duces sub Aureliano per ambitionem imprudenter ad imperium orbis aspirasse legimus, nec ad cōcupitam potestatem detinere, sed penas ambitus luebant. Fuit deniq; Alfonso & in cæteris rebus infortunatissimus. Nam rediens in Hispaniam non paruas perpeſſus est perſecutiones. reperit enim plurimas funestas nouitates. Primo intuenit fore mortuum Fernandum eius

primogenitum filium. Reperit etiam Reges Granatæ & Bellamarini dictū a Ber-
yuzaf magnas intulisse clades in Vandalia & Bætica; vbi cæsi fuerunt Santius In-
fans Aragoniæ & Archiepiscopus Toletanus. Verū cum cognouisset Santiū filiū
eius secundo natum post Fernandi primogeniti mortē viriliter & strenue ac sum-
ma cum prudentia & dexteritate patriam ab infidelibus defendisse, illosq; a Bæti-
ca expulisse, obtinuit quod omnes status regni Santium prædictum in primogeni-
um iurarent & reciperent, non obstante quod ante eius ad imperium discessum
Fernādus primogenitus fuerat iuratus, & post illū Alfonso dela Cerda eius filius.
Aiunt tamen nonnulli Santium præter omnem Alfonso voluntatē ad primogeni-
turam fuisse assumptum. Quinimmo asserunt eundem Santiū Alfonso eius pat- 10
rem ex imperio venientem ad regni gubernationem nō admisisse, vt inferius tan-
gemus. Hic rursus Alfonso licet strenuus in armis fuerit, nō tamen felix, suo licet
tempore aliqua pars regni Murtiæ regno Castellæ cessit. Sed quorundā est opinio,
id a patre inclytissimo Fernando effectū fuisse. Rursus hic Alfonso nō caruit vi-
tio crudelitatis, sed & ingratitude. quosdā enim nobiles sibi fidissimos æmulo-
rū sugillatione occidit. Huius deniq; Alfonso tempore nō parua orta est di-
scordia inter Sanctū Ludouicum Regem Franciæ & eundem Alfonso Regem
Castellæ. Ludouicus enim filius erat (vt diximus) domine Blancę primogenitę Al-
fonso v. Regis Castellæ, ex cuius successione regna sibi debere prætendebat.
Nam Rex Fernandus i. pater eiusdē Alfonso filius erat domine Beringuelæ fi- 20
liæ secundo natæ Alfonso v. prædicti. Sed ad sedandam tam pestiferam discor-
diam matrimonium contractū fuerat inter Fernandū dela Cerda primogenitum
huius Alfonso x. & dominam Blancam filiā Sancti Regis Ludouici. Ex qua idem
Fernandus genuit Alfonso & Fernandum dela Cerda, neuter tamen in re-
gno successit. Sed Santius secundo natus eiusdem Alfonso x. quem Alfonso ipse
in Regem sibiq; omnes de regno iurare obtinuit, cum tamen ad eum regna mini-
me (vt aiunt) spectabant, sed ad prædictum Infantem Fernandum dictū dela Cer-
da primogenitum Alfonso etiam primogeniti huius Alfonso x. nepotem Sancti
Ludouici ex filia, vt diximus.

*Quare iste Alfonso X. dictus est Astrologus, & quomodo arroganter opera Dei dixit
melius fieri posse, & qualiter fuit diuinitus correptus, & de infortunis &
incommodis quæ ex ea causa passus est, & de cæteris inci-
dentiis tempore suo. Caput V.*

Nec solum hic Alfonso x. nominis sui gloriam in legibus condendis, in effun-
dendis diuitiis, cæterisq; magnificis gestis ampliare contentus est, sed aut arro-
ganter, aut quia natura ad id eum impellebat, Astronomia delectabatur. Quare &
Astrologus appellatus est. Cuius nomine, nescio an sapientia, tabulæ Alfonso &
aliæ Astrologiæ considerationes cōpilatæ sunt, & sub eius regio nomine lustran- 40
tur. Rursus Alfonso appetitor erat laudum, sed rebus ipsis magnifice gestis potius
quam adulatoriis sermonibus lætabatur. Cum enim pro adipiscendo imperio (vt
diximus) in Alemaniā pergeret, apud Narbonam quendā eloquentissimū ora-
torem, orationem de eius laudibus habere desiderantem, perorare prohibuit, di-
cēs exornatas verbis laudes ad principes adulationis aut metus fuisse suspectas, ad-
dens talia laudum præconia nō nisi mortuis qui illustria egerunt, debere, cum scri-
ptum sit: Lauda post mortē, magnifica post cōsummationē: imitatus Pescennium
Nigrum Imperatorem, qui (vt Elius Spartianus in eius vita ait) cum quidam exi-
mius orator qua die Pescennius Imperator creatus est, panegyricum laudum sua-
rum recitare vellet, dixit, Scribe laudes Marii, vel Hannibalis, aut cuiuscunq; ducis 50
optimi vita functi, & dic quid ille egerit, vt illum nos imitemur. Nam viuentem
laudare, irrisio est, maxime Imperatores a quibus beneficia sperantur. Rursus fa-
cile est eos ad cælos vsque attollere, & diuina de eis scribere, qui proscribere aut
necare possunt. Hic Alfonso (vt tradunt Hispanorum annala) diuina opera
quæ perfectissima sunt, & cum summa sapientia, pondere, numero, & mensura
creata,

creata, iudicare quippe & emendare conatus est. ore enim blasphemus dicebat pa-
lam, Si a principio creationis humanæ Dei altissimi consilio interfuisset, nonnul-
la melius ordinatiusq; condita fuisset. O vana, o funesta, o superba atq; inutilia ver-
ba! Nō sic David sentiebat dicens, Mirabilia opera tua domine, & quis cognoscet
nimis? Et iterū: Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fe-
cisti. Et Sapiens: Omnia opera Dei bona, nec est qui addat. Nā & redemptoris te-
stimonio ipse Salomon cum tota sapientia sua, qui cuncta ab isopo vsq; ad cedrum
perscrutatus est, minimū Dei opus nec intelligere, & longe minus iudicare est au-
sus, inquiens, Cum me verterem ad cogitandum opera Dei, vidi esse afflictionem
10 spiritus & vanitatē, cum non possit homo illa explicare sermone. Et iterum idem
Sapiens, Plurima, inquit, sunt verba hominum, multamq; in disputando vanitatē
habentia. Sed & alibi idem Sapiens, Stolidi, inquit, hominis est intelligere viam
suam. Quanto ergo stolidior qui opera Dei non modo intelligere, sed emendare
conatur. Hinc Apostolus, Superbiā, inquit, in tuo sensu nunquam dominari per-
mittas. Hic igitur princeps de suo sensu confidens, hæc arrogantissima, vana, atq;
superba verba sæpe repetebat: sed nō caruerit diuina ultione. Accidit enim quod
miles quidā dictus Petrus Martini de Pampliega Deum timens, instructor & curā
gerens infantis Manuelis, vidit in somniis visionem, quendā pulchrū aspectu ho-
minem, angelum videlicet albis indutum, ei dicentē latam esse in diuino consisto-
rio cōtra Regē Alfonso sententiā, vt ex hæredatus moriatur, sed & crudeli mor-
te, nisi pœniteat. Miles vero de visione perterritus causam quæsiuit: cui, blasphe-
miam, inquit angelus, Alfonso vanāq; temeritatem diuina opera corrigere molie-
tis id meruisse. Monuit ergo eundem militem, vt ad Regem accederet, eumq; ad
pœnitentiā hortaretur. Miles vero celeri gressu Regem apud Burgis commoran-
tem adiit, cui cum tremore visionē retulit, atq; ad retractandū quæ tam impie di-
xerat, pœnitendūq; summopere monuit. Rex vero qui iā præualuerat in vanitate
sua, militem deridens a se expulit, & iterū verba illa sacrilega repetiit: Si tempore
creationis humanæ interfuisset, plurima melius ordinari potuisset. Cūq; post pau-
cos dies Rex apud Segobiam morā traheret, quidā eremita vitæ sanctissimæ ean-
dem reuelationem habuit. Regem igitur accessit, monetq; vt de peccatis suis, præ-
fertim tā damnatis sacrilegicq; verbis, pœnitentiā agat, alias sentiret ultionem. Et
quia scriptū est, In vanitate cordis sui comprehenditur peccator, Rex ipse Alfonso,
vt alter Senacherib, in blasphemia perstitit, & vt alter Nabuchodonosor, con-
firmatus est ad superbiā. Quare testante scriptura, cecidit de folio suo, & gloria e-
ius ablata est. Eremita igitur Rex toruo iratoq; vultu contempsit, & vt insipientē
abire iussit, iterum verba illa nefanda repetens, Holofernem imitatus Achior in-
crepantē, quia soli Deo potentiā attribuebat. Ea igitur nocte misit Deus tam hor-
ribiles & insolitas tempestates & spiritus procellarum, tot deniq; tonitrua, tot ful-
gura, tot coruscationes & fulmina, vt cælū cadere putaretur, sed & in cubiculo Re-
gis sagitta fulminea vestes Regis atq; Reginæ comburens. Rex vero attonitus vix
loqui valens, cubicularios custodesq; monet, vt illico eremitam illum ad se defe-
rant. Verum tanta erat tempestas, vt nullus palatium exire valeret. vt citius tam en
valuerunt, eremitam adducunt. Quem vt Rex vidit, procidens ad pedes eius, Ego,
inquit, sum qui peccaui. Eremita vero illud Ecclesiastici imprimis ad eum ait, Ho-
mo, accusaris fabula vana & audacia cordis tui. Et iterū: Quis posuit in visceribus
tuis sapientiam? nunquid consiliarius altissimi tu es? o vtinam Rex memor fuisses
verborū Regis sapientissimi Salomonis: Vanitatem & verba mendacii aliena fac a
me. His igitur verbis Rex ipse simul & metu instantis mortis cū magno animi mœ-
rore eidem eremite confessus est, & publice verba nefanda retractauit. Cum itaq;
50 lacrymis plurimis pectus conterebat, incipiebat cessare tempestas: quinimmo
quanto arctius dolebat, tanto tranquillior serenitas cernebatur: nec ipse a terra o-
culos leuauit, quousq; plene procellosa rabies conquiesceret. Itaq; meruit humi-
litate consequi, quod superba sui præsumptione demeruerat. Deinde vero vitam
mutauit in melius: verum tamen (vt quidam asserunt) ex ea & aliis causis regno in
vita ex hæredatus est a filio, a quo veniens de infelici conquesta imperii non est

admissus: ciuitas tamen Murtiæ quam ille a Sarracenis euicerat, nunquam ab eius obuiam discessit. Ob quam causam Alfonso cum apud Hispalim moreretur, cor suum euiscerari iussit, & ad Murtiã deferri, sepeliriq; in ecclesia sanctæ Mariæ per eum constructa, concedens ciuitati priuilegium, vt in signum singularis fidelitatis septem coronas in armis & insignibus deferret. Hic Alfonso postquam dicta verba nefanda protulerat, infortunatissimus fuit, quippe qui pro eius arrogantia imperium (vt aiunt) ad quod electus fuerat, perdidit. Adde, quia cum rediret, plurima infortunia passus est, vt prædiximus. Nam Sarraceni plurima bella vicerunt, atq; interfecerunt Santium Infantem Aragoniæ, nec non Archiepiscopum Toletanum, Nunium de Lara, & plurimos nobiles & barones regni. Deniq; obiit Fernandus dela Cerda filius eius primogenitus. Et licet (vt diximus) filium relinqueret, tamen Santius secundo natus regni sceptrum eodem Alfonso viuentem (vt ferunt) occupauit, nec eum venientem admisit: sed apud Hispalim regno priuatus diem clausit extremum. Huius Alfonso x. temporibus præfuit Romanæ sedi Alexander quartus, natione Campanus, de ordine fratrum minorum, qui in publico consistorio comburi fecit quendam libellum inter cætera continentem religiosos pauperes de elemosynis viuentes non fore in statu saluationis, condemnauitq; dictum libellum & auctorem eius, videlicet fratrem Guilelmum de sancto amore. Rursum idem Pontifex alium libellum condemnauit, & comburi fecit, in quo asserbatur legem euangelii neminem ad perfectum ducere, sed legem spiritus: asserbat deniq; legem euangelii sic se habere ad legem spiritus, sicut legem veterem ad legem gratiæ: addebat deniq; legem Christi finiendo anno domini m. ccl. x. quo tempore lex spiritus subintrare debebat. Quæ siquidem pestifera hæresis ex verbis Io. Ioaachim originem trahebat, & non paucos illis diebus habuit sectatores. Post eundem Alexandrum præfuit successiue Urbanus quartus natione Gallicus. Quo mortuo sedit Clemens natione Prouincialis, & rursus Gregorius decimus Lombardus, & Innocentius quintus Burgundus, & Adrianus quintus Genuensis, & Iohannes xxi. natione Hispanus, & Nicolaus iij. Romanus, & Martinus iij. Italicus. In Romano vero imperio sedit prædictus Fredericus, quo defuncto circa partes Basileæ, electus est prædictus Radulphus: quam electionem Gregorius Papa quartus in fauorem Passagii terræ sanctæ, ad quod plurimi anhelabant, approbauit. Ad cuius instantiã idem Radulphus crucem suscepit transmarinam. Imperauit autem annis xv. abq; imperiali diademate.

De Santio IIII. filio Alfonso XXXVII. Rege post Pelagium, & de virtutibus & victoriis eius, & quomodo recuperauit a Mauris Tarifam & alia loca, & qualiter Alfonso patrem venientem de imperio non admisit ad regnum. Caput VI.

SANTIUS huius nominis quartus Alfonso huius nominis decimo patri suo in regnis successit anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto. Regnavit autem lxxiij. loco post Athanaricum primum Regem Gothorum, & xxxvij. post Pelagium primum Regem post Hispaniæ cladem, regnavit annis xi. Obtinuit igitur regnum Santius, excluso, licet de facto, Alfonso dela Cerda nepote prædicti Alfonso ex Fernando primogenito præ mortuo, dum ad imperium pergeret. Qui siquidem Alfonso nepos & filius primogeniti eidem Santio præferendus omnium iudicio videbatur, nihilominus aut fortuna sua, aut populorum consensu, vel (vt creditur) eodem Alfonso propter Santii virtutes & ingenia merita id volente & procurante, vt supra diximus, vel ita Deo disponente, qui regna transfert atq; cõcedit pro sua ineffabili prouidentia, idem Santius regnorum suscepit sceptrum. regnavit autem xi. annis. Hic duxit uxorem dominam Mariam filiam Infantis Alfonso dicti de Molina fratris gloriosissimi Fernandi iij. ex qua domina Maria genuit Fernandum iij. post regnantem, Petrum, & Philippum, & Henricum qui fuit mutus. Hic Santius strenuus & animosus fuit, præclaraque bella contra Machometos confecit, eosque sæpe vicit, ac plurima castra & oppida suæ ditioni subiecit. Inter cætera cum magna perseverantia & longa, obsidione insigni oppidum Tarifam a

fam a Mauris feliciter recuperavit. Sed & ultra alias præclaras eius victorias, Regem de Fez, Machometum dictum a Benyuzaf singulari virtute prostravit. ille enim maximam classem, vt transfret in Hispaniam, parauerat, cõtra quem Santius Rex transmisit nobilem virum Benedictum Zachariam Almirandum suum, qui vniuersam classem obtinuit, & cæteris nauigiis combustis terdecim galeas mixtas Sarracenis armis & equis ad nostralia littora incolumis deduxit, fugato a Benyuzaf Rege Maurorum, quem nobilis Almirandus insequutus vsq; ad littora Africana dicta Tingitana. Hic Santius patrem Alfonso parum gloriæ ex imperio reportantem & inde redeuntem ad regni sceptrum non admisit. Quare, vt putatur, non diu regnavit, vt in se experiretur id quod Ruben in patrem peccans passus est, cui Iacob pater ait, Effusus sis sicut aqua, nec crescas, quia maculasti statum patris tui. Et rursus Absolonem imitatus est, nõ tam in regni ambitione quam sceleris punitione, qui David patrem e regno pellere tentauit, sed infelix fuit eius conatus, dũ occubuit in solita morte. Nec Santius ipse primus in orbe fuit qui patrem regnandi gratia a principatu pelleret, cum Darium interfectum legamus a filio Artabano vt citius regnaret. Sed & alius Darius cum a Xerxe patre indulgentissimo Rex esset factus, tamen duobus ei fratribus assistentibus in patrem cõspirauit, vt regno priuaret, cuius sceleris pcenas luit. Rursus Tullia Tarquinii Superbi vxor patrem Seruium Tullium occidit, super cuius cadauer carpentum inferri iussit, vt sibi & marito Romanæ vrbs regnum accresceret. Denique si poetis credimus, Iupiter Saturnum patrem regno expulit.

De quibusdam crudelitatibus Santii, & de bellis, & de scandalis ex ea causa sequentibus, & de singulari fidelitate cuiusdam nobilis obseis in Tarifam, qui passus est filium interfici, ne arcem assignaret, & de eiusdem Santii obitu. Caput VII.

SANTIUS quartus, de quo sermo est, plurimis virtutibus polluit, quæ Reges non mediocriter ornant: præcipue tamen in bellis disciplinæ militaris fuit seuerissimus custoditor. sæpe enim pro parua inobedientia milites virgis cæsi, manus amputauit, inobedientesq; in mediis castris securi iussit percuti, nonnunquam propria manu cæcidit. Nam cum contra Sarracenos bellum gereret, orta semel seditione & tumultu in exercitu, cum per alios sedari non posset, processit Rex Santius nudus sola indutus camisia, ac se in medio suorum inuicem pugnantium iniecit, dicens, O strenui milites, vbi est fides vestra? non in vestros commilitones, sed in me gladiis figite, qui vos huc adduxi. At cum ab armis non cessassent, ille inermis vt erat, arrepta lancea duos percussit milites qui principales in tumultu videbatur, dicens, aut Sarracenos vestros hostes, aut me percutite qui vos percussi: nec hodie eidem infidelibus tantam detis gloriã, & vobis ipsi tam funestam ignominiam, vt gladiis vestris, non hostilibus pereatis. Tunc omnes aut metu aut pudore ab armis abstinerunt. Nec parum regii animi magnitudo extollenda, sed admiranda est, quæ eo tempore exigebat obedientiã, vbi obedientia non est, & inter distantes gladios Rex ipse milites ferire ausus est, vbi milites Reges suos ferire audent: imitatus Auidium Cassium Imperatorem de quo Vulcatius Gallicanus pulchre ait. Cũ enim in eius exercitu grauis seditio orta esset, ille rustico sagulo textus, processit dicens, Percutite me si audetis, dũ tamen disciplinã militarem non deseratis. Quo viso cunctis ab armis quiescentibus, meruit timeri, quia nõ timuit. quæ res tantum militaris obedientiæ Romanis addidit, tantumq; hostibus timorẽ iniecit, vt pacẽ ab Imperatore peterent. Santius itaq; Rex difficile putabat principem vincere posse, nisi a suis militibus timeatur. Semper enim in ore gerebat illud de arce ducis Lacedæmoniorum, vt recolat Iulius Frontinus, Imperatorem, aut ducem exercitus potius timendum esse, quam hostem. Hinc Marcus Cato dicebat, seditionem in exercitu aut inobedentiã paucorum pcena grauius puniendam fore. Sic Appius Claudius ac Fabius Rutilius, sic & Iulius Cæsar sæpe egerunt, qui orta seditione inter milites paucis percussis castra pacasse, & fidem militum reparasse referuntur. Sed ad Santium vt redeamus, a quibusdam vitis

non abstinuit. fuit enim iracundus pariter & sæuus, & ut cætera omittamus, apud Pacensem ciuitatem vna die quatuor millia ciuium inhumaniter & repentino impetu iussit occidi, pro eo quod ciues ipsi eiusdem Santii timore alios ciues eorum hostes ex ciuitate expulerunt, & quosdam trucidauerunt. Timentes igitur ne Rex in eos sæuiret, Alfonso dela Cerda prædictum, eiusdem Santii ex fratre nepotē, vitæ saluandæ gratia in Regem erexerant. Rursus aliam non mediocrem addidit sæuitiam. Cum enim apud oppidum de Alfaro moram traheret, celeri iudicio, & irato ac turbato animo pariter & vultu, occidi iussit nobilem virum Lupū Comitem & dominum Vizcaizæ. Captiuauit deniq; Infantem Iohannem fratrem suum. Quibus ex causis maximæ clades sequutæ sunt. Nam Didacus filius eiusdem Lupi Comitis & plurimi nobiles & barones, ei & dicto Iohanni fauētēs, ad Iacobum Regem Aragoniæ confugerunt, apud quem obtinuerunt, ut relaxaret Alfonso dela Cerda filium Fernādi primogeniti Alfonsi decimi, quem in vinculis tenebat, de quo sub eodem Alfonso decimo egimus, quibus Rex Aragoniæ annuit. Alfonso igitur dela Cerda assumpto titulo regio Castellæ regnum armata manu ingressus est, quib. Santius occurrit, & bella grauissima sequuta sunt, durauitq; dissidium tribus annis. Tandem matrimonio pacatum est. Nam idem Iacobus Rex Aragoniæ Elisabeth filiā huius Santii, de quo agimus, duxit vxorem. Iohannes vero prædictus frater Santii Regis ab eo læsus, cum se a vinculis liberum conspexit, ad vindictam infeliciter properabat. Nam Vlisbonam clam petiit, indeq; nauigio transfretat in Africam, & Abeniacob Machometū Regem Bellamarini accersit, a quo honorifice receptus est: cui suauit Iohannes, ut si gentes & classē ei concederet, facile ei oppidū de Tarifa assignaret, quod paulo ante Rex Santius eius frater euicerat. Concessit igitur ei Abenyuzaf quinq; millia equitum & magnam peditū copiam. Applicantes igitur ad littora nostra, oppidum prædictū Tarifam obsederunt, cuius custodiam gerebat nobilis Alfonso Petri de Guzman. Quare decreuerunt oppidum expugnare, quod sex continuis mēsis, machinis & omni artificio debellabant. Cum itaq; Infans ipse Iohannes & alius Infans Sarracenus frater Abenyuzaf viderent Alfonso Petri & obsessorum constantiā, nuncios misere ad eos offerentes pacem, si certam pecuniæ summā persoluerent e thesauro Alfonsi, quem inibi esse putabant. Auditis itaq; legatis obsessi omnes quasi vir vnus & vno ore dixerunt: Dicite his qui vos miserunt, turpe admodum esse insignibus ducibus, paratam victoriam pecunia vendere: nec minus turpe est fortibus viris, libertatē suam precio cōparare. Quibus auditis verbis, Iohannes Infans ait ad Sarracenos, Nosco ego homines, nec prece, nec precio flectentur. Imitati sunt Alfonso Petri & sui prædictos illos Hispanos, non minoris fidei & virtutis viros, quos cum apud Ciminiū sic tunc appellatam ciuitatem Lusitanicę Brutus consul Romanus longa obsidione afflisset, ipsiq; obsessi pertinaciter arma retinerent, tētata redemptione per Bruti legatos, illi responderunt ferrum sibi a maioribus relictum esse, quo vrbe suam tuerentur, non aurum quo libertatem ab auaro imperatore emerent. Cum igitur nec sic Iohannes Infans & Sarraceni obsidētes proficerēt: Opus est, inquit Iohannes, sanguine, ut Alfonso Petri vincamus. Manebat enim filius Alfonsi Castellani eo tempore in eiusdem Iohannis obsidentis seruitio. Missi igitur nunciis ad Alfonso Petri, ut oppidum simul & arcem Iohanni assignaret, alias filium iugularer: Alfonso ipse fidei & probitatis magis quā vitæ filii sollicitus, imitatusq; Aulum Fulvium Romanum præclarissimum virum, ad eos qui venerant verba faciens, Dicite, inquit, mittenti vos, quia non Iohanni aduersus patriam filium genui, sed patriæ aduersus Iohannem omnesq; mortales. Dicite rursus, quia si filium Iohannes gladio cæcidit, mihi gloriam, filio veram vitam tribuet, eidem vero sæuienti sempiternam ignominiam & ad inferos damnationem. Si vero filius liberatur, ut fidē lædam, vita eius mors mea est & indelebilis macula, qua idem filius viuendo morietur. malo enim orbatus filio quā fide viuere, malo deniq; gloriosam filii mortē quam turpem vtriusq; vitā. filios plurimis ex causis inuiti sæpe perdimus, fidē vero & honorē nisi volēs nemo perdit. Optat Iohannes, immo hostis, ut similis sui fiam, qui parum æstimat fidem quam nō habet. nullā infelix ipse putat iacturā honoris, quem

quem diu ante perdidit. Iugulet igitur filium, ut furori atq; perfidiz suæ, honoriq; meo faciat satis, daboq; illi gladium quo id triste spectaculū, mihi dulcissimū, expleat. Et dum verba finiret, gladium supra muros in castra Sarracenorū demisit. Quo ab impio Iohanne suscepto, nunciisq; auditis, illico vidēte patre & gladio patris filium transfodit. Consultius profecto Iohannes ipse ob patris ingentē fidem filio de se bene merito pepercisset, imitatus M. Antonium, qui cū nullo pacto centurionem a Cæsaris fide retrahere potuisset, atq; ob eam rem filium eius occidere decreuisset, constanter centurio ad eum ait, nullo filiorum supplicio adduci posse, ut Cæsaris miles esse desineret, & Antonii esse inciperet. Qua perseverantia (ut inquit Liuius) quo constantius vitam filiorum contempsit, eo facilius vitam ab Antonio impetrauit. Cum igitur Sarraceni cernerent omnem spem defuisse habēdi castrum, infeliciter ab obsidione discesserunt. Ceterum ad Santium ut redeamus, pro sedandis dissidiis inter eundem Santium & Iacobum Regem Aragoniæ, quæ plene per ante dictum matrimonium nō fuerant sopita, arbitri electi sunt: pax tamen non pro tunc sequuta est, sed treugua ad tēpus indita. Interim Santius ab hac vita subtrahitur, & obiit morte communi. Filium suum primogenitū Fernandum reliquit regnorum successorem, quem ex inclyta domina Maria eius consorte genuerat, quam eidem filio dimisit tutricem, ut statim latius tangemus. Hic Santius ob repentinas & iniustas cædes quas perpetravit, plures angustias & persecutiones passus est, velut alter Abimelech, qui ut securius regnaret, nedum fratres, sed plurimos alios gladio cæcidit: sed scriptura sacra testate, paruo tempore regnavit, & multa aduersa passus est. Huius Santii tempore sedit in Petri cathedra Honorius quartus Romanus, & successiue Nicolaus quartus Lombardus. In imperio sedit Rodolphus primus, Comes Nasouæ, qui pugnavit contra Albertum Ducem Austriæ filium Rodulphi Regis Romanorum, prædecessoris sui, in qua pugna Rodolphus occiditur anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, diademate non est potitus.

De Fernando quarto, Rege Castelle & Legionis trigesimo octauo post cladem Hispaniæ, & de summa pudicitia ac virtutibus dominæ Mariæ matris & tutricis eius, & quomodo obtinuit contra omnes Reges Hispaniarum qui diffidarunt eundem Fernandum impuberem. Caput VIII.

FERNANDVS huius nominis quartus, filius Santii prædicti, in regnis Castellæ & Legionis successit, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Hic post Athanaricum primum Regem Gothorum septuagesimus quintus Rex fuit, & post Pelagiū primum Regem Hispaniæ post cladem, trigessimus octauus: regnavit autem annis quindecim. Hic Fernandus ætatis erat nouem annorum, cum regnare cœpisset, sed excellentissima domina Maria fideliter tutelam gessit. Hęc domina Maria, ut paulo ante diximus, filia fuit Alfonsi Infantis de Molina & neptis clarissimæ dominæ Berenguelæ matris gloriosi Regis Fernādi tertii, qui Hispalim & torā Baticā a Mauris recuperavit. Hęc igitur Regina Maria Santio marito vita functo cum a multis foret monita, ut secundas cōtraheret nuptias, cum ætas & forma ingens suffragarentur, illa, ut alia Iulia Romana quam Valerius commemorat, Nequaquā, inquit, hoc faciam. si enim maritū bonū fortita fuero, ut ante habui, nolo timere ne perdā: si sceleratum & dyscolum, quid necesse est post bonum, pessimum sustinere? subdens, Felix & pudica matrona nunquā præter semel nubit, quia ut Porcia Romana, teste Orofio dicebat, multorū connubiorum experientia cuiusdam intemperantiæ signum est. Imitata fuit hęc inclyta Regina Valeriā Mefalorū sororē quā idem Orofius recolit, quæ amisso viro suo cū renueret secundo nubere, & de causa interrogaretur: respōdit sibi semper maritū suum viuere, addens eam non esse viduam quæ filium patris imaginem gestantē p marito colebat: subdens iterum, quia non prolis, sed potius cupiditate libidinis nubit, quæ superstitem filium habet. Itaque ad suos reuerfa qui ut nuberet monebant,

ait non satis fidos fuisse Regitalia componentes. Nam desiderare eam ad secunda vota transire, nil aliud videbatur quam Regi eorum domino infidias optare. Igitur illustris ipsa Regina foeminea benignitate deposita, animū plus quam virilem induit, & quamquam (vt sapientes aiunt) ceterarū virtutes multum habent admirationis, sed pietas ad filios plurimum amoris, tam exuberans fuit in hac vna matre ad filium pietatis cura, vt non minus admirationis quam dilectionis habere videretur. Nam velut alia Regina Hester omni periculo se exposuit pro liberatione populi sibi commissi. Cum igitur prospiceret propter filii teneram aetatem omnes Hispaniarum Reges & alios aemulos contra eam & filium surrexisse, siquidem vna eademque die filius Fernandus praedictus a Regibus Aragoniae, Nauar- 10 rae, necnon Portugaliae, ac Granatae diffidatus foret: Alfonso denique dela Cerda se, p. Rege Castellae gerebat: rursus infans Iohannes titulum regni Legionis vsurpasset: qui omnes crudelem guerram diuersis in Regni partibus mouissent, ac valida manu regna filii vastassent. Ipsa tamen Regina Maria iactans curam suam in domino, tanta prudentia tantaq; dexteritate harum magnarū quidem tempestatū vitauit naufragium, vt paulo post omnes ipsi eius hostes inceptis rebus non praeualerēt. Nec modo armis iura filii tuebatur, sed orationibus, ieiuniis, assiduisq; elemosynis, ac suae regiae personae maceratione. Ferunt enim Hispanorum annalia hanc dominam tam strictam in se & filii sui cura parsimoniam & paupertatem seruasse, vt vasa argentea non haberet, sed tantum fictilia & lignea. cuncta enim quae 20 habere poterat, aut pauperibus, aut aedificandis sacris templis, vel stipendiis militum pro regni defensione certantium profusa assiduaque manu diffunde bat. Sed nec procerum & magnatum regni fidelitas quieuit, ac probitas subditorum. videntes enim multitudinem inimicorum, ac regis sui pueriles annos intuentes, sua nobilitate & fide confortati, illustri Reginae assistentes & praesidia ferentes, animos plus quam viriles assumpserūt. nam vltra illorum eximiam fidem, commiseratio infantilis aetatis regiae & maternae pietatis eis animos auxit. Quare contra omnes hostes praequaluerunt, imitati Macedones quos Plutarchus commemorat, qui puerulum Regem suum tam fortibus animis tutati sunt, vt ostenderent suis hostibus, Regem, non virtutem Macedonibus defuisse. Quare ob tantam subditorū fidem 30 & matris pietatem ingentem, Regem ipsum ab omnibus inimicis dominus liberavit, & praeualuit aduersus eos qui tribulabant animam suam. Nam acriores hostes eidem Reginae & nobilibus suis pacem optatam vltro obtulerunt, alii vero Reges, immo hostes, breui tempore a regno pulsi sunt: Rex tamen Aragoniae qui regnum Murtiae occupauerat, post plurimas guerras & clades tandem oppida de Oriuela prope Murriam, & Aliquante, Elche, & quaedam alia castra regni Murtiae ex arbitrari sententia vsq; in hodiernum diem obtinuit: residuum vero regni Murtiae cessit Regi Fernando. Tulit autem hoc arbitrium Dionysius Rex Portugaliae pro sedandis dissidiis, quamquam oppida praedicta Regi Aragoniae adiudicata ad regnum Castellae spectassent. cui arbitrio cessit Regina incluta, ne filius sub teneris annis 40 agens, tot simul aduersantium persecutionibus affligeretur. Hec sancta Regina, vt alia Noemi, sollicita & prudentissima fuit in agendis suis, & velut alia Olda prophetissa qua scriptura commemorat, tam prudenter Iosiam Regem direxit, vt aduersa ventura sua sapientia in prospera couerteret. Post plurima itaq; huius nobilis Reginae pia opera coenobium sancti Francisci Vallisoleti & septem alia deuota monasteria propriis sumptibus construxit. Fernandus igitur factus adolescens duxit uxorem Constantiam filiam Dionysii Regis Portugaliae, ex qua genuit Alfonso vndecimum, postea Regem Castellae: item Leonoram quae vxor data est Alfonso Regi Aragonum. Cum igitur Deus vocasset Reginam ad illud infallibile regnum, vbi sine taedio & absq; sine regnatur, illa inter cetera recommisit filio barones & 50 nobiles, qui in eius tenera aetate contra Reges Aragonum, Nauarrae, Portugaliae, & Granatae, & ceteros hostes militauerant, & praesertim nobilem virum Iohannem Alfonso de Haro, qui mira virtute vicerat Iohannem Nunii, quem captiuū eidem Reginae & Fernando eius filio praesentauerat. Quae vna res totalem victoriā hostiū Fernando attulit. Nam vt dictus Iohannes Nunii liberaretur, assignauit Fernando Regi

Regi oppida de Palenzuela quod tunc idem Rex obsidebat, & castrum Xeriz, Duennas, Tariago, Lerma, Cannete, Moya, & Histar. Quae omnia effecerunt, vt praedicti Reges & ceteri hostes Fernandianimum perderent, & ad pacem properaret. Verumtamen non satis tam singulare seruitium praedicti Iohannis Alfonso recognitum fuit per Alfonso vndecimū huius Fernandi filiū, vt statim latius dicitur.

De virtutibus & victoriis Fernandi quarti, & qualiter recuperavit a Sarracenis Gibraltar & alia castra, & quid faceret vultit quidam antiquus Sarracenus, & de subita eius morte, vt creditur, propter certas in-

deliberatas & festinas mortes nobilium.

Caput IX.

FERNANDVS igitur sicut aetate, sic virtute crescebat. erat quidem iustus & re- 5 ctus, curiasque generales pro subleuandis grauaminibus saepe congregabat. Cumque apud Burgis ex omnibus suis regnis curiae tenerentur, applicuit nobilis Maria Didaci de Haro filia Lupi Comitis & domini Vizcaiae, quem (vt diximus) Rex Santius quartus apud oppidum de Alfarro occidi iusserat, quae siquidem Maria Didaci Infanti Iohanni nupserat. Cum igitur dictus Lupus eius genitor sine filio masculino decessisset, dominium Vizcaiae ad illam optimo iure pertinere dicebat, 20 petebatque sibi iustitiam ministrari, praesertim contra Didacum de Haro patrum suum, praedictae prouinciae vsurpatorem. Rex igitur Fernandus auditis hinc inde plene partibus, tulit sententiam qua Didaco de Haro ad eius duntaxat vitam vsufructum Vizcaiae iudicauit: post mortem vero eius praedicta Maria obtineret eandem Vizcaiam, Durango, & patriam dictam Incartationes: rursus Lupus de Haro filius praedicti Didaci de Haro obtineret Valmafedam, Ordunnam, & Vilalua, & Losa. quam sententiam omnes partes emologarunt. Post praedicta Fernandus Rex bella contra Machometos feliciter gessit, illisque magnas clades intulit. Nam inter cetera famosum oppidum de Gibraltar & de Cannete post longam obsidionem suae ditioni subiecit. In quorum recuperatione praecipue militauit Iohannes Nunii de Lara. Nec tamen putauit obmittendam facetiam, ri- 30 dendam simul & notandam, cuiusdam Sarraceni, quam praedicto Fernando retulit. Cum enim oppidum praedictum de Gibraltar venisset in deditioem Regis Fernandi, ex pacto Sarraceni vtriusque sexus exeuntes de castro optabant transfretare in Africam. Inter quos accessit ad Regem quidam Sarracenus venerandus centum fere annorum, qui ait ad Regem: Nescio quid mihi & tibi sit domine Rex, aut cur me tantopere persequeris. Eram ego quondam ciuis Hispanensis, & Rex Fernandus proauus tuus cum illam ciuitatem obtinuit, me inde expulsi: ego vero cotuli me Xericium. Postea superuenit Alfonso decimus auus tuus, & capta ciuitate me inde expulsi nudum & percussum. Tandem applicui oppido de 40 Tarifa vbi domum fabricaui, & dum me tutum putarem, venit Santius pater tuus, & castrum vi & armis obtinuit, & simili modo pulsus fui de domo mea. Postea considerans quod in nullo loco eorum quae Sarraceni in Hispania obtinent, tutius vivere poteram, quam in hoc famoso castro de Gibraltar, decreui in eo dies menses finire meos. Nunc vero tandem tu venisti, & castrum obtinuisti. Exoro igitur excellentiam tuam, digneris mihi & familiae meae scapham aut paruum aliquod nauigiū concedere, vt in Africam transeam, finiamq; dies meos paucos & malos cum aliqua quiete, nec diem videam oculi mei tot gentis nostrae clades. Rex vero Fernandus subirridens simul & compatiens, donauit eum muneribus, concessitq; nauigiū pro se & illis miseris quos ipse delegit. quo humanitatis preclaro facinore a vicinis oppidis cognito, sese sine sanguinis effusione Fernando dedere. Nec alia arte Q. 50 Metellū Celtibericas Hispaniae gentes expugnasse legimus, qui quosdam Celtiberos intercipientes humanitatem propinqua victoriae praeferebat, non solum eos incolumes remisit, sed ab obsidione discessit. quo tam clementi facto non vnius ciuitatis metenia, sed omnium Celtiberorum urbium animos cepit, effecitq; vt ad eas redigedas in Romani populi deditioem multis obsidionibus opus non esset. Postremo hic

Fernandus etsi victoriosus fuit, & multis virtutibus polluit, quibusdam tamen virtutibus non caruit. Fuit enim in credendo detractoribus promptus, & ex quadam, ut putatur, rigiditate iustitiae in puniendo celer. Ex qua re a Deo punitus creditur. Nam cum apud oppidum de Martos duo nobiles de Caruaial coram eo de prodicione accusarentur, Rex ipse praecipiti iudicio praecipitari eos de altissima rupe iussit. Illi tamen sese innocentes afferebant. Quare cum humanum deesset auxilium, ad diuinum recurrerunt, & propter iniustam mortem Regem citarunt, ut infra triginta dies coram diuino compareret tribunali, rationem de tam iniqua morte redditurus. Adueniente igitur die citationis, cum esset Rex apud ciuitatem Giensem, post somnum meridianum repertus est mortuus. Alii ferunt morte communi expirasse. An autem haec subita mors a casu, vel a fortuna, an ex praedicta obuenit causa, iudicio diuino relinquendum est, cuius iudicia abyssus multa. Abstinerere profecto debent principes a festino & praecipiti iudicio. Hinc Rex & patriarcha Iob, Causam, inquit, quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Vbi Gregorius: Ad ferendam mortis sententiam praecipites esse non debemus, nec temere indiscussa iudicare. maiora enim crimina credenda non sunt mox, cum audiuntur: sicut scriptura commemorat de Phitifare qui leuibus verbis coniugis credulus, sententiam tulit contra Ioseph. Nec aliter egit tyrannus ille quem Seneca in libro de ira commemorat, qui irato & festino iudicio tres occidit innocentissimos milites: vnum quia rediit de via sine focio, quem dicebat ab eo interfectum. Et cum duceretur ad supplicium, venit focius, quem cum executor iustitiae conspexisset, viuū duxit ad principem. Ille vero festinus & iratus, ait ad primū, Te iubeo interfici, quia damnatus es. Secundo dixit, Te simili sententia damno, quia causa damnationis focii fuisti. Tertio, videlicet licitori, dixit, Te quoque occidi iubeo, quia mihi imperanti non paruisti. Huius Fernandi Regis temporibus sedit in cathedra Petri Celestinus quintus, & successiue Bonifacius octauus, natione Campanus, & deinde Benedictus vndecimus Lombardus, & Clemens quintus Burgundus. Vacauit sedes duobus annis & totidem mensibus. In imperio vero praefuit Rodolphus secundus, de quo paulo ante egimus.

De Alfonso vndecimo, qui post cladem Hispania trigessimus nonus Rex fuit, & de prole sua, & de victoriis eius contra Reges Bellamarini & Granatae, & quomodo recuperauit Alcalá la real & alia castra, & de eius repentinis cadibus quorundam magnatum, & de magna ingratitudine contra eos commissa. Caput X.

ALFONSUS huius nominis vndecimus, filius Fernandi quarti, successit in regnis Castellae & Legionis, coepit regnare anno domini millesimo trecentesimo decimo. fuit autē septuagesimus sextus Rex ab Athanarico primo Rege Gothorum, & trigessimus nonus a Pelagio qui primo regnavit post cladem Hispaniae. Regnavit autem annis quadraginta. Hic duxit uxorem Mariam filiam Regis Portugaliae, ex qua genuit Petrum qui post eum regnavit. Sed ex nobili foemina Leonora de Guzman genuit Henricum & Fredericum filios naturales. Primum fecit Comitem de Trastamara, alterum magistrum sancti Iacobi. genuit etiam Santiū & Telium Comites, Petrum & Didacum, quos vltimos paulo post Petrus eius filius occidit. Hic Princeps strenuus & valde animosus fuit, plurima praecleara bella contra infideles gessit. Deuicit enim Almohazen Machometū, & demum Yuzef Reges Bellamarini & Granatae. nam lucro fidei & suae ditioni adiecit Alcalá de beneay quam nunc Regalem appellamus, & plurima alia castra & oppida. Hic Alfonso iuuenis satis regnare coepit, & quorundam prauo consilio aliquos magnos viros de se & regnis suis bene meritos inhumaniter gladio cedi iussit. Oblitus enim maximi & acceptissimi obsequii quod Iohannes Alfonso de Haro dominus Delos cameros Fernando Regi patri suo paulo ante in bello contra Reges Aragonum & Nauarrae sedulo & vtiliter praestiterat, ut supra diximus, eundem Iohannem Alfonso apud oppidum de Agufeio interfici iussit, ut verificaretur quod vulgo dici solet,

folet, quia saepe magno & peculiari seruitio magna succedit ingratitude. Rursus non minor fuit saeuitia & ingratitude quam in nobilem virum Gundisalū, Martini magistrum de Calatraua iniuste exercuit. qui cum principalis capitaneus esset, in confinibus regni contra Mauros Granatenses bellum campestre conseruit cum Abomalich, vocato Infante Picazo, filio Regis Almohazen, qui ex Africa cum magnis copiis ex condicto quorundam perditissimorum Christianorum transfugerat, ut ciuitates Delas Algeziras, & Gibraltar obtineret, & nonnulla alia Christianorum oppida & castra inuaderet. In quo bello pugnatum est acriter & non sine varietate fortunae. Sed diuino assistente praesidio, praedictus Infans Picazo & plurimi Sarraceni occisi sunt, & non pauci capti. Et post tam insignem victoriam Alfonso Rex suauis & consilio Alfonso Fernandi Coronel, eiusdem Iohannis Alfonso aemuli, Iohannem praedictum acerrime persequutus est, obseditque in quodam castro suo, & tandem idem Iohannes Alfonso confusus de sua innocentia de quibus seruitiis Regi & regno praestitis, inductus vexillis & caeteris Vanderis quas paulo ante in bello contra Infantem Picazo obtinuerat, regiae pietati, immo morti se obtulit. Rex vero irato nec satis deliberato animo iniuste & inhumaniter eum occidit iussit. Profecto non mediocri fuit Regis Alfonso ingratitude, nec dissimilis ei quam Solon passus est ab Atheniensibus, quibus non solum leges dedit toti orbi conservandas, sed ciuitatem dominam Graeciae fecerat: ab ea tamen patria qua defendit, profugatus in Cyprum exilio datus est, nec in ea humatus est quam illustrauerat. Haec igitur caedes & ingratitude Alfonso plurimum honoris & gloriae ei abstulerunt, quas quidam potius ex iuuenili impetu aemulorumque consilio quam sui animi prauitate putant accidisse. Verum non mansit in ultimum tam iniquum Alfonso Fernandi Coronel consilium. nam pari forma qua Alfonso eius persuasione magistrum praedictum de Calatraua occidit iusserat, eadem seueritate Petrus huius Alfonso vndecimi filius praedictum Alfonso Fernandi Coronel occidit fecit apud oppidum de Aguilar dela Frontera, ut verum sit quod Saluator in euangelio dicit, quia qua mensura mensi fueritis, remetientur & vobis. Nec aliter euenit superbo & infolenti Aman, sicut scriptura testatur, qui praeepto Regis Assueri eo supplicio occubuit, quod parauerat innocenti Mardocheo. Sed & Andronicus eodem genere poenae quo iniuste occiderat Adoniam summum sacerdotem, vita priuatus est. Contra similes ait Ieremias ad prophetas Babyloniae, Reddite iuxta opus suum, & iuxta ea quae fecerunt, facite illis.

Quomodo Alfonso emendatus de saeuitia plurimum fuit humanus & magnificus, & sublimauit quendam Aluarum Nuntii de Olorio, & de pessimo eiusdem militis fine. Caput XI.

VERVM licet hic Rex Alfonso vndecimus, aut iniquis consiliis, aut prauorum hominum aemulatione, seu iuuenili calore aliqua iniusta egerit, postea tamen plurimum poenituit, & se errare cognouit: quin immo deposita crudelitate, humanitatem & benignitatem induit, idque in eo bello ostendit quod contra Portugalenses gessit. nam offensus a Rege Portugaliae, qui ciuitatem Pacensem iniuste obsederat, regnum Portugaliae valida manu ingressus est: pietate tamen & humanitate motus militibus iussit, ne pauperes innocentes in aliquo laederent. Cumque sui commilitones, trecentos nobiles Portugalenses bello captiuos cepissent, ipse Alfonso in propria eos ad castra Portugalensium incolumes deduxit, ne a suis offenderentur. Quod cum vidissent maiores regni Portugaliae, tanto beneficio magis quam armis victi suaerunt Regi, ut cum Alfonso Rege elementissime concordaret. quod & actū est, pax inter eos sequuta est. Nec aliter Camillum Romanorum consulem egisse Valerius ait, qui cum quosdam Faliscos ex hostium exercitu interciperet, eos incolumes in patriam remisit. Qua animi magnitudine & moderatione illorum animi sunt capti, quorum moenia non nisi magno sanguine expugnari poterant. Denique dictus Alfonso liberalis & munificus fuit, & plurimos exaltauit, inter quos quendam Aluarum Nuntii de Olorio plurimum & breui tempore

sublimavit. Nam inter cætera contulit ei plurima castra, oppida, & villas, creavitque eum Comitem de Trastamara, adeo ut ex humili statu unum de maioribus regni eum constitueret, quippe qui secundus post Regem erat. Verumtamen cum dictus Alvarus fortunam suam non satis agnosceret, sed & insolens esset, tentavit superbo & temerario animo ducere in uxorem dominam Leonoram Regis Alfonso fororem. quod Rex ipse conspiciens, cernensque non satis providere Alvarum tā celeri motu ac præcipiti ascensu exaltasse, quippe quem iam contumacem in pluribus conspiciebat, veluti qui impinguatus & dilatatus contra eum qui fecit illum, calcitrabat, commemorans denique quod eiusdem Alvari consilio occidi iusserat nobilem Iohannem dominum de Vizcaya cōsanguineum suum, decrevit prudenter deprimere quæ leuiter exaltauerat. petiit enim Rex ipse, ut Alvarus assignaret castra & fortalitia quæ sibi contulerat. quod Alvarus pertinacissime renuit, quin immo erectus in superbiam Regi resistere tentavit, vnde eo scriptura in libro Ester dicere videatur: Multi (inquit) bonitate & principū honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiā, nec contenti sunt gratias non agere de beneficiis, sed in dominum prosiliunt. Alfonso itaque formato contra eum legitimo processu, eū fuisse proditorem publice declaravit. Paulo post accidit eundem Alvarum morā trahere in quodā oppido suo de Beluer, quod fuerat hæreditariū prædicti Iohannis domini de Vizcaya eiusdem Alvari consilio interfecti, cumque dictus Alvarus arcem vellet ingredi, custos dictus Ramirus Flores permisit eū intrare, & clava quā manu gerebat, caput Alvari concussit atque elisit, & ex muro demisit cadaver in terra, veluti idem Alvarus fecerat dicto Iohanni domino Vizcayæ, quem suo consilio apud Taurum Rex interfici iusserat. Ramirus vero illico corpus nudū ligatum asino Regi obtulit. Is plurimum lætatus corpus exanime comburi fecit, bonis suis omnibus confiscatis. Sic itaque actum est, ut, sicut Ieremias ait, vices ei redderentur iuxta opus suum, & id sibi fieret quod aliis effecit, velut de Andronico legimus quem propter iniustam cædem Adoniæ sacerdotis, eius consilio admissam, Antiochus purpura exutum fecit vita priuari.

De præclaris victoriis Alfonso undecimi contra Reges Granatæ & Africæ, & de preciosis spoliis quæ in bello habuit & Romano Pontifici transmisit, & quomodo post longam & constantissimam obsidionem recuperavit ciuitates Algeziras, & quomodo quidam Sarracenus tentavit in tentorio Regis Alfonso eum proditorie interficere, & de singulari clementia qua usus est erga eum, & quomodo populum prædictas ciuitates. Cap. XII.

ALFONSUS itaque vitam suam recolens & delicta iuuentutis suæ ad pia & iusta opera conuertere cupiens, omnipotenti Deo per quem Reges regnāt, solenniter vouit bellum cōtra infideles indefinenter gerere, primitiasque victoriarum ei offerre. Cum igitur Almohazen Machometus Rex Marrochitanus & Bellamarini sociatus Rege Granatæ cum magna Pœnorum copia obsidisset oppidum nostrum de Tarifa, & xxxii. machinis muros perforasset, occurrit illi Rex Alfonso comitatus Alfonso Portugalæ Rege. Acerrimo itaque bello conferto pugnatum est ingenti contentione, cumque diu utrinque dubia sorte cæderentur, tandem ut diuinæ bonitati placuit, Reges ipsi Maurorū victi & cæsi fuere. In castris vero eorundem Arabum plurima preciosa spolia inuenta sunt, de quibus deuotus Rex Alfonso recognouit ipsam victoriam obtinuisse non viribus suis, sed Deo eam tribuente: imitatus patriarcham Abraham, qui habita quinque Regum præclara victoria, obtulit summo sacerdoti Dei altissimi decimam spoliiorum belli: & velut alter strenuissimus Gedeon, qui deuictis hostibus eorum spoliis in templo oblati, benedixit dominum dicens, Abs te est domine victoria ista: & tanquam sancta Iudith, quæ post Olofernis necem atque victoriā obtulit in templo Dei preciosa spoliiorū: Dauid quoque, qui gladiū quo superbū Goliā decollauit, sanctificauit domino in templo sancto suo. Horū itaque sacra vestigia secutus Alfonso summo Pontifici illius

illius temporis donaria ex hostium spoliis deuotissime transmisit, ceterum videlicet Mauros in bello captiuos, & totidē equos, ita ut singuli Sarraceni singulos equos per capistra, & in altera manu paruum vexillum deportatēt, quos præcedebat miles quidam Regis nuncius, vexillum Regis Sarraceni bello captum deferens. quæ siquidem præclara encænia Romanus Pontifex hilari vultu conspexit, & sequenti die processione solenniter facta gratias Altissimo de tanta victoria per soluit. quod utique vexillum hodiernis temporibus in ecclesia sancti Petri huius almæ vrbs cernitur. Rursum sanctum eius propositum prosequens, postquam castrum de Alcala la real & alia plurima a Mauris recuperauit, forti & constanti animo obsedit ciuitates delas Algeziras, viginti duobus mensibus, & in ea obsidione gentes suæ innumeros labores perpessæ sunt. Nam inter cætera singulis diebus triū mensium pluit, & iterum cessante pluuiā, ignis Maurorū calliditate in castris Regis Alfonso proiectus adeo inualuit, ut magnam victualium & cæterarum rerum partem consumeret, fameque ob eam rem valida exercitum Regis affligebat. Verumtamen ut potuit, suppleuit regia prouidentia, & per mare aliquanta victualium copia exercitus reparatus est. Admonebant tamen permulti Regem, ut saltem verba bonæ spei militibus daret, quo facilius famē sufferre possent. Ille vero, ut erat promptus in dicendo atque perfacetus, Catonis senioris verbum retulit in simili casu. dicebat enim difficile esse ad ventrem vacuū orationem habere qui aurēs nō habet, quippe qui plus delectatur coquorum fumo quam oratorū elegantiā. Exercitui tamen suo compatiens ea victualia quæ mensē regie erant referuata, militibus distribuit, hortans ut ea die paruo illo cibo potirentur, ipseque merito pro eis ieiunaret qui pro eo in tanta fame constituti erant. Cūque sine intercessione ciuitates debellaret, Sarraceni inter quos erat Infans frater Almohazen videntes cōstantiam Alfonso, veluti quem nec inundatio aquarum, nec flammaram incendia, nec impatientissima fames a proposito reuocabant, obtulerunt ei ciuitates eo pacto, ut ipsi libere ultra mare transfretare possent. Rex igitur Alfonso easdem Algeziras muris & fossis reparauit, ex Mezquitis ecclesias fecit, aliasque de nouo cōstruxit atque dotauit, & vrbes ipsas Christianis populauit. Verum inter cætera huius Alfonso egregia & præclara facinora prætermittendum non putamus illud stupendum & pene admirabile moderationis & clementiæ signum, quod in eadem obsidione delas Algeziras Alfonso exercuit. Cum enim vidissent Sarraceni Regis constantiam, & se fame afflictos, & ea de re obsidionem ferre amplius nō posse, vnus pertinacissimus Sarracenus ex obsessis ad cæteros loquens, Nunquam, inquit, periculum sine periculo vincitur. Ego igitur pro legis zelo & vestra salute meam vitam morti exponam. Exiens itaque de ciuitate gladioque ancipiti inter diploidem & tunicam abscondito castra Regis Alfonso petit, & cum in manus custodum incidisset, ait ad eos ut se ad Regem deferrēt, cui nonnulla, ut eadem die ciuitates acciperet, locuturus erat. Ante igitur quam ad Regem duceretur, ut primū illum vidit quidam grandæuis miles Hispalensis, expoliari eum & perquiri fecit, repertoque gladio ad Regem ductus est, a quo Rex discursum deliberatæ proditiōis intellexit. Cum itaque grauius suppliciiis plebs cuncti clamarent, Alfonso singulari humanitate fretus illum incolumem Regi Bellamarini in Africa constituto transmisit præmiandum, veluti qui salutem patriæ vitæ suæ præposuit. Rex vero Sarracenorum qui (ut creditur) rei inscius erat, crudelissima eum morte affecit. Egregium certe facinus, si a catholico esset principe gestum. Imitatus est hic Sarracenorum Rex Magnum Alexandrum, apud quem, ut Quintus Curtius ait, cum vnus ex Darii familiaribus qui eundem Darium prodiderat, quippe & interfecerat, duceretur, illum fratri Darii cruci adum tradidit. dicebat enim Alexander falli eos qui proditiōis ab eo præmium expectarent: immo violatæ fidei neminem acriorem fore vltorē quam se ipsum. Sed illius Sarraceni qui se vltro morti obtulit, nescio cur saltem mentē liberandę patrię non magis commendem, quam Iuliani Christiani perfidissimi, qui tempore Roderici Regis vltimi Gothorum patriam prodidit. Ille enim (ut ait ex Valerio Augustinus de ciuitate Dei) velut alter Paulus Decius cum videret Remp. Rom. pene prostratam, caput suum pro eius salute deuouit, & in medio hostiū sibi

mortem petens comparuit. Iulianus vero ut alter Sylla qui aduersus patriam ita gladium strinxit, ut tantum suorum sanguinem oculis viderit, quantum nefas est audire. Sed certe utrumque pulchre, sed impari laude, Cicero primo de Offic. tangere videtur. Omnem (inquit) caritatem superat ad patriam amor, pro qua quis bonus vir mortem non dubitat appetere, si patriæ mors sua est profutura: sicut nulla detestabilior inhumanitas quam eorum qui lacerauerunt cum scelere patriam, & in ea funditus delenda occupati sunt.

Qualiter Alfonso undecimus predictus obsedit famosum oppidum & castrum de Gibraltar, & de peste superuenienti in eius castris, & de singulari perseverantia in obsidione, in qua tandem obiit peste, relicto Petro filio regni successore, & de lamentabilibus, sed memorabilibus verbis Alfonso ad suos tempore mortis prolatus, ac de aliis prudentissimis sententiis & futuris vaticiniis cuiusdam Græci sapientis ad Petrum cum summa libertate habitis. Caput XIII.

Sed iam ad Alfonso redire libet. Porro hic gloriosus princeps commemorans quod famosum oppidum de Gibraltar suo tempore in deditionem Sarraceno-
rum deuenerat, quidem culpa, verius prodicione sceleratissima cuiusdam Vasci
Petri de Neyra eiusdem oppidi custodis, qui castrum prædictum Sarracenis affi-
gnauit, & in Africam ignominiose & infeliciter transierat: decreuit Rex ipse Al-
fonso cum vniuersis copiis suis obsidionem ponere dicto oppido. Verum post
septem menses tam valida pestis in castris defæuit, ut non dixerim die integra, sed
vix peste percussus horam finiebat. adeo enim torus exercitus afflictus erat, ut aut
ægris compateretur, aut suspiraret mortuis: veluti de simili peste Orosius refert
sub Fabio Maximo & Quinto Decio consulibus Romæ accidisse. Quare cuncti
magnates & milites consulebant Regi, ut ab obsidione pro tunc discederet. Rex
vero constantissime renuit, & velut alter fortissimus Machabæus ait, Si appropin-
quat tempus nostrum, moriamur in virtute propter nomen domini, melius est
enim nos mori quam videre mala gentis nostræ & sanctorum. Subdebat rursus
Alfonso ipse, viros magnanimos timore mortis non debere ab obsidione cceptif-
que rebus discedere, præsertim victualibus Sarracenis deficientibus. non enim
æquo animo audiebat discessum ab obsidione, pro eo quod infortunio suo attri-
buebat, eius tempore castrum illud ad manus venisse Maurorum. Tandem indies
inualecente peste, ipse constantissimus Rex glandula pestifera percussus est. Ad
eum igitur iam in agonia constitutum magnates ac sibi dilecti accesserunt, & ut fie-
ri solet, lacrymosis oculis dicebant, Cui nos commendatos relinquis? quasi dice-
rent, si filio tuo Petro nos commēdas, gladio nos committis. Ille vero sensum ver-
borum intelligens, Deo, inquit, summo Regi vos committo. Rursus cum illi subii-
cerent, Cui denique committis Petrum filium tuum? Ille ingemiscens, Vobis, inquit,
si bonus erit: sed id me pluris quam mors angit. Cum enim qualis futurus sit, non
ignorem, doleo acerbissime talem vobis relinquere hæredem & dominum, qui
meliozem vobis filium dimisisse optarem. Et tandem subdebat, Licet enim Adriani
Cæsaris sentētia fuerit, quia successorem nemo odit, ego fateor, Petrum ut filium
diligō, ut successorem non amo, nec ut Regem futurum lætor. Sed cum natura &
fors ipsa tulit, qualiscumque futurus sit, necesse video Rex vester sit. Ea de re vos o-
mnes ei committam, non quia bono, sed quia filio. Orate igitur Deum ut eius mo-
res in melius commutet, & sæuitiam in mansuetudinem vertat, quia (teste Salo-
mone) ipse est qui cor Regis dirigit, & quocumque voluerit vertat illud: ipse rursus
Regis Assueri crudelitatem in clementiam conuertit. Verum cum nonnulli con-
solandi, verius assentandi gratia ei dicerent, Noli, o Rex, contristari, quod hucus-
que Petrus dyscolus visus sit. Iuuentus quidem aliquid insolentiæ habere solet, sed
speramus, prouectior ætas, sed & probitas tua a qua degenerare sibi pudori erit,
ipsa denique regia dignitas mores mutabunt suos, nouumque & tibi similem eum
reddent. Sed utcumque sit, recordare, inquit, Philippi Alexandri patris sentētia,
quam

quam **Q**. Curtius commendat. nam etsi male de filio sentiret, moriens tamen ait,
minime se ægre mortem ferre, cum filium superstitem & Regem relinqueret. Qui-
bus Alfonso, Erratis, inquit, ille ut tyrannus & tyranni filius locutus est. tyrannidis
enim illa (ut aiunt) misera conditio est, ut auidius eam ad posteros relinquant, quã
ipsi iocundius exerceant aut deserere possint. Reges enim qui natura regnant, fi-
lios non tam Reges quam bonos relinquere peroptant. quid enim gloriæ, quid ho-
noris patribus accreuit ex Nerone, ex Caligulæ, ex Domitiani imperio, qui paren-
tum memoriam & laudes suis ipsi sceleribus perpetuo macularunt? Scriptum est
enim, Confusio & ignominia patris, impius filius. & iterum, Dolor patris indisci-
plinatus filius. Quibus dictis & ecclesiæ sacramentis deuote receptis se Deo com-
mittens, animam beatus efflauit. obiit autem die sancto Veneris quo Christus cru-
cem ascendit, anno eiusdem Saluatoris millesimo trecentesimo quinquagesimo.
Voluit enim Alfonso, licet cum suo periculo, Reip. Christianæ consulere, ut alter
Codrus de quo Valerius commemorat, cõtra quem cum Pelopõneses bellum ge-
rerent, Athenienses responsis acceperunt illos futuros victores quorum dux peri-
ret. quod Codrus audiens, scienter se hostibus iniecit, ut occideretur, malis mori
ut hostes vincerentur, quã viuere hostibus non superatis. Alfonso igitur vita fun-
cto, cuncti regnicolæ luxerunt eum planctu amarissimo, sed auxit mœrorem, quia
dissimilem filium suscepturi, immo passuri erant. Habent enim illius temporis an-
nalia, quendam sapientissimum Græcum eiusdem Alfonso consiliarium, visa exper-
taque ab eo Alfonso Regis & Petri filii morum disparitate, mortuo Alfonso publice
sed lacrymabili voce super funus dixisse: Desse (inquit) o misera Hesperia, tanto
principe, immo patre patriæ orbata, gemitus incessanter emitte. Vno enim eodẽque
tempore agnoscere cogeres, qualem amiseris principem, & qualẽ habeas, aut qualẽ
habere debueras. utrumque ergo inconsolabiliter deplora, impari tamẽ dolore. Pa-
trem inquam internis singultibus plange, quia talis est a te princeps ereptus, sed fi-
lium vehementius desse, quia talis est super te erectus. patris acerba merito tibi mors
fuit, sed filii vita acerbior. pater tuus fuit utilitati donatus, filius vero tuæ punitioni
prædestinatus. patris vita tibi fuit solatio, filii tædio erit atque supplicio. patris obitus
tibi fuit dolori, filii vero vita tibi erit mœrori. Sed forte quia patrem piissimum nõ
fatis coluisti, tam dyscolum atque sæuum filium pati meruisti. ut enim talem haberes pa-
trem, postulabat ordo suorum meritorum, sed ut talem filium patereris, exigebat culpa
subditorum. Sæpe enim ut sancti interpretes aiunt, pro meritis subiectorum depraua-
tur vita rectorum, quia scriptum est: Dabo eis Regem in furore meo. Sic & econtra, pro
meritis præsentium bene disponitur vita feruentium. Sed est quo paululum con-
soleris, si consolatio dici potest. non enim tu sola es quæ has bonorum & iniquorum
principum sustines vicissitudines. Sed nec est Petrus solus qui a præclaris parentibus
degenerat. Abraham siquidem Dei amicus plures pessimos filios habuit. David
quoque præter Salomonem iniquos filios genuit. Sed & ipse Salomon cui dono Dei
nemo in sapietia cõparatur, flagitiosissimum Roboam filium genuit. Taceo de gentili-
bus, ut de filio Scipionis Maioris, qui adeo dissimilis fuit patri, ut eum nõ imitans, sed
gloriã maculans, a militibus Antiochi Regis cõtra quẽ pater pugnavat, se capi per-
miserit. Sic & filius Fabii Maximi egit, qui tantæ fuit nequitia atque sæuitia, ut sena-
tus ipsum bonis & honore paterno priuaret, existimantes indignum quod honores
tã honorifice a patre quaesiti causam tantis vitiis in filio præberent. Ea igitur verba
cũ Petrus cognouisset, iratus ad eundem sapientem, Incipiam, inquit, in te veritatẽ quã
dixisti exequi. Quare gladio eum feriri iussit. Exoratus tamen Petrus, ne in ipsum
quasi in patris funus sæuiret, distulit dicens, Volo ut in tua vana sapietia mentiaris,
& do tibi veniã, qua cuncti agnoscant, quia longe insolentior atque imprudẽtior est
qui talia principi impune dicit, quã princeps ipse qui talia audit, & impunita relin-
quit. Ad quẽ Græcus sapiens intrepide ait, Optarem id ex virtute ageres, sed quia
omnis crudelis timidus est, in me ideo iniuste non sæuis, ne iuste in te populus sæ-
uiat. Vtinã mentitus essem in miseris subditis tuis, ut mihi vera dicenti tuã exerceres
nequitia. Sed proh dolor nõ est illis mentita iniquitas tua, & qui videbunt, annun-
cient. Tandẽ iniquitas tua finem dabit, quia scriptum est, Qui seminat iniquitatem,

metet eam. Et iterum, Iniquitates suæ capiunt impium. Quare in verticem tuum iniquitas tua descendet, atq; in memoriam redibit malitia tua, quia propheticum illud experieris, Et ecce crudelitatis tuæ ultor erit fraternus gladius: & iterum, Tradam impium in manum proximi sui, quia de te alius propheta ait, Propter crudelitatem tuam visitabit Deus regnum tuum, & dabit illud proximo tuo meliori te. Quibus dictis euauit a conspectu satellitum Regis, & transiit in Africã, vbi plurima (vt aiunt) vaticinatus est de futuris. Sunt qui asserunt ex illa hora Petrum tendisse insidias cunctis fratribus suis, quorum aliqui impias eius manus non effugerunt. Qua vero arte Petrus Rex tetauerit Græcum prædictum ad se reducere, & qualia responderit, infra sequenti capite habetur. Temporibus huius Alfonsi vndecimi, præfuit in sede Romana Iohannes vigesimus secundus, & successiue Benedictus duodecimus, & Clemens sextus Gallicus. Imperauit autem eo tempore Albertus Dux Austriæ, filius Rodulphi Regis Romanorum, qui apud oppidum Aquisgrani electus est. Hic misit solemnes oratores ad Bonifacium pro obtinenda confirmatione, quam idem Pontifex multis rationibus cõcedere renuit pro ea vice, dicens eum reum læsæ maiestatis. Tandem in odium Regis Franciæ eum confirmavit, subiiciens sibi quantum potuit, regnum Franciæ. Hic Albertus regnavit decem annis, tamen sine corona. Tandem occisus fuit a nepote filio fratris, anno domini millesimo trecentesimo octauo.

De Petro huius nominis primo, Rege Castella & Legionis XL. post irruptionem Hispaniæ, & de causis odiorum inter eum & Blancam Reginam eius consortem, & quomodo & per quem fuit maleficiatus, & de sinistra successibus huius rei, & an maleficio & arte magica odium vel amor induci possit. Cap. XIII.

PETRVS primus huius nominis, Alfonsi vndecimi prædicti filius, immediate ei successit in regnis anno Christi redemptoris natiuitatis M. C. C. C. Hic septuagesimus septimus Rex fuit ab Athanarico primo Rege post cladem Hispaniæ, & illius miseram irruptionem. Regnavit autem annis XI. qui longissimi regnicolis visi sunt. Huius Principis vitam, gesta, atq; vti nam egregia facinora, describere nonnulli, non tam (vt opinor) extollendi quam lacessendi desiderio. Nos vero nõ libenter hanc assumimus provinciam, verum cogit inceptus dicendi ordo, vt historiæ veritas respondeat, vt qualis quisq; fuerit, qualiaue egerit, talem & talia nudo, sed vero ac libero calamo describamus. Optarem quidem eiusdem Regis gesta tam clara foret atq; in signa, vt clariora nos atq; illustriora literis aut scriptis facere possemus: sed verum est, quia (vt aiunt) habet hoc cuiusq; principis obscura gesta, vt etsi excusari forsã aliquando possint, laudari tamẽ minime. Et quod non parum Regum ipsorum miseram conditionẽ ostendit, illud est, quia quantalibet illorũ sint clara facinora, perpauca tamen detestanda aut non felicia, peroptima ab eis gesta deturpent, vt verum sit, quia in paucis offendens factus sit omnium reus. Hic itaq; Petrus donis nature locuples satis fuit, statura procerus, vultu decorus, corporis viribus præpollens & robustus, plus quã Regẽ decet. Sed & quibusdã animi dotibus nõ caruit, si illis recte vti voluisset. fuit enim ingenio velox, astutus, & affabilis, in persuadendo promptus & dulcis, armis deniq; strenuus, in cõgrediendo primus, reb. bellicis tritus, superbos atq; inobediẽtes, raptores, viarũq; insidiatores miro modo persequebatur. Sed ea virtutũ dona præclara quidẽ eius generis sunt, vt ornatũ, non felicem principẽ reddant. Quibusdam enim capitalibus vitiis sorduit, nõ vtiq; a parentibus traductis, sed (vt aiunt) a sceleratis familiaribus inductis. In primis igitur Petrus imitari patrẽ nõ studuit. quinimmo nequiuit pater tantam gloriã acquirere, quantã filius scẽdauit. Duxit igitur Petrus vxorẽ Blancam filiam ducis Borbonii, quã paulo post nuptias apud Vallemoleti dimisit, licet de facto, & celerigressu pergit in Montaluam, vbi degebat Maria de Padilla sibi admodum dilecta concubina. Verum quia apud multos nõ satis notã sunt odiorum causæ inter Petrũ Regem & Blancã eius consortẽ, quæ repudio occasionẽ dedisse videntur, & a diuersis diuersa narrantur, decreuimus rem ipsam breui contexere, sequentes

sequentes historias non modo a scriptoribus Hispanis editas, sed ab exteris famosis historiographis descriptas: inter quos insignis historicus Ptolemæus de Luca rem ipsam luculento, sed lacrymabili stylo describit. Petrus igitur eodem Ptolemæo teste, Blancam Reginam a principio tenerrime dilexit, veluti quæ venustate corporis & morũ integritate pollebat, sed (vt aiunt) inimico humani generis procurante, implacabile odium Petrus contra Reginam innocentem conceperat, maleficiatus (vt creditur) industria Mariæ de Padilla, quam prius concubinam dilexerat. nam illa videns per Regem contemptui habitam, machinata est per tritos in arte magica Regem ipsum in Reginæ odium deducere. Quam rem per certa maleficia dæmonum quidam Iudæus se facturum obtulit, qui etiam singulari odio contra eandem Reginam conspirauerat, pro eo quod deuotissima catholica Regina effecerat apud Regem, ne Iudæi in Regis curia fauores, officia, & honores obtinerent: quinimmo apud eundem Regem pene concluderat omnes Iudæos a regno pellendos, vt in Francia actum erat. Modus autem inducendi odia & maleficia (vt aiunt) talis fuit. Donauerat Regina Petro pulcherrimam zonam auream, multis gemmis & preciosis lapillis ornatam, quam Petrus Reginæ amore sæpe deferebat. Maria vero de Padilla Reginæ æmula callide operata est, vt zona illa ad manus magici Iudæi aliquandiu perueniret. Quam tali maleficio affecit, vt dum quadam festiua die Rex illa præcingeretur, a cunctis intuentibus atq; a se ipso non zona aurea, sed quodam horribili serpente præcinctus videretur. Rex vero merito perterritus cum quæreret quidnam res illa esset, a nonnullis Reginæ æmulis & forsã factioni assentientibus responsum est, zonam Reginæ talem pulchritudinem peperisse. Ex qua hora Petrus infestissimam Reginam habuit, nec amplius illam videre, nec cum ea conuersari voluit, vt de eo verum sit quod de Ammon ad Tamar scriptura commemorat, quia maius erat odium quo eam oderat, amore quo ante eam dilexerat. Quinimmo adeo contra eam inflammatus Petrus extitit, vt processus in eam formare iuberet. Quæ res molestissima fuit plurimum & ingrata cunctis regni statibus, innocentem Reginã scientibus, præsertim Henrico & cæteris Petri fratribus, qui omnes conati sunt nedum Reginam defendere, sed efficere vt ad maritale consortium reduceretur: sed eo magis animus sui natura sæuus ad iram & ad vindictam prouocabatur. Quare nõ paucos prælatos & nobiles a regno fugauit, ac alios gladio percussit, totumq; regnum nobilium sanguine cruentauit ac implacabili dissidio conturbauit. Ea igitur ad Innocentii v. i. notitiam deducta legatum destinauit, videlicet Guillelmum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem, vt Regem ipsum cum Regina atq; regni magnatibus conciliaret. Legatus vero Regem inflexibilem reperiens, parum profecit. Regina vero mœstissima, quæ innocentiam suam ostendebat, neq; audiebatur, præ tristitia & mœrore paucis post dieb. vita functa est. Sic igitur in nostra misera Hispania verificatũ est illud Naum prophetæ vaticinium: Ecce corruet ciuitas propter fornicationem meretricis speciosa & gratæ, habentis maleficia, quæ vendit ad gētes & familias in maleficiis suis. & sequitur, Propterea dicit dominus exercituum, reuelabo pudenda tua, & ostendam regnis nuditatem tuam. quod ad literam calamitosa Hispania experta quippe & passa est. Nec id nouum est. vt enim diuinæ legis interpretum sententia est, peccatis hominum permittit Deus similia fieri. sæpe enim (vt ait Canon) per maleficos occulto, sed nunquam iusto iudicio, Deo permittente, & diabolo præparante, dæmones ipsos in humana corpora & illorum cogitationes potestatem exercere compertum est. Fit enim ipsa dæmonis potestate quædam in imaginatiua hominis fortis impressio, ex qua amor & concupiscentia viri ad vnam mulierẽ applicatur, & ab altera aufertur. Rursus dæmones operãdo extra nos & intra nos possunt facere, vt vna eademq; res sub vna figura, & demum sub alia videatur. Extra nos enim facile agit dæmon in aere materiam specularẽ. Constat itaq; ista specula sensibilia fieri posse talis dispositionis, vt res aliter resulgeant, & sub alia figura quam sint. Cum itaque dæmones in aere possint eandem materiam specularẽ formare secundum similem dispositionem quæ est in speculis, ostendentibus rem non secundum figuram quam habent:

per consequens poterit efficere, vt refulgeat res in materia speculari non secundū figuram quam habet. Prohibendo ergo per positionem alicuius obstaculi mihi in sensibus, quod lineæ a re visibili non veniāt ad oculum meum secundum rectum incessum, sed solum per reflexionem ab eadem natura speculari in aere facta, faciet vt res appareat mihi alterius figuræ quam sit. Hinc pulchre Augustinus libro decimo octauo de ciuitate Dei: Nemini dubium est arte dæmonum effici posse, vt videantur esse quæ non sunt, non quidem realiter commutando, sed phantasiā hominis alterando: quæ etiam cogitando per rerum innumerabilia signa variatur, & cum corpus non sit, tamen similes mira celeritate formas capit sopitis ac oppressis hominum sensibus: ad aliorum sensuum nescio quo ineffabili modo figuram corpoream posse produci. Hæc Augustinus. Sed & intra nos idipsum dæmones agere possunt, quoniam per inordinatum motum spirituum potest res apparere alterius formæ quam sit. Constat itaq; dæmones posse ipsos spiritus mouere inordinato motu & diuerso. quo fiet vt vna vice res appareat vnus figuræ, alia alterius. Zona igitur Petri eadem in substantia existente, dæmonis arte effici potuit, vt serpens videretur, quippe & moueretur. Verum quia (vt ait Sapiens) in infidiis suis capiuntur iniqui, referunt historiæ eundē Iudæum ac tanti sceleris complices paulo post iuste ab eodem Petro ob alias causas gladio fuisse cæsos. Itaq; inuenit aliquando Petrus iuste quos puniret iniustus. quid enim tam iustum, quam vt odio habeatur qui odia feminant? vt recte de iis propheta dicat: Consumuntur ab idolis quibus sacrificarunt. & iterum, Inueniatur iniquitas eius ad odium. & in Ezechiele scribitur, Qui oderit sanguinem innocentē, sanguis persequitur eum.

De prole Regis Petri, & de moribus & vitiis eius, & de plurimis scuitis quas in fratres, propinquos, & suos nobiles & regnicolas exercuit. Caput XV.

PETRUS ergo Rex de quo agimus, prudens satis & bellicosus admodum fuit, sed & in armis strenuus: & quod mirabile dictu est, in bellis ipsis plus quam expediebat, audebat, sed pacis tempore plus quam oportuit, timebat. quo effectum est, vt publicis & campestribus bellis magis quam ciuilibus eius potuit laudari fortuna, quam tandem deturpauit, posuitq; maculam in gloria sua. Petrus ergo expulsa (vt diximus) Regina Blanca concubinæ adhærens, aut natura ipsa, vel astrorum constellatione quæ eum ad sæuitiam impellebat, aut (vt diximus) maleficio prædicto infectus, vel potius peccatis populi exigentibus, quæ plerūq; agunt, vt diuina iustitia in prouincias peccatrices sæuiat, dicente scriptura per prophetam, Tradam eos in manu dominorum crudelium: & rursus, Dabo eis Regem in futuro meo: & iterum, Eriteis Rex Assur virga furoris mei: postquam regno præfuit, agere insolentius cæpit. Incredibiles enim cædes & crudelitates in fratres, consanguineos, & regnicolas exercuit, adeo vt post Neronem aut Caium Caligulam omnes sæuitia & crudelitate vicerit. Plurimis deniq; aliis vitiis (vt aiunt) resperfus fuit. Ferunt enim nonnulli sibi persuasum fuisse, gladio suorum debere occumbere. Quare Petrus ipse vt alter Herodes quem Titus Liuius commemorat, sic in vniuersos efferbuit, vt si aliquis superesset, suspectus sibi foret, nec putauit se tutum, nisi genus deficeret humanum: Domitianum pene imitatus, qui (teste Suetonio) sic gladii necem pertimescebat, vt non nisi occidendo tutus apud se putaretur, & quod erat omni timore timidius, speculum lapideum, illum quocunq; ibat, procedebat, vt a tergo per imagines conspiceret quid retro in eum tentaretur. Verum quia (vt sapientum est sententia) nunquam per scelera tutum est iter, quo magis incunctos Petrus sæuebat, eo magis omnes timebat. Vt inquit Philosophus, cum timor quædam sit tristitia ex phantasia futuri mali, qui in alios sæuit, futurum est eos timeat quos lædit. Hinc noster Seneca, Neceffe, inquit, est multos timeat, quem multi timent. Adde quia scriptura teste, ob scelera & flagitia mortales viribus corporis & mentis debilitantur, quia scriptum est: Peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Nec aliter Petrus Rex licet viribus corporis alias robustus, fortis, ac stre-

ac strenuus extitisset, sceleribus tamen suis animo debilis, & sibi ipsi pauidus effectus est, quia teste scriptura, pauidus iis qui operantur malum. Tandem igitur ab ipsa sua sæuitia victus est. Nam scriptura sacra testante, sicut clementia roboratur thronus Regis, sic crudelitate deprimitur. Hinc Seneca, Errat si quis existimat tutum esse Regem, vbi nullus est tutus a Rege. Hic itaq; primo cum regnare incepit, apud Burgensem ciuitatem quendam nobilem Baronem dictum Garfiam Iasso dela Vega ac quosdam honorandos ciues vana quadam suspicione impie occidi iussit, deinde Hispalim adueniens, omni pietate nudatus, vt alter Nero, qui Britannicum fratrem interemit, & alter Bassianus cognomine Caracalla, qui fratrem Getam regno & vita priuauit. Sed verum est quod Sapiens ait, quia vir crudelis propinquos abiicit. Deniq; Petrus impie imitatus est Pharaatem Regem Parthorum, qui præter patricidia in patrem simul & in filium admissa, triginta insuper proprios fratres trucidasse legitur, non veritus tanto ac tali sanguine regnū male partum stabilire. Sic Petrus Rex gladio feriri iussit Fredericum magistrum sancti Iacobi, & Iohannem, atq; Didacum, eius fratres impuberes, nullius doli aut culpæ conscios. Nec his contentus sæuitiis apud Bilbao oppidum Vizcayæ Infantem Iohannem de Aragonia fratrem eius consanguineum occidi iussit, ne illi dominium principatus Vizcayæ assignaret. eidem siquidem Iohanni principatus ipse optimo iure debebatur, veluti qui contraxerat cum Iohanna de Lara, filia Iohannis Nunii de Lara domini Vizcayæ. Rursus iussit interfici Alfonso Fernandi Coronel, eiusdem Regis timore in castro de Aguilar rebellantem, & nobiles viros Martinum Egidii, filium Iohannis Alfonso de Alburquerque: & demum Petrum Aluari de Osorio apud oppidum de Villanubla fecit iniuste interimi. Nec his sæuitiis placatus, inclytas Reginas Aragoniæ materteram suam, & dominam Blancam eiusdem Petri vxorem, quam in arce Xericii captiuam tenebat, deniq; Elisabet & Iohannam de Lara sorores eius consanguineas, ad quas prouincia Vizcayæ ex paterna successione spectabat, vita pariter & principatu priuauit, omnesque gladio iussit occumbere. Quo euenit, vt inclytam & nobilem familiam Comitum de Lara penitus extingueret. Quæ utique domus antiqua fuit in Hispania, in qua claruerant Gundifalvus Gultius, & Mudarra Gundifalvi eius filius, & plurimi excellentes viri, & durauit vsq; ad tempus huius Regis Petri, qui has duas nobiles fœminas solum ex ea familia superstites iussit occidi. Cessauit itaque, verius expirauit eadem domus Comitum de Lara, saltem quoad dominium & titulum. Nam prædictæ nobiles mulieres fuerunt filiæ Iohannis Nunii de Lara domini Vizcayæ: licet nobilis domus moderna de Manriquez ex prædicta stirpe descendunt. trahunt enim originem a nobili Comite Manrique de Lara domini de Molina: & ea de re Caldaria ferunt in armis & insignibus suis. Rursus vt ad Petri sæuitias redeamus, occidit apud oppidum de Alfaro nobilem Guterrium Fernandi de Toletto, fugauitq; dominum Vascum de Toletto archiepiscopum fratrem suum, cuius bona occupans, tandem apud Portugalam exulem mori fecit. Plurimos deniq; alios magnates nobiles & ciues perimi iniuste fecit, adeo vt omnibus Hispanis timori esset atq; tremori. Nam Rex Granatæ ei tributarius erat atq; vassallus, ad illiusq; curias vocatus accedebat. Dum hæc agerentur, Rex Petrus qui nunquam iniuriæ obliuisceretur, memor illorum verborum quæ Græcus sapiens tempore obitus Alfonso patris ei libere dixerat, vt sub eodem Alfonso supra retulimus, per nuncios rogauit Regem Tunicii & Fez, quatenus eundem sapientem patris sui consiliarium sibiq; acceptū secure transmitteret, quem honorare pollebatur. Idem etiam sapienti prædicto significauit. Ille vero maistro fretus libertate, illud Solonis sapientissimi respondisse fertur, qui, vt ait Laertius de vita Philosophorum, cum plurimum honoraretur a quodam tyranno, vt secum maneret, Solon vero migrare in aliam ciuitatem decreuisset: interrogatus a pluribus, cur cum Rege habitare nollet a quo tantum honoris sibi offerebatur, ille inquit, Sapientes ac virtute præditi apud tyrannos necesse est dediscant philosophiam, quæ vbiq; veritatem defendere iubet. Demum vero quantalibet sapientia vigeant qui tyranno obsequuntur, similes tamen sunt calculis computatorum, quorum vnus-

quifq; quandoq; plura, quandoq; pauciora designat. Sic tyranni quandoq; magnū & clarum virum honorant, quandoq; autem sublimant indignos honore, sed paulo post vtrumq; sine distinctione meritorum in burfa recludit, nonnunquam mittit ad ignem.

De detestanda cade Regis Granata iussu Regis Petri facta, & de aliis homicidiis nobilium & ciuium apud Toletum factis, & de irreuerentia eius ad matrem. Caput XVI.

PETRO itaq; Rege regnante, cum intestina dissensio & implacabilis discordia esset in regno Granatæ, quibusdam Sarracenis fauentibus Regi dicto Mahomato, aliis opitulantibus Regi dicto Rubeo, vassallo & fœderato eiusdē Petri: hic Rex Rubeus ad Regem Petrum Hispali commorantem confidenter accessit, primo quidem veniā de commissis, si aliquando offendisset, deinde contra hostē suū auxilia petiturus. Petrus vero sœuitiæ auaritiæ rapacitatem addens, putansq; eundē Regem Rubeum magnos attulisse thesauros, de nece eius inique cogitat, sed iniquius necat, iussitq; eum turpiter capi, ac cuncta sua confiscari: & vt maiori opprobrio esset, illum super asinum per urbem deportari fecit, præcone acclamante, eum proditiōis causa occidi iussum. Vt igitur Rex ipse Petrus maiorem ei honorem afferret, decreuit eius esse lictorem, cuius decuerat esse defensorem. Arrepta itaq; lancea corpus Regis Rubei perforauit. Ille vero Arabica lingua, sed profusa altaq; voce, Funestum, inquit, triumphū & turpem victoriam hac die explesti, o Petre, dum sanguinis & auri mei sitibundus, armatus inermem ad te confugientem occidis. Quæ vna turpis cædes vltra cætera Petri Regis scelera funestissima ei ignominiam attulit, dum crudelitati auri cupidinem addidit, imitatus illum omnium mortalium pecuniæ auarissimum Septimuleium, quem Maximus Valerius commemorat. Is cum Gracchi amicitia fœdere foret coniunctus, audiens Opimium sic dictum consulem spondidisse tantum se auri soluturum, quantum Gracchi caput ponderasset, si ei a corpore abscissum offerretur: Septimuleius luctorum indagator, nouorum maleficiorum inuentor, caput Gracchi abscidit, liquatoq; plumbo cauatam partem capitis, vt ponderosior esset, impleuit, atq; per urbem pilo fixum consuli Opimio obtulit. Quid igitur Petrus turpius aut cogitare aut agere poterat, quam eum occidere qui in eum tutissimum refugium posuerat, & se illi tutandum præbuit, ne ab aliis læderetur. Parum certe imitatus est Augustum Cæsarem. Ad quem cum Herodes Rex ab eo victus supplex venisset, seq; ei cum summa fiducia commisisset, atq; coram eo coronam deposuisset dicens, Ad te venio, Auguste, spe salutis de tua virtute præsumens: ad eum Cæsar, Immo saluus esto, & nunc omni timore deposito, regnato certius. volo enim tuum augere, non auferre regnum, cum tu nostram amicitiam tanti fecisti, vt et si nos aliquando offendisti, de nobis & virtute nostra consideris. Sunt tamen qui aiunt, Regem Petrū pro sceleris sui defensione dicere solitum, Regem ipsum Rubeum fidem illi fefellisse, quia præsidia non misisset, cum Petrus bellū gereret contra Regem Aragonū. Nec solū Petrus ipse Regē Granatæ prædictū auaritiæ causa interemit, sed plurimos alios, præsertim dominā Blancam de Villena, quā vt in dominiis eius succederet, secuti percussit. Rursus quendā ditissimum Iudæum appellatū Samuelem Leui, sibi dilectū Almoxarifum ac thesaurariū, gladio feriri iussit, a quo (vt aiunt historici) sexcenta millia duplarū auri extorsit. Itaq; crudelitas quæ altera ex trib. causis hominibus inesse solet, odio videlicet, ita, aut cupiditate, in Petro omnes simul causæ occurrerūt, & odio, iræ, ac timori auaritiā superaddidit, quia (vt ait Ouidius) auaritia ferro & sanguine aurū querit. Sed nec omittendū est aliud non inferius huius Petri facinus. Cum enim prædictus Henricus frater eius ante incepta inter eos intestina bella, baronum, magnatum, ac omnium statuum regni consilio, apud Toletum eundem Petrum Regem moneret, vt dominam Blancam vxorem suam ad se reduceret, & Mariam de Padilla concubinam pelleret: idem Petrus falsa suspicione arbitrans quosdam honorabiles Toleti ciues seditionis in eum conscios, illos publice

publice occidi impie iussit, pro eo quod amicitia coniuncti erant baronibus quæ eundem Petrum, vt concubinam pelleret, monuerunt. Nec aliter scriptura sacra Saulem egisse commemorat, qui cum in Dauid sequere optaret, falso suspicatus est Dauid & filium Ionathan in illius mortem conspirasse. Tandem inter eos quos Petrus ea die neci dedit, aurifabrum quendam probum & antiquum virum iugulandum decreuit, cuius filius pietate naturali motus Regi Petro supplicauit, ne patrem innocentem occideret, aut eundem filium loco patris morti substitueret. Petrus vero, vt erat totus sœuus iraq; repletus, iussit patrē liberari, & filium in fontem interfici. Quæ res non parum addidit sceleribus huius principis, a cunctisq; funesta iudicata est, fecissetq; longe consultius vtrumq; liberare quam ambos innocentes damnare. Longe certe aliter Senatus Romanus effecisse fertur, qui Gracchum & Claudium consocios ad se delatos absoluit, pro eo quod Gracchus licet absoluendus foret, eandem pœnā iurauit se subiturum quam Claudius. Tanta igitur fidelitate perspecta digne vterq; liberatus est. Nec in hoc quieuit huius Petri Regis crudelitas. Nam cum domina Maria eius mater metu illius in oppido de Tauro se recepisset, Petrus Rex eam obsedit. Tandem illa descendens de arce pietati filii se commisit. Nonnulli vero magnates qui cum ea erant, putantes se tutos fore, si matrem comitarentur, simul cum ea ad Regem venerunt. Petrus vero deposita omni ad matrem reuerentia, & in eius conspectu iussit occidi nobiles viros, videlicet Petrum Stephani magistrum de Calatraua, & Rodericum Gundisalui de Castaneda, & Alfonso Tellez Giron, & Martinum, & Alfonso Tello. Regina tantam crudelitatem conspiciens attonita quasi mortua cecidit, & perterrita tristis & mœsta parum vixit.

Quomodo Henricus & alii fratres Regis Petri fugientes eius sœuitiam, Regem Aragonum petierunt, & de bellis inter eos habitis, & qualiter Henricus regium titulum assumpsit. Caput XVII.

CLAMABAT ad superos tanta hominis sœuitia, adeo vt sicut scriptura commemorat, ad cælos pertingeret tanta crudelitas: & quia scriptum est, Crudelis propinquos abiicit, suscitauit Deus cōtra eum propinquos ipsos. Nam & vota populi hoc petebant, vt ab ipsis propinquis & iis quos læserat, ipse abiiceretur, dicente Sapiente: Angelus mittitur contra eum. Henricus igitur & Telius ac Santius eius fratres, & Infans Fernandus Marchio de Tortosa frater consanguineus eiusdem Petri, conspicientes quia (vt in libro Hester legitur) ferendus non est qui pietatem humanam sua crudelitate commaculat, decreuerunt vitæ eorum consuleri, & tantæ sœuitiæ resistere. Illi ergo & nonnulli maiores regni ex propinquorum mortibus plurimum vlcerati, ad Regem Aragonum confugerunt. Qua ex causa graue admodum bellum inter eundem Petrum Regem Castellæ & Petrum Regem Aragonum subortum est, fueruntq; acerrimæ clades vbiq; secutæ. Sed Petrus Rex Castellæ grauiora damna regno Aragoniæ intulit. Nam prædictum regnum personaliter ingressus gladio & igne cuncta consumpsit, ciuitatem Valentiaæ obsedit, vineis & arboribus deuastatis, ac viridariis & solatiois vndiq; domibus disruptis. Eandem urbem adeo arctauit, vt in suam deditionem perduxisset, nisi miraculose (vt aiunt) inopinatus succursus aduenisset, plurimiq; ex suis vt ab obsidione discederet, non suassissent. Tandem inde ad alia loca se conuertens, Tyrafonam cepit, quam Gundisaluo de Luzio commisit. Is vero non modo imprudenter, sed infideliter agens, vt cuiusdam domicellæ cæduca temporalique pulchritudine potiretur, perpetuam indelebilemque turpitudinem & ignominiam incurrit. Nam eandem Tyrafonensem ciuitatem & arcem Regi Aragonum tradidit, eo pacto vt illi daret vxorem eandem pulchram domicellam, filiam Ximeni de Vrea, cum dote x l. millium florenorum. Cepit denique Rex Petrus plura alia castra & oppida in Aragonia. Tandem Innocentius vi. Papa legatum misit ad Hispanias pro componenda inter eos pace, videlicet dominum Guillelmum de Bononia Cardinalem. Is vero cum inter vtrumque Regem de pace ageret,

adiit Petrum Regem Castellæ, qui post multa dixit a bello velle cessare, si Rex Aragoniæ iugularet quendam Frances Empellores, qui certas contumelias eidem Regi Petro dixerat. Petebaturus ut ab Aragonia pelleret præfectos Marchionem de Tortosa, & Henricum, Telium, & Santium fratres eius, & ceteros eius vassallos qui ad eum cõfugerant, & restitueret oppidum de Oriuela & nonnulla alia castra ad regnũ Castellæ spectantia. Quæ omnia legatus prædictus Regi Aragonum exposuit. Sed ille quibusdam annuit, videlicet quia expelleret solũ a regno Comites fratres Petri Regis Castellæ & ceteros eius vassallos, si debita eis stipendia persoluerentur. Quæ cum Petrus Castellæ intellexit, ira commotus celeri iudicio Comites fratres eius & ceteros nobiles in Aragonia degentes condemnauit, bona cõfiscavit. In qua re plurimum sibi nocuit, quia spem redeundi quam ante sententiã habuerant, post latũ iudicium amiserunt, creuitq; acerbius odium & acrius bellum. Rupto igitur omni tractatu pacis, Rex Aragonum, & Henricus, & Comites ac ceteri magnates partes eorum fouentes, inito consilio ex Galliis quasdam vagantes gentes quas societas siue companias appellant, quantocius euocarunt. Quibus aliisq; copiis aduentantibus regnum Castellæ forti manu ingrediuntur, & Calagurram occupantes, Henricum in Regem sublimarunt. Cognito igitur per Petrum Castellæ Regem, quod frater regium titulum assumpsisset, a ciuitate Burgensi in qua tunc moram trahebat, animo prostratus in Vandaliã, deinde in Galliciam se recepit. Et quia (vt sapiens ait) viscera impiorum semper crudelia cogitat, cum esset apud Compostellam, venerandus pater Suerus Archiepiscopus Compostellanus Petro præsentem, nec prohibente, impie occisus est.

Quomodo Rex Petrus & princeps de Gales cum copiis Anglicorum pugnaverunt cum Henrico, qui tunc victus ex Francia gentes colligens Petrum insequitur, & tandem eum occidit, & de aliis dignis rebus pro tunc occurrentibus. Caput XVIII.

REBUS igitur sic fluctuantibus, Rex Petrus ad Baionam urbẽ in Vasconia, tunc dominio Angliæ subditam, se cõtulit, quæ siturus ab Anglicis auxilia. Illico igitur applicuit princeps de Gales primogenitus Regis Angliæ, magnis copiis munitus, Regi Petro præsidia allaturus, cuius potentiam non parum verebantur barones Henrico fauentes. Sed fertur Henricum forti animo eos ad bellum confortasse, dixisseq; verbum quod Rex Agis ad Lacedæmonios retulisse Polybius asserit. Cum enim apud Mantineam contra plures hostes pugnaturus esset, ait eum qui multis vult dominari, opus esse vt cum multis quoq; pugnaret. Itaq; Henricus barones suos bono animo esse rogauit, asserens futurũ esse vt plus laboris in illis spoliandis quam vincendis habituri erant. Nihilominus sefellit eum opinio sua. Nam contra hostes Henricus Rex potenti & armata manu profiliit, bellumque acerrimum commissum est, & tandem Henricus Comitis Telii fratris sui culpa atque ignauia pugnare nolentis victus est, plurimis captiuatis, præcipue Eneco Lupi de Horosco, quem in vinculis trusum, vt creditur, Regis Petri iussu quidam miles Anglicus indigne, immo turpiter interemit. Sic igitur prostratus quippe & fugatus Henricus Franciam petit. Collectis igitur pluribus gentibus sibi a Rege Franciæ concessis, regnum Castellæ potenter ingreditur, cui magna Hispanorum manus occurrit. Tandem non paruam Hispaniæ partem occupat, Tolerumque obsedit. Cumque Henricus intelligeret Regem Petrum in oppido de Montiel moram trahere, illum valda manu insequitur, & conferto prælio Petrus victus est, magna vtrinque strage secuta. Petrus itaque fugatus in arcem oppidi se recepit: Henricus vero castrum murari vndique fecit. Petrus tandem iniquam conditionem sortitum intelligens, petiit colloquium cum Henrico fratre. Verum (vt quidã aiunt) obfides postulabat, quia longe pluribus nobilibus Henricus comitatus erat. Ad quem Henricus dici iussit: Dicite crudeli tyranno, quia ipse effecit, vt & ipse solus esset, & ego bene & fideliter sociatus: imitatus Titum Quintium consulem Romanũ aduersus Philippum Macedoniæ Regem missum. Nam cum idem Philippus

lippus consulem alloqui optasset, nec ausus esset, quia vt dicebat, cum multis Romanis erat, Philippus vero solus erat Macedonibus: tunc respondit Quintius, Tu (inquit) solum te fecisti, quoniam fratres, cognatos, & amicos occidisti. Quare dignum est, vt solus maneat, quia solus in orbe esse voluisti. Cum vero quadam incerta nocte Petrus ad tentoria Beltrandi de clarequin Comesabilis Franciæ clam aduenisset, qui (vt aiunt) verbũ de Petro liberando dederat, Henricus inscius eius securitatis, sed conscius Petrum ibi adesse, paucis comitatus sine mora tentorium Beltrandi solus ingreditur, eundemque Petrum regẽ aggreditur, & tandem pugione confodit. Alii tamẽ referunt vtrumque Beltrandi calliditate & studio actum esse, qui & Petro sictam tribuit securitatem, & Henricum vt fratrem simul & hostem cederet, euocauit. Nec desunt alii asserentes intra arcem Petrum ab Henrico eodem Beltrando conscio fuisse occisum, simul & quorũdam suorum factione. Aiunt historici quendam sapientem Afrum apud eum gratia legationis manentem, eo iam mortuo dixisse: Si Petrus Rex fidis ei hominibus, quibus se quasi fidetissimis & prudentissimis dederat, aut carere potuisset, aut probatis vti licuisset, indubie nedum immunis a periculo, sed victor euassisset. Vt cunq; sit, libuit diuinẽ iustitiã, vt tali morte, sed & a propinquo occuberet, qui nec propinquis pepercit, nec alienis: decebatque vt tam multi de eius vnus nece lætarentur, quam plures de plurimorum propinquorum mortibus doluerunt, quia (vt sapiens ait) qui feminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ consummabitur. Et Augustinus de vita Christiana, qui sanguinem innoxium effuderunt, ita Dei iudicium sentire, vt ipsi postmodum sanguinem fundere cogerentur suum, qui fundebant libenter alienum. Impleta est igitur in eo illa domini sententia, quia qui gladio percutit, gladio peribit. Super quo verbo Cyprianus: Excusatio nulla est, si secundum tuam sententiam iudicaris, & quod feceris, ipse patiaris. Hinc noster Seneca: Mala exempla in caput semper perpetrantium redierunt, quia iustum est, vt quod quis alieno excogitauit supplicio, sæpe excipiat suo. Et Ouidius: ---Nec est lex æquior vlla, quam necis artifices arte perire sua.

A fratre igitur occiditur qui fratres occidit, velut in Thebano bello cõtiguit, in quo frater fratrem per insidias interfecit. Quare regnum Macedoniæ & Persarum ob nimiam occidentis crudelitatem, illi simul cum vita ablatum est. Nec aliter egerunt Caius & Domitianus, Commodus & Heliogabalus imperatores Romani, qui propter cruentam sæuitiam ferro ipsi perierunt. Sic & Sylla dictator, qui in crudelitate felix appellari voluit, sed illico amissa imperandi potestate, celeri insuetoque morbo decessit. Sed vti nam hic Petrus Rex solus tam sæui fratricidii poenã luisse. Sed non parum timendum est, ne velut in altero Caim fratrem Abel occidente, in septuplum puniatur, id est, vsque ad septimam generationem successorum puniatio extendatur, Deo sic disponẽte, qui peccata prædecessorum punit in futuras generationes. Ait enim in Leuitico: Addam punitiones vestras in septuplum propter peccata vestra. Ferunt aliqui ad Petrum ipsum sic vulneribus confossum & in extremis laborantem accessisse quendam bufonem, aut histriõnem, eidem Petro familiarissimum, qui non tam miserans quam vindicans, nec tam mœstus quã lætus, ait ad illum, o Petre, velim memor sis verborũ quæ tibi sæpe ioco dicebam, quoniam necesse est vt a lupis occidatur, qui lupos occidit. Nec hac derisione contentus, iterum ait, Crede Petre, qui sic vixit, vt tu, non potuit aliter mori quam vt tu, & qui sanguine tuo non pepercisti, a sanguine tuo occubuisti, sæuior Domitiano, crudelior Nerone, irrecõciliabilis amicis, incredulus familiaribus, cunctis iniq;us, tibi iniq;ior. Sicut ergo fecisti, sic pateris. dignum enim est, vt qui omnes occidit, omnes eius morte lætentur, & qui in omnem sexum desauit, vterque sexus de eius cæde congaudeat. Cui Petrus quasi exanimis, Si aliis, inquit, sui læuus, tibi tamen benignus, qui incestu simul & homicidio te liberaui. Sed verum ais, me iniuste mori, qui te iniuste viuere feci. patior item, quia in eo te amaui, in quo nequissimus es. vestiuu sæpe preciosis indumentis nequitiam tuam. morior denique, quia non naturæ donauit, sed tuæ arti nequissimæ. Nam fateor, si homo tantum esses, & histrio adulatorius non fuisses, non tibi donassem. Morior rursus, quia honorauit

in te vitium, non naturam. Vtinam hic princeps tam recta in vita egisset, quam vera in morte referebat. Sed mortis doloribus pressus sapienter loquitur, qui in vitæ gaudiis delectatus imprudenter operatus est. O infelix princeps ille! perpendebat satis quod tolerabat, intelligebat quod amiserat, sed sera fuit eius cognitio. Vtinam memor dum viueret fuisset, quia misericordia & veritas custodiunt regem, & vt noster Seneca ait, in quamcūque domum ingressa fuerit clementia, eam tranquillum felicemque præstabit. Sed in regia domo quo rarior, eo securior atque nobilior. Sed vt paucis agamus, illud poeticum semper verum fuit, quia

Instabile est regnum quo non clementia regnat.

Sicigitur ea Petri acerrima morte finitum est illud acerrimum bellum, & Henricus in Regem a cunctis populis gratanter & cum omnium regnicolarum applausu assumitur. A nonnullis asseritur Petrum perpendisse quendam sibi familiarissimum insidias parare: quare multis audientibus dixisse fertur, Nihil est cur mori non debeam, si a me ipso caueri me oportet: vt alter Dion tyrannus, qui cum a Dionysio sibi fidissimo insidias parari intellexisset, ait, mori longe præstantius fore quam viuere, vbi non hostes solum, sed etiam amicos atque coniunctos cauere oportet. Tempore huius Petri Regis Castellæ ciuitas nostra de Algezira ab Arabibus penitus destructa & desolata est. Huius Petri primi temporibus præfuit Romæ papa Urbanus v. Lombardus. Imperabat autem primo Henricus Comes de Luzéburg, strenuus & fortis, qui electus fuit statim Alberto occiso. Qui Henricus parum in imperio vixit. Nam rediens ab vrbe, vbi de speciali commissione Clementis v. a tribus Cardinalibus coronam receperat, in Tuscia apud bonum conuentum obiit, anno domini m. ccc. xii. Eo igitur mortuo Electores in discordia duos eligunt. Nam aliqui eligunt Fredericum ducem Austriæ, filium Alberti Regis prædicti, alii vero Ludouicum ducem Bauariæ. Inter quos grauissima fuit contentio. Tandem in quodam bello Fredericus captus est, & Ludouicus ius imperii usurpauit. Dum hæc agerentur, Papa Iohannes xxi. processum formam contra Ludouicum, quia confirmationem petere contempsit, declarans electionem nullam. Ipse tamen Ludouicus quorundam potētum Italiz fauore urbem ingreditur, & a præfecto urbis susceptus est. Tandem pessimo ductus consilio, Iohanne Papa viuento, de facto eligi fecit quendam fratrem Petrum de Corbario in Papam. Post obitum vero Iohannis xxi. & Benedicti duodecimi Clemens sextus eligitur, qui eundem Ludouicum iterum reprobauit & damnauit, præcepitque Electoribus vt eligant, qui Carolum primogenitum Regis Bohemiæ concorditer elegerunt, & Romæ coronatus est.

De Henrico II. Castelle rege & Legionis XLI. post cladem Hispania. & de calamitatibus quas passus est post interfectionem fratris, & qualiter prædicta fratricidia Petri & sua in eis & eorum posteritate punita creduntur. Cap. XIX.

HENRICVS huius nominis ii. interfecto ab eo rege Petro fratre suo, illico a maioribus & a toto fere Hispaniæ populo Rex cum summo gaudio est assumptus pariter & receptus. Fuit autem ab Athanarico primo Rege Gotthorum septuagesimus octauus, & a Pelagio primo Rege post cladē quadragesimus primus. Cœpit autem regnare anno domini m. ccc. lxx. & annis octo regnauit, nō computatis duobus quibus cum fratre simul & discordia præfuit. Nobiles autem aliqui partiales regis Petri, qui eius mortis tempore aberant, propter fidem eidem Regi Petro præstitam Henrico non obedierunt: quinimo Hispanias deserentes, maluerunt (vt dicebant) non modo patriam, sed vitam, quā fidem deserere. Quosdam tamen ex eis Henricus captiuauit, quibus plurima donaria conferebat, si ei obedirent. Illi tamen potius in carceribus mori, quam Henrico subesse præelegerunt. Barones & magnates ei obediētes magnis dominiis donauit, eosque plurimum sublimauit, & ex illo turbulento tempore nobiles & Barones Hispaniæ longe quam ante ditiores & potentiores effecti sunt, non sine regiæ coronæ diminutione. Fertur quosdam Barones paulo ante Petro adhaerentes, Henrico potius metu quam

quam affectu obsequentes, ei sæpe exprobrasse, quod eum in Regem recepissent. Ad quos ille ait, vtilius eis fore talem obtinere Regem, quam ei tales habere subditos. Nec aliter Paulum Fuluium impari casu respondisse legimus, qui cum a Romanis, aut temporis necessitate, aut ob eius ingentes virtutes, Consul multis inuitis electus esset, ait Senatui se gratias non habere, quoniam nō ideo electus fuisset Imperator, vt ei imperio opus esset, quin potius illis tali imperatore. Obtinuit igitur Henricus pacifice omnia regna fratris. Hic Henricus duxit vxorem Iohannam filiam Infantis Iohannis Emanuel, quæ ex materna linea proneptis fuit Infantis Fernandi primogeniti Alfonso decimi, qui viuento patre decesserat: ex qua genuit Iohannem primum qui post eum regnauit. Rursus etiam genuit dominā Leonoram, quæ fuit Regina Nauarræ. Cætera gesta & clariora facinora huius Regis Henrici tacta sunt sub Petro fratre eius, & aliquid dicitur sub Iohanne primo, filio huius Henrici. Obiit autem Henricus apud sanctum Dominicum de la Calzada Calagurritana die octid. Hic Henricus post interfectionem fratris, in se & filiis non paruas calamitates perpeffus est, quas vtinam regia posteritas & totius regni communitas non sensissent. Nam vt cætera taceamus, nō diu, nec pacifice regnauit, quinimo bella grauissima cum Portugalensibus, demum cum Anglicis surrexerunt, quæ Iohannem Henrici filium & regnum acerbissime afflixerunt, vt statim dicemus. Clamabat enim ad cælum tanta vtriusque fraterni sanguinis cruenta effusio. Sed vt Henrici vltimum fratricidium tågamus, quamquam ad vindicandas Petri fratris scuitias, illiusque puniēda flagitia, a Deo vltor Henricus datus esse credatur, ipseque Petrus iuste pœnas soluit: Henricus tamē (vt nonnulli sapientes aiunt) sola ambitione & regnandi gratia iniuste fratrem occidisse creditur, nec illius scelera istius fratricidium excusant. non enim Nabuchodonosor infidelis & tyrannus iustus fuit, quia desauit Dei voluntate in populum Israhel, de quo Deus ait: Quid dabo seruo meo Nabuchodonosor Regi, pro eo quod seruiuit mihi apud Tyrum? odio enim populi Israhel iusta fuit eius exterminatio, sed iniusta respectu scruientis. Vnde Gregorius: Infelix populus Israhel, cuius comparatione Rex infidelis, seruus Dei appellatus est. Petrus igitur Rex meruit talem vltionem, sed Henricus regnandi cupiditate fratrem occidere non debuit quo ad præsentem iustitiam: diuina vero inscrutabilis est, quæ plerunque vindictam exigat delinquentium, per eos qui tueri, non occidere tenentur. Nihilominus (vt aiunt) vindicta in posteros, ne dixerim verenda, sed infligēda erat. Hinc in libris Regum dixisse Deum ad prophetam legimus: Propter peccata Baasa regis Israhel demetā posteriora eius, sicut Regis Ieroboam. Et iterum illud quod proposito simile videtur. Nam ad Achab regem dixit Deus, quia occidisti, & possedisti, demetam posteriora tua, vt Regis Ieroboam, infligendo pro pœna regni diuisionem & alienationem. Qua de re nonnulli aiunt in eo Henricum punitū, in quo deliquit. agit enim plerunque diuina iustitia, vt qui propinquum regno priuat & vita, parum ipse regno fruatur & vita. Sic Athalia in tantam exarsit libidinem regnandi, vt omne semen regium occideret: illa tandem paruo regnauit tempore, vt alter filius Gedeonis qui interfecit septuaginta fratres suos, vt solus regnaret, sed nō diu post regnauit, quinimo quadam mulier cerebrum eius ignominiose collisit, vt scriptura sacra commemorat. Sic & Ioram filius Iosaphat regnandi cupiditate occidit omnes fratres suos gladio, sed parū regno potitus est. Sic & Selum Princeps Israhel occidit Zachariam Regem sibi propinquum, vno tamen mense solum regno potitus est. Rursus in Henrico eius posteritas & regni vnitas multata creditur, quia in eo regni diminutio incepit, dum priuatis donationibus regni magnam partem inter nobiles partitus est, veluti ob Salomonis peccatum regnum Israhel diuisum & diminutum creditur. Fatemur, commendanda est liberalitas in principe erga benemeritos, sed fugienda prodigalitas, præsertim in principatus diminutionem. Hinc Seneca, Dabo, inquit, egenti, sed non vt ipse egeam: succurram perituro, sed vt ipse non peream. Et rursus: Ea Regis debet esse munificentia, quæ dantis honorem non lædat, de quo aliquid tangemus sub Henrico quarto.

Quod pro reipublica quiete plerumque quadam potius toleranda quam vindicanda sunt, & de malis que sequuntur ex talibus vindictis, quod ostenditur plurimis auctoritatibus & exemplis. Caput XX.

PROPOSITI nostri non est Petri Regis, de quo egimus, sæua & cruenta excusare flagitia, sed illa pro reipublicæ quiete nonnunquam toleranda asserimus, non ambitione, non humana præsumptione, nec priuata auctoritate vindicanda, dicente Gregorio: Admonendi sunt subditi, ne dum præsentium culpas considerant, audaciores contra eos fiant. & subdit: Nam si qua enim valde regentium praua opera fuerint, ea apud semetipsos diiudicent, vt tandem diuino timore constrikti ferre ab eis iugum subiectionis non recusent. facta enim præsentium a subditis ferienda non sunt, etiam si recte reprehendenda videantur. Cur enim ferendus non fuit Regis Petri furor? cur non paululum crudelitas toleranda? non enim diu permanere potest quod violentum est. nam (vt quidam sapiens ait) si bonum ciuem patria habeat, malum tamen principem diutius non habebit. quid enim si populus talẽ merebatur principem? Si enim scriptura teste, omnis potestas a Deo est, siue ad bonorum exercitium, vel ad iniquorum pœnas: illud consequens est, quia cum sæuum Regem populus patitur, diuino imperio, nõ humano pareat. Fortasse patientia populi hunc principem mitescere fecisset. Quæ enim patria? quæ regio? quæ ciuitas sæuissimos non est passa Reges? Quis enim dubitat Romanos multos pertulisse Caligulas ac Nerones, Domitianos, Galienos, Maximianos, Lulianos denique, & Decios, pietatis hostes? Syria Sardanapalum tolerauit, Persia Cyrum. Græcia atq; Asia Alexandrum tulit, Sicilia Dionysios. Non est habendus fidelis subditus qui subiici nequit, etiam a principe lætus. Nam vt ait Seneca, cum Socrates per medias Athenas pergeret, & a quodam principis satellite alapa percussus foret, licet pro eius summa auctoritate ad vnam illius vocem lapidari princeps potuisset, substitit, ne sua vindicta populi quietudo turbaretur, neue causam aduersus principes rebellandi quouis modo dedisse videretur. Illud solum verbũ dixisse fertur: Molestum ei fore, quod nescirent homines quando cum galea, vel sine ea prodire deberent. Subdit denique idem Seneca, quia optimis ciuibus & fidelibus subditis expedit, non omnia regum facta & gesta ad iniuriam recipere. Sed tutum atque saluberrimum est, vt multæ nos iniuriæ transeant, ex quibus plerisque non accepit, qui necessitati parens tolerare animo duxit. qui enim vult esse quietus, non sit ad maiorum vindictam curiosus. Rursus idem Seneca ad Lucillum inquit: Sic viuendum est cum Rege, quemadmodum subditos nobiscum viuere optamus. Si enim in mentem veniat, quantum tibi in seruo liceat, cuius necis & vitæ tu dominus es, veniat in mentem tantum principi tuo in telicere. Refert enim Valerius, quod cum Syracusanus nobilis plurimas a Dionysio perpeffus foret iniurias, cumque amici ad seditionem monerent, patienter id ferendum dixit a principe, Forsan, inquit, quia nos simile egimus, cum in dignitate essemus. Sed verum est, quia subiici nolunt qui diuitiis abundant, dicente Aristotele in Politicis, quia qui sunt in excessibus bonorum fortunæ, potentæ, & diuitiarum, subiici nec volunt, nec sciunt. quod pueris accidit, qui propter delicias nec doctoribus, nec patribus subiiciuntur. Exorandus itaque & placandus est Rex, non necandus. nullum enim tam ferocem, tam sæuum natura genuit, qui non assidua obedientia & obsequio leniatur, præsertim quia raro sæuit Rex absque ciuiũ culpa: quia scriptum est, Propter peccata populi dat Deus Regem hypocritam. & iterum, Dabo, inquit, vobis Regem in furore meo. Saul enim Rex etsi malus, sæuus, & iniquus erat, tamen Dauid ad quem regnum Deo iubente spectabat, non est ausus eum tangere, licet ille vitæ eius insidiaretur, & iniuste & Deo reprobante regnasset: dicens, Absit vt tangam Christum domini. Vnde ait Augustinus, quod Saul non habebat innocentiam, sed habebat sanctitatem, non vitæ, sed officii & dignitatis. quare subdit, quod Dauid Saul Regem honorauit viuum, & vindicauit occisum. Rursus in veteri Testamẽto legitur punitos esse qui occiderunt Ioas Regem Iuda, quamuis idololatram & iniquum. Sed coniurantes contra regẽ Amon, licet reprobum & idololatram, iusto tamen Dei iudicio percussi sunt, quia in Regem

gem & dominum suum surrexerunt. Quod si immensa est sæuitia Regis, consulũt facti interpretes recurrendum esse ad summum Regem, vt cor regis crudelis cõuertat in mansuetudinem, sicut regis Assueri crudelitatem in mansuetudinẽ vertit. ipse enim ait: Liberabo gregem meum de ore eorum. Fatetur tamen nonnulli philosophi morales, quod si fit excessus aut sæuitia intolerabilis principis effecti tyranni, tunc ad fortium virorum fortitudinẽ pertinet talem tyrannũ interimere, seque pro liberatione multitudinis periculo exponere. cuius rei exẽplum in veteri Testamento facile reperitur. Nam Ehud regem Moab qui graui seruitute populũ Dei premebat, sagitta infixã in eius femore interemit, & factus est populi iudex. Ad dunt deniq; quod nonnunquã expedit cõmunitati bene ordinatę principem corrigere, si delinquat & non principetur secundum leges, maxime si id agat per contemptũ: cum (vt aiunt) ad cõmunitatem multitudinis pertineat illud agere, cuius oppositum est cõmunitatis destructio. Rursus asserũt huiusmodi sapientes, quẽlibet de populo posse occidere eum quem scit & videt procurare desolationẽ totius cõmunitatis, si non habet aut non potest principẽ adire qui id agat, quia (vt asserunt) illud non vt priuata persona, sed vt persona communis vel princeps agit. Ita fuit quorundam sententia in tertio Politicorũ. Quibus veris existentibus nõnulli asseruerunt, Henricum licite occidere potuisse Petrum, in tam periculosam tyrannidem conuersum, præsertim quia non vt priuata auctoritate, sed vt publica, veluti qui iam Rex electus & assumptus fuerat, illud egisse licite potuisse asserunt. Sed nisi fallimur, hoc Christianæ mansuetudini non congruit, cum apostolus Petrus nos moneat nõ solum principibus bonis, sed dyscolis subditos fore. Supradictam vero opinionem philosophorum moralium de principe per electionem assumpto, non vtique de eo qui per successionem regnat, intelligendam fore, nõ incongrue dici possent: sed hunc scrupulosum labyrinthum non ingredimur, nec aliquid temere asseueramus, sed rem gestam & scribentium varias sententias inserimus. Quem articulum latius discussimus in libro monarchiæ nuper a nobis edito, vbi diffuse agimus, quando, qualiter, & per quẽ Reges & principes puniri aut corrigi possint. Vt igitur ad inceptam historiam redeamus, illud non omittendũ est, quia nec Regis Petri multiplicata homicidia, nec huius Henrici de quo agimus fratricidium, inulta mansere. Scriptum est enim, si vtique est Deus iustus, iudicabit eos in terra. Atq; vt paulo ante diximus, vtinam solos auctores pœna teneret, nec ad posterum transfisset. Huius autem Henrici tempore, eo apud Burgensem ciuitatem manente, in quodam tumultu populari Infans Sancius frater Henrici Regis sagitta interfectus est. Rursus regnante eodem Rege Henrico anno primo regni sui, qui fuit M. C. C. LXX. Iohannes Palæologus Imperator Constantinopolitanus plurimis nobilibus & sapientibus viris sociatus, Romam venit ad Vrbanum Papam quintum, a quo honorifice receptus est, paulo minus ac si Romanorum Imperator fuisset: & post modestissimam discussionẽ quorũdam articulorum in quibus deuiare videbantur ab ecclesia Romana, tandem deuotissime vnitatem eiusdem Romanæ ecclesiæ acceptarunt, & in solenni processione Græci ipsi symbolum decantarunt, Spiritum sanctum a Patre & Filio procedentem asserentes, iuraruntque Romano Pontifici obedire & statuta apostolica vsq; ad vltimũ apicem obseruare. Super quo ipse Imperator bullam auream assignauit, quæ in archiuis apostolicis reperitur. Eiusdem Henrici i. tempore post eundem Vrbanum sedis in cathedra Petri Gregorius x. natione Gallicus. Post eius obitũ schisma in ecclesia grauius exortum est. Nam Cardinales qui erant cum Gregorio, post illius mortem elegerunt Bartholomæum archiepiscopum Barensem, quem Vrbanum sextum appellarunt. Sed paulo post Cardinales cæteri apud Ananiam elegerunt Robertum Cardinalem Gebenensem qui vocatus est Clemens septimus, asserentes propter violentiam electionem primam fuisse nullam. Huic Clementi adhererunt Hispani. Exinde vero continuatum est deterrimum schisma in Dei ecclesia, quod XL. annis durauit, vsque ad Constantiense concilium, quod incepit anno domini M. CCCCXVII. in qua generali synodo electus est Martinus v. Imperauit autem huius Henrici tempore Carolus prædictus filius Regis Bohemiæ.

De Iohanne primo Rege, Castellæ & Legionis XLII. rege post Pelagium, & de clarissimis vxoribus & filiis eius, & de bello cum Portugalensibus & de causis eius. Caput XXI.

IOHANNES primus successit Henrico prædicto in regnis Castellæ & Legionis. Fuit autem octogesimus Rex ab Athanarico primo Rege Gothorum, & XLII. a Pelagio primo Rege post cladem Hispaniæ. Incepit regnare anno domini M. CCC. LXXIX. regnavit annis vndecim. hic primo duxit vxorem dominam Leonoram, filiam Petri regis Aragonum: deinde illa mortua, Beatricem vxorem fortitus est, vnicam filiam Fernandi Regis Portugaliz. Quod matrimonium seminarium & incensuum fuit grauissimi belli postea exorti, de quo statim dicetur. Licet matrimonii vinculum ad sedanda hominū diffidia augendamque caritatem institutum sit, vt illico dicemus, grauioribus tamen scandalis sæpe causam tribuit, præsertim si non recto animo sit. Sic enim Saul filiam Michal desponsauit Dauid dicens, Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum. Et (vt quidam sapiens ait) sæpe coniugii celebratam infelix deturpat euentus, & cantus, & epulas, & choreas luctus sequuntur, nec non lacrymæ, & tumultus, vt Egisthus in filiorum cōiugijs expertus est. taceo quod quædam vxores ferro, aliæ veneno viros extinxerunt. Sed & genitoribus suis causam mortis dedere, indeq; inceperunt clades, vbi cessare debuerunt. quod facile est conspicerem, cū inter coniunctos sanguine connubia contrahuntur, vt latius sub Henrico primo diximus. Rursus Iohannes ex Leonora filia regis Petri genuit duos clarissimos viros, Henricū videlicet primogenitū, auum moderni Henrici Regis, ac Fernandum secūdo natum, qui postea Rex Aragonum effectus est. Hi duo excellentissimi fratres Henricus & Fernandus, fuerunt duo orbis luminaria, & omnibus Hispaniis Reges & Reginas attulerunt, vt statim subiiciemus. Ex Beatrice vero secunda vxore Iohannes nullum filium suscepit. Tempore huius regis Iohannis duo grauissima bella ei & regnis suis successerunt. Primum bellum fuit cum Portugalensibus. Nam Iohannes Rex Castellæ regnum Portugaliz ad se & vxorem suam Beatricem prædictam iure pertinere dicebat, quia aliquem legitimum filium Fernandus Rex Portugaliz non dimiserat. Portugalenses vero nonnulli Iohannem bastardum filium regis Portugaliz, magistrū ordinis militaris Dauis, solenni voto professum in regem vocant: alii vero eiusdem regni nobiles Regi Castellæ adhærēt. Grauiam inde diffidia sequuta sunt. Nam Iohannes Rex Castellæ ius vxoris prosequens, Portugaliam manu potenti ingressus est, & Vlisbonam obsedit, sed obsistente peste obsidionem leuauit. Sequenti vero anno cum Iohannes bellum continuare decreuisset, superueniente ei diuturno morbo res belli infelicitate successerunt. Nam eo ægrotante aliqui magnates cum rege manserunt, nonnulli vero cum aliqua parte exercitus concito atque improuiso gressu Portugaliam sunt ingressi, qui non spectatis cæteris nobilibus Castellæ, rege denique ignorante, quadam temeraria audacia ac iuuenili impetu ad bellum properarunt, putantes in manu sua esse victoriam, quam dolebant venturis nobilibus attribui. Cum igitur forent fessi, veluti qui ea die longam viam fecerant, tandē pro parte profugati sunt, non paucis cæsis. Merito quidē suæ arrogantiz pœnas soluerunt. licet enim a regio nuntio atque a prudentibus expertisque viris monerētur, ne ea die prælium confererent, illi tamen elati animo contempserunt, dicentes vt alter Pharaō: Nescio dominū, & Israel non dimittam. Quare confusi sunt in medio castrorū inimicorū suorum. Tam certos deniq; de hostibus se putabāt, vt Portugalenses futuros captiuos videri posse arbitrarētur: vt alter Nicanor de quo scriptura cōmemorat, quia tā securus de victoria cōtra Iudā sibi videbatur, vt Iudæos venderet, antequam eos in campo conspiceret. Sed tandem superbia eorū humiliata est, quia scriptum est, Deiecisti eos, dum eleuaretur. Sed verum est quod Valerius ait, quia qui hostes despiciunt, sua pericula despiciere videntur. nam dum suis confidunt viribus, alienas iusta extimatione prosequi non valent: quare plerunque sentiunt vitrices. Sic Olofernes egit, qui iurauit omnes de populo Israel exterminare, sed ab eis victus & cæsus est. Sic & Benadab Assyriorum Rex, vt ha-

vt habetur in libris regum, dixit ad filios Israel: Hoc faciant mihi dii, & hoc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. Verumtamen pulchre respōsum est illi: Ne gloriatur accinctus æque vt discinctus. Itaque qui in potentia & viribus gloriabantur, experti sunt quod propheta ait: Humiliasti, sicut vulneratum, superbum. & iterum: Gemuerunt superbi gigantes, vt comprehendantur in superbia sua. & Ieremias ait: Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui qui apprehendere niteris altitudinem. Fertur quod Portugalenses conspicientes bellum tunc potius inchoari quam finiri, non tam delectati presentis victoria, quam futuram cladem timentes, legatos ad Iohannem Regem Castellæ ægrotantem mittunt pro fœdere & pace. Iohannes vero corpore debilis, sed animo fortis, victus viribus dixit: Non habebitis (inquit) alias pacis condiciones, nisi aut regnum dimittatis, aut vitam. Quam verborum arrogantiam & vindicandi libidinem ingrati fuisse Deo putandum est, eamque nō inultam dimisit, dum paulo post ad eādem vindictam suspirans improuisa interit morte, quia scriptum est, qui vindicare volunt, a Deo inuenient vindictam, vt statim dicemus in sequenti capite.

De secundo bello inter Iohannem Regem Castellæ & ducem Alencastriæ, & de causis eiusdem belli, & de cladibus & malis ex eo secutis, & tandem de felici concordia per matrimonium, & de festina morte eiusdem Iohannis, & de illius virtutibus & accidentibus suo tempore in ecclesia Dei. Cap. XXII.

SEDATO igitur hoc intestino & graui cum Portugalensibus bello, successit aliud cum Anglicis non minus acerbum. Nam dux Alencastriæ & Clocestriæ, filius Regis Angliæ, regna Castellæ & Legionis ad se pertinere dicebat ex parte vxoris Constantiæ, filiz Regis Petri, quæ secundum consuetudinem Hispaniæ succedere debebat. Iohannes vero Rex sese iure & factō defendebat. dicebat enim inter cætera, quia dato quod domina Constantia ducissa Clocestriæ fuerit maior filio Regis Petri, constabat tamen nec Petrum ipsum, sed nec Alfonso eius genitorē, nec Fernandum III. auum suum aliquo iure fuisse legitimos Reges prædictorū regnorum, pro eo maxime quia Alfonso X. qui fuit electus Imperator Alemanniæ pater Santii III. qui Tarisiam recuperauit, antequam genuisset eundem Santium, genuit Fernandum dela Cerda, qui contraxit matrimonium cum domina Blanca, filia legitima sancti Ludouici Regis Franciæ: ex qua genuit duos filios, Alfonso dela Cerda, qui se intitulauit Regem, & Fernadum: & cum Alfonso absque liberis decessisset, successit ei Fernadus frater, qui ex domina Iohanna filia Iohannis Numnez de Lara genuit quandam filiam, quæ contraxit cum Iohanne filio Infantis Emanuel, qui ex ea genuit dominam Iohannam vxorem legitimam Henrici III. patris prædicti Iohannis primi. Ex qua supputatione regna liquido pertinebant ad eundem Iohannem ex materna successione, nec quouismodo regna spectabant ad ducissam Clocestriæ prædictam, nec ad Regem Petrum per cōseques, nec ad reges supradictos. Dux vero Alencastriæ & Anglici plurimorum Hispanorum ac Portugalensium turba sociati, in iure dictæ Constantiæ consisti, exclusa quauis alia via iuris, de facto Hispanias per partes Galliciæ ingressi sunt. Quibus Rex Iohannes strenue occurrit, & grauiam bella secuta sunt, quæ longo tempore durationes concordia matrimoniali contentio feliciter fuit sopita. Sic enim Dauid reconciliatus est Isboseth filio Saulis, quia Michal eius soror, Dauid vxor data est, licet a principio in scandalum sibi dara sit, vt supra diximus. Sic denique inter Herodem Antipatrum & Hyrcanum diffidia pacata fuere, quia Mariannem Hyrcani filiam Herodes duxit vxorem. A proposito igitur incepto ne discedamus, pro his grauissimis sedandis calamitatibus Henricus III. filius primogenitus eiusdem Iohannis primi contraxit cum domina Catherina filia prædictorum ducis Clocestriæ & domine Constantiæ eius vxoris filiz regis Petri. itaque quod Henricus

prædictus appellaretur Princeps Asturiarum, & Catherina Principissa. Et sic omni iure regna Castellæ & Legionis fuerunt cōsolidata in personam Henrici III. filii eiusdem Iohannis primi. Post prædicta vero feliciter gesta Iohannes Rex cum esset apud Alcalá de Henares, quadam dominica die ante prandium equitavit equum quendam non satis domitum, & cum extra oppidum cursum faceret, equus ipse tam fortiter cespitavit, ut supra Regem caderet. Taliter eum inter fellā & terram oppressit, quod infra paucas horas mortuus est. Nec dubitandum est dupliciuisse immortalis Deo, hunc Principem dominicæ festiuitati non satis honoris tribuisse. Nam scriptum est: Benedixit dominus diei septimo, & sanctificauit illū. Nec enim solum ab omni opere cessare prohibuit, sed & a venationibus & vanis ioculationibus. tanta enim censura septimam diem obseruari Deus præcepit, ut hominem deprehensum die sanctificata colligere ligna, licet domui suæ necessaria, lapidari iussit. Hinc Origenes: In die sanctificationis desine ab omnibus secularibus operibus, nihilque mundanum geras, sed spiritualibus operibus vaca. Adde quia non solum corporea exercitia in his diebus inhibuit, sed ipsas animi cogitationes, dicente propheta: Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi. Igitur nonnunquam huius præcepti transgressores grauiter punit dicens: Quiescere faciam omnes dies festos a terra: quod sit temporales infligendo pœnas. ait enim per prophetam: Conuertam festiuitates in luctum vestrum. Et iterum apud Machabæos: Dies festi erunt vobis in luctum. Tradunt enim annalia Anglorum, quia Rex quidam Angliæ die dominica ante missarum solennia venatum pergit, cumque sacerdos sacris indutus diu Regem expectasset, auditæ sunt angelorum voces summa cum harmoniæ suauitate missam officiantes. Tandem rediit Rex, sed non incolumis. Nam post leporem currens equus cecidit, regi que ceruicē simul & tibias fregit. Hic igitur Iohannes Castellæ Rex deuotissimus & catholicus fuit, & omnibus ecclesiis cathedralibus donaria & reditus perpetuos contulit. Rursus dolens vehementer de schismate in ecclesia orto, licet Henricus pater suus decreuisset nulli contendendum adhærere: hic indignum iudicans catholicum Principem fore acephalum, attendens quia secundum sententiam sanctorum patrum schisma fouere dicitur, qui a communione sedis apostolicæ se suspendit, congregari fecit prælatos & viros in iure diuino & humano doctissimos, & ceteros regni status, & post longam concertationem declaratum est, ut Clementi VII. apud Ananiam electo obediētiam præstaret. Demum vero eo mortuo præfatam Castellæ regnum adhæsit Petro de Luna appellato Benedicto XIII. vsque ad concilium Constantiense. Imperauit autem eo tempore Carolus filius Regis Bohemiæ, qui perges in Italiam imperialem suscepit coronam ab Urbano V. Fuit hic Imperator doctus satis & multarum literarum peritus.

De Henrico III. Iohannis filio, XLIII. Rege Castellæ & Legionis, & de clarissimis filiis eius, & de Infante Fernando eius fratre minore nato, postea Rege Aragonum, & de inclita eius prole. Cap. XXIII.

HENRICVS III. Iohannis prædicti primogenitus filius, regnorum Castellæ & Legionis gubernacula illico suscepit. Cœpit autem regnare anno domini M. CCCXC. & computando ab Athanarico primo rege Gotthorum, LXXXI. a Pelagio vero qui primo regnauit post cladem Hispaniæ, XLIII. regnauit autē annis XVI. In cæteris regibus regnandi tempus descripsimus: in hoc vero glorioso Henrico nō tantum regnandi, quantum viuendi ordinem differemus, nec quam multū regnauerit, sed quam pie, quā bene, & iuste vixerit, afferemus. Qui etsi paruo tēpore in mundo fuit, longissimo tamen tempore viuere & regnare cōsensus est. paucis enim diebus vitam mortalem sortitus est, qui magnis præmiorum cumulis floruit, quo fit ut quatenus ad dierum numerū attinet, breuis fuit eius vita, sed quo ad fructum & præmium, longissima. Ad quem sensum putamus sapientem dixisse, quia iustus cito perit: impius autem multo viuuit tēpore in malitia sua. Vnde Cyprianus ait: Magis lætandum est, quod iustus breuem, sed fructuosam vitā transegerit, quam quod

quod longam non viderit. Henricus igitur XII. annorum erat cum regnare cœpit, teneros tamen annos supplebat summa illius grauitas & prudentia. Ceteri enim illi sensus erant. Hic tempestiue duxit vxorem, videlicet dominam Catherinam filiā ducis Clocestriæ & Constantiæ filiæ Regis Petri, per quod matrimonium pax auctore Deo sequuta est inter Hispanos & Anglicos, ut supra diximus. Hic Princeps pacificus fuit, quietus & mansuetus, consilio & maturitate ac omni virtute præclarus: vacabat tamen plurimum quietudini regnorum ex præteritis tumultuationibus non vsquequaque sedatis. Cum igitur nonnulli eum hortarentur, ut reformaret regnum, violentias coherceret, quia ibi iustitia non vigeat, & vnusquisque quod libebat, non quod decebat, ageret: Henricus quæsiuit quænam foret eius rei causa. Illi aiunt, quia in his tui regni initiis neminem punis flagitiosum, putans decori esse regibus a sanguine abstinere. Verumtamen ut sapientes volunt, pro salute corporis humani, cuius instar habet cuiusque regni respublica, plerunque modicus, sed violentus cruor extrahitur, ne totius compagis corporis sanguis effundatur. Ad quos Henricus, Verum, inquit, attulistis, sed videte si a vobis ipsis incipiendum sit. Videte iterum an vos ipsi viueretis, si illico peccatorū vos censura plecteret. Nam ut noster Seneca ait, sæuissime aduersus peccantes erigimur, & ipsi eadem committimus. decet igitur ut putamus, lenitiuis remediis corpus depurgare, antequam igne & ferro vlcera cauterientur. Quare æquanimiter a Regibus subditorum errata pro loco & tempore toleranda sunt, qui meminisse debent quod fortasse ipse, aut sibi propinqui & dilecti habeant, in quo tollerari desiderent. Quod pulchre Augustinus non negauit iniquis, quia contra omnia vitia humana, vel cauenda ne existant, vel sananda cum exiterint, nihil utilius putandum, quam aliquando seueritati detrahere. Accedit quia ut sapientes volunt, pulchrum est principi eos plerunque tolerare quos amat. Verum si, ut dicitis, plurimum inualuit hominum malitia, non parum discriminis & periculi est repente atque districte punire. Imitatus est Henricus Antoninum Pium quem Iulius Capitolinus refert, cui cum in simili euentu a suis suaderetur de reformando reipublicæ statu: Video, inquit, hoc tempore parum de iusto, parum de honesto hominibus inesse, adeo ut nec vos ipsi infontes sitis. Verumtamen ad id agendum multis opus est gladiis, multis securibus, ut in antiquum statum publica forma redigatur, quippe plurimis catorum modorum lamentis atque mortibus ad eum statum quem cupitis, perueniendum est: si tamen Deus vitam donauerit, cum tempore iniqua purgabimus tempora. Quibus sapientissimis verbis ad quos loquebatur, admonuit, & infontes ad reformationis spem vsque perduxit. Hic igitur Henricus de quo sermo est, ex prædicta Catherina Anglica duas primo filias, videlicet Mariam & Catherinam genuit. de vltiori enim progenie desperatus, quia valde infirmus, vxor vero pinguis erat: tandem quodam modo miraculose, diuina sic disponente clemētia, idem Henricus præter omnem suam & cunctorum de regno spem, genuit Iohannem II. patrem istius moderni Henrici regis. de qua re tota Hispania nimium exultauit. Fernandus vero Infans, frater Henrici minor natu, continuo cum eo erat, habens in regno Castellæ amplum patrimonium castrorum & villarum, quod Iohannes pater & idem Henricus frater ei concesserunt. Sortitus est igitur Fernandus infra regnum vxorem nobilissimam quidem & ditissimam dominam Comitissam de Alburque que eius consanguineam, filiam Comitissæ ex recta linea regia descendente. Ex qua dum moram in Castella traheret, longe ante quam regnum Aragoniæ obtineret, genuit amplam & gloriosam prolem, videlicet Alfonsum postea Aragonum & Sicilia Regem: item Iohannem modernum Aragonum Regem: tertio Infantem Henricum magistrum sancti Iacobi: quarto Infantem Petrum, qui apud Neapolim machina interfectus est: quinto Infantem Santium, qui magister de Alcantara postea effectus, & in iuuenili ætate obiit: sexto Mariam: septimo Iohannam, clarissimas filias: quæ altera Castellæ, altera Portugalix reginæ felicissimæ fuerunt, & matres modernorum Regum Castellæ & Portugalix. Itaque ex prædictis duobus fratribus, Henrico videlicet & Fernando, progenies admodum

gloriosa processit. Sed verum est, quia omni gloriae atque felicitati proximum est periculum atque permixtum discrimen, ut inde moeror plerumque contingat, unde procedit & gaudium. Euenit enim ut Hispania eodem fonte dissidia sentiret, quo quietem, quo gloriam putauit suscepisse. Nam tate nobilitatis & virtutis prolem Hispaniae capere non potuerunt, quo effectum est, ut ea ipsa tam excellens & magnifica proles Hispanias omnes plurimum tumultuantes redderet, ut patebit illico. Quae res non modo in Hispaniis singularis saepe conspicitur, sed vbi que communis. Quocumque enim in regno plurimi cuiquam regi filii nascuntur, totidem regno futura parantur discrimina. Hinc in libris regum scribitur, Melior est vnus quam mille filii impii. Et Job ait, Si multiplicati fuerint filii, erunt in gladio. Rursus 10 scriptum est, Propter peccata terrae multi principes eius. Rursus vbi multi potentes, multi sunt & oppressi. Fertur quendam regem Francorum plures genuisse filios, & cum magnates regni in natiuitate cuiuslibet filii, ut moris est, publica festa agerent, primogenitus regis non satis ob eam rem laetus, interrogatus de causa mortis: Multos, inquit, vos ipsi festiuatis latantes, quos aliquando patiemini deuorantes. Ego etiam doleo futura dissidia, quia ii omnes non tam fratres, quam mihi hostes nascuntur, eruntque multi bellantes aduersum me, ut non mentiatur propheta: Filius matris meae pugnat contra me: subdens, vnus filius Regis, vnitas est regno, plures vero plures discordias generant, quia scriptum est, Effusa est contentio inter principes. Hic Fernandus Infans obedientissimus fuit fratri Henrico Re- 20 gi, nec vnquam ei loquebatur nisi flexis genibus.

*De praeclaris virtutibus huius Henrici III. demum de filiabus eius & quibus nups-
erunt, & de inopinata & festina morte dicti Henrici, & de oc-
currentibus suo tempore. Cap. XXIII.*

AD eundem igitur Henricum III. redeuntes pauca quaedam ex multis eius virtutibus commemorare libet. Fuit siquidem hic princeps deuotissimus & Deum timens, orationi valde assiduus, ecclesiam & eius ministros veneras, mansuetus, humilis, iustus & rectus, paruis & magnis iustitiam ministrabat. Raro quem- 30 piam puniebat, non utique ut delicta impunita relinqueret, sed ut de gente Bragmanorum Polycrates ait, tam iustus erat, ut opus punitione aut vindicta non esset, vbi nulla fiebat iniuria. Ob eius igitur ingentes virtutes non modo a subditis, sed ab extraneis & forensibus plurimum amabatur, adeo ut tantum auctoritatis, famae, & nominis apud exteras gentes nemo habuit, nulla aut rara tributa siue tallias indixit, licet militibus & Baronibus integra stipendia persolueret, ac munifica beneficia conferret, tam liberalis fuit, ut quos non posset officiis & honoribus praepone- re, locupletes tenebat. Salaria multa auxit benemeritis: sed & plura illis subtraxit, quos aut inhabiles, aut male versatos videbat accipere, dicens ut alter Antoninus Pius, quem Iulius Capitolinus refert, nihil esse sordidius, imo damnosius quam 40 quod res publica grauetur ab his qui nihil in ea suo ingenio aut virtute conferrent, quia iuxta Aristotelis in Politicis sententiam, improprie ciuis dicitur qui parum aut nihil ciuilitatis aut vtilitatis reipublicae potest afferre. Cuiusmodi sunt sordidi, aut inutiles homines, quos philosophus ipse *Barabovus* vocat. Plurimas denique Henricus expensas fudit, tam in aedificando, quam desolata castra reparando, praesertim in frontaria Sarracenorum & regnorum suorum limitibus. Nam fortalitiu & arcem Murtiae, palatium denique de Miraflores proprietatem Burgensem, & latissimum campum siue parcum murari fecit, vbi postea Iohannes II. filius eius, deuotissimum cenobium Cartusienium construi fecit, & ibi sepeliri voluit. Rursus hic Henricus munificus atque magnificus fuit, praesertim in recipiendis & hono- 50 randis oratoribus ad illum venientibus, quos liberalissime donabat, adeo ut nullus in largitione effusior esset, nec in cunctis hominum officiis moderatior. Se enim ipsum quo volebat, versabat. Nam cum tristibus seuerè, cum remissis iocunde, cum senibus grauitè, cum iuuenibus exemplariter & comiter. Caeterum hic prudentissimus princeps viros doctos atque consilio & experientia tritos plurimum dilexit

xit atque euexit. Dicebat enim longe plus reipublicae conferre sapientum consilia quam arma fortissima, maiora illustrioraque intellectu quam gladio confici. Vnde Sapiens & rex Salomon id ipsum expertus ait: Melior est sapientia quam vires, & vir prudens magis quam fortis. Demum idem Henricus illud Ciceronis in Officiis semper in ore gerebat, quia Solonis erudita consilia non minus Atheniensibus profuere, quam Themistoclis armata victoria. Nam ille triumphus semel ciuitati profuit, sed illa sapientia & consilium semper proderit. maioris enim virtutis esse dicebat, consilio prouidere nequid aduersum ciuitati accidat, quam armis prohibere ne veniat. qui enim armis hostes superant, a fortunae varietate ducuntur, quinimmo ut ait Seneca, similes sunt nauigantibus, qui fortunae flatibus agitati non eunt, sed feruntur. Quare idem Cicero subdit, qui sapientia & consilio reipublicam dirigunt, plus agunt quam qui corpora iaculis hostium exponunt. Similes enim sunt gubernantibus nauem, qui longe plus agunt in puppi sedendo, quiescendo, sed dirigendo, quam laborando, remigando, aut bellando. Denique Henricus curiosus plurimum fuit scire cunctorum principum, etiam paganorum gesta, ad quos diuersos oratores mittebat. Nam ad Taborlanum Soldanum, Moratum, & cunctos vtriusque Asiae, sed & Indiarum principes oratores & dona misit, & a quibusdam eorum recepit: in quibus rebus non paruas fecit impensas. Et quod non parum admirationi fuit, paruo tempore amplissimum aggregauit the- 20 saurum, non sibi, sed bello contra Arabes diffundendum, quamquam ad filii sui comoda non admodum esset affectus, dicens illud Constantini Imperatoris, Longe melius publicas opes a priuatis possideri, quam intra vnum claustrum referuari: addens ditissimi regni regem, in opem esse non posse. Cum enim tales quidam ab Henrico iocandi gratia quaereret, quam causa diues euasisset, respondit nulla re avarium cuiusvis principis cumulatus augeri, quam si iustitia sit cupidus, non pecuniae. Cuius rei Salomon testis erit, de quo scriptura ait, quia pro eo quod in sapientia & iustitia populos gubernabat, praecessit omnes qui ante eum fuerunt reges, diuitiis & potentia, usque adeo ut tanta in domo eius argenti abundantia fuerit, quanta & lapidum, nec aurum in precio erat. Denique Henricus tanta caritate 30 subditorum facta gerebat, ut & omnia & omnes quasi sua essent, curaret. Sub eo omnes prouinciae & ciuitates floruerunt. Bonos iudices & rectores non mutauit, dicebat enim duplicem irrogare iniuriam, si bonis viuentibus gubernatoribus alios substituisset: primam ciuitati, quam optimo & noto priuabat rectore: alteram iudici, qui non nisi ob eius probitatem remoueri videretur. Nihilominus sicut prouincias bonos praesides & rectores praeponebat, eadem animi virtute & seueritate in eos acerrime animaduertebat, quos in gerendis magistratibus & officiis, nedum delinquentes, sed ditatos conspexit, dicebat enim eos iudices non indigere alio syndicatu, aut alia pessimi regiminis probatione, nisi quod pauperes magistratum accepissent, sed locupletes inde euasissent. Imitatus est Henricus Antoninum Pium 40 Imperatorem, ut Capitolinus ait, qui quendam praetorem designans, paruo tempore in officio ditatum, ad Senatum ait, Audistis praetoris nostri filios indutos purpura, quem antequam praetor fieret, mendicum & pauperem nouimus, sed subito diuitem factum. & subdit: Vnde quaeso nisi de visceribus reipublicae & pauperum sanguine. Quare similes in officiis locupletatos, non iudices aut rectores, sed spoliatores dixerim, qui creditas sibi ciuitates arbitrantur, ut luxurientur, & diuites fiant, ut alios pauperes efficiant. Non sic de Valerio Valerius Maximus narrat, qui post tres consulatus Romano populo acceptissimos tam pauper mortuus est, ut patrimonium eius ad explendas exequias non sufficeret. Sic & de Marco Menenio, qui post plurima officia immaculate gesta, ob paupertatem sepultura caruit, nisi ex 50 collecta publica funus honorabile habuisset. Sic rursus & Scipio post res felicissimas in Hispania, in summa paupertate decessit, nec tanta pecunia ab eo relicta est, quae maritandis filiabus suffecisset. Quales autem debeant esse iudices, rectores, & praesides, qui ad regendas prouincias & vrbes a quouis principe vel rep. deputantur, & de illorum laude si bene praesunt, aut vituperio si inique, latius egimus in eo libro quem nuper edidimus dictum Speculum vitae humanae, S. D. Pau-

lo Papæ 11. dedicatum. Cæterū de huius gloriosi Regis prole breui aliquid differendum est. De Iohanne igitur eius filio post eum regnante statim latior erit sermo: de filiabus tamen hoc loco aliquid dicere libet. Maria itaque prima Henrico fuit filia, quam sortitus est vxorem inclytus atque perexcellens Alfonso Rex Aragonum, eiusdem Mariæ frater consanguineus, filius Fernandi huius Henrici fratris. Hęc domina Maria non tam patris effigiem quam virtutum paternarum congeriem imitata est, & quoniam (vt volunt sapientes) magistratus & potentia virtutum ostendūt, qualis hæc domina fuit, illius regimen & administratio patefecit. Cum enim Alfonso vir eius assiduis guerris extra Hispanias occuparetur, præsertim in Italia circa acquisitionem regni Sicilia, dicta Maria constituta est gubernatrix regni Aragoniæ. In qua administratione tanta iustitia & moderatione vsa est, vt prouinciam sibi decretā in summa pace & iustitia teneret. Certis enim in hebdomada assignatis diebus, viduas solum, orphanos, pupillos, & oppressos audiebat, quibus iustitiam simul & alimoniam ministrabat. Tanta denique castitate, pudicitia, & honestate flagrauit, vt totius munditię speculum vocaretur. Fastus & ornatus, sed & conuictus nobilium simul & domicellarum suarum strictissima cęsura per eam castigatus est. Et licet Alfonso xxv. fere annis ab ea diuertisset, illa tamen patiens & obsequens fuit. Hęc denique præclara regina pacem inter Iohannem fratrem suum & Iohannem tunc Nauarræ regem & fratres eius sæpe composuit. Exigeret rursus ordo pollicitus, vt de altera filia huius Henrici, Catherina videlicet, sermo fieret, verum sub Iohanne secundo eius fratre statim de ea aliquid tangemus. Sed iam liber redire ad eundem Henricum. Cum igitur, vt diximus, bellū contra Sarracenos animo suo plurimum fixum esset, & iter versus Granatam ageret, inualefcntibus infirmitatibus quibus, licet iuuenis, assiduo affligebatur, relicto filio Iohanne hærede & regnorum successore, cui simul & sororibus, vt diximus, tutores locupletissimos dederat, susceptis denique sacramentis ecclesię, apud Toletum obiit, ipse quidem feliciter: infelicissime tamen eo Hispani populi caruerunt. Raptus enim est ne subditorum malitia mutaret intellectum eius, aut æmulatorū fictio deciperet animum eius. Cuius mors non minus damnosa Hispanis fuit, quā Thebanis regis Epaminundæ obitus, ex quo tanta gloriæ & honoris regno perditio sequuta est, vt non iam perdidisse Regem, sed ipsi periisse cum eo viderentur. Erat autem Henricus xxvii. annorum cum Deo beatum spiritum reddidit, die videlicet sanctissimæ natiuitatis redemptoris nostri, & in breui vitæ spatio tempora virtutum multa compleuit. Et vt cum Hieronymo loquar de alio principe agente, vtinam gloriosi huius iuuenis Regis præconia, cæterorum principum rugosa senectus imitaretur. Hic princeps parui corporis, sed magni animi fuit. Grandia cogitabat, si præmatura mors eum non rapuisset: adeo vt illud sibi conuenire videatur, quod quendam ex militibus Alexandro dixisse ferunt: Si dii (inquit) corpus tuum exiguum auiditati & desiderio animi tui fecissent par, orbis totus te capere nō posset. Hic gloriosus Henricus non tam filio quam patri prouidens, idoneos & omni exceptione maiores tutores reliquit, videlicet dominam Katherinam Reginam consortem suam & Fernandum Infantem, vt statim latius dicemus. Eidem vero Iohanni filio suo nutrimum & personæ suæ directorem deputauit nobilem & fidellem Baronem Iohannem Aluari de Oforio. Cum igitur ob pupillarem Iohannis ætatem non parū disturbii timeretur, fertur Henrico in extremis laboranti quosdam fideissimos Barones cum lacrymis commemorasse, non mediocre imminere periculum circa regni successionem, pro eo quod Henricus ipse Iohannem filium in cunabulis vagientem relinqueret. Fernandus vero Infans Henrici frater, maior natus erat eodem Iohanne: sed & ab omnibus regni statibus admodum amabatur. Non ergo abs re formidandum erat, ne ad regnum aspiraret, veluti quem nimia proles, item regnicolarum fauor, sed & ipsa regnandi auiditas, quæ nō imbecillia, sed fortissima pectora tentat, ad eam rem facile impellere poterant. Addebāt rursus illud Aristophanis præclarum verbum, dicentis, aut potius fingentis Periclem principem Atheniensium ab inferis remissum, & publice vaticinantem atque clamantem, non oportere in vrbe nutriri leonem, qui cum se filium leonis conspicit, scit sibi

scit sibi coronam a natura largitam. Ad quos Henricus moribundus, sed animo fortis, Sinite, inquit, timere. scio enim neminē esse Regis filium, qui non se regem decies in nocte somniat: nec desunt qui id ipsū adaugeāt dicentes, aut potius blandientes, quia si filius, ergo hæres, nihilque (vt aiunt) Regis filio, vt Rex fiat, deesse, nisi regnandi animum. Ea tamen aliena sunt a Fernandi integritate. Nosco enim illius innocentissimam naturam, cuius fidem ac ingentem probitatem expertam habeo. Sum quidem certo certior Fernandum fratrem degenerare minime posse a parentū nobilitate, sicut nec a se ipso. Quod vero dicitis eum a populo dilectum, id ipsum liquido demonstrat, quantæ sit fidei & probitatis. nihil enim magis ad amicum trahit quam explorata fidelitas, quia scriptum est, fideles in dilectione acquiescent ei. Difficile enim foret Fernandum ab omnibus diligi, nisi quædam naturalis sibi bonitas & innata fides adesset. Illa enim est cinctura renum eius. Quare non est in Fernando timenda improbitas, sed admiranda atque imitanda fidelitas. Qua constanti fiducia Henricus omnem formidolosam cunctationem a suorū mentibus euulsi. Huius Henrici tertii tempore sedit in cathedra Petri schismate durate præfatus Clemens septimus, & Benedictus decimus tertius natione Hispanus: apud Romam vero præfuerunt prædicti Bonifacius nonus & Innocentius sextus. In imperio vero sederunt Carolus antedictus, & eo viuente Vladislaus præfati Regis Bohemiæ filius electus fuit, quem electores vt dilapidatorem deposuerunt, eligentes Robertum ducem Bauariæ Comitem Palatinū. Hic Vladislaus imperio priuatus, peruersam hæresin Hussitarum in regno Bohemiæ fouit atque defendit. Præfatus vero Robertus sic vt præmissus electus, per Bonifacium nonum confirmatus & coronatus est. Fuit autem iustus & bonus, qui Italiam est ingressus contra Iohannem Galeatium ducem Mediolani, a cuius gentibus fugatus est, & inglorius in Alemaniam rediit.

De Iohanne II. Henrici filio, Rege Castellæ & Legionis XLIII. post cladem Hispaniæ, & de Katherina matre & Fernando patris tutoribus eius, & de præclaris victoriis Fernandi tempore infantia Iohannis, & qualiter recuperavit Antequeram, & de singulari fide & ingenibus virtutibus Fernandi. Cap. XXV.

Iohannes II. filius Henrici prædicti, incepit regnare anno domini millesimo quadringentesimo septimo. hic ab Athanarico primo Rege Gotthorum octogessimus secundus Rex fuit, a Pelagio vero primo Rege post cladem Hispaniæ quadragesimus quartus. hic princeps ex omni parte nobilissimus fuit, nec solū ex clarissimo Gotthorum genere originem traxit, sed ex illustri prosapia Imperatorum Romanorum & Græcorum ac nobilissima & sacra domo Franciæ. Inter cætera quidem matrimonia quæ inter has inclytas domus sæpe celebrata fuere, illud vnū non parum vtramque familiam iustrauit. Fernandus enim dictus dela Cerda Alfonso decimi Regis Castellæ primogenitus vxorem duxit filiam Sancti Ludouici Regis Fræcorum, quem Bonifacius octauus canonizauit, ex qua genuit Alfonso dela Cerda qui auus fuit Reginæ Iohannæ consortis Henrici secundi, quæ proauia fuit huius Iohannis secundi. quo fit vt Iohannes ipse per rectam stirpem descendens, septimo gradu distet a Sancto Ludouico. Rursus hic Iohannes trahit originē a Regibus Angliæ. Vt enim supra actum est, Iohannes ipse nepos est Iohannis Ducis Alencastriæ filii Eduardi, vltimi huius nominis Regis Anglorum. A cæteris vero Hispaniarum Regibus nedum descendit, sed ipsi ab eius stirpe descendunt. Ex dignitate itaque & excellentia progenitorum & eorum antiquitate (vt ait Aristoteles in Rhetoricorum libro) cognoscitur summa nobilitas cuiusvis principantis. Accepit autem regni sceptrum cum esset in cunabulis, nondum viginti menses expleuerat, & die natalis domini qua pater obiit, in regem eleuatus est. Regnavit autem annis quadraginta septem. ex dispositione paterna duos idoneos quidē ac solertissimos tutores sortitus est, Katherinam videlicet matrem, & Infantem Fernandum patrū suū, quo postea in Regem Aragoniæ assumpto, tutela ad Katherinam

matrem in solidum rediit. In qua tutela Olympiadem Pyrrhi Regis Epirotarum filiam imitata est, quæ post mortem mariti Alexandri, filios Pyrrhū & Ptolemæum literarum studiis instruit fecit, quibus & regnum conseruauit. Sic & Zenobia Odenati vxor defuncto marito regnum Syriæ gubernauit, dum filii laudatis studiis & moribus vacarent, nec modo regnum seruauit, sed auxit. Nec solum Regina ipsa Katherina prudentissima, sedula in filio alendo atque erudiendo erat, sed in regni gubernatione vigilantissima. cuncta enim nobiliū, Baronum regni, ac prælatorum consilio agebat, sed præsertim duorum fidelium clarissimorum virorum nedum fide, sed ætate, prudentia, & experientia probatissimorum, quos Henricus Rex eorum ingentibus virtutibus dilexit, videlicet Iohannem de Velasco & Didacum Lupi de Astuniga, quorum hodie nobilissima proles parentum nobilitatem imitatur. Quinimo qua fide, qua integritate, qua obseruantia patres & aui eorum, eadem & nepotes tempore publicam tutati sunt. Nec aliter egerunt ceteri potentes & regni magnates. Tandem Katherina vt Deo placuit, paulo post vita functa est. Iohannes igitur XIII. ætatis suæ anno constitutus, sine tutoribus agens, de assensu prælatorum & omnium statuum regni gubernacula suscepit. Duxit autem vxorem illustrissimam Mariam consanguineam suam, filiam Fernandi patris prædicti, ex qua genuit duas filias in infantia defunctas. genuit rursus excellentissimum Henricum quartum, nunc feliciter regnantem. Post obitum vero Mariæ duxit secundam vxorem Elisabeth filiam Iohannis Infantis filii Iohannis Regis Portugaliæ, ex qua genuit inclitos Alfonso & Elisabeth, nunc superstites, quos altissimus conseruare dignetur. Huius Iohannis tempore dum iocunda infantia gauderet, Fernandus patruus eius atque fidelissimus tutor & solertissimus militiæ dux, guerram contra Sarracenos a patre & fratre præmortuis inceptam feliciter continuauit, & in propria persona proficiscens multis Hispaniæ nobilibus sociatus, regnum Granatæ potenter ingreditur, vbi fructuose admodum & cum summa eius laude pugnatum est, multasque Sarracenis clades intulit. Cui etsi a Mauris magna auri pondera oblata fuissent, ille respuit, dicens quia sanguinem illorum, non aurum sitiebat, & vt alter Scipio Æmilianus, non quantum auri pondus afferre potuisset cogitauit, sed quantum gloriæ & amplitudinis, si tantum aurum contempserit. turpe enim dicebat si quid eorum fidei & virtuti debetur, pecunia ematur. quo euenit vt crudeliorem contra eos postea guerram gereret. Tandem urbem dictam Antequera de nobilioribus regni Granatæ per annū fere obsedit. Cumq; ex Africa innumera Arabum multitudo transfretasset, vt urbem ab obsidione liberaret, persuadentibus militibus ne vitæ suæ atque illorum ea die finem imponeret, respondit se ideo venisse, non vt salutem suam, sed vt Christianæ religioni longiores terminos faceret: nec modo illi cura erat de vita, dum ciuitas esset euicta: addens quia nec urbis obesse altissima mœnia, nec terribilis classis copiæ eum terrebant, quippe qui vel urbem ingredi, vel prope urbem sepeliri spiritu firmo delegerat, honestam mortem extimans turpi meticulosæq; vitæ præferendam. Illico igitur urbem oppugnat, a qua cū Sarraceni non paruo numero egredientes castra impeterent, Fernandi tamen virtute & industria captiuantur. Suadebant igitur multi eos omnes occidendos, vt inclusorum vires frangerentur. Fernandus vero vt alter Lucius Papyrius quem Plinius commemorat, omnes dimittendos fore asseruit, vt ipsi beneficio, ceteri humanitate & exemplo obligarentur. Tandem armorum vi eandem adeptus est urbem, multis Arabum millibus in expugnatione cæsis, ipsamq; urbem Iohannis nepotis sui regno adiecit, cui vniuersam victoriā fidelissime attribuit, velut alter Ioab princeps militiæ David, qui (vt ait scriptura sacra) cū instaret captio ciuitatis Rabba, quā diu Ioab ipse obsederat, misit ad David vt veniret capere urbem, & Regi, non sibi honor victoriæ deferretur. Eadem denique die Sarracenorū copias qui de Africa ad succursum urbis venerāt, gloriose deuicit, rediitq; felix ad Iohannem Regem, qui non paulo post tantæ fidei & probitati præmium contulit, præsertim in affecutione Regni Aragoniæ, vt statim tagemus. Iohannes igitur Rex sicut ætate, sic virtutibus crescebat, Deum timuit, ecclesiis, & viros ecclesiasticos, & religiofos, & doctos plurimū amauit & decorauit, diuina officia frequētabat, vt statim dicemus.

dicemus. Hic Iohannes natura mitis & clemens erat: veruntamen seditionibus & magnatum ambitionibus prouidens, Fredericum ducem Beneuenti in vinculis trudit, Alfonso etiam eiusdem Frederici fratrem exulem fecit a regno. Postea vero inualescentibus seditionibus nonnullos Comites & Barones tumultuantes trussit in carceribus, quos postea benigne liberauit. Verum quia huius Iohannis tempore vacatio regni Aragonum occurrit, dignum duxi contentiones super regno ipso occurrentes breui inserere.

De vacatione regni Aragoniæ tempore dicti Iohannis Regis Castella, & de competitoribus in dicto regno, & qualiter Fernandus idem regnum obtinuit captiuato Comite Vrgellensi. Cap. XXVI.

IOHANNES igitur prædicto regnante, sub tutoribus præfatis agente, vacauit regnum Aragoniæ per Regis Martini obitum sine filiis decedentis. Super regno igitur magna admodum contentio & grauissima altercatio orta est, fueruntq; plures competitores, videlicet hic Iohannes secundus de quo agimus, & eius nomine Katherina eius mater & tutrix: item Fernandus Infans patruus Iohannis: Dux etiam Andegauiz: Comes deniq; Vrgelli. Hi omnes ad regnum prædictum Aragoniæ aspirabant, & vnusquisq; successionis iure sibi regnum deberi asserbat: omnes tamen (vt aiunt) ex materna femineaque stirpe ius prætendebant, alius successiones antiquas, alius propinquiores adducebat. Quæ omnia in præsentiarum adducere, historiæ seriem de qua intendimus, rationem excederet. Ea tamen contentio quæ inter infantem Fernandum & Iohannem Regem Castellæ eius nepotem magis domestica videbatur, cum omni honestate summaq; virtute & prudentia acta est & modestissime gesta, adeo vt nulla exterior disputatio aut contentiosa altercatio secuta est, & vt paucis agamus, facile fuit vincere volentes. Tanta. n. erat virtus, tanta Fernandi probitas & fides, & tam ingens ad illum erat caritas Reginz matris Iohannis, exuberansq; cunctorum nobilium regni Castellæ ad eum amor, quod nedum Fernandus nullum in adipiscendo regnum impedimentū sensit, sed opimatissima atq; grauissima præsidia adeptus est, quibus pacifice regnum adeptus est. Scriptū est enim: Mansueto & fideli da honorem iuxta meritū suum. Fatemur nō partim rebus Fernandi adiumento fuisse, Iohannem nepotem eius infantia gaudere. Si enim perfectæ fuisset ætatis, forte res ipsa alios habuisset successus. Conclusum est ergo per reginam & magnates regni Castellæ inclitū Fernandum futurū debere & oportere esse Regem Aragonum, quippe potentia, thesaurus, vires, omnia denique præsidia fuere sibi pollicita & publice proclamata, vt illud Artaxerxis Regis Persarum quod apud Hesther legitur, de Fernando dictū videatur. Cognoscāt (inquit) omnes, qui fideliter Regi obediunt, dignā pro fide recipere mercedis coronā. Fretus igitur idem Fernandus his potentiis facile fuit regnū Aragoniæ nancisci, quia (vt aiunt) cedunt regna victricibus armis. Adde quia Fernandi ingentia merita longe plus quam arma pugnabāt. Teste. n. Seneca, certius virtutibus quam viribus victoria comparatur. Resistebant tamen Valentini plurimū, & Aragonenses simul & Catalani, quorū plurimi Comiti de Vrgellis fauebant, veluti intra regnū nato & dilecto. Tandem post multa prælia hinc inde commissa, quod necessario armis futurum erat, summa cum virtute per viam cōpromissi & iuris sopitum est. Fuere igitur iudices, olim Papa Benedictus, sic in sua obedientia nominatus, ac frater Vincentius Ferrarii, postea per Calixtum I. canonizatus sanctus, & nonnulli alii. Ii vero summa cū sapientia & prudentia cuncta librantes, statū rerum, ac pericula prompta, iura deniq; Fernandi Castellæ Infantis prædicti considerantes, eiusq; potentiā, progeniem, virtutes deniq; innumeras, & humanitatem intuētes, eidem Fernando pro quodam necessario expedienti regnū adiudicauerunt. Qui regni sceptrū nactus, Comitē Vrgellensem prædictum intra regnum existentem, & magnas habentem sequelas vi cepit atque incarcerationi. Hic Comes Vrgelli auus fuit ex filia Petri de Portugalia & fratris eius Iacobi cardinalis, sancti Eustachii proxime defuncti. Hūc Comitē Vrgellensem Fernandus sub compedibus ligatū misit in Castellam ad fortalitiū de Huruenna prope Palentiā. Sic itaq; pacifice & feliciter deinceps re-

gnum Aragoniæ cum adjacentibus partibus obtinuit, & ad dictum regnū se transfudit, uxorem, filiumq; Alfonso primogenitum, & filias duntaxat secum ducens, ceteros vero filios, videlicet Iohannem, nunc modernum Aragoniæ Regem, & Henricum magistrum sancti Iacobi, ac Petrum intra regnum Castellæ nepoti suo Regi Castellæ recommissos dimittens, suum & vxoris patrimonium eis diuisit.

De singulari religione Iohannis Regis Castellæ & Fernandi Regis Aragonum circa extirpationem schismatis in Dei ecclesia, & de congregatione concilii Constantiensis. Caput XXVII.

REGNANTE eodem Iohanne secundo in Castilla & Legione inualuit plurimum schisma illud pestiferum & inueteratū, de quo hæcenus diximus. Erant enim in ecclesia tres Romani pōtiffices intitulati, Benedictus videlicet Aragonensis de domo Luna, & Iohannes, nec nō Gregorius, sic in suis obedientiis nūcupati. Ad cuius schismatis extirpationem, præfati, Iohannes Castellæ, Fernandus Aragoniæ Reges, summa vigilantia & solertia studuerunt. Et licet prædictū Benedictum, olim Petrum de Luna vocatū, intra Hispaniā natum, & ibi manentem carissimum haberent, & rursus Benedictus ipse Galliæ & omnium Hispaniarū præter Portugaliā obedientia potiretur: vnionem tamen ipsam cunctis possibilibus remediis profecuti sunt. Quinimo vnionem & pacem ecclesiæ affectibus suis præferentes cum prædicto diuo Sigismundo Cæsare tractatus iniere, & actum est vt prædictus Sigismundus Hispaniam bis peteret. Qui sese mutuo intelligētes, assistente deniq; Christianissimo Rege Franciæ, nonnulla apud Narbonam concordata capitula concludere, ex quibus congregatio concilii Constantiensis secuta est. Pro quo adunando Sigismundus in Alemaniam rediit: prædicti vero Reges, Iohannes & Fernandus, iuxta eadem capitula, Benedictum summopere rogant, monēt, atq; conuertantur, vnitati ecclesiæ consuleret, & ad resignandum titulo papatus animam daret, vel se Constantiam personaliter conferret. pollicebatur enim sibi omnimodam securitatem, quinimo Alfonso filium eiusdem Regis Fernandi primogenitum cum eo mittere promittebant. Sed Benedictus ipse piis eorundem Regum precibus durior effectus, vttramque viam reuicit: sed resignandi præsertim verbum quam impatientissime audiebat. Huius duritiem etiam fletere omnes Hispaniæ prælati & clerus plurimū studuerunt, idq; per suos repetitos oratores postularunt, sed neq; profuerunt. quinimo quanquam subtractionem obedientiæ eidē comminati essent, nullo pacto animus eius flecti potuit. Considerantes igitur præfati gloriosi principes, quia, teste Augustino, melius est vt pereat vnus, quā vt pereat vnitas: & iuxta Ambrosium, In corpore Christi nullam habet societatem qui vniversum corp⁹ diuidere conatur, quippe nec ad æternā potest peruenire requiem, qui se ab ecclesia separat per contentionē: deliberarunt ab vno acephalo disungi, vt vniverso iungerentur. Concordarunt igitur iidem deuotissimi Hispaniæ principes, eūdem Benedictum potius deserere, quam vnitatem ecclesiæ impedire, quæ in promptu erat, ne per eorum adhærentiā quouismodo vnitas differretur. Quare decreuerunt ambo Reges publice eidem Benedicto obedientias subtrahere. Qui hæc præsentiens per mare furtim ex Perpiniano Penicolam petiit, in regno Valentia, oppidum intra mare situm, quod ordinis est sancti Iohannis, quod per quendam suum nepotem tenebatur, ibiq; paucis eum sequentibus nedum vitam, sed fidē simul & famā amisit. Interim vero congregatur Constantiæ synodus cœcumenica super eodem extirpando schismate, ad quod solemnēs oratores prædicti Reges transmisere. Post quorum accessum & adhæSIONem, concilium plenum robur & firmitatem obtinuit, & factis rite & recte processibus eundem Benedictum sæpius monitum & citatum damnauit, aliis Antipapis libere cedentibus. Quo facto patres in eodem synodo congregati post plurimas saluberrimasq; constitutiones, reformationem ecclesiæ vniuersalis in capite & membris concernentes, mature atq; digeste editas, ad electionem Romani Pontificis procedētes, dominum Martinum Papam quintum, Romanum de domo Columnæ, vnanimiter elegerunt. Sic igitur vnitas ecclesiæ Dei feliciter reddita est.

De inchy-

De inchyta Maria vxore prima Iohannis Regis Castellæ, & de grauib⁹ disidiis inter eū & Iohannem Regem Nauarræ & Infantem Henricum, & de causis eorum, & de Aluaro de Luna & miro affectu Iohannis ad eum. Cap. XXVIII.

IOHANNES igitur Rex Castellæ & Fernandus eius patruus vltra naturale & propinquissimum sanguinis vinculum quo erant copulati, per matrimonia, vt diximus, longe magis præfatam necessitudinē adauxerunt. Nam Iohannes ipse duxit uxorem Mariam filiam Fernandi. Rursus Alfonso primogenitus Fernandi duxit uxorem Mariam Iohannis Regis Castellæ sororem, & sic erant omnes fratres consanguinei. His igitur compositis Fernandus Rex Aragonum prope Barcinonam in oppido Igualada morte cōmuni obiit, relicto filio Alfonso in regno Aragoniæ successore, qui ex Maria vxore nullum filium genuit, sed ex quadam domicella Valentina procreauit filium Fernandum nūc Regem Sicilia. Iohannes vero Rex Castellæ ex Maria vxore, vt diximus, genuit Henricum quartū nunc regnantem. Restabat Iohanni Regi Castellæ maritata alia soror Katherina, speciosissima quidem. Alfonso denique Regi Aragonum etiam restabant duo fratres, Iohannes & Henricus, & soror Iohanna. Iohannes igitur & Henricus fratres Alfonso Regis residebant in Castilla apud curiam Regis Iohannis. Contendebant igitur ad inuicem quis Katherinam uxorem sortiretur vtriusque consanguineam. Tandem obtinuit eam Henricus Infans, tamen, vt paulo post compertum est, præter mentem Iohannis Regis Castellæ, Katherinæ fratris, quæ res incientium fuit multorum malorum, vt infra patebit. Sæpe tamen graues seditiones in republica oriuntur ex causis similibus. Narrat itaque Aristoteles Politicorum quinto, quod duobus viris potentibus propter quandam speciosam & locupletem mulierem in quadā Græciæ ciuitate dissidentibus, dum quilibet illam obtinere conaretur, omnes ciues diuisi sunt, quibusdam vni, aliis alteri fauentibus. quo euenit vt politia ciuitatis mutaretur de aristocratia in oligarchiam. Simile narrat accidisse apud Delphos, & iterum apud Mitylenæos. Rursus non paruas seditiones pariunt contracta inuitis parentibus connubia, & longe maiora dissidia oriuntur, si inuitis patribus aut fratribus rapiuntur, quemadmodum accidit Regi Sichei filiam Iacob inuitis fratris rapienti. Nam & apud Machabæos legitur de quibusdam, qui cum clandestinas nuptias celebrarent, præter mentem domini nuptiæ eorum versæ sunt in luctum, & vox Musicorum in lamentum. Iohannes Infans frater Alfonso prædictus sortitus est uxorem dominam Blancam Reginam Nauarræ, relictam Regis Martini, factusque est Iohannes Rex Nauarræ. coruscavit enim titulo regio ex Regina vxore sua, ex qua genuit vnum filium masculum, Carolum principem Nauarræ, & duas filias, Blancam videlicet, quæ data fuit nuptui Henrico Regi Castellæ moderno, & alteram quæ nupsit Comiti de Fuxo. Iohanna vero, soror vtriusque Regis Aragonum & Nauarræ, data est vxor Eduardo Regi Portugaliæ, ex qua genuit Alfonso Regem modernum. Iohannes vero prædictus Rex Castellæ ex Maria sorore dictorum Regum Aragonum & Nauarræ, postquam, vt diximus, genuit Henricum modernum Regem Castellæ, duas postea filias habuit, quæ in cunabulis obierunt. Hic itaque Iohannes secundus Rex Castellæ cum esset adolescens, carissimum habuit Aluarum de Luna secum nutritum, ex nobili genere & antiqua familia de Luna regni Aragoniæ, quondam Papæ Benedicti, alias Petri de Luna nepotē, qui adeo fuit ei dilectus, gratus, & acceptus, vt longissimo tempore Regem & regna libere gubernaret, vt latius statim dicemus. Fecitque primo eum Comitem sancti Stephani, deinde plurā dominia & terras illi donauit, & tandem procurauit, vt magister fieret sancti Iacobi. Hic regni magnates & nobiles non satis (vt aiunt) honorabat. Rursus, præter paucos sibi aut coniunctos, aut fidos, non permittebat apud Regem alios familiariter commorari. Verum cum inter ceteros conspiceret nobiles viros Petrū de Acunna, nunc Comitem de Buendia, ac Gomecium Carillo, fratres domini Alfonso Carillo Archiepiscopi Toletani, a Rege non parum diligi, eos a regio conspectu simul & fauore honeste abegit, alios inferioris sed probæ fortunæ viros Regis obsequiis substituit.

M iij

ens. Et ut paucis agamus, idem Aluarus prudens, sagax, & astutus plurimum fuit, quia ut Redemptor ait, Filii huius seculi prudentiores sunt filii lucis. Fuit denique simulans ea velle quæ nolle. His vero quos oderat affabilis, & quasi beneuolus apparens, balbutiens, sed facetus eloquio erat, repentinis responsionibus aut consiliis melior quam meditati, ut alter Tiberius. Verum fuit in bellis strenuus insuper & animosus. Nec defuerunt qui dicerent eum magis felicem quam strenuum aut fortem. Denique plurimas virtutes participabat, si eas cum magis expediebat, non deseruisset, aut illis recte uti voluisset. Favit ei fortuna longo tempore, & tandem cuncta ei prospere obuenerunt, quamdiu regio honori & bono publico animus dedit. Quo tempore plurima tam bello quam pace præclara quidem eius consilio & animi magnitudine acta sunt. Demum vero cum status sui incrementa (ut aiunt) supra modum quæreret, & ut paucis agam, cuncta suo arbitrio vellet, virtutes pristinas sua dominandi cupidine obumbravit. Nam iuxta Hieron. philosophorum sententia est, moderatas esse virtutes, excessus vero ultra modum atque mensuram inter vitia computari. Et teste Bernardo, cuiusque viri illa summa prudentia est, non supra se extolli, non euadere in longius, non extendi in latius, tenere medium, si non vult perdere finem. Huius Aluari causa multa tumultuosa & misera in dictis regnis acciderunt. Iohannes enim Rex Navarra & fratres illum a Rege Castellæ expellere conatur, illeque id ipsum contra eos tentabat. Accedit quia animus Iohannis Regis læsus erat, pro eo quod infans Henricus cum tumultu, & eo infans Katherinam sororem suam in uxorem, ut prædictum est, acceperat. Quare creuit dissidium, veluti scriptura sacra testante, occasione Dinæ filia Jacob, quæ contra mentem patris Sichem rapuit, facta est magna discordia in terra. Alfonso vero Rex Aragonum, & Iohannes Rex Navarra, ac Henricus fratres prædicti, etiam implacabiliter stomachatierant, quod Aluarus eorum æmulus ita acceptus esset Regi Castellæ, & eorum incommoda procuraret, conabanturque expulsione Aluari a Regis Iohannis curia & præsentia.

De intestinis dissidiis inter Iohannem Regem Castellæ, & Alfonso & Iohannem Reges Aragonum & Navarra, & fratres suos, & quomodo Infans Henricus fuit bis captiuatus, & de concordia inter eos facta per medium legati Apostolici & inclitarum Reginarum Castellæ & Aragonia. Caput XXIX.

VERVM quia sanguis naturaliter, sicut cum turbatur leuiter, transit facile in contrariam speciem cruoris, ita inter sanguine iunctos cum parum læditur ipsa teneritudo amoris, facile transit in graue odium rancoris. Ut enim quidam sapiens ait, sicut nullus amor æquior fraterno, sic nullum ubi ceperit, iniquius odium, nulla acrior inuidia, nullum denique periculosius bellum. Nam teste Valerio Maximo, propter priuatas dissensiones cuiuslibet reip. status ruinæ exponitur. Frustra enim bellum foris quæritur, cum domi & intra mœnia geritur. Quare idem Valerius subdit, quia ubi pertinax inter coniunctos intercidit odium, plus alter alteri, quam vterque contrariis castris certior hostis efficitur. Ex his itaque quas supra enarrauimus, & aliis non leuibus dissidii causis, animus Iohannis Regis Castellæ non mediocriter vlceratus erat, quippe de quibusdam infantis Henrici simulatibus commotus, illum diris carceribus captiuari iussit. Creuerunt itaque dissidia nedum ciuilia & intestina quæ inter ciues esse solent, sed plus quam ciuilia quæ inter sanguine deuinctos exoriuntur. Tale quippe bellum raro sopitur nisi altera occubente parte, ut Romæ accidit in Gracchiana seditione, & demum in Cæsaris ac Pompeii dissidio. In quibus funestis bellis sæpe patres in filios læuunt, filii in patres, & fratres in sibi vterinos & germanos. Sed inter hos principes eo magis se alebat contentio, quo Henricus Infans strictius carceris vinculis tenebatur, & quo Aluarus a Iohanne Rege arctius amabatur. Quare Alfonso & Iohannes Reges Aragonum & Navarra instant, monentque Iohannem Regem Castellæ pro liberatione Henrici fratris & expulsione Aluari, hortantes ut Iohannem Regem Navarra & Henricum consanguineos suos secum

secum ferre vellet, eosque tractaret ut iura sanguinis poscebant. Iohannes vero Rex Castellæ eundem Henricum liberavit, & consanguineos prædictos complexus est, eos exhortans ut a tumultibus cessarent, nec Aluarum persequerentur. Henricus igitur liberatus a vinculis eo fortius Aluarum persequatur, & gentium copias aggregauit. Tam implacabile quidem inter Henricum & Aluarum erat odium, ut alter eorum illud Ciceronis in Catilinam diceret. Cum enim a quibusdam ciuibus Ciceroni dictum foret, a Catilina incendium sibi paratum fore, ait, Si aqua non potero, ruina vrbis exinguam. Execrabile certe verbum, quo priuata eorum odia reipublicæ grauius exasperasse excidia liquido annalia Romana ostendunt.

10 Longe aliter duos Atheniensium duces de imperio altercantes egisse Orofius narrat, qui dum ob illorum domesticam discordiam regni periculum imminere conspicerent, communi vtriusque voto ad Senatum populi rem transferunt, depositis priuatis odiis. Iohannes Rex animo prospiciens Henricum nullo pacto auerti posse, quin Aluarum insequeretur, etiã cum suo & regni discrimine eum iterum captiuare iubet. Sed iteratis precibus & monitionibus Alfonso & Iohannis rursus liberatur. Fertur Henricum sic relaxatum adductum fuisse ad Iohannis regis Castellæ præsentiam, quem ut vidit, oblitus iniuriarum sic alloquitur: Precor te consanguinee carissime, non sit inter nos ciuilis discordia quos natura coniungit. noli rursus iniuste persequi eum qui te iuste plectere possit. veniam iterum tibi optimam dono: tu autem mihi bonam exhibe mentem, ama indulgentem tibi, non intumesca crebra venia mea, quam afflicta tua insolentia in vltionem ducere posses. non te (inquit) conturbet quod Aluarum de Luna diligam. amor enim non odiendo, sed obsequendo quæritur, nec a persequente, sed obediante inuenitur. nemo inuitus amat, raro quis læssus diligitur, sed & ut Q. Curtius ait, nullus fideliter diligit quem sæpe fastidit. Aluarus non propinquus amat, tu coniunctus odis. Fac oro, ut te amem: ego vero agam, ne me odias. longe plus te quam Aluarum diligam, si plus tu quam Aluarus diliges. Verba certe optimo principe digna. In qua re Iohannes imitatus est Alcæum poetam qui (ut ait Laertius in vita philosophorum) cum multas iniurias Pittaco philosopho intulisset, Pittacus adeptus principatum, ad Alcæum tremebundum ait: Mihi pro vindicta, tibi vero pro pœna illud solum sufficiat, quod tibi auxilium vel fugam præsidio deficiente veniam do, cum tamem iniuriarum quas mihi sæpe intulisti, præmia posses reportare. Me igitur parcentem persequi desine, quem iuste pati posses habere vltorem. Quibus verbis finitis Henricus supplex gratias agit de clemēti venia, omnem obedientiam pollicetur. Nihilominus paulo post Iohannes Rex Navarra & Henricus ægre ferentes quod Aluarus indies magis ac magis exaltaretur, & Iohannes rex Castellæ in eorum contumeliã & despectum illum totis viribus defendere conabatur, intra regnum gētes coadunabat, & populos commouebat contra Aluarum. Quæ res fieri non poterat, quin scandalum generaretur in regno. Commotus Rex Iohannes, maxime quia aliquas gentes de regno Aragoniæ in suum auxilium ducebant, ea de re cuncta loca, castra, & dominia prædictorum Iohannis & Henrici ad manus suscepit. Igitur Iohannes & Henricus ad fratrem Alfonso regem Aragonum recurrerunt. Qui adiunctis secum populis Aragonensibus & paucis Castellæ magnatibus cum magno exercitu & potentatu Castellam ingredi deliberat, obtenturus patrimonia fratrum, & expulsurus Aluarum prædictum. Confidebat enim in nonnullis regni Castellæ nobilibus, qui tandem ei minime auxilia præstiterunt, imo regem suum Castellæ secuti sunt. Iohannes vero rex Castellæ cum dicto Aluaro & tota Castellæ potentia occurrit eidem Alfonso regi. Quod intus Alfonso aliquantulum retrocessit, & quia Alfonso regnum Castellæ manu potēti ingressus fuerat, Rex Iohannes eum insequens regnum Aragoniæ ingreditur. Nam apud oppidum Hariza vterque insedit exercitus, magnus valde, qualis a centum annis non fuit in Hispaniis congregatus. Reginæ itaque Castellæ & Aragoniæ vxores & sorores permixtum vtriusque Regis dolebant interno dolore, quia vtroque euentu non nisi miserum exitum timebant. necesse enim erat vnamquamque de victoria dolere, cum aut maritum, aut fratrem vinci oportebat, & ut de Sabinis fœminis Augustinus commemorat, quarum patres & fratres simul cum maritis bellabant, sic calamitosa. Sed inclitæ Reginæ ordinatis aciebus triste spectaculum mœstissimamque palæ-

stram cernere verebantur, nec aliud superesse videbatur, quam vel sanguine fratrum dorarentur, vel maritorum cæde viduarentur, & qui vinceret, miserabiles a fororibus amplexus extorqueret. Timebant quoque miseræ ipsæ Regina, ne auderent flere fratres deuictos, ne offenderent maritos victores. Quare pro sedandis tam funestis diffidiis summopere laborat, antiquos illos Romanos imitata, qui teste Valerio Maximo conuentum instituebant, & Charistia appellarunt, vt si aliqua inter cognatos & affines querela esset orta, adhibitis pacis fautoribus tolleretur. Ad pacandum igitur diffidentes maritos simul & fratres, præclarissimæ Regina omnem adhibent conatum, Iuliam Cæsaris filiam & G. Pompeii uxorem imitata, cuius summa virtute & prudentia patris ac mariti intestina diffidia, quamdiu illa vixit, quieuerunt. Ea vero mortua, orbis & vrbis tranquillitas perturbata est. Assistebar tandem eisdem nobilibus Reginis dominus Cardinalis de Fuxo, legatus a bonæ memoriæ domino Martino V. super hac read Hispanias missus. Post multa igitur placuit pacis auctori, quod inter eos treugæ positæ sunt, & deputati fuerunt sex iudices ex vtraque parte, qui eas omnes differentias sua sententia cõplanarent: inter quos pro parte Alfonsi Regis Aragonum alter ex deputatis fuit beatæ memoriæ sanctissimus dominus Papa Callistus secundus, tunc Episcopus Valentinus, qui per quinque continuos annos in vna diæta apud Agredam cum aliis mansit deputatis. Tandem auctore Deo conclusa atque firmata est pax perpetua inter eos, & Iohânes Rex Nauarræ & Henricus redierunt in Castellâ. De-
 20 mum vero eo tẽpore Eduardus Rex Portugaliæ moritur, relicto paruulo filio Alfonso & tribus filiabus. Alfonso regnum obrinet, sed super tutela oritur discordia inter Reginam & Infantem Petrum, fratrem Eduardi Regis. Post multa vero Infans Petrus licet de facto, puerum ad se recepit, atque vt tutor gubernat. Regina recedit a Portugalia in Castellam, & Reginâ sororem & fratres adiit. Interim crescit Alfonso, & (vt aiunt) de consilio aliorum patruorum qui Petro fratri inuidebãt, iniuriam matris vendicans, in xv. atatis suæ anno Petrum tutorem a se expellit. Qui cum resistere conaretur, per Regem & patruos in bello campestri occiditur, expulsis filiis a regno, inter quos fuit nobilis dominus Iacobus, postea Cardinalis Portugalensis.

De clarissima victoria Iohannis Regis Castellæ contra Sarracenos Granatæ, & de iterata discordia inter Iohannem Regem Castellæ & Iohannem Regem Nauarræ & Infantem Henricum, & de eis que acciderunt in oppido de Medina, & de fuga Aluari de Luna. Cap. XXX.

FACTA itaque hac felici pace inter Iohannem Regem Castellæ & Alfonso Regem Aragonum & fratres suos, Alfonso Rex Aragonum Italiam petit & in conquesta regni Siciliæ: cuius progressum infortunia, deinde prospera gesta tam promiscua secundarum ac aduersarum rerum vicissitudine fortuna tentauit, vt quemadmodum de Cæsare Augusto Valerius ait, non sit facile discernere calamitosior, an beator fuerit. Verum quia Alfonso aduersa infatigabili labore sustinuit, quinimo fortunam ipsam sæpe in eum sæuientem cum pudore superatam in sui auxilium summa prudentia & perseverantia conuertit, merito vt putamus, inter felicissimos computandus est. Cuius latius gesta enarrare modo propositi non est, qui solum de Hispanicis rebus agere decreui, eo maxime quia apud Italos tam recens, tam clara, tamque illustris est eius memoria, vt non secus de diuo Alfonso, quam de quodam huius sæculi sydereo splendore loquantur. Iohannes vero Rex Castellæ cum accepisset, perfidos Sarracenos non parua intulisse damna terris suis, vt erat catholicus & deuotus, in propria sacrum templum beatæ Mariæ de Guadalupe visitauit, vbi oblati Deo muneribus ac diuo auxilio confortatus patriam Sarracenorum valida manu ingreditur, imitatus Samuelem qui dum offerret holocausta, Philistæi castrametati sunt ciuitates Iſrahel. Sed veniente Samuele ad bellum, illico in tonuit dominus fragore magno super Philistim, & exterruit eos, & cæsi sunt a filiis Iſrahel. Nec aliter Iohannes eosdem Sarracenos magna clade percudit, & plurima castra & oppida ab eis vi & armis obtinuit:
 inter

inter cætera Huestam, Ximenam, & Vellem, & plurima alia. Deinde urbem Granatam populatissimam obsedit, licet non facile obsidionem patitur. Sarraceni vero in grandi & incredibili numero sese diuidentes, alii intra muros vrbis, alii extra inter hortos difficiles aditus habentes sese receperunt. Cumque exercitus catholici ad moenia vrbis Granatæ accederent, Sarracenosque impeterent, illi freti commoditate loci in multitudine confidentes, diuersis partibus prælium cum nostris conseruerunt, durissimum quidem. Tandem diuino præsidio opem ferente occubuerunt ex Sarracenis fere decem millia: cæteri vero terga nostris ostēdentes intra urbem sese muniunt. Quia igitur tempus hyemale appropinquabat, variisque aliis causis Iohannes Rex Castellæ exercitum suum dissoluit, & in Castellam cum felici & gloriosa victoria rediit. Post hæc quia inuidia hostis humani generis (teste Augustino) semper optima & sancta opera intercipere conatur, veluti qui de fidei incrementis dolet, inuidens vnitati fidelium in teris, quam ipse vulnerauit in cælis, nouas intestinaeque iterum inter Iohannem Regem Castellæ & Iohannem Regem Nauarræ & Infantem Henricum complicesque suos discordias seminat. Illi enim, vt prius, conabantur Aluarum expellere, & regni gubernationi intendere, quibus etiam præsidio erat inclytissima nobilis Maria Regina Castellæ, & filius eius excellentissimus Henricus primogenitus, tunc Princeps Castellæ, cū nōnullis eiusdem regni nobilibus. Congregarunt igitur exercitum prope Medinâ. Rex vero Castellæ intra oppidum prædictum cū Aluaro & paucis se recepit. Illi ergo non nisi libertatem Regis prosequi acclamabant, quam miro modo oppressam Aluari artibus & potentia asserebant. Tandē ad nonnulla capitula concordie deuenitur, signanter circa expulsionē Aluari nō modo personam, sed Regis animum, vt diximus, opprimētis. Dum itaque tractatus ipse penderet, quadam intempesta nocte, nescitur quo pacto, datus est aditus oppidū obſidētibus. Regina igitur Castellæ, & Princeps filius suus, ac Iohannes Rex Nauarræ, & Infans Henricus, & cæteri magnates, Rege & Aluaro ignorātibz manu armata, sed animis mitissimis absque allicuius offensione oppidū ingressi, Regē humiliter adeunt. Quem cū magna salutarantes reuerētia, & corā eo genua flectentes, supplicāt, moleste ne ferret quod Aluarus qui tot diffidiis non modo causam dabat, sed eius regiam personam oppressam tenebat, caperet. Iohannes vero Rex tumultū præsentēs, paulo ante Aluarum auisat, vt illico solus vitam seruet. Qui fratre suo Archiepiscopo Toletano comitatus, equorū velocitate fretus euasit, & pro aliquo tẽpore Maria regina ac Rex prædictus Nauarræ & Infans Henricus Regem comitati sunt, eumque vt libere gubernet cū summa moderatiōe effecere. quo effectū vt inter ipsos tumultū diffidiū cessaret, & vt in simili Augustin⁹ de Gracchorū tumultu refert, eo ipso loco vbi Princeps aut victus aut captus putabatur, ibi victor liberiorque euaderet, & qua die Rex atrocius potuit irritari, eadē māsufficior feliciorque quo vellet pergeret.

De reditu Aluari ad Regem, & de bello apud oppidum de Olmedo, in quo Iohannes Rex Nauarræ & Henricus & sibi adherentes fusi fuerunt, & tandem de concordia sequuta, & de felici exitu illorum qui contra Regem arma mouent. Cap. XXXI.

SEd nec quieuerunt penitus diffidia. Paulo enim post inclyta domina Blāca, regina Nauarræ, vita functa est. Quare Iohânes rex Nauarræ uxorem duxit nobilem ac plurimis virtutibus præditam Iohannâ, filiam domini Friderici Admirandi Castellæ ex regio genere descendens, cunctorū Hispaniarū Regū consanguinei, ex qua genuit Fernandum ac Iohannam nunc superstitēs, & alios qui in tenera ætate vita functi sunt. Fernandus itaque per obitū Caroli eius fratris primogenitus, Aragoniæ princeps effectus est. Verū idē Iohannes longe ante genuit plures filios, naturales tantum, inter quos Alfonso, deinde Iohannem nunc Cæsaraugustanū Archiepiscopum procreauit. Interim vero Iohannes rex Castellæ angebatur absentia Aluari, anima enim eiusdem Regis colligata erat Aluaro, siebantque multi tractatus secreti inter Regem Castellæ & Aluarum & alios Barones regni, vt Al-

uarus rediret: qui tandem assentientibus Regina & fratribus suis ad Regem venit. Rex itaque Nauarræ & Henricus & complices hoc ferre non valentes, nouis denique succrescentibus dissidii causis, iterum exercitū congregant, idque & Iohānes Rex Castellæ agit. Adunati sunt igitur vtrinque exercitus prope oppidū de Olmedo. Rex vero Nauarræ, Henricus Infans, & complices prædicti, non contra Castellæ regem, sed contra Aluarū pugnare velle dicebāt. Tandē præter spem bellādi nonnulli iuuenes nobiles vtrinque se impetere leui bello incipiunt, quod moderni Scaramuzam vocant, paulatimque sese aluit prælium, Hēricus id ipsum desiderante, in quo rex Nauarræ, Infans Henricus, & sibi adhærentes fracti & victi sunt, & aliqui ceciderunt: inter quos Infans ipse Henricus nobilissimus lætalter percussus est, ex quo post paucos dies obiit, in regno Aragoniæ vno superstitio filio legitimo ex nobili filia Ludouici Pimentel Comitis Beneuēti. Nec potuit Hēricus aduersa fata fugere, & qui ad bellandum ardentior omnium fuit, primus omnium occubuit. Fertur Iohannem Nauarræ plurimosque Barones infanti Henrico aduasse, ne ea die confingerent. Ad quos spiritu forti illud Epaminundæ Græciæ Imperatoris dixisse aiunt, Si principari vultis, his ludis vobis vtendum est, non palæstricis armis, non minantibus verbis: quodque si hodie non pugnat, vt hosti feruiatis necesse video: longe denique melius fore asserens animas in acie viriliter effundere, quam in cathenis satis ab eo expertis turpiter consumere. Eo igitur expleto congressu, Rex Nauarræ ac nonnulli Comites & Barones Castellæ ei adherentes Aragoniam satis celeri gressu petierūt. Non legimus prosperos illorum exitus qui contra Principem cui fidem dederunt, seditiones aut bella mouent. Scriptum est enim: Noli stare contra faciem regis, & non coneris cōtra ritum fluiui. Et iterum, Ne dicas, quid faciet nobis Rex? Sicut & rugitus leonis, sic & terror regis. Iusta est enim Regis indignatio in eos qui Regem inquietant. quāquam enim Ieroboam filius Ioas, rex Israel, prauus & idololatra foret, displicuit tamē Deo rebellio contra eum facta, quinimo acriter punita est. Rursus teste Iosepho, cū alter ex Regibus Ægypti, postquam Senatui fidē præstasset, arma contra Gneum Pompeium sumeret, prælio interceptus, arma non contra Senatum sumpsisse assererat, nec vt aliena caperet, sed sua tueretur. Cui a Pompeio responsum est, nihil sua interest, an Rex Ægypti iuste, vel iniuste periret, dummodo periret, nec satis fidem feruasset, qui bellare tentasset. Sed de fide & obedientia Baronum & militum ad Principes suos latius tēgimus in libro Speculi vitæ humanæ in prima parte, vbi etiam agimus, quales erga nobiles Principes ipsi esse debeāt: scripsimus denique in commento super bulla depositionis Regis Bohemiæ. Igitur post prædictam victoriam Iohannes patrimoniis omnium prædictorum qui victi & fugati fuerant, confiscatis, nonnulla Aluaro prædicto cæterisque regni magnatibus donat, aliqua sibi retinens. Tandem per obitum Henrici Magistratus sancti Iacobi vacās Aluaro confertur. Iohannes vero Rex Nauarræ ex eo tempore Castellam non est deinceps ingressus, sed in Aragonia mansit, fratris Alfonso nomine regnum Aragoniæ gubernans. Postea vero per bonorum virorum mediationes facta est cōcordia inter Iohannem Regem Castellæ & Regem Nauarræ prædictum, vt dimisso patrimonio in regno Castellæ, certam annuam florenorum pētionem a Rege Castellæ perciperet. Eo tēpore nobilissima Maria regina Castellæ felicem Deo spiritum reddidit. De cuius sanctimonia, honestate, & humilitate, & immensis virtutibus ac sempiternis laudibus plurima a me dici possent, quippe & deberent, nisi pro eo suspectus iudicaretur, quia eiusdē dominæ & Henrici filii obsequentissimus extiti familiaris, quippe qui matris sumptibus literarum rudimenta, filii quoque fauoribus & præfidiis honorum vltra condignum incrementa suscepi.

De ingenti affectu Iohannis Regis Castelle ad Aluarum de Luna, & quomodo ob Aluari insolentiam amor in odium mutatus est, & de mobilitate regalis animi, & de præclaris exemplis ad eam rem. Cap. XXXII.

AVGE-

AVGEBATVR Indies Iohannis regis ad Aluarum de Luna ingēs dilectio & incredibilis caritas, nec est facile dictu quam tener pariter & tenax ad eū fuerit regis amor. Nam iuxta sapientū sententiā, necessitas amorē indicat, & ingēs periculum caritatis ardorē ostendit. Iohannes vero Rex vt Aluarū protegeret atque efferret, nullū personæ regiæ periculum, nullū a mittēdi regnū discrimen pertimuit, quippe quem nulla necessitas, nulla quoque vxoris, filii, & coniunctorū instantia, ab illius dilectione retrahere potuerunt: vt de eo sapiens dicere visus sit, quia qui diligit, omni tempore diligit. Vtque adeo eum carissimū habuit, vt ipsum mentis eius arbitrium quod liberum Deus vocat, quia liberum hominibus, nullius videlicet mortalis voluntati subiectum concessit, Iohannes ipse in Aluari voluntate reponeret. Ex qua vna re cuncti plurimum mirabatur, quid sibi vellent, aut vnde procederet tam ingens ad hominē caritas, coniectabantque non tam fore virtutis dilectionem quam maleficam fascinationem: quia (vt sapientes aiūt) eadem odisse, eadē cupere, eadē metuere, incertū est an amicitia sit, vel factio. Arbitrati sunt itaque nō abs re animum Regis fascinātū, aut prauis artibus ab Aluaro diu fuisse oppressum. Noui ego viros quidem religiosissimos atque doctissimos, qui non sine mortis metu sæpe suaferant Iohanni Regi, vt suo honori consulere, addentes quia cū Aluarus ipse pristinos mores & modum mutasset non obsequendo, ipse rex mutaret animū saltem moderate diligendo, præsertim quia (vt dicebāt) nonnulla illius cetera manifesta videbantur. Quare Augustino teste, si talibus hominibus amicitia iungeretur, necesse foret eorum culpis ligaretur. Ad quos Iohānes ipse, vt erat doctus, dicebat sapientum fore sentētiā, si eos quos diligimus, in vitia ruere conspiciamus, non confestim dissoluendā fore amicitiam, quippe & si incorrigibiles reddant, non esse rumpēda amoris fœdera, sed paulatim diffuenda, ne (vt pulchre inquit Tullius) non solum amor depositus, sed odiū susceptū videatur. Quare secundum Ciceronem ipsum vtilius esse dicebat sensim dissuere quam repente præscindere. Quam sententiam summa prudētia Rex ipse sequutus est. spectabat enim vt Aluarus ad se rediret, cerneretque animo quam certis, quamque assiduis periculis sint proximi qui regibus assistunt. Quis enim Regi David acceptior? quis pro meritis amior Ioab principe militiæ suæ? quem tamen testimonio cædi iussit, dicens ad Salomonē filium suū: Nosti quid fecerit mihi Ioab, & quid fecerit duobus ducibus, scilicet Abner & Amasan, quorū sanguinē fudit in pace: quare non deduces canities eius pacifice ad inferos. Sed vt sacra linquam exempla, quis acceptior apud Alexandrum quam Lysimachus? quis apud Tiberium quam Serranus? vtriusque tamen amplitudo nota est & ruina. quis Neroni Cæsari carior fuit Seneca nostro ac nepote Lucano? mox tamen ab eo mori coacti sunt. Gallus Augusto admodum gratus acceptusque fuit, cui paulo post capitali odio extitit. Pisonē quoque iussit occidi Otho quo cum antea mira familiaritate coniunctus erat. Bellisarius denique, vt Cæsarium annalia tradūt, tam carus Iustiniano merito fuit, vt qui Romam simul & Italiam a Vandalis & Gotthis occupatam Iustiniano cum ingenti gloria restituit, Africam sibi subegit, eum denique Cæsarem mille periculis & seditionibus liberauit: quare Cæsar ipse Bellisarium ad Constantinopolim accedentem singulari triumpho Iustrauit. Tandem non secus eum quam perfidissimum hostem insequutus est. Sed quid hæc recolimus? Annalia plena sunt his periculis, quibus versantur regum amicitias confidentes. Nec sapientum sentētia fallit quæ ait, quia multis periculosior fuit regis amicitia quam odium. Illam tamen homines summo opere quærunt. quo sit teste Petrarcha, vt periculum ematur periculo. Non enim credunt mortales, cum amantur odiri posse. Sed vtinam illud Aristotelis animo gererent, quia facilius amor dissoluitur quam nascatur. nec enim amor nisi virtutibus nobis vtrique raris comparatur, sed vitiis quæ facile sequimur, dissoluitur, quo vtrique lōge promptiores mortales sunt ad concipiēda odia quam figēdas amicitias. Adde quia teste sapiēte, corda mortalium licet inscrutabilia sint, Regū tamē plus quam cæterorū hominū occultis nobis diuinis iudiciis variabilia atque vertibilia sunt, dicente scriptura sacra: Sicut diuisiones aquarum, sic cor Regis. Hinc vnus ex sapientibus ait, quia vt fortuna, sic voluntas Regum varia

& inconstans, ac semper incerta, veluti quæ semper a multis concutitur, sed tandem a Deo dirigitur. Nec enim mysterio vacat, quia scriptura sacra testante, cor Regis in manu Dei est. Licet enim iuxta sapientem, corda omnium mortalium intueatur Deus, ipseque visitet & dirigat cogitationes hominū, peculiarius tamē diuina prouidētia iuxta eius beneplacita corda Regum dirigit, & singularius quo vult vertit illa, nōnunquam vt per Regum ministerium bonorum hic merces augetur, aliquando vt hominum scelera per eos in hoc seculo vindicentur: quem admodum conuertit cor Regis Nabuchodonosor in iram contra Iudæos, vt illos propter eorum scelera perderet. Sed hæc pauca de iis qui Regum fauoribus & amicitis confidunt, dicta sufficiunt: de qua re latius agimus in eodem libro quem nuper edidimus, dicto Speculum vitæ humanæ.

Qualiter Aluarnus de Luna prædixit ruinam suam, quem tandem Iohannes Rex Castellæ apud ciuitatem Burgensem in carcerauit & decollari publice iussit. Caput XXXIII.

VT igitur ad Aluarum redeamus, in se ille expertus est quod fertur sæpe aliis dixisse. Cum enim felicem cuncti eum prædicarent, quod Regem pariter & regnum regeret: Improvide, inquit, iudicatis, cum edificium ante finem operis laudatis. Nostis quia maledictus qui confidit in principibus. Sic itaque quodam præ-
 sagio infelicem futurum eius euentum prædixit, quem venturum non credebat. Quod etsi ioco dixerit, serio in se expletum est, vt de numero illorum esset de quibus in Euangelio dicitur, videntes non videant, & intelligentes non intelligant. Paulo enim post iusto iudicio diuina iustitia animum Regis Aluaro deditissimum cōuertit in iram. iustum enim videbatur vt qui fauore & gratia principis abutitur, eandem gratiam idem princeps vertat in odium, veluti in libro Ester scripturæ sacræ interpretes de Assuero & Artaxerxe & Aman. quasi pro hoc casu scribere visi sunt, quorum summa ad Aman dilectio versa est in summum odium. ait enim scriptura in hæc verba: Multi bonitate principum & honore qui in eos collatus est, ab-
 usi sunt in superbiam, & non solum subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moluntur insidias: nec contenti sunt gratias non agere de beneficiis & humanitate in se collata, sed Dei cuncta cernentis arbitrantur se euadere posse sententiam, in tantā vesaniam prorumpentes, vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt vt omni laude digni sint: falsis suggestionibus conentur subuertere, dum aures Principum callida fraude decipiunt, vt eorum prauis cōsiliis Regum studia deprauentur. Et sequitur: Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarum regni. quod de Aman dictum intelligatis, qui pietatem nostram sua ambitione commaculans, peregrinus a nobis susceptus est, & tantam expertus est humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus. Quare recepit nō
 a nobis, sed Deo reddente quod meruit. Hæc sunt ad literam verba sacræ scripturæ. Quæ omnia Iohannes Rex quasi pro se & Aluaro scripta reputauit. Conspiciens denique Iohannes Rex simul & dolens quod Aluarnus ipse nullum sibi moderationis frænum poneret, sed cuncta suo arbitrio regeret, subditos opprimeret (quippe qui in ipsis sacris Christi passionis diebus quibus homines culpas donare, nō exigere, nec punire solent, Alfonso Petri de Buiero Regis maiorem computorum officialem & dilectum consiliarium insolito mortis genere, videlicet præcipitio mori iusserat) & (vt aiunt) Regi a quo sublimatus est, debitam & consuetam præminentiam & reuerentiam non seruaret, Regisque familia & honor decrederet, & suæ domus fastus augetur: frementibusque atque instigantibus plurimis regni nobilibus & clamantibus etiam populis, decreuit post maturam deliberationem bonum regnorum suorum vni homini & quidem insolenti fore præferendum. Quare assistentibus quorundam magnatum & potentum secretis cōsiliis & præsidis, præcipue nobilis viri Petri de Astuniga Comitis Placentini & Aluari de Astuniga eius primogeniti, arcem Burgensis ciuitatis obtinentium, præfatum Aluarum

uarum eius rei inscium sagaciter & sine aliquo tumultu apud eandem ciuitatem Burgensem in carcerauit, & tandem factō legitimo processu in oppido Vallisoleti publice iugulatur, captusque eius in foro per triduum mansit. Nouimus nos virum vita & sapientia integerrimum, qui Aluarum in foro ad supplicium adductum cōsolabatur, inter cætera dicens ea lege humanam prosperitatem atque vitam ipsam quam illico dimissurus esset, suscepisset, vt aliquando ab eo auferri deberet: quia nostro Seneca teste, nihil fortuna eripit, nisi quod dedit, immo vt Iulius Celsus ait, quos fortuna beneficiis iustrat, ad duriores casum reservat. Cui Aluarnus, Recolo, inquit, quod mihi alias dixeris, quia hæc terrena & humana prospera velocius atque celerius amittuntur, quam acquiruntur. Quare ego etsi aduersitatē post tantam felicitatem aliquando timuerim, non tamen omnimodam ruinam, etsi secundarum rerum iacturam, non simul & vitæ extermium. Quæ vna res inconstabiliter me angit atque conturbat, adeo vt non putem aliquem mortalem vnquā fuisse aut esse posse miseriores, & tam repente similitē casum perpeffum. Ad quem vir ille religiosissimus, Fallaris, inquit, Aluare. ideo ita credis, quia omnia tibi in hanc vsque diem ad votum venere, nihil aduersi vnquā passus es, adeo vt nunquam liceret te ipsum experiri. Sed verum est quod sapientes sapienter aiunt. nam eum omnium miserimum vocant, qui vitam transegit sine aduersario, pro eo quia nimia felicitate torpescit. Tu ergo felicitatem quam sine motu in prospera ac longa vita tua habere non potuisti, hac breui vita, horula quæ tibi restat, facile comparabis, si peccata tua memineris, & corde contrito te Deum offendisse dolueris, & mens tua ad æterna suspirer, quam tantopere fallacia terrena deceperunt. Rursus volo cogites plurimos dignitate, gradu, atque potentia te ipso fortunatiores, longe maiora fortunæ iacula repente fuisse perpeffos. Duos inter innumeros tibi adducam. Nam quidam Samiorum potentissimus Rex, vt Polycrates ait, adeo fortunatus extitit, vt aliquid aduersi aliquando experiri optaret. die enim quodā anulū preciosum sibi admodum carum voluntarie in mare proiecit, vt qui inuitus nihil aduersi pati poterat, quid tamē foret aduersitas, libens agnosceret. Sed illico anulum ipsum capto pisce qui illum deglutauerat, recuperauit, & (vt alii aiunt) piscis ipse in mari existens eundem anulum in ore gestans, Regique aridens ostendit. Ipse tamen Rex non multum post miserabiliter ab Oronte præfecto Darii in captiuitatem ac miseram seruitutem redigitur, liberis coram eo occisis, ipseque in altissimo monte cruci affigitur a uibus & feris deuorandus. Huic addamus Alexandrum, virum supra omnem humanam naturam magnanimo animo præditū, ac vltra cunctos mortales fauente fortuna felicissimum. Cui tantum eadem fortuna concessit, vt nullius hostis arma etiam ipse inermis timeret, cum nullo hoste congressus est quem non vinceret, nullam urbem obsedit quam nō expugnaret, nullam gentem adiit quam non calcaret. In dimidio tamen dierum suorum, ipsa stante prosperitate, ad extremum victus, non virtute hostili, sed insidiis suorum & tumultu ciuili, vt refert Quintus Curtius. Quibus verbis auditis, Aluarnus in domino confortatus ac puro corde punctus, oreque deuotissime confessus, certicem plus quam virili animo licetotibus parat, seque impavidus ac omnium iudicio libens morti offert, quam cuncti formidant mortales, nec vultu mutatus, nec verbo: aptud quem viluit prioris vitæ prosperitas, vt preciosa illi foret imminenti mortis aduersitas. Astantes itaque vt pro eo preces ad Deū funderent, enixe precatus est, monens denique ne fallacibus fortunæ fauoribus credant, sed nec Regum mortalium amicitis confidant, sed Regi superno se dedant, apud quem nō est transmutatio, nec in illo aliquis fallitur, nisi se ipsum fallat. Sic igitur spiritū exhalauit securā ac beatā mortē adeptus, qui dubiā periculo samque vitā sectatus fuerat. quo euenit vt cum eo longe clemētius ageret diuina bonitas, quā si summo fauoris & maiestatis fastigio obiisset. Nāque a pœna & misera sorte huius seculi liberatus est, quem mundus punisse credidit: quinimo felix migravit ad cælū, quem calamitosum infelicemque vulgus appellabat. Quanta igitur prudentiæ Aluarnus fuerit dum viueret, ex eo considerare libet, quia tam sapienter mori sciuit. Vt enim beatus inquit Augustinus, quemadmodū viuere non nouit qui bene mori ignorauit, sic prudenter vixisse censendus est quem mo-

ri in domino certū est. Nec putandū est illū dum viueret, quibusdā meritis caruisse, qui tam beate mori meruit. Dimisit igitur nobilē prolem, videlicet Iohannem de Luna Comitē sancti Stephani, & filiā speciosam, quam duxit vxorē nobilis vir Encus de Mendoza Comes de Saldanna, filius clarissimi viri Didaci Furtado de Mendoza, Marchionis sanctæ Iulianæ. Alvaro igitur vita functo Rex Iohannes prædictus partem dominiōrū suorū filiis prædictis reliquit, partē vero sibi retinuit: thesauri vero & iocaliū tres sibi partes retinens, quartā vxori Aluari filix Comitiss Beneuentani & filiis liberaliter & clementer concessit. Cæterū cum Alvarus viueret, capellā & sepulchrū in signe in sanctissimo templo Toletano mirifice construi fecerat, quod ab Infante Henrico Petri diruptū fuerat: Iohannes tamen Rex humanitate & pietate fretus restaurari permisit, licet plurimi id maxime dissuadebāt, ne tā superba statua in eo emereret templo, in quo Hispaniarū Reges humiliter tumulantur: addentes indignū videri, ne capite truncatus inter regio diademate coronatos tā elato sepulchro fungeretur, eo præsertim, quia sepulchri intitutio rerū maximarum iactantiā præ se ferebat. Ad quos Iohannes, Vera, inquit, aut falsa sint quæ de se Alvarus scribere iussit, intacta maneat, quia dignū putamus vt morientes cum aliud nō possint, quæq; volunt, de se scribant. Adde, quia volo vt eius nō deleatur memoria qui tam facile a me dilectus est, cunctiq; agnoscant sagacē atq; potentē Alvarum a me cædi potuisse. Sit deniq; posteris exemplū in signe, hominē tam maxime Regi acceptū ab illo ob eius insolētiā vita fuisse interceptū. Imitatus est Iohannes Seuerum Imperatorē de quo Ælius Spartianus ait, quia cū iussu Pescennii dicti Antonini Nigri epigramma Græcū in eius sepulchro Romæ apud campum Iouis descriptū esset, potentiam præclaraq; illius res complectens, Seuerus eius successor eadi prohibuit, quanquam præfecti & officiorū magistrī id suaderent, addens, Si talis Pescennius fuit, sciant omnes qualem sæpe deicerimus: si talis non fuit, putent omnes nos talem vicisse, effecisseq; ne mansuetissimo præderet imperio, qui arrogantiſſima de se qui humilis est descriptus.

De virtutibus Regis Iohannis & de eius felici obitu, & de erectione Henrici IIII. filii eius in Regem, & de obitu Alfonsi Regis Aragonum apud Neapolim. Caput XXXIIII.

POSTREMO Iohannes Rex Castellæ prædictus cum omnia prospere egisset, vt Deo placuit, postquam regnavit fere quinquaginta annis, diem suū clausit: parum tamen bonis regnavit: qui certe nunquā tam diu regni sceptro potitus esset, aut tam carus suis regnicolis fuisset, nisi magnis naturæ & virtutis donis abundasset, & Deo placita foret vita & conuersatio illius. Reliquitq; hæredem & dominū regnorū suorū serenissimū atq; excellentissimū Principem Henricum IIII. primogenitum suū, quem Iohannes ipse antequam moreretur, in Regē assumi & leuari præcepit, & ei thesauros proprios & quos ab Alvaro habuerat, ad manus dedit. Fuit hic Iohannes II. religiosissimus Princeps, catholicus, ac officiis diuinis & contemplationi plurimum deditus, orationi assiduus, prædicationis verbi Dei audus, gaudebat plurimū sacris ecclesiæ ceremoniis. Demū diuinis literis & moralibus disciplinis operā dabat, cum doctis viris sæpe conferebat, disputationibus lætabatur, quibus se sæpe sua benignitate interuenire iussit. Verum inter disputantes alteri opinioni quæ magis sibi placebat, tenaciter adhærebat. quo fiebat vt docti viri sæpe contra opinionem propriā cum Rege adulando sentirent, quemadmodum de Fauotino Grammatico Ælius Spartianus recolat in vita Hadriani. Nā cum Hadrianus Imperator acriter reprehendisset quoddam Grammaticæ documentum, illiq; Fauorinus cessisset, arguentibus amicis Fauorinum non recte cæsarī opinionī fauisse, contra Grammaticæ auctores: ille risum iocundissimum mouens ait, Non recte vos amici suadetis, qui non patimini me Hadrianum doctiorem omnibus credere, qui omnibus plus potest, vultisque vt eum errare dicam, qui habet triginta paratas legiones fama celebres. Demum Iohannes historiis instructus fuit, callens ingenio, scripturis sacris delectabiliter vacabat, adeo vt ple-

vt plerumq; nocumēto foret, quod plus quā Regi expediret, lectioni operā daret. Doctos viros dilexit atq; promouit. nam & simplicia ingenia commendabat, erudita vero mirabatur, execrabatur cum legebat superbiā dominantium: Regiā tamen maiestatem nedum seruauit, sed auxit, quietis ac pacis amator fuit, cui tanto vigilantius inhærebat, quanto maioris est laudis pacatā tenere suam rempublicā. Modestius regnū rexerat, quam felicius ampliauerit, sed nec parum est parta tueri. Cessabat in eo rapacitas, procul erat auaritia. illa opes vastat, hæc gloriam. dicebat semper, Malo subiectos abundare quā fisci, quia potentissimi regni Princeps pauper esse nō poterat. Raro irascebatur, tarde sæuiebat. Demum pauperibus & miseris pius fuit & compatiens, nec facile corā eo cuiusquam Principis vel maior legitur liberalitas, vel pietas iustior. Plurimis deniq; virtutibus fulsit: quibusdam tamen vitis nō caruit. Credulus enim nimis fuit & suspensissimus, obretractores nō tam alto animo despiciebat quam auide audiret. Nec desunt qui gloriæ eius vulnera inferunt, dicentes minus diligentē fore, quam principē expedit, aut tantæ rei publicæ decuit. Quæ res illum non latuit. Dicebat tamē in tanta tempestate nescire se quid sit diligentia, cum scriptum sit: Qui nimis emungit, elicit sanguinē. Postremo prodigalitate non penitus cohercuit. immensis enim donationibus regnum afflixit, tantoq; sibi, imo regno damnosior, quanto quibusdā præter condignum effusior. In qua vna re tanto magis detraxit regni maiestati, quanto minus prouidit subditorū egestati. Rursus paulo post mortem eiusdem Regis Iohannis, Alfonsus Rex Aragonum & Sicilia, consobrinus eius, ætatis suæ anno LVIII. apud Neapolim vitam finiuit, non gloriam, relicto regno Aragoniæ & partium adiacentium fratri suo inclytissimo Iohanni prædicto moderno, tunc Navarra Regi: in regno vero Sicilia instituto hærede successore Fernando eius filio naturali, sed legitimo, nunc feliciter regnante.

De schismate in ecclesia Dei extirpato apud Constantiam tempore huius Regis Iohannis, & de infelici exitu congregationis Basiliensis, & cæteris occurrentibus suo tempore. Caput XXXV.

CIRCA huius Iohannis II. tempora, & præsertim ab initio regiminis sui, fuerūt in cathedra Petri diuersi & aduersi intulati Romani Pontifices, videlicet prædictus Benedictus XIII. schismate durante, & in Italia sedebant prædicti, Innocentius VI. Gregorius X. & Alexander V. & Iohannes XXIII. tandē in Cōstantienſi cōcilio electus est dominus Martinus V. natione Romanus, vt statim dicemus. Fuit autem electus anno domini M. CCCCXV. præfuit Romanæ ecclesiæ annis XIII. quo diem suū claudente, electus est in summa concordia dominus Eugenius IIII. natione Venetus, vir iustus & religiosissimus, qui passus est in Papatu plurimas persecutiones. Nam tempore suo congregatum est concilium apud Basileam in Germania, principalis pro extirpatione hæreseon Hussitarum, & reformatione morum, & pace in populo Christiano componenda. Ad eandem igitur synodum Iohannes Rex prædictus, vt deuotissimus Princeps misit solennes oratores suos, videlicet Aluarum Conchenſem Episcopum, Alfonsum Burgenſem spectabilē virum, Iohannem de Silua, postea Comitem de Cifuentes, & quosdā alios insignes & doctos viros, qui pro ecclesiæ vnitatem indefesse laborarunt. Tandem præter eorum & omnium Principum assensum, nonnulli nomine concilii de facto deposuerunt eundem dominum Eugenium Papam IIII. & elegerunt Amadeum ducem Sabaudia Felicem appellantes. Quam electionē catholici Reges & Principes nō receperunt, præsertim idem Iohannes Rex Castellæ, qui pro veritate, & honore, & auctoritate Romanæ ecclesiæ, & eiusdē Eugeniū iustitia & innocentia, misit me Rodericū Episcopum Palentinum, tunc in minoribus agentem, oratorē suum ad Imperatorem Fridericum & plurimos Reges & Principes, vbi magnæ disputationes & altercationes interuenierunt. Et ibidem manens librū edidi, videlicet dialogū de auctoritate Rom. Pontificis, & iterū alium librū intulatum de remedio schismatis: de quib. materiis latius tægo in libro defensorii ecclesiæ nuper a nobis edi-

to iussu sanctissimi domini Pauli 11. Pontificis maximi. Præfuit autē idem Eugenius annis XVI. quo mortuo fuit assumptus Nicolaus V. natione Ianuensis, qui annis VIII. præfuit. obiit autem eo anno, quo dictus Iohannes Rex Castellæ. In imperio autē tūc sedit Sigismundus filius memorati Caroli de Lucenburgo, Rex Vngariæ, & frater ducis Vladislai, alias Venceslai. Quo superstitē, suā & instantia Papæ Iohannis XXI. post obitū fratris Roberti Imperator est electus, & per eundē Iohannem Papā postea confirmatus. Hic Sigismundus, vt prædiximus, præcipuus fuit in congregando conciliū Constantiense. Nam triplicē funiculum cōtendentū de Papatu, diuino auxilio & summa subtilitate dissoluit, mediante eodē concilio. Nā colligatiōes impietatis quib. tanquā funib. peccatorū circūplexi fuerāt, elisit, & cū propter durū & inueteratū schisma, cætera ecclesiæ mēbra ægritudine laborarent, hic deuotissimus Imperator sua singulari deuotione & vehemēti religione nullis infortuniis siue periculis, nullis laboribus peregrinationibusq; pepercit, sed propriis cōmoditatibus Christianæ religionis bonū præponens, vt in vnam animorum sententiam, in vnū votum tota vniuersalis ecclesia deueniret, efficaciter laborauit, assistentibus & candē vnionem promouentibus Carolo Christianissimo Rege Franciæ, & prædictis Iohanne Rege Castellæ & Alfonso Aragoniæ. Defuncto autem eodē Sigismundo, tempore huius Iohannis Regis Castellæ electus est Rex Romanorū Albertus dux Austriæ, gener Sigismundi, qui mira felicitate subito eleuatus, intra sex menses Vngariæ & Bohemiæ regna, & deinde imperium consecutus est, fugauitq; ex Vngaria Turcos, & in regno Bohemiæ Hussitas cohercuit, Polonosq; inde abegit. Sed qua celeritate creuit, eadem defecit. pepo-
nibus enim in Vngaria delectatus, dysenteria incidit, ex qua secundo imperii anno mortuus est, relicta vxore prægnante, ex qua Ladislaus Rex Vngariæ & Bohemiæ genitus est, qui his proximis diebus non sine suspitione veneni interit. Tempore rursus huius Iohannis 11. Regis Castellæ defuncto prædicto Alberto Rege Romanorum electus est Fredericus dux Austriæ, nepos Alberti, qui a Nicolao V. Romæ est coronatus, de quo statim dicemus.

De Henrico IIII. filio Iohannis, XLV. Rege post cladem Hispaniæ, & quomodo in initio regni sui quietauit omnes differentias cum Iohanne Rege Nauarræ, & demum quomodo post præstitam reuerentiam Callisto Papæ II. suo tempore assumpto regnum Granatæ ingreditur. Caput XXXVI.

HENRICVS huius nominis IIII. successit Iohanni secundo patri suo in regnis Castellæ & Legionis. Hic ab Athanarico primo Rege Gotthorū LXXXII. Rex est, & a Pelagio primo Rege post cladē Hispaniæ XLV. Incepit autē regnare de mēse Iulii M. CCCCLIII. quē pater viuens erigi & sublimari in Regem fecit, qui regnat de præsentī, cui altissimus diu & feliciter regnare permittat. Erat autē ætatis XXXI. annorū cum regnare incepit. Hic ante acceptū regnum Princeps erat Asturiarū, & plurimas ciuitates, castra & oppida a patre obtinebat, quæ omnia cum summa subditorū beneuolentia gubernauit. Deinde in principio regiminis vertēs animo illud sapientum Atheniensū, qui malis præteritis satis docti dixerunt, summopere elaborandū esse, ne tenerū principatū domestica dissidia inuoluant, quæ si se alāt, difficile sedantur: decreuit paci & regni sui quieti vacare, imitatus Dauid Regem, qui in initio regni sui fecit amicitia cum Abner, & ex eo tempore tranquillū tenuit regnū. Sic & Rex Alexander in principio regni pepigit fœdus cū Ionatha pro stabilitamento regni sui. Igitur Henricus Rex nō sine singulari quadā prudentia & moderatione quietauit maximas dissidii causas & differentias, quæ hactenus inceperant inter Iohannem patrē & Iohannem Regē Nauarræ auunculū suum, præferim super patrimonio & bonis eiusdem Iohannis Regis Nauarræ, quæ hactenus in regno Castellæ obtinuerat. Inter cætera enim fuit concordatū, vt eidem Iohanni Regi Nauarræ certa assignaretur pecuniarum summa, in Regis Castellæ reditibus. Quosdā deniq; nobiles & Barones qui Iohannis Regis Nauarræ partes sequuti fuerunt,

erunt, & extra regnū vagabantur, sibi humanissime reconciliauit, eisq; bona restituit, inter quos fuerunt nobiles viri Almirandus ac Gomecius de Sandoual, Comes de castro & eius filii. Verū quia interim vinculis tenebatur nobilis vir Fernandus Aluari de Toletō Comes de Alua, pro eius relaxatione nobilis Garfias ei⁹ filius primogenitus plus quā humanis conatibus infudabat, plurima quidē vt patrē liberaret, nedū sagacitate, sed viribus & armis mirabili audacia aggressus est, atq; parua militū manu confecit. Fateor publicarū legum rigiditate damnata, sed summa caritate & paternā pietate lustrata. Tandē quia facile fuit superare volentem, Henricus Rex innata ei humanitate fretus, & Garfias strenuitate placatus, patrem liberauit, patriq; restituit. In ea igitur magnatū & nobiliū recōciliatione & liberatione plurimū profuit prudētia & sagacitas domini Iohannis Pacheco Marchionis Villenæ, qui pro eisdē cōponendis rebus se ad oppidū de Agreda personaliter contulit, vbi & Iohannes Rex Nauarræ conuenit. Henricus igitur his rebus pacatis cū bellū contra Sarracenos institueret, sequutus Sapiētis consiliū qui in ecclesiastico ait, Ante iudiciū para iustitiā: decreuit ante bellū ipsum quod videtur esse quoddā iudiciū dubii euentus, parare iustitiā, videlicet Deo & sanctæ matri ecclesiæ debitā. Vnde Nicolao V. Rom. Pontifice vita functo, & illico felicissimē recordationis Callisto II. ad Pontificatū electo, decreuit sanctæ Romanæ ecclesiæ debitā impendere reuerentiā, & me Rodericū Episcopū Palentinū eius consiliariū, tunc decanū Hispalensem, suū oratorē Romā misit, eidē summo Pontifici Christi vicariō obediētia exhibiturū: imitatus Samuelē qui primo obtulit Deo sacrificiū oblationis & obedientiæ victimas, & securus perrexit ad bellū contra Philistæos. Sic & Rex Arad primo vota sua Deo obtulit, misitq; thura subiectionis & reuerentiæ summo Dei sacerdoti, deinde castra hostiū deleuit. Machabæus quoq; oblati Deo victimis obedientiæ hostes deuicit. Imitatus deniq; Metellū & Posthumiiū illōs præclarissimos viros quos Liuius cōmemorat, qui contra hostes exercitū egredi nō sunt passi, nisi primo religioni morē gererent dicētes, quia ita maiores sui orbis regimē se habituros existimarunt, si diuinæ potentæ bene atq; constanter fuissent famulati. Quare nō satis tute bellicoso certamini se cōmisisse videbātur ceremoniis Dei Martis desertis. Henricus igitur audius contra infideles belli gerendi, exercitū parat contra Sarracenos, & in propria persona regnū Maurorū ingreditur, plurimis Baronibus & regni nobilibus comitatus, fruges, messes, ac oliueta, necnō vineas Granatæ & Malicæ & locorū adiacentiū deuastauit. Demū aliqua castra suæ ditioni subiecit. Cuncta deniq; strenue & magnifice egit, quæ deuotissimū & religiosissimū Principem in augendo fidē decet. Qua igitur fide, qua deuotione & industria catholici Principes bellū gerere debeāt cōtra infideles, & an ad id teneātur & cōpelli possint per. Rom. Pontificē, tangimus in libro cōmenti super bulla cruciatæ indictæ per sanctissimū dominū Pium Papā II. Post prædicta Henricus Hispalim rediit, duxitq; vxorē dominam Iohannā, filiā Eduardi Regis Portugalię: factō tamē primo diuortio apostolica auctoritate a domina Blanca filia Iohannis Regis Aragonū consanguinea sua, quā prius duxerat vxorē. Expleuit autē solennia nuptialia dominus Archiepiscopus Turonensis orator missus per dominū Carolum V. Regē Franciæ ad eundē Regem Henricū. Deinde Henricus ex eadem Iohanna reginā genuit inclytā filiā Elisabeth, quā cuncti regni status in primogenitā iurarunt simul & receperunt. Rursus Henricus cui animo fixū erat bellū cōtra Mauros, iterū maioribus copiis regnū Granatæ magna nobiliū Comitū & Baronū copia munitus potenter aggreditur: inter quos fuerunt nobiles & inclyti viri Iohannes de Guzman dux Metinæ, Iohannes Pacheco Marchio de Villena, Petrus Giron eius frater magister Calatrā, Fredericus Admirandus, Eneus Lupi de Mendoza Marchio & Comes strenuis filiis suis sociatus, Aluarus de Stunniga Comes Placentinus, Iohannes Pimentel Comes Benetenti, Fernandus Aluari de Toletō Comes de Alua, Iohānes Manrique Comes de Castañeda, Rodericus Manrique Comes de Paredes, Gabriel Manrique Comes de Osorno. Nec defuerūt nobiles viri Petrus de Velasco primogenitus Comitū de Haro, necnō Fernandus de Velasco, & Alfonso etiā de Velasco, fratres germani eiusdē Comitū de Haro, scientia

& moribus clari, & plurimi alii Comites & Barones, quos nominare operosum est. Manserunt interim regis & regni ordinatione gubernatores dominus Alfonso Carrillo Archiepiscopus Toleranus, & Petrus Fernandi de Velasco Comes de Faro, viri nobilitate, sapientia, & omni virtutum genere præstantes, qui singulari prudentia & moderatione creditum gubernationis officium cum summa laude & commendatione expleuerunt. Henricus igitur tanta nobilium societate munitus per totum regnum Granatæ libere transit. Sarraceni sese intra muros urbi-um receperunt. Multasq; clades & vastationes eis intulit, ac nonnulla castra & loca sibi subiecit.

De distidio inter Iohannem Regem Nauarræ & Carolum filium suum cui Henricus fauebat, & quomodo Henricus regnum Nauarræ potenter ingreditur & multa loca expugnavit. Deinde qualiter principatum Catalonia Iohanni Regi Aragonum rebellantem Henricus Rex Castellæ non accepit, & de causis huius rei, & quomodo Rex Francia & idem Rex Henricus mutuo se viderunt, & de inuili effectum illius dietæ. Caput XXXVII.

CÆTERVM exigentibus populi Christiani culpis, ac instigante humani generis hoste, interceptum est bellum contra Mauros, & quædam simultates domesticæ & bellorum nouæ opiniones insurrexerunt. Suborta siquidem fuit quædam intestina dissensio inter eos quos natura ipsa vnam personam reputat, videlicet inter Iohannem Regem Aragonum & Carolum filium suum Principem Nauarræ, patre dicente, dum viueret, Nauarræ Regem intitulari ac libere gubernare debere: filio Carolo asserente, ex dispositione matris, pactis etiam super ea re initis, proprietatem & dominium regni eiusq; administrationem post pubertatis annos ad eum spectare. Henricus vero Rex Castellæ Carolo fauebat. Tandem post plurima & varia quæ in ea re interuenerunt, Carolus apud Barcinonam vita functus est: sed & paulo post soror eius domina Blanca eandem viam vniuersæ carnis ingressa est. Ex quo tempore adauctæ est super regno Nauarræ discordia. Rex enim Henricus ex certis causis ius ad illud prætendebat: Iohannes vero Rex id ipsum ex filiorum successione assererebat. Comes etiam de Fuxo, Iohannis Regis Nauarræ gener, filii sui nomine regnum tuebatur. Henricus tandem valida manu Nauarræ in propria aggressus, expugnauit non paruam Nauarræ partem, videlicet Vianam los Archos, Sanctum Vincentium, Laguardia, Lerin, & plura alia castra, quorum aliqua nunc suæ ditioni subduntur. Dum hæc agerentur, Catalani rebellant contra Iohannem Regem Aragonum, elegeruntq; in Regem & dominum eundem Henricum Regem Castellæ, cuius vexilla apud Barcinonam erexerunt, moneantq; suo nomine cuderunt, eundem Henricum exorantes vt eos in subditos acceptaret, gentesq; armatas ad debellandum Iohannem Regem concederet. Ad quos Henricum dixisse fertur illud Alexandri ad Darium, aduersus magnas vires & magnos hostes, non aduersus calamitosos velle pugnare. Ad eos rursus verba agens, Bonum, inquit, Principem habetis auunculum meum. Quo sermone, vt alter Spartanus quem Valerius commemorat, principandi repulsam summo honori adæquauit, & propinquam sanguinis necessitudinem regnandi cupidini prætulit. Verum Henricus ipse conspiciens Catalanos sibi deditos plurimum affligi a Iohanne Rege Aragonum & gentibus Ludouici Regis Francia, qui eidem Iohanni colligatus & fœderatus erat, eorundem Barcinonensium & plurimorum Baronum regni Castellæ assiduis precibus instigatus, nonnullas gentes armorum ad tuitionem eorum in Cataloniam transmisit. Pugnabatur itaque per totam Cataloniam, fiebantque miseræ cædes, deprædationes, & calamitosæ clades. Tandem actum est vt pro his componendis rebus præfati illustrissimi Reges Francia & Castellæ se simul viderent, & mutuo loquerentur. Venit ergo Rex Francia ad suam Baponensem ciuitatem. Henricus vero cum maximo apparatu & fastu plurimis Baronibus & prælatis sociatus apud oppidum suum Fontis rabi-

eis rabi se contulit. In finibus itaque vtriusque regni ambo potentissimi Principes conuenerunt (vtinam sic animis, sicut corporibus) & aliquando inuicem sunt locuti. Fuit autem prima eorum confabulatio circa dimidium Aprilis huius præsentis anni domini M. CCCCLXIIII. Verum quia facile fuit suadere volenti, acquieuit Henricus, vt Rex Francia arbitraretur in factis Catalonia, cuius arbitrium Henricus acceptauit. Ferunt tamen nonnulli dietam illam non paucas diffidii occasiones inter eosdem Reges parturisse, vt rerum exitus comprobauit, adeo vt qui pro vnitatem conuenerant, diuisi discederent, & qui licet inuili & incogniti vnanimis accesserunt, cogniti, vlceratis tamen animis, diuisi sunt, & qui aliis pacem componere venerant, inter se diffidia seminarunt, & dum alienas lites extinxerunt, suas suscitauerunt. Et quanquam verum sit (vt ait Cicero) quia amicorum præsentia, conuictus, & consilia amorem augent, plerumque tamen ex ipsa magnorum Principum mutua contractione & confabulatione odia nascuntur, præsertim cum erga ea & propter illa adunantur quæ adipisci vterque non potest. Vt enim pulchre Scipio dicebat, cum de honore & gloria agitur, infida est Regum amicitia, quippe inimicitias maximas inter amicissimos extitisse sæpe comperimus. Sed & vt idem Cicero subdit, raro atque perdifficile amicitia in illis conseruatur, qui in maximis honoribus & principatibus tumescunt. Hinc Plautus nocitura asserit sæpe inter potentes & gloriæ avidos similia colloquia. ait enim conuentus, debacchationes, & conuictus non quæro, vt amorem pariant, vtinam nihil odiorum darent. Subditigitur, quia tener ac mollis est Principum animus, & ad querelas præclitior. Et velut rosa, vel lilium si negligentius tangantur, diutius perdurant, si vero tenacius manibus contrectantur, cito liquefcunt atque marcescunt: sic est de Principum amicitia. Verum tamen eorundem Regum summa virtute paulo post omnis diffidii causa sopita est, & pristina vtriusque regni fraternitas renouata. Sed iam redeamus ad Regem Henricum & eius ingentem moderationem. Quanquam enim (vt diximus) Catalani & nonnulli Aragonenses ei subitici vellent, nihilominus vertens animo excelsa merita quondam Fernandi Regis Aragonum patris Iohannis, sed & attendens quia magni animi est magna contemnere, eam ipsam regnandi facultatem a cunctis mortalibus tantopere exoptatam ille summa & plus quam humana virtute non admisit: quippe collatam ipsam dulcissimam regnandi cupidinem singulari temperantia & incredibili moderatione correxit, non vti que virtuti & potentia suæ diffidens, sed quia præclarum, magnificum, & magni animi indicium dicebat, regnandi auiditati modum adhibere. Nam teste vno ex sapientibus, ea tuta est potentia quæ viribus suis frenum imponit, asserens illam laudatissimam fore potentiam, ipsam potentiam nonnunquam temperare. Addebat quia vltra humanitatis & virtutis præmia, illa maxima est potentia, nolle regnare cum posset: sæpe illud nostri Senecæ recensens, quia nulla in Principe præclarior splendet virtus quam ipsa moderatio, quæ nil aliud est quam cum summa prudentia secundas res non statim, nec effuso gaudio apprehendere. Vertebebat enim animo modestissimus Princeps, quam inuidiosa, ne dixerim periculosa, sit regnorum cumulatio, dicente redemptore per Prophetam: Væ vobis qui aggregatis agrum ad agrum, domum ad domum, vsque ad terminos terræ. nunquid soli vos estis in terra? Abimelech enim filius Gedeonis, vt sacra scripturæ testatur historia, cum ad accumulanda regna aspirasset, & per agnatos ex matre eum attinentes id iure posse impelleretur, tamen ea regnandi ambitio infelicem ei exitum præbuit. De quo Sapiens dicere visus est, Eleuatus ad modicum, & non subsistet. Quare Henricus oblatam regnandi promptitudinem cohercuit, imitatus Publicolam Valerium sempiterna laude & commendatione dignum, qui cum cerneret imperii insignia populi voce ad se translata, inuidiosum tanti principatus fastigium ingenti moderatione despexit: imitatus rursus Cæsarem Tiberium qui plurimos sibi delatos summos honores recusauit, coronamq; deposuit: imitatus deniq; Diuum Vespasianum, qui cū apud Ierosolymam obsidiones seruaret, ad imperium post Galbam & Neronem occisos eleuatus est, qui adeo restitit, quousque gladiis vibrantibus atque minantibus compulsus

est id inuitus assequi quod libens respuerat. In qua re (vt aiunt) magis periculo cessit, quam voluntarius accessit. Re colebat quidem Henricus oportere eum offendere quem natura impellebat defendere. fratrem siquidem matris a regno expellendum cogitabat, quo nil scelestius, nihilque inhumanius putabat, imitatus Africanum Scipionem qui oblatum ei a Senatu regnum, supplex rogauit ne ea prouinciæ fors fratri suo eriperetur, vt ad eam transfiret. Laudamus superiorem Africanum quod tantum laboris habuerit in honoribus & principatibus recusandis, quantum egerat in merendis. Illi tamen Henricum antepoamus, qui recusauit regna oblata, cum meteretur accepta. quo effectum est vt quanto in ea re fuerit moderatior, tanto euasit gloria superior. Verum de Regum & Principum moderatione & temperantia, ac reprimenda libidine, diximus latius in prædicto libro Speculi vitæ humanæ, & in libro de remediis afflictæ ecclesiæ militantis, & in tractatu de confutatione sectæ & superstitionis, & illius erroribus.

Qualiter tempore huius Henrici quarti famosa oppida de Gibraltar & Archidona, & plura alia loca recuperata sunt Mauris expulsis, & de virtutibus huius Henrici & piis eius operibus, præsertim qualiter fuit magnificus & liberalis. Demum agitur, qualis liberalitas est laudanda, & qualis improbanda in principibus.

Caput XXXVII.

TEMPORIS huius Henrici quarti sua vigilantia & prope singulari prouidentia, inter cætera castra & oppida quæ a Sarracenis euicerat, & suæ ditioni subiecit, famosum oppidum de Gibraltar cum arce inexpugnabili lucro fidei catholicæ cessit, Maurisque expulsis, Christianis populauit, quos plurimis beneficiis & priuilegiis donauit. In cuius obsidione & felici recuperatione inclytus Iohannes de Guzman dux Metinæ strenue atque præcipue militauit, tantoque auidius, quanto tenacius animo gerebat genitorem suum in eiusdem oppidi obsidione vita fuisse priuatum. Rursus eiusdem Henrici temporibus castrum de Estipona prope Malicam non sine graui discrimine & periculo clarissimi viri Iohannis Pacheco Marchionis de Villena & suorum e manibus Arabum ereptum est. Deinde oppidum de Archidona post longam obsidionem, plurimis Arabibus cæsis, strenue cum præcipua laude obtinuit nobilis Petrus Giron Magister de Calatraua. Hic Henricus maximos thesauros congregauit, licet longe minores, quam patris tempore tallias & tributa subditis imponeret. Sed quid hæc? huius Principis laudes tacere cogor, ne familiaritas, nec non ingens ad eundem Principem deuotio, fides, & obsequendi desiderium, suspicionem ingerat. Adde quia sapientis est consilium, Ante mortem ne laudes quenquam: sed laudandus est quis post labores, magnificandus post consummationem. Nam scriptum est: Septies in die cadit iustus, & resurget. & rursus: Nescit homo an odio vel gratia dignus sit. Quæ res agit vt non sine timore ac tremore laudetur, qui tot ruinis proximus est, vt latius tetigit in capite quinto huius quartæ partis. Verum quia (vt ait Plato) in Republica bene instituta Principes alendi sunt laudibus, & iuxta Poetam crescit laudata virtus, sed & Salomon in prouerbis ait, Vir fidelis multum laudabitur: & iterum, Qui graditur sapienter, ipse laudabitur: non indigne, vt putamus, Princeps virtute præditus laudandus est, vt sese virtutibus alar & sustentet, vt si via veritatis & virtutis corruat, sciat tam tute ob gesta obscura posse deturpari, quam ob clara laudari, ibique molestus accedet vituperator, vbi gratus accessit laudator. Ne tamen penitus tacendo veritatem offendam, pauca ex multis breui differam. In primis hic excellentissimus Rex, vt optimum decet Principem, literis instructus est, diurnisque officiis plurimum delectatur, ecclesiasticum statum ac religiosorum ordines diligit, veneratur, & colit, ecclesias, monasteria, & pia loca construit & abundanter dotat. Inter cætera monasterium de Miraflores prope ciuitatem Burgensem Cartusensium ordinis, in quo Iohannes pater sepulturam elegit, mirifice construxit & abundanter dotauit.

Tacco

Taceo miram structuram a primo lapide deuotissimorum cœnobiorum del Partal, & reliquum sancti Antonii prope Segobiam, & aliud sancti Hieronymi prope Maioritum. Plurimis denique aliis monasteriis & piis locis regnorum suorum nõ paruos redditus perpetuos contulit. Denique magnus est ædificator regalium ædificiorum, castrorum, & arcium in diuersis regni partibus, in quibus noua construxit ædificia, vel vetera restaurat, nec puduit in eis magnum fuisse thesaurum. liberalis denique admodum est, multos publice priuatimque ditans & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognouit. Testes sunt non pauci quos plurimum exaltauit. Semper illud ore gerit a sapientibus dictum, nullam maiorem Principis esse felicitatem, quam multos fecisse felices. Quæ vna res etsi multorum inuidiam habere potuit, gloria tamen carere non potuit. Fatemur tamen non fore commendandum Principem qui patrimonium regni incõsulte largitur, præsertim vbi nulla impellit necessitas, nec Reipub. suadet vtilitas. Nam (vt inquit Cicero) quid enim leuius quam id agere quod diutius agere nõ possis? Vnde subdit, non est commendanda effusa largitas, si quod alteri largiris, alteri extorqueas: illi dare, isti nocere. Adde quia iuxta sapientum sententiam, qui vltra modum fundit quæ sunt Reipublicæ, cito veniet ad littora paupertatis: quinimo ei assimilatur qui hostibus contra se dat victoriam. Vt enim pulchre Philippus dicebat ad Alexandrum, & Cicero refert, Quid tibi ista profusa largitas confert, per quam Macedones, non te Regem suum, sed ministrum & præbitorem putent? quod sordidum esse Regi non ambigis. & subdit: Largitiones immoderatas rapinæ extorsionisque sequuntur. Cum enim in dando egere cœperis, alienis bonis manus cogetis inferre. non ergo putes laudabile, nec magnificum, vt beneuolentiæ comparandæ gratia prodigus existas. Non enim tantum amoris assequeris eorum quibus dederis, quantum illorum odia quibus ademeris. Ea de re Principibus non est ita claudenda res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit. Tunc enim laudata est liberalitas, cum pro dignitate & virtute cuique tribuitur, quod est fundamentum iustitiæ: quia, teste Cicerone, nihil est liberale, si non sit iustum. Donent ergo Principes ratione & honestate præuia, atque in primis ita largiantur, vt nec aliis, nec sibi noceant. nec enim liberales aut magnifici sunt, qui cupiditate gloriæ aliis eripiunt quod aliis largiuntur, nedum quosdam, immo multos lædunt, vt in paucos profusi existant. Tanta ergo sit in Principe liberalitas, quæ teste Didymo ad Alexandrum, in largientis incommoda nõ redundet. Sed & tanta existat, vt nescia sit pati dispendium, ne paulo post idem sit egens, qui fuit largiens, rideatque qui accepit, lugeat qui donauit: sed ea moderatione pensentur beneficia, vt quod transfunditur, non minuat, sed augeat donantis maiestatem, vt in face, ex qua quanto plura succendis, tanto magis facultatem recipit plus lucendi.

De strenuitate huius Henrici quarti, & de eius humanitate, pietate, & mansuetudine, & de ceteris illius virtutibus, præsertim de temperantia & sobrietate, & quomodo fugiebat ornatum regium & quæuis mollia delicamenta. Deinde quomodo plurimos nobiles exaltauit. Rursus qualiter delectabatur venationibus, & de incommodis huius exercitiis, si nimium frequentatur.

Caput XXXIX.

HENRICVS igitur nequaquam his virtutibus contentus, animosus est atque strenuus, in bellicis denique exercitiis plurimum tritus & fortunatus, in congressibus ac bellicis periculis primus: imitatus alterum ex Cæsaribus, de quo annalia ferunt nõquam militibus dixisse, Ite, sed, Venite. Rursus bellicorum laborum patientissimus est, & longissimas vias sæpe incredibili celeritate confecit, armorum & equitandi peritissimus, sæpe inclinante aciem solus restituit, obstitens fugientibus, singulos nedum retinens, sed in hostes cõuertens. Deinde humanus, mansuetus, ac humilis, longe plus quam temporis malitia exigit. Denique clementissimus ac sæuitiæ detestator. Errori facile veniam dat. Pius quoque & plurimum miseris

compatiens. nam vt alter Adrianus Imperator, seruitores etiam parum conditionis infirmos saepe visitabat, atque de sua mensa cibos ministrabat, medicos prouidebat. omnia denique pietatis officia ad cuiusque optimi priuati hominis officium pertinentia agit, oblitus regii fastigii. Imitatus denique Antoninum Pium Imperatorem, de quo ait Iulius Capitolinus, qui cum militem secum educatum a grocum saepe visitasset, atque vilia obsequia, sed pia praestasset, & propterea multis displicuisset, quasi Regem hoc non decuisset: ille ridens ait, quia nec dignitas nec imperium tollit affectus, nec pietatis opera dignitatis fastigio derogant. Sed & ultra pietatis opera tantae est mansuetudinis, atque tam placidae est lenitatis, vt quos maiestatis quoque contra se reos conspexerit, non facile punit, & aduersus se insurgentes diuino quodam animo dimittit in eadem familiaritate quam ante habuerit. Et vt paucis agamus, cunctis benignus & communis est, adeo vt quemadmodum de Traiano legitur, non pauci, nec parum auctoritatis viri eum, quia communis plurimum foret, saepe inculpabant dicentes illud Valerii Maximi, Reges suis subditis familiarissimos ac communes esse non oportere, quia quicquid in excello fastigio positum est, vt sit venerabilius, humili & familiari consuetudine vacuum esse conuenit. Ad quae Henricus respondit, talem debere esse Principem priuatis, quales esse sibi Principes priuatis optasset. Nec putabat humanitate ipsam quoque regiam dignitatem perdi, sed augeri, illis non assentiens qui credunt auctoritatem Principis emolli, si familiarem se suis reddit, cum per eam modestam quidem subditis carior sit. Caeterum cum saepe a multis lepide argueretur, quod non regio, sed communi uteretur habitu: respondit quia regalis dignitatis alius debet esse testis quam purpurea aut preciosa vestis, addens quia satis turpe videbatur Principi non rerum virtutis excellentia, sed solo habitu velle a priuatis differre. Rursus Henricus omnibus aequus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, vanae gloriae contemptor, rarus in sermone, & loquendo patiens auditor. nullius imprudentiam despicit, prudentiam in quouis homine, etiam humilis conditionis plurimum commendat. Hic Henricus suos secumque connutritos vehementer dilexit, sed inter caeteros dum puerilibus & teneris annis ageret, duos secum nutriuit nobiles iuuenes de antiqua & clara familia ortos, videlicet Iohannem Pacheco & Petrum Giron, quos suis virtutibus carissimos habuit. naturaliter enim (vt inquit Aristoteles) nobiscum connutritos & conuersatos diligimus nostra eis communicantes. Illos itaque plurimum sublimauit. Nam alteri Marchionatum de Villena, deinde Magistratum sancti Iacobi de Spata: alteri Magistratum de Calatrava conferri obtinuit, ac plura alia dominia contulit. Nec praedictis regia liberalitas & munificentia contenta est, sed & plurimos alios nobiles vt virtuti deditos viros exaltauit, inter quos plurimum dilexit Michaellem Lucas & Beltrandum de la Cueva. Hunc Ducem de Alburquerque, alterum Comestabilem creauit, imitatus Magnum Alexandrum, qui (vt ait Iosephus, & apud Machabaeos legimus) licet uxorem praegnantem & cognatos relinqueret, eos tamen nobiles qui secum nutriti fuerant in iuuentute sua, in tantum dilexit, vt eos adhuc viuens plurimum exaltauerit, quibus & regna diuisit. Sed & Augustum imitatus, de quo aiunt annalia quia suos tantum dilexit, vt eos tam magnificis euexerit honoribus, vt pene suo aequaret fastigio. Denique hic Henricus elegit sibi consiliarios excellentes viros in utroque statu: inter ecclesiasticos dilexit plurimum etiam antequam esset assumptus, dominum Alfonsum de Fonseca, primo Episcopum Abulensem, demum Archiepiscopum Hispalensem, dominum Ludouicum de Acunna Episcopum Burgensem, & successiue regnum adeptus acceptum habuit dominum Petrum Gundifalui de Mendoza Episcopum Calagurritanensem, postea Saguntinensem, viros eximia nobilitatis, doctrinae & prudentiae, & plurimos alios nobiles praestantes viros. Rursus vt caeteras Henrici virtutes omitamus, temperatus admodum & sobrius est, blandimentorum & balneorum inscius, eos plurimum deridens qui capillorum tantam curam gerunt, vt pigmentis & assiduis lotionibus, licet non sine capitis discrimine, tam crebro terguntur, quousque flauos crines, aut calamistratos conficiant, & quos natura nigros effecit, arte aureos reddere conantur: dam-

mnans Aurelii Commodi Imperatoris clementiam, qui (vt ait Iulius Capitolinus) tam diligens, vt capillos coloris aurei faceret, fuisse fertur, vt capiti aurum respergeret, quo magis coma illuminata flauesceret. Sed nec minus vituperat Commodum Antoninum etiam Imperatorem qui eodem Iulio teste, septies & octies caput in die lauabat, atque in ipsis balneis edebat. Quibus delicamentis nihil corporibus humanis funestius atque crudelius esse potest, veluti quae corpus debilitant, animosque effeminant, atque ad res bellicas imbecilles & fragiles homines reddunt. Nam vt pulchre Seneca ait, qui blandimentis balneorum caeterisque corporis delicamentis permademus, cuncta dura & difficilia iudicamus. agunt enim vt quod non diu possumus, breui frui desinamus. Demum in sobrietate ciborum & potus Henricus tanta parsimonia utitur, vt imitetur Augustum Caesarem, qui vulgarem panem & caseum bubalinum manu pressum & caetera lacticia appetebat. Vini potum Henricus abhorret, memor quia Dei voce vini usus Regibus prohibetur, eo dicente, O Samuel noli vinum dare Regibus, ne forte obliuiscantur iudiciorum Dei. Idque agit non repugnante natura, sed suadente virtute. Interrogatus saepe cur vino non vteretur, cum posset, ait nihil pulchrius suauisque in homine quam illud sumere quod delectat: imitatus Romulum vini parcissimum, qui cum in conuiuio parum biberet, & amici dicerent, o Romule, si omnes sic biberent, vilis esset vinum: immo, inquit, carius, si quantum & quale quis vellet biberet. Aiunt denique eundem Henricum facetum, sed aeterna commendatione dignum dixisse verbum. Cum enim in valle Granatae, vbi intensi sunt calores, in eius exercitu vinum deficeret, querela ad eum delata, Satis, inquit, a nobis prouisum est de optimis aquis, ne homines sitiant. Simile Augustum dixisse legimus. Rursus Henricus post bellica exercitia harmoniis ac concentibus musicalibus admodum delectatur, venationi plurimum deditus. Cuius exercitio & pro eius incolumitate ac suae Reipublicae utilitate vtinam parcius insudaret. Nam, vt ait Ethicus, id vnum quemque decet maxime, quod est cuiusque maxime. non enim ad sylvas aut parturiendas, aut incolendas, sed ad vrbes visendas atque regendas Princeps assumitur, quia vt de Esau Polycrates ait, ad res politicas vix conuersabilis esse potest actu, qui syluestris est incolatu. Fateor non semper venatio in culpa est. Plerumque enim otii inertiam fugiunt qui laboribus membra assuescunt. quare ipsa venatio ex persona, loco, & tempore pensanda est. Illa profecto in Regem laudanda atque iustranda est venatio, non quae aprum Calydonium vt Meleager, aut Apin taurum vt Cambyses, aut ceruas vt Euripides venabulo percutit, sed quae vt alter Augustus, vastatores & hominum oppressores venatur atque insequitur. Refert enim Polybius Traianum Augustum dicere solitum, illam congruam principantibus venationem, non bestiis aut feris certamen, sed hominibus terrorem indicere, nec cum innocuis animantibus dimicare, sed cum nocentibus & scelestis hominibus conflagere. illa enim sylvas ornant, hi regna & vrbes depopulant: illa fruges vastant, hi vitam moresque hominum dissoluant. Praclare igitur Themistoclem dixisse Polycrates ait, a frequentibus venationibus & leuioribus ludis Principes fore arcendos, ne Respublica ludere videatur, detrimentumque relicta grauitate patiatur.

De iis que acciderunt in ecclesia tempore huius Henrici, & de Romanis Pontificibus qui eo regnante praesuerunt, praesertim de Calixto, Pio, ac Paulo secundo, & de eorum laudibus praecclarisque gestis, & de opusculis auctoris hanc historiam compilantis sub eisdem Pontificibus & eorum iussu editis. Tandem agitur de Frederico tertio Imperatore, & de duplici eius aduentu ad urbem Romanam.
Capitulum XL.

POSTREMUM adducenda sunt breui stylo quae huius Henrici quarti Regis Castellae & Legionis temporibus in ecclesia Dei & in imperio acciderunt, & de Romanis Pontificibus qui tunc ecclesiae Romanae praesuerunt. Eiusdem igitur

Henrici tempore obiit Nicolaus Papa quintus, & successit Calixtus tertius natione Hispanus de regno Valentia. Hic Pontifex generis nobilis de domo dicta de Boria, doctissimus Iurista fuit, feruidus admodum in expeditione contra Turcum, & plurima compleuisset, si dies non defecissent. Sedit autem quatuor fere annis. Eo itaque in bona senectute vita functo, assumptus est Pius secundus, die trigesimo mensis Augusti anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo. hic Pontifex natione Senensis, natus in oppido Consignano, quod paulo post idem Pontifex ciuitatis titulo iustitiae, & Pientiam a Pio nomine suo appellari iussit, ubi ecclesiam cathedralem erexit, construxit atque dotauit, palatiumque insignem atque superbum aedificauit. Fuit hic Pontifex orator disertissimus, & in aula Alberti, demum Frederici tertii Imperatoris moderni nutritus eique acceptus, tandem Cardinalis effectus est, & parum post ad summum Pontificatum assumptus. Huic Pontifici, Henrici Castellae Regis praedicti iussu & regnorum suorum nomine, ego ipse, tunc Episcopus Ouetensis, puram, debitam, ac solitam reuerentiam & obedientiam praestitit. Hic Pontifex dum esset in Papatu, inter ingentem negotiorum molem studio aliqua hora vacabat, historiamque referentissimam, & aliqua opuscula preclare ingentiq; elegantia descripsit, eaque mihi suo referendario antequam edita forent, communicare dignatus est. Rursus fuit Pontifex ipse zelantissimus belli & expeditionis contra perfidos Turcos, & aduersus eorundem impietatem generalem & famosam indixit cruciatam & passagium, cui se debilem viribus, sed animo fortem personaliter exhibuit. Verum peccatus Christiani populi, sed & ignauia atque dissidia infeliciter res actae sunt. Nam cum apud Anconam urbem maritimam transfretandi animo moram traheret, expectans aduentum quorundam Principum & magnatum, qui personaliter venire, aut praesidia ferre polliciti erant, conspiciens nullam superesse spem de illorum aduentu atque succursu, consternatus animo & aggrauato morbo corporali, ex huiusmodi incertis animi accidentibus, tandem ut Deo placuit, spiritu exhalauit, me tunc in eadem ciuitate manente, & ad transfretandum cum eodem Pontifice parato. Obiit autem decimo quarto die Augusti anno Christi incarnationis millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, praefuit annis sex. Illico itaque domini Cardinales cum tota curia Romanam se conferunt super electione futuri Pontificis. Qui conclauae ingredientes, sic disponente diuina clementia, vnanimititer & concorditer per viam Spiritus sancti elegerunt sanctissimum D. dominum Paulum secundum natione Venetum, qui nunc feliciter Deo auctore praesidet. Hic Pontifex genere nobilis atque patrius, sed vita & moribus illustrior, nepos quidem fuit beatae memoriae Eugenii Papae quarti, & ita ex vna nobili gloriosaque domo duplex pontificatus egressa est dignitas, & dum in illo mœror vniuersos tenuit quod raptus sit, in isto gaudium successit quod assumptus est. quo fit ut vtriusque Pontificis laudum gloria, vniuersa populorum ora compleat. Est igitur huic Pontifici virtus animi ingens, sed & forma corporis venustissima. illa praestat, ut eum oporteret Pontificem maximū fieri: haec, ut deceret. In principio pontificatus sui Romanam curiam omni Simoniacae & extortionis labe seuerissime purgavit, cunctosque officiales ac curiales reformauit, domumque habuit mundissimam atque honestissimis vicis refertam. Caeterum contra perfidos Turcos Vngariae Regi ac pluribus Principibus & communitatibus assidua nec parua praesidia elargitur. In ecclesiae vero gubernatione nedum fortunatissimus est, sed summa experientia, prudentia, & virtute praestantissimus, denique clementissimus & omnium indulgentissimus, ad pacem denique pronus. Nam Italiam dissidiis plurimis incensam summa cum industria bis pacauit. Demum quibusdam tyrannis a terris ecclesiae expulsi, non paucas nec paruas vrbes & terras ditioni ecclesiae Romanae adiecit. Hic felicissimus Pontifex qua die apicem summi Pontificatus assumpsit, de sacri collegii assensu non sine singulari confidentia me indignum, sed fidum, praefectum Castellani castri sancti angeli de vrbe instituit, quippe qui localia & ecclesiae Romanae thesauros fidei meae commisit, deinde pro sua animi nobilitate & munificentissima liberalitate me ipsum indignum primo ad Zamorensem ecclesiam, deinde ad Calagurritanam, tandem ad Palentinam transtulit.

Verum

Verum cum iussu suae sanctitatis pluribus annis Castri praefati sancti angeli curam & administrationem gererem, ubi satis otii supererat, de eiusdem suae Beatissimae mandato, ad gloriam omnipotentis Dei, & ecclesiae Dei exaltationem & decorum, ac veritatis dilucidationem, nonnulla opuscula inculto rudiq; eloquio edidi. Primo librum magni voluminis dictum defensorium status ecclesiastici contra querulos, aemulos, & detractores Praelatorum & clericorum, diuisum in decem tractatus. Item librum de paupertate Christi & Apostolorum, & an Christus & Apostoli mendicarunt, & quo sensu dici potest eos medicasse. Ibi denique deducitur Praelatos & clericos in modernos non deuiare a vita apostolica, licet obtineant propria, possessiones, & praebendas distinctas: & quamquam segregatim in domibus propriis habitent, nihilominus eos vitam communitatem a sanctis patribus institutam ducere censendos fore. Rursus iussu eiusdem Pontificis edidi librum, ubi agitur an sine peccato fideles licite fugiant a locis ubi saeuit pestis. Item librum de monarchia orbis, in quo ostenditur apud Romanum Pontificem residere veram orbis monarchiam. Demum in eodem libro in secunda parte deducitur, Reges Hispaniae & Franciae non fore Imperatori subditos. Agitur etiam per quem, quando, & quomodo Reges delinquentes puniri possunt. Item librum defensorium istius libri monarchiae contra quosdam detractores super eisdem & aliis vtilibus materiis. Item librum apparatus siue commentum super bulla cruciatum indictam per Papam Pium contra perfidos Turcos. Item librum super commento bullae depositionis Regis Bohemiae per sanctissimum D. Paulum secundum publicatae. Item librum de remediis afflictarum ecclesiarum militantis, in quo adhibentur remedia contra omnes persecutiones quas ecclesia ab exteris & domesticis patitur. Item librum dictum speculum vitae humanae, de prosperis & aduersis, dulcibus, & amaribus omnium statuum vitae mortalis, tam in statu spirituali, quam temporali. Item librum de regno diuidendo, & quando primogenitura sit legitima. Item librum de pace & bello, & de necessitate & vtilitate bellorum. Item librum de eruditione puerorum. Item librum confutatorium sectae & superstitionis Machometi, & quorundam errorum contentorum in quibusdam epistolis per quemdam eloquentem oratorem missis perfido Turco. Item librum dialogi de auctoritate Romani Pontificis & generalium conciliorum, & de poena subtrahentium obedientiam a sede apostolica, & de remediis schismatum. Item plurimos alios tractatus & epistolas, quae siquidem opuscula eidem sanctissimo Pontifici pro maiore parte dedicata sunt, & sub illius glorioso & aeterno nomine potius, quam studio & ingenio meo coquiescunt. Nec me solum, sed ut ait Esdras, vel Rex Ptolemaeus, plures doctissimos & studiosos viros ad scribendum inuitat, quippe allicit atque remunerat. Sed de huius Pontificis gloriosis gestis, laudibus, & praeconiis alibi dicimus. Huius itaque Pontificis ac Regis Henrici praefati tempore sedit in imperio Fredericus III. Austriae dux. Hic ante susceptum imperium Ierosolymam deuote visitauit Alberto fratre & Comitibus Cilicis sociatus. Adeptus autem imperium cum Germanos quadam neutralitate quae potius subtraheo obedientiae videbatur, frui conspiceret, & diuisam ecclesiam reperisset, conuenticulum apud Basileam congregatum abire iussit: unde secuta est totaliter desiderata vnio ecclesiae. Cum Vngaris aliquo tempore bellauit, & aliqua castella obtinuit, sed & non parua ab eis damna consequutus est. Vxorē duxit sororē Regis Portugaliae, nomine Leonorae, sanguine & moribus inclita. Hic ut diximus, Romam venit & diadema a Nicolao v. suscepit. Deinde visitauit Alphonsum Regem Aragonum & Siciliae vxoris auunculum, a quo honorifice apud Neapolim receptus tandem Aletmaniā feliciter rediit. Demum anno domini M. cccc. lxx. deuotionis & peregrinationis gratia Romam & Apostolorum facta limina visitauit, qui ab eodem sanctissimo Paulo II. summo Pontifice solennissime receptus est, illumque in suo apostolico palatio humanissime & curialissime locauit, & quoad diu Romae fuit, sibi & gentibus suis lautissime expensas ministravit, & in recessu spiritalibus & temporalibus muneribus eum magnifice donauit. Agimus iam huius historiae finem sub eodem Henrico III. Verum quia septies in die cadit homo, exoradus est Altissimus per quem Reges regnant, ut hunc Henricum III. custodiat, protegat, & defendat, ut quem feliciter incepit, feliciter expleat, illique intellectum, vires, & conatum tribuat, quatenus se & subditos in viam pacis & salutis aeternae dirigat, eo praestante qui est benedictus in secula, Amen.

RODERICI SANTI HISTORIAE HISPANICAE FINIS.

○

IOANNIS VASAEI
BRVGENSIS RERVM
HISPANICARVM
CHRONICON.

REVERENDIS. ET SERENIS. PRINCIPI AC DOMINO 10
D. Henrico, S. R. E. TT. sanctorum quatuor coronatorum Cardinali, Infanti Portu-
gallicae, Archiepiscopo Eborensi, Alcobaciensis monasterii Com-
mendatario, & in regnis Portugalliae summo de fide Catho-
lica cognitori, Domino suo obseruandissimo,
Ioannes Vasæus S. D. P.

CATONEM illum Censorium magnifice & praeclare restatur
Cicero praecepisse, Princeps amplissime, ita comparandam esse
vitam nostram, ut non minus otii, quam negotii ratio nobis constare
videatur. Vult (opinor) vir grauissimus, tantam nos ratio- 20
nem ducere temporis, ut ne in ocio quidem ociosi essemus, sed in eo
vel de priuatis, vel de reip. commodis semper aliquid animo tractaremus. Atque idem
laudat P. Scipionem, eum qui primus Africanus est appellatus, quod dicere solitus
esset, nunquam se minus esse ociosum, quam quum esset ociosus: videlicet quia in
ipso ocio de negotiis cogitabat, adeoque nunquam cessabat, ut quae res aliis languore
afferre solet, ipsum acueret. Horum ego virorum tam singularem ingenii praestantiam,
sicut affirmare me imitatione consequutum esse, stultum ac temerarium iudico: ita
non dissimulo, me laborasse semper, ut voluntate proxime accederem. Et negotii 30
quidem mei rationem probe mihi constare arbitror, tum apud Celsitudinem tuam,
tum apud alios, quibuscum haec tenus vixi. Sed otii quanta ratio a me dari poterit,
quod adeo exiguum mihi suppetit, ut nullum verius quam modicum dici possit? Quid
enim otii superesse potest homini totos dies in docenda iuuentute occupato? a qua
functione si quid forte temporis superesse contingat, id totum curae domesticae, disci-
pularum priuatae interpellationes, corporis ac salutis necessaria cura consumat?
Quorum ut nihil impediatur, tamen ita nonnunquam animum a praelectione publica
defatigatum, adeo nauseabundum reporto, ut cum libris ac priuatis studiis rationem 40
aliquam habere, si maxime liceat, ne libeat quidem. Nihilominus si quid unquam
vacui temporis mihi forte dies festi ac feriat fecerunt, id ne otiosum effluxisse
videri posset, maxime opere a me est elaboratum. Cuius rei fidem ut Amplitudini
tuae facerem, & quod dico, re ipsa comprobarem, praeter alia quae aliquando in lucem
dabo, si lucis usuram Deus Opt. Max. concesserit, hoc quoque descripsi Chronicon
rerum Hispanicarum, opus, ut mihi quidem videtur, non minus necessarium, quam
laboriosum. Quod quibus de causis susceperim, posterius latius explicabo. Vult
quidem, ut Hispanorum res gestae posthac non Hispanice tantum, sed etiam Latine le- 50
gerentur. Nam Latina leguntur in omnibus fere gentibus: Hispana suis finibus,
quanquam non exiguis, sane continentur. Et consentaneum omnino videtur, ut res haec
quas Hispani gesserunt, quemadmodum orbis terrae regionibus definiuntur, sic omni-
bus gentibus innotescant, & quo manuum Hispanarum tela peruenierint, eodem gloria
famaque

famaque penetret. Quarum rerum maiestatem si dignitate orationis exaequare non
potui, danda bonae voluntati venia est, quae in rebus magnis & arduis non solum
laudatur, sed etiam pro facto saepe censetur, praesertim quum ea scribatur, in quibus
non tam stili venustas desideretur, quam fides historiae quaeratur. Hanc vero lu-
cubrationem multis nominibus sacratissimo tuo nomini, Serenissime Princeps, de-
dicare constitui. Primum enim quum ante annos tredecim, relicta Salmanticensi Aca-
demia praeclarissima, repudiatis aliis conditionibus non penitendis, me in fidem &
clientelam tuam tradidissem, quid minus alienum, quam cui vitam, cui fortunas meas
credideram, eidem etiam vigiliis & labores meos literarios commendare? & cui vitae
subsidia deberem, eidem & lucubrationis huius patrocinium acceptum ferre? Quid
quod futurum confidebam, ut quum me tantillo otio quod successivis horis corraderem po-
tuissem, non omnino cognouisses usum otiose, quae tua est erga studiosos humanitas,
uberiore otii copia mihi esses aliquando factururus. Sed postquam res mea ita tulerunt,
ut Salmanticam ab Academia Senatu honesta conditione vocatus redirem,
multo magis visum est mihi officium meum, ut opus tuis auspiciis atque in familia tua
lucubratum, Amplitudini tuae nuncuparem, quod tum demum nouis me beneficiis cum-
mulari. Nam quamuis operam meam utilem esse iuuentuti Lusitanae iudicares, ac
proinde discessus meus tibi submolestus esse videretur, tamen cum ita rationibus meis
conducere tibi significarem, non modo solita atque usitata benevolentiae significatione,
sed etiam munere donatum me dimisisti, & ne me credereris a familia tua penitus
alienauisse, filium etiam meum natum maximam in fidem & clientelam tuam adoptasti.
Cuius ego beneficii magnitudinem, nisi etiam absens grata memoria prosequerer,
ut mortaliu ingratissimus omnium, merito indignus omni beneficio iudicaretur.
Praeterea quum soleas Theologicis studiis historiae lectionem admiscere, ne vlla
te fastidia possint ab assiduo studio diuellere, non ingratum me Celsitudini tuae fa- 30
cturum arbitratus sum, si ab ipsis primordiis compedio tibi proponerem Hispaniae
tuae res gestas & inchoata facta, quam tu inter alios Principes peculiariter nobilitate,
dignitate, virtutibus, exornas, amplificas, illustras. Postremo aut ego vehementer
erro, aut nulli omnino Principum Hispaniae poterat hoc opus conuenientius
nuncupari, quam tibi Princeps sacratissime. Quid enim magis decebat, quam
eam Chronici Hispaniae partem quae de haereson diuersarum tractat extirpationibus
& fidei Catholicae stabilimentis, summo de fide Catholica in istis Portu- 40
gallicae regnis ac ditionibus iudici dedicare? de sanctis illis episcopis & vere pastoribus,
antiquis sanctissimis, & veteribus, illis (absit adulationis suspicio) iure comparando?
de antiquis Conciliis & ecclesiasticis statutis, ei praesuli, cuius in hoc omnes
vigiliae, omnes curae & sollicitudines incumbunt, ut grex ei commissus quammaxime
ad veram illam primitiuae ecclesiae pietatem componatur? de principibus religiosissimis,
Principi vere religionis obseruantissimo? Adde quod hic reperies, amplissime Domine,
non tam quod imitere, quam quod imitatum abs te merito gaudeas. Nam quod initio Pontificatus tui synodum Bracarae omnium illius diae- 50
cesis sacerdotum conuocasti, & ecclesiasticam disciplinam, aliorum vel negligentia vel
conuientia labascentem, in integrum, quoad eius fieri potuit, restituiti: hoc habes
Lucretii, S. Martini, & aliorum eiusdem sedis sanctissimorum praesulum, ut de reliquis
taceam. Quod Iudaicam perfidiam tam constanter oppugnas: hoc Sisebuti
Regis Christianissimi. Quod cuius haeretica prauitatis tam capitale bellum indixisti:

hoc S. Leandri, S. Isidori, S. Alfonsi, hoc aliorum pontificum, quorum Hispania tum sanctitate gloriatur, tum meritis adiuuatur. Quod Bracara collegium instituiti, in quo pueri gratuito bonis literis & probis moribus imbuerentur a teneris, atque idem iam Eborae tanto studio ac diligentia moliris maximo reip. bono, neque minore aliorum episcoporum exemplo: hoc quoque habes S. Isidori, ne recensendis aliis prolixus sim. Quod tanta cura & sollicitudine semper adnixus es, ut qui te duce Deo militant sacerdotes, eam seruent vitam castitatem, quam in suscipiendo tanto sacramento professi sunt: hoc sancti & venerabilis episcopi B. Motani Toletani praesulis, cuius in eare diligentia miraculo diuinitus comprobata est. Quod diocesis tua ipse perlustras, quum in familia tua multos habeas integritate & eruditione praestant viros, quorum in eare vicaria uti opera possis: hoc post alios S. Giraldi, qui in eo munere vita quoque perfunctus, a visitatis omnibus ad visendos angelicos choros felicissime demigravit. Quod quoties a negociorum strepitu secessum queris, omnis animi tui voluptas sit inter monachos religiosissimos versari: hoc Helladii episcopi, cuius sanctitatem Toletana veneratur & colit ecclesia. Quod viduas, pupillos, omnes ex aequo pauperes tam prolixa benignitate prosequeris: hoc praeter venerabiles episcopos, etiam Ricaredi, Sisebuti, & aliorum piensissimorum Regum. Quod ad ea quoque descendis, ut in ecclesiis tibi subiectis altaria niteant, sacra sint munda, vasa luculenta, liturgia & officia ecclesiastica quam decentissime & quam deuotissime peragantur, quodque tibi sit in omnes ceremonias pia sollicitudo disposita: quam laudem in sacerdote Christi ipse quoque D. Hieronymus magni aestimat: hoc habes venerabilis Conantii episcopi, quo praefatore D. Fructuosus ad tantam profecit sanctitatem, hoc B. Eugenii, ut de ceteris sileam. Denique hic tu Princeps vere catholicus, plurima leges de Regibus Christianissimis non iniucunda: hic pontifex Christi vigilantissimus, de sanctissimis Hispania episcopis permulta reperies, quae non dubito, quin tanto tibi gratior huius operis lectione efficiant, quanto singularibus virtutum exemplis impensus delectaris. Ceterum, ut nulla est in rebus humanis sincera voluptas, ita hic quoque rerum vicissitudines erunt, & nonnulla interuenient parum fausta de Regibus quibusdam partim haereticis, partim impiis & omni scelerum inquinamento pollutis, de paucis episcopis, de pastoribus verius quam pastoribus, de luctuosa illa Hispaniae clade, quae lectionis quidem voluptate imminuent, sed salutari doctrina, & utili in posterum, si saperemus, exemplo docebunt, quod non minus vere quam eleganter D. scripsit Hieronymus, peccatis nostris barbaros fortes esse. Accipe igitur, Serenissime Princeps, a cliente tibi deuotissimo munusculum, non auctoris nomine, sed eorum qui in illo describuntur, commendabile. Quod quum aliis multis de causis serenissimo tuo nomini dedicandum censesui, tum hac praecipue, ut te tibi tanquam penicillo depingere, non quum sciam, quanto opere singularis tua modestia ab istiusmodi praeconiis abhorreat, sed quod omnium interesse censeam, ut tale te esse cognoscant. Siquidem virtus acrioribus ad imitationem sui stimulis nos excitat, quoties in illustri posita fastigio refulget. Dominus Deus qui te tot sanctissimorum Pontificum illustravit exemplis, curriculo praesentis vitae feliciter exacto, cum eisdem immarcescibili beatitudinis laurea coronet, atque interim Serenissimam Amplitudinem tuam ad communem Christianam reip. utilitatem & sacrosanctae fidei amplificationem quam diutissime seruet incolumem. Salmanticae, XII. Calend. Ianuar. Anno M. D. LI.

IOAN-



IOANNIS VASAEI BRUGENSIS RERVM HISPANICARVM CHRONICON.

NTEQVAM Chronicon ipsum aggrediar, operae precium mihi facturus videor, si prius consilii mei rationem aperiam, de laudibus Hispaniae atque antiqua administratione illius pauca quaedam velut delibem, quaque natalem CHRISTI praecesserunt, summam & compendio perstringam. Nam haec praeterquam quod erunt lectu non iniucunda, etiam non minimum habebunt momenti, tum ad cognitionem ipsius Chronici, tum ad alia multa, quae malo in lectoris opinione ac iudicio relinquere, quam in oratione mea ponere. Faciam vero, quoad eius fieri poterit, breuissime: propterea quod Florianus a Campo, & Petrus Antonius Beuter, hanc partem prolixissime simul & diligentissime, quamuis sermone vernaculo, sunt prosequuti: & tamen ita faciam, nisi me fallit mea de me opinio, ut non frustra videar post illos hunc laborem suscepisse. Laborauit in eodem argumento Latine Ioannes Gerundensis Episcopus, & ita laborauit, ut minus necessaria futura fuerit haec mea industria, si quam ille diligenter & erudite peragisset, tam emendate fuisset opus impressum. Sed ad ea quoque, quae ille pulchre ac docte collegit, plurima addemus, quae ipsum vel seculi vitio, vel librorum penuria fefellerunt, aut quae alia quavis de causa ponenda non putauit. Sed ad rem.

Quo consilio haec scripserim. Caput 1.

TQVE alios quidem vel delectationis ratio, vel utilitatis illecebra, vel honoris cupiditas, vel virtutis amor impellit, ut animum ad alia atque alia studia adiungant: me vero nihil horum, uti me ad historiae cognitionem darem, commouit, sed necessitas quaedam pertraxit. Nam quum in patria mea pene puer, videlicet nondum exacto decimo octavo aetatis anno, ab amicis & propinquis docendae iuuentuti destinatus essem, tanti laboris impatiens, frequenter mecum rationem inibam, qua tam graue iugum commode possem abicere. Tandem Louanium profectus, atque a Rutgero Rescio professore Graeco, sed iis moribus, ea vitae integritate, ea eruditione, ut merito studiosis ac bonis omnibus mors tanti viri lugenda sit, ab eo, inquam, benigne ac liberaliter hospitio susceptus, per speciem quidem literis Hebraicis operam dabam (nam hoc praetextu missionem consequutus eram) re vera tamen iuris prudentiae totus vacabam, neque omnino infeliciter, ut mihi quidem videbar. Sed institutum illud interruptum Hispanica profectio, quam Nicolao Clenardo incitatore ac socio, D. Ferdinandi Colonis auspiciis suscepi. Vbi tribus annis partim in aula Isabellae Augustae, tractandis Proregis Indiarum Occidentalium negotiis, partim Hispani in numerosissima Bibliotheca Colonica consumptis, tandem Salmanticam profectus

O iij

ctus, ad intermissa legum studia, velut postliminio reuersus sum, inuitatus illuc honesta conditione a clarissimo viro Francisco a Valle Prætoris Antwerpensi, cuius tum filius Salmanticensis Ecclesiæ Prioratum (sic enim appellant) tenebat, adolefcent longiore vita dignus. Sed rursus tam opportuni patroni mors importuna sic vitæ meæ rationes conturbauit, vt necessario mihi fuerit, interrupto studiorum cursu, publicæ professionis munus capeffendum. Nondum tamen leges desideratas ita abdicaueram, quin ad eas aliquando mihi redeundum sperarem, vsq; dum Serenissimus Princeps, & Reuerendissimus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Henricus, Portugalliæ Infans, misso Salmanticam ad id Nicolao Clenardo, me ad suscipiendam Bracarenfis iuuentutis erudiendæ prouinciam vocauit. Ibi tum ca- 10
 mihi res in religionem versa est. Itaque iam omne sequendarum legum consilium deposui, ratus in fatiis meis esse, vel potius Deo cuius admirabili prouidentia gubernantur omnia, ita visum, vt in eo munere cui pene puer destinatus fueram, con-
 seneferem. Proinde ab omnibus aliis rebus cogitationes meas, curas, consilia, studia ad hoc obeundum munus contuli, id vnum spectans, vt quam Spartam na-
 ctus essem, pro mea virili exornarem. Quod quanto cum fructu factum sit hæte-
 nus a me, penes alios esto iudicium. Potro quum in hoc officii genere tantum sit
 tædii ac molestiæ, quantum, nisi qui expertus fuerit, non facile queat æstimare: ra-
 tio aliqua quærenda fuit, quæ mihi non voluptatem ac delectationem suppedita-
 ret, sed tædia propulsaret, & alleuamentum aliquod succrescentibus laboribus præ- 20
 beret. Ad eam rem historia mihi accommodatissima visa est, quæ præter innume-
 ras utilitates quibus lectorem cumulat, animum quoque mirifica dulcedine de-
 mulcet. Hoc igitur vnicum Iassæ & cura confecti animi perfugium ac remedium
 cepi, & Græcis Latinisque historiis Hispanas etiam admiscui, scilicet ne penitus
 essem ignarus rerum illius regionis in qua mihi viuendum erat, neue in aliena pa-
 tria bis peregrinus essem. Quarum lectio magnitudine rerum gestarum ita me re-
 creauit, vt quas obiter prius ac perfunctorie perlustraueram, serio mox & bona fi-
 de perlegerem, neq; perlegerem solum, sed etiam præcipua quæque decerperem.
 Dii boni, quam diuitem Hispaniam, belli pacisque artibus reperi! quantas rerum
 ac fortunæ vicissitudines! quot bella prudentissime suscepta, scientissime gesta, scæ- 30
 licissime confecta! quam indefatigabilem vindicandæ religionis Christianæ fer-
 uorem! quot omnium virtutum documenta! quot omnium rerum memorabilem
 exempla! Denique non animus modo iucundissimæ lectionis voluptate mihi ex-
 pletus est, sed commētarius etiam iustus excreuit earum rerum, quas inter legen-
 dum memoria dignas enotaui. Ægre ferebam eas in tæto silentio iacere, nul-
 lam tantarum rerum memoriam apud exterarum nationes extare, nullum hætenus
 in tam præclaro argumento ingenii vires explicuisse, saltem vt res posteritatis me-
 moria dignissimas, ab obliuione hominum atq; a silentio vindicaret. Subiit paula-
 tim huius tentandæ rei desiderium, sed quum mente repeterem, quam multa opus
 essent ad tantam rem cum dignitate cõficiendam, quibus ego carerem, præsertim 40
 autores illi antiqui, qui de rebus Hispanorum, quamuis parca admodum & conci-
 se scripserunt, non sum ausus consilium meum cuiquam aperire, ne si euentus non
 responderet, risum pro gloria reportarem. Atq; his cogitationum æstibus iactatus,
 dubius inter spem & metum fluctuauit, tantisper dum Georgius Cælius, vir omni-
 bus bonarum artium studiis ornatissimus, mihi dixit in Alcobacienfis se monasterii
 Bibliotheca reperisse codicem manu scriptum, in quo essent Sanctus Isidorus &
 Sanctus Alfonsus de viris illustribus, & alia quædam S. Isidori monumenta de reb.
 Hispaniæ. Quid ego nunc tibi referam candide lector, quanto opere me beatit nuncius
 adeo exoptatus? Non conquieui animo, donec tã desiderato thesauro potitus
 sum, interposita autoritate Reuerendissimi ac Serenissimi Cardinalis & Principis 50
 D. Henrici, cuius fide ac tutela monasterium illud regitur. Compos tandẽ factus,
 quũ librũ adeo expectatũ oculis & animo deuorassẽ, reperi omnia longe maiora
 quam pro expectatione mea, deniq; talia, quæ animũ nutantem & ambiguũ in cer-
 tam sententiã prosequẽdi instituti, ppellerent. Mox amicos quosdã certiores feci,
 in quorũ fide ac diligentia spem aliquam auxilii ponebam. Quorũ adiutus ope ac
 industria,

industria, Chronicon hoc conscripsi, cuius nunc priorem tomum in lucem edere
 constitui, propediem daturus & alterum, si laborem hunc meum non ingratum
 fuisse cognouero. Quem eo libentius suscepi, tum ne tam numerosus sanctorum
 martyrum catalogus, tot Præfules sanctissimi, viri eruditissimi & in omni scientia-
 rum genere percelebres, tot res domi forisq; præclare gestæ, diutius in obscuro
 essent: tum vero vt vicem aliquam Hispaniæ pro tam benigno hospitio redderem,
 cui non secus ac natali solo iam pridem affectus sum, vt in qua totidem propemo-
 dum annos atq; in patria vixerim: adeo alienæ patriæ longo vsu ita consuefcimus,
 vt etiam propriæ anteponomus.

10

*Quanta fuerit huius tractandæ materiæ necessitas propter externos, &
 etiam propter ipsos Hispanos. Caput II.*

VERVM ne quis operam in reparum necessaria posuisse me causetur, paucis
 declarandum duxi, quanta mihi necessitas huius tractandæ materiæ visa sit,
 præcipue propter exterarum nationes, quibus res in Hispania gestæ, scriptorum ino-
 pia hætenus sunt incognitæ. Primum enim Idacius, Ioannes Abbas, S. Isidorus,
 Lucas Tudensis hætenus in tenebris latent. Rodericus Archiepiscopus Toleta-
 nus, Ioannes episcopus Gerundensis, Alfonsus Burgensis, nuper quidem Xanthi
 20 Nebriffensis opera, typis excusis prodierunt, sed ita mendosi, vt plurimis in locis
 intelligi non possint. Quamquam non minima gratia debetur Xantho Nebriffen-
 si, qui eos qualescunque nobis dedit, addita præsertim Antonii Nebriffensis patris
 sui, viri vndecunque doctissimi, de rebus gestis Catholicorum Regum Ferdinan-
 di & Elisabæ historia perquam erudita. Qui autores quamuis vel omnes impressi
 essent, vel qui editi sunt, ita essent a mendis repurgati, vt sine offensione legi pos-
 sent, plurima tamen silentio præterierunt, quæ mihi scitu non tantum utilia & iu-
 cunda, sed propemodum etiam necessaria videntur. Præterea Rodericus Toleta-
 nus, & quicumque illum sequuti sunt, vel sæculi vitio, vel quia fortasse deprauatis
 30 exemplaribus vsi sunt, non ita vbique fidem historiæ seruauerunt, vt non aliquan-
 do lima indigeant. Florianus a Campo, Canonicus (vt audio) Zamorensis, & Pe-
 trus Antonius Beuter Theologus Valentinus, diligentius & eruditius de rebus
 Hispaniæ scripserunt, sed quia vulgari sermone vsi sunt, Hispanis tantum consule-
 re voluisse videntur. Quasi vero eæ sint Hispanorum res gestæ, quæ patriæ suæ re-
 gionibus circumscribi debeant, ac non potius, quemadmodum fama sua cun-
 ctum orbem complexæ sunt, sic ab omnibus legi mereantur? Iam vero extra Hi-
 spaniam pauci admodum scriptores res Hispanas attigerunt, idque ita dubia fi-
 de, vt plerumque tota errent via. Quarum rerum ignoratio quantas tenebras qui-
 busdam scriptoribus offuderit, quam multos autores grauis non paucis in locis
 vitiauerit, iis demum fuerit manifestum qui diligenter in hoc nostro Chronico
 40 animaduertit, quam varios diuersorum autorum locos misere deprauatos, ac
 proinde obscuros non omnino, opinor, infelicitate restitimus, vt quamuis nul-
 lum aliud operæ precium hac nostra lucubratione fecissemus, non omnino male
 collocata opera censeretur. Accedit his, quod de sanctis Hispaniæ, de scripto-
 ribus primariis, de aliis multis memoratu dignis, nemo satis hætenus pro di-
 gnitate tractauit. Nam Florianus a Campo primam tantum Chronicorum suo-
 rum partem euulgauit, quod ego quidem sciam. Petrus Antonius Beuter dum il-
 lustrandæ patriæ suæ præcipue studet, hæc atque alia huiusmodi vel tacitus præ-
 terit, vel paucis admodum perstringit. Proinde necessarium mihi visum est, excus-
 sis diligenter omne genus scriptoribus, Chronicon aliquod edere, in quo nihil
 50 eorum quæ reperire potuissem, prætermitterem. Quod si tantum apud
 alios inuenerit gratiæ, quantum mihi præbuit laboris &
 molestiæ, non erit cur me vigiliarum
 mearum pœniteat.

*Nihil mirandum quod homo externus de rebus Hispania scripserim, quodq;
non sine exemplo faciam. Caput III.*

NEQUE quisquam miretur, aut vitio dandum arbitretur, vel temeritati adscribat, quod homo peregrinus, & velut in alio natus orbe, de rebus Hispaniæ sim ausus aliquid commentari. Primum enim neq; noui quicquam facio, neq; sine exemplo. Nam si considerare volumus eos qui res Romanas scriptis suis memoriæ prodiderunt, inueniemus plerumq; eorum Græcos, in quibus Polybium, Dionysium Halicarnasæum, Plutarchum, ne reliquis recensendis prolixus sim. Quin & Titus Lilius celeberrimus Romanæ conditor historiæ, non Romanus erat, sed Patavinus, quæ ciuitas Galliæ Cisalpinæ siue Togatæ erat, non Italiæ. Sed ne anti-qua repetam, Paulus Æmilii Francorum historiâ non Gallus, sed Italus conscripsit, & Lucius Marinæus, Siculus, non Hispanus, de rebus scripsit Hispanotû, atq; vti nam parem cum Paulo Æmilio tulisset eloquentiæ palmâ. Nec ego felicius Marinæum Hispaniæ natum quam Vasæum credo, crescitq; mihi ex eo fiducia, quod illum videam, quomodocunq; scripserit, non id modo sine reprehensione, sed etiam cum laude fecisse. Quid quod ne peregrinus quidem censerî debeam? Nam si Athenienses prudentissima ciuitas, in ciuium numerum referebant, quicumq; apud eos essent septem annos versati: si Romani multis qui Romam nunquam viderant, ob beneficium aliquod Imperatoribus benigne præstitum, aut operam in bello strenue nauatam, ciuitatem suam dabant: non immerito me Hispani inter suos numerabunt, apud quos viginti iam annos vixi, vxorem nō obscuro loco natam duxi, liberos procreaui. Adde quod eorum commodis & studiis iuuandis per multos annos ita defudaui, vt pauca admodum credam esse municipia Hispaniæ, quæ non aliquem habeant Vasæi discipulum. Non hic referam quod communem Flandri cum Hispanis dominum agnoscimus, non quod tam assiduis vltro citroq; comæationibus tanta sit vtriusq; gentis coniunctio & communicatio, vt prope pro iisdem haberi possint. Illud fortasse non absurde dixero, cum Hispani Brugis in solo meo natali pro ciuibus & plusquam ciuibus habeantur, & iisdem atq; adeo potioribus prærogatiuis vtantur, me non iniquum postulare, si apud eos eodem cenferi numero velim. Et certe Hispani me hæcenus non tanquam peregrinum, quanquam sunt alioqui in peregrinos clementissimi, sed tanquam ciuem, & ciuem benemeritum tractauerunt. Primum enim, in curiam Isabelæ Augustæ vt veni, quotibi amicos reperi? Deinde Hispali quam benigne acceptus fui a viris præclaris & admodum eruditis? Salmanticiæ vero quum primû publice profiteri cœpi, quanta contentione scholastici, quo studio apud Academiæ Rectorem egerûnt, vt mihi stipendium honorarium ab Academiæ Senatu decerneretur? Neq; Senatus grauissimi beneuolentia cessit scholasticorum studio. Tres enim duntaxat inuenti sunt in toto Senatu, qui mihi aduersarentur, sed ita aduersarentur, vt nō potuerint ornare magis. Quorum ego iniuriam, si tamen iniuria erat, libenter silentio prætereo, tum quod partim iam fato concesserunt, vt cum laruis luctandum nō sit: tum quod istiusmodi res obliuisci malo, quam commemorare. Porro autem vt in Lusitaniam a Cardinali patrone meo honesta conditione atq; ampliori proposito spe vocatus concessi, quantam eius gentis humanitatem atq; beneuolentiam sim expertus, primum Bracaræ, deinde etiam Eboræ, neq; paucis explicare possum, neq; si possim, pie me facere arbitrarer, si pro iucundissimo tot annorum hospitio, & amplissimis beneficiis, tam breui, tamq; vili defungere orationis munere. Neq; referre nunc paucis queam, quanta cum beneuolentiæ significatione Senatus Academiæ Salmanticensis me post annos duodecim reuocandum curauit, tradita publice prouincia D. Ioanni Quignonio Cancellario, viro non solum antiquissimo clarissimoq; maiorum stemmate illustri, sed omni quoq; virtutum genere exornatissimo, præterea literis politioribus, tum Græcis, tum Latinis ita ex-culto, vt eius exemplo mihi videatur acceptum ferri debere, quod explosa paulatim barbarie, literæ humaniores Salmanticiæ caput attollere incipiant. Huius certe integritati & inculpatissimæ vitæ debetur, quod ex quo tempore ipse præfectus est huic

est huic Academiæ, iuuentus omnis ad tantam vitæ frugalitatem & modestiam conuersa sit, vt Cenforem egisse perpetuo, non Cancellarium videatur. Adeo virtus in illustri posita monumento, stimulos habet acriores aliis ad imitationem sui excitandis. Vnde non immerito S. C. C. M. Caroli Imperatoris, ante annos aliquot, prouinciam illi reformandæ Complutenis Academiæ delegauit. Cæterum de huius viri laudibus, optime semper meriti de me, spaciosior alias aperietur dicendi campus. Vt igitur vnde digressa est, tandem reuertatur oratio, neq; nouo exemplo homo in Flandria natus alterius gentis res gestas describere aggressus sum, neq; me peregrinû Hispanis iudico: & vt maxime peregrinus essem, tamen ea de rebus ipsorû legi, cum iis viris cõtuli, talium opera sum adiutus, vt neq; vereri debeat institutum prosequi, neq; quisquam scriptis meis possit merito fidē derogare.

Qui autores de rebus Hispania scripserunt Latine, atq; etiam Hispanie, & quatenus eos sequor. Caput IIII.

NON abs re mihi videtur hoc loco catalogum eorum autorum pertexte qui de rebus Hispaniæ ex professo commentarios ediderunt.

Ac primus quidem occurrit Idacius Galleciæ Episcopus, de quo latius in Chronico nostro, anno quadringentesimo vigesimo. Is scripsit a primo Theodosii consulatu, vsq; ad annum domini quadringentesimum nonagesimum.

Ioannes Abbas Biclariensis monasterii, & ex Abbate Episcopus Gerundensis, scripsit ab anno Iustini Iunioris Imperatoris primo, vsq; ad octauum annum Mauricii Augusti, hoc est, ab anno domini quingentesimo sexagesimo quarto, vsque ad annum quingentesimum octogesimum nonum, de quo in hoc Chronico plura reperies, anno 589.

Maximus Cæsar Augustanus Episcopus, scripsit historiâ de iis rebus quæ temporibus Gothorum in Hispaniis contigerunt: sed eam intercidisse credo.

Sanctus Isidorus Hispalensis archiepiscopus, historiam Gothorum, Vandalorum, & Sueuorum, vsq; ad sua tempora paucis complexus est, scripsit præterea de viris illustribus. Nam in Chronicis suis pauca admodum de rebus attigit Hispaniæ.

S. Alfonso, siue (vt alii appellant) Ildephonsus, aiunt ab anno quinto Suinthilani Regis, vbi finem fecit S. Isidorus, Gothorum historiam fuisse prosequutum: sed neq; Iulianus archiepiscopus huius operis meminit, neq; etiam Florianus a Campo, diligens harum rerum peruestigator, neq; ego in Alcobaicensi codice reperi, neq; in alio manu scripto, cuius mihi pro candore suo copiam fecit Rescadius noster. Tamen in Luca Tudensi, in fine Reccesvinti Regis, reperi hæc verba: *Hucusq; Ildephonsus*. Vnde arbitror, quæcunq; ille a D. Isidori tempore posuit, S. Alfonso esse. Nam in præcedentibus ipsissima Diui Isidori verba retulit. Eiusdem sancti Alfonso libellum de viris illustribus legi. Horum autorum, Idacii dico, Ioannis Abbæ, S. Isidori, & S. Alfonso, quæcunq; de rebus Hispaniæ reperire potui, simul cum Victore Tunnunensi Africæ episcopo, propediem Deo bene iuante, a mendis quibus scitent, quo ad eius fieri potuit, repurgata, & scholiis nostris illustrata in lucem dabimus. Indignum enim vehementer existimo, autores tam bene de Rep. Hispana & religione Christiana meritos, diutius in tenebris iacere, & blattas ac tineas pascere.

Iulianus, Toletanus Archiepiscopus a sancto Alfonso tertius, scripsit historiâ de rebus Bambæ Regis tempore gestis: quam historiâ vidi Salmanticiæ in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis. Idem scripsit de B. Alfonso. De quo Iuliano quid sentiam, latius in Chronico scripsi, anno 681.

Iulianus Lucas natione Græcus, diaconus Toletanus, scripsit historiâ Hispaniam tempore Pelagii Regis, vt ait Florianus a Campo, sed eam hæcenus ego non vidi. Nescio an huius sint, quæ addûtur viris illustribus de Iuliano Archiepiscopo.

Idem Florianus a Campo dicit, Sebastianum quendam electum Salmanticensis res Hispanas memoriæ prodidisse, a tempore Pelagii Regis vsq; ad Alfonso Castum: Saphyrium Asturicensis Episcopus ab Alfonso Casto vsq; ad Bermu-

dum siue Veremundum Podagricum: Pelagium Episcopum Ouetensem ab hoc Bermudo vsq; ad finem Alfonso octaui. Sed hos ego autores, quanquam diligenter quæsitos, inuenire nondum potui. Tamen Sebastianum Salmanticensem allegat Petrus Antonius Beuter. Pelagii Ouetenensis meminit F. Alfonso Venerus in Enchiridio temporum.

9 Isidorus Pacensis Episcopus etiam scripsit Chronicon Hispaniæ, cuius si est Chronicon illud quod illius titulo prænotatum vidi, portentum potius dixerim, quã Chronicon, adeo prodigiose scribit, & Gothice potius quã Latine. Certe mihi tanquam in nouo quodam & inaudito idiomate desudandum fuit, vt intelligerem. Inueni & aliud Chronicon titulo Isidori Iunioris tanquã illius, ab initio mundi vsq; ad quintum annum Suinthilani Gothorum Regis, qui fuit annus domini sexcentesimus vigesimus sextus. Sed hoc ego Chronicon S. Isidori Hispalensis archiepiscopi, non Isidori Pacensis esse certo mihi persuadeo, præsertim quum ipse etiam S. Isidorus in Etymologiis suis, se ad eum vsq; annum Chronicon suum perduxisse testetur. Vidi quidem in eodem codice aliud Chronicon, Isidoro Hispalensi Episcopo inscriptum, sed quum in vltimo Trafamundi Vandalorum in Africa Regis anno desinat: alterius potius atq; eius Africani, quam S. Isidori Hispalensis esse arbitror, præcipue cum rationem potius cum regibus Vandalorum in Africa, quam Gothorum in Hispania habeat. Neq; obest Iunioris cognomenrum, quod D. Isidoro Hispalensi conuenit, non huic Pacensi. Dicitur vero D. Isidorus Iunior, propter Isidorum Cordubensem episcopum, qui Pauli Orosii tempore floruit. Quod ita esse, Etymologiarum S. Isidori titulus indicat, in cuius libri frontispicio ad hunc legitur modum: *Incipit epistola Isidori Iunioris Hispalensis episcopi ad Braulionem Casaraugustanum (ita enim legendum) episcopum.* Hæc ego pluribus excussi propter contrarias opiniones, & sententiam meã dixi, facile cessurus, si quis compertiora in medium adducat.

10 Vidi Salmanticæ in bibliotheca collegii S. Saluatoris, quod magno Reipublicæ bono instituit D. Didacus Muros Ouetenensis episcopus, & Catholicis Regibus a secretis, doctissimorum atq; integerrimorum fertilitate virorum celeberrimum, historiam Compostellanam in duos libros digestam, iussu D. Didaci primi Archiepiscopi Compostellani, in quibus primordia, successus, incrementa Ecclesiæ Compostellanæ late describuntur. In iis libris plurima scitu digna reperi, quæ suis locis ponentur. Prioris libri autores fuisse dicuntur Munio Mindonienis & Hugo Portugalensis episcopi: posterioris, Giraldus quidam presbyter, vt colligitur, & eiusdem Archiepiscopi familiaris.

11 Lucas Tudensis Chronicon scripsit Hispaniæ, pro illo seculo non poenitendũ, sed vel temporum vel scriptorum vitio ita deprauatum, vt non facile queat a quouis intelligi. Hunc episcopum fuisse affirmant, sed ipse se in opere suo indignum diaconum appellat. An postea episcopus fuerit, nescio. Scripsit autem Chronicon suum iussu Berengariæ Reginæ, quæ mater fuit Regis Ferdinandi tertii, fere eodem tempore quo scripsit Rodericus Archiepiscopus Toletanus.

12 Rodericus Ximenez Nauarrus, Archiepiscopus Toletanus, res in Hispania gestas nouem libris complexus est. Quibus subiunxit Ostrogothorum, Sueuorũ, & Alanorum ac Vandalorum compendiosam historiã. Quod opus Xanthus Nebriffensis, vir, vt apparet, eruditissimus, & patris doctissimi studium in iuuandis studiis referens, in lucem edidit, sed vel exemplarium penuria, vel temporum iniuria mire vitiatum, & tamen qualecunq; dedit, non minimam meretur industriæ laudem, qui quod potuit, in publicam vtilitatem deprompsit. Eos libros si quis exemplarium collatione mendis expurgatos atq; emaculatos euulgaret, non adeo aspemandum haberet Hispania rerum suarum monumentum, tantisper dum alius delicatiore Minerua prouinciam eam aggrediatur. Scripsit præterea Rodericus iste historiam Arabum, ab exordio & origine Mahometis, quam ex Bibliotheca Reuerendissimi Cardinalis & Serenissimi Principis ac Domini mei D. Henrici sum consequutus.

13 Alfonso a Palencia res Hispanas Latino sermone descripsit, vt scribitur in catalogo

catalogo virorum illustrium, qui additus est historiæ Ioannis Regis Castellæ eius nominis secundi: sed eum ego autorem neq; hætenus vidi, neq; alibi citatũ legi. Vidi quidem Hispali in Bibliotheca Colonica, dum illius curam agerem, prægrande volumen de rebus Hispaniæ, & ni fallor, Romæ, certe in Italia impressum: sed Roderici Palentini episcopi, quem etiam Raphael Volaterranus citat, quod postea quoq; Vallisoleti in Bibliotheca Collegii Cardinalis Petri Gonfalis Mēdocii vidi.

10 Ioannes Episcopus Gerundenis composuit Paralipomenon, id est, rerum Hispaniæ ab aliis relictarum, libros decem, in quibus Hispaniæ primordia, progressus & incrementa, ac varias rerum vicissitudines studiose, nec vsquequaq; infeliciter profecutus est, vsq; ad tempora Honorii & Arcadii Augustorum. Hic quoque typis excusus, sed non satis emendatus. Ioannem illum appello, quamuis anonymos prodit: quia ex historia regum Ferdinandi & Isabellæ ab Antonio Nebriffensi edita, constat tempore belli Granatenis, quo tempore hanc historiam conscripsit, vt ex præmio patet, Ioannem Episcopum Gerundensem fuisse.

14 Alfonso a Carthago Episcopus Burgenis, Pauli Burgenis episcopi ex legitimo matrimonio filius, & in episcopatu successor, præter alia opera scripsit anacephalæon regum Hispaniæ, cum Roderico Toletano nuper impressam.

20 Michael Ritius Neapolitanus scripsit de Regibus Hispaniæ libellos tres, elegantissimi stilo, sed admodum succincto, a Gargori Rege, qui fuit ex gente Curetum, vsq; ad Philippum Regem, Caroli quinti semper Augusti patrem. Hunc autorem mihi communicauit pro candore suo perquam Reuerendus D. Emanuel Sanctus, Episcopus Targensis, summa vitæ integritate, nec minore sacræ Theologiæ peritia probatissimus, cui ego sum multis nominibus admodum deuinctus.

16 Extat & Marii Aretii Patritii Syracusani dialogus, nomine Calipho, qui non poenitentiam continet Hispaniæ descriptionem.

17 Ioannes Annus Viterbiensis, præter ea quæ in Berosum Chaldaicum commentatus est, libellum scripsit perexiguum de primis temporibus & viginti quatuor Regibus Hispaniæ, Berosum sequutus. Sed huic auctori non satis fidei tribuunt eruditi, quemadmodum neq; Beroso, cuius tamen locum vnum ad verbum in Iosephi antiquitatibus reperi. Nam quæ præterea illius citat Iosephus, non fuit mihi quærendi ocium.

18 L. Marinæ Siculus de rebus Hispaniæ scripsit opus varium nec inelegans, sed in quo multis locis diligentiam, pluribus etiam fidem desidero. Idem scripsit de genealogia regum Aragoniæ libros quinque.

19 Petrus Martyr Mediolanensis, puerorũ nobilium Catholicorũ regum præceptor, scripsit de orbe nouo, auspiciis Christophori Colonis reperto in Indiis Occidentalibus, Decadas aliquot. Nō enim quum hæc scriberem, librum ad manũ habebam, sed in iis a quibusdam tanquam suspectæ fidei reprehenditur in nonnullis.

20 Ælius Antonius Nebriffensis, cuius memoria toti Hispaniæ merito venerabilis est, literis prodidit rerum a Ferdinando & Elisabe (ita enim declinat) felicissimis Hispaniarum Regibus gestarum Decades duas, & belli Nauariensis libros duos, opus & argumentum tali viro dignum, sed plerisque locis plagiariorum vitio mutilum.

21 Damianus a Goes Lusitanus, mihi pene adhuc puero in Flandria olim cognitus, ac bene de me meritis, scripsit de vbertate ac potentia Hispaniæ commentarium, non magnum illum quidem, sed accurate scriptum & rerum varietate iucundum. Idem Diensis Cambaiæ vrbis oppugnationem priorem scripsit, Petri Bembi Cardinalis & aliorum clarissimorum virorum præconiis magnopere celebratam. Quin & hanc posteriorem tribus libris studiose complexus est.

22 Iacobus Teuius, Regii apud Conimbricam collegii professor egregius, nuper Commentariũ de rebus apud Diem gestis anno millesimo quingentesimo quadregesimo sexto edidit, ea stili venustate conscriptum, vt si de tota historia Lusitania, quod pollicetur, ad rem contulerit, dubio procul effecturus sit, vt quemadmodum Lusitania rerum gestarum gloria nulli prouinciæ concedit, sic nec historiæ venustate cedere cuiquam merito debeat.

- 23 Exciderat Raphael Volaterranus, qui in opere illo prægrandi classem suam Hispanorum Regibus & rebus gestis assignavit, in qua tamen nonnunquam a veritate declinet historiæ, nihil mirandum: quin potius in gratia ac beneficio ponendum, quod quæ repetire potuit, silentio prætereunda non putavit. Atque hæc haecenus reperire potui, qui de rebus Hispanorum Latine scripserunt ex professo: nunc qui idem patrio sermone tractaverunt argumentum, paucis dicamus.
- 24 Alfonso Rex eius nominis decimus, cognomento Sapiens, cuius sunt tabulæ quæ dicuntur Alfonso, ex autoribus probatis historiam Hispanam iussit in quatuor partes redigi, opus copiosum, & antiquo illius temporis idiomate venerabile, sed mire vitiosum, ita tamen, ut adhibito labore & collatione autorum, ex quibus collectum est, facile possit in pristinum nitorem restitui, non quin alicubi tota erret via, sed in paucis, in quibus Rodericum Toletanum, tanquam autorem irrefragabilem sequitur, ut suis locis annotabimus.
- 25 Alfonso vndecimus, pater Regis Petri Crudelis, secundo iussit colligi atque ordinatius digeri Hispanorum historias. Eius exemplar esse puto, quod mihi commutato dedit Eboræ vir ornatus ac probus Ferdinandus Nonius Leo, iuris Cæsarei Licentiatus. in quo libro est historia Regum Castellæ, a Ferdinando Magno, usque ad finem Ferdinandi quarti, eius qui in ciuitate Giennensi mortuus est, die sibi dicto ab iis quos iniuste iusserat de rupe præcipitari: qui Ferdinandus fuit pater huius Alfonso vndecimi, de quo nunc loquimur.
- 26 Salmantica in Bibliotheca Franciscana repositæ sunt antiquorum Hispaniæ regum historiæ manu scriptæ. In eadem est historia antiqua Roderici Diaz celeberrimi Ducis, quem Sarraceni Cidum, id est Dominum, confessione virtutis ipsius appellauerunt, sed longe diuersa ab ea quæ vulgo circumsertur. Ex cuius Bibliothecæ historiis quæcunque instituto meo seruiebant, sedulo mihi annotauit reuerendus Pater F. Iacobus Hallensis Hannonius, cui non minima huius Chronici pars propter hanc diligentiam accepta ferenda est, ut suo loco dicam.
- 27 Dieghus a Valera historiam Hispaniæ generalē iussu Isbellæ Reginæ in compendium contraxit.
- 28 Ferdinandus Perez a Guzman librum edidit in modum Valerii Maximi, qui inscribitur Valerius Scholasticus. In eo titulos quidem ponit Valerii Maximi, exempla vero ex sacris Bibliis & historia Hispana, opus, meo iudicio, tum diligentia, tum varietate laudabile.
- 29 Historiam Aragonum scripsit F. Galbertus, monachus ordinis D. Bernardi, opere iusto, sed quod, si laudes immodicas & non necessarias detrahas, in exiguum redigatur opusculum.
- 30 Navarra historiam composuit Carolus infans illius regni, sed nondum euulgata est.
- 31 Extant & omnium Portugalliæ regum historiæ diligenter conscriptæ, pleræque omnes a Roderico a Pina, sed nullæ hæcenus typis excusæ, præter historiam Regis Ioannis eius nominis secundi, quam Garfias Resendius posteritati reliquit.
- 32 Leguntur & Lusitanorum in India res gestæ, sed ne illæ quidem impressæ, quam alioqui dignissimæ quæ manibus omnium tererentur. Prædie quam hæc typis mandarentur, vidi librum vnum de lustratis ac debellatis Indis per Lusitanos, lingua Lusitana compositum a Ferdinando Lopes, & excusum Conimbricæ hoc anno.
- 33 Extat præterea Comitum Nonii Aluari Pereira, Brigantiæ domus auctoris historia impressa, quem Comitem Lusitaniæ Camillum recte dixeris. Eam, ut audio, Latine vertit Ioannes Ferdinandus, quem illustrissimus Brigantiæ dux Theodosius filio suo unico Ioanni, in successionem amplissimæ ditionis nato, præceptorum prudenti consilio delegit, cuius eruditio varia Compluti, Salmantiæ, Conimbricæ celebrior est, quam ut alienæ prædicationis indigeat.
- 34 Prostant & quorundam aliorum Hispaniæ regum historiæ diuersis autoribus, typis excusæ, nempe Roderici ultimi Gothorū Regis, sed quæ fabulæ quam historiæ mihi propior videtur, Petri Crudelis, Henrici secundi, Ioannis primi, Ioannis secundi.
- Dieghus

- Dieghus Henricus a Castello, Henrici regis eius nominis quarti historiam conscripsit, quæ nondum euulgata est.
- Ferdinandus a Pulgar, vir (ut aiunt) in sermone vernaculo facundus & elegans, res gestas Catholicorum Regum Ferdinandi & Isbellæ quatuor tomis complexus est: sed ii quoque latent.
- Gundifalvus Ferdinandus Ouetensis Hispanorum in Indiis Occidentalibus bella & insignes victorias, atque omnes earum gentium ritus ac mores, ipsarum etiam regionum qualitates, & quæcunque reperit notatu digna, viginti libris persecutus est.
- F. Ioannes Ægidius Zamorensis de rebus quoque scripsit Hispanorum, cuius Archium frequenter citatur in Foralutio fidei. Sed ego hæcenus non vidi.
- F. Alfonso Venerus ordinis D. Dominici, Enchiridion temporum edidit sermone Hispano, in quo multa præclara de rebus Hispaniæ quæ hæcenus in obscuro erant, in lucem protulit.
- Laurentius a Padilla, archidiaconus Rondenensis in Ecclesia Malacitana, librum de sanctis emisit Hispaniæ.
- Florianus a Cæpo, vir, ut apparet, multæ lectionis, & indefatigabilis hac in parte diligentia, omnes Hispaniæ res memorabiles quatuor tomis describendas suscepit, quorum primum tantum hæcenus, quod sciam, edidit, in quo quæcunque de primordiis Hispaniæ potuerunt inueniri, studiose ac diffuse collegit. Reliquos si edidisset, plurimum instituto meo momenti attulisset.
- Petrus Antonius Beuter, Theologus Valentinus, idem argumentum tribus tomis complexum se proficitur, tamen præcipuus eius scopus videatur, patriam suam Valentiam illustrare. Primum tantum hæcenus vidi, erudite & cum iudicio scriptum. Cuius cæteras lucubrationes spero mihi non paruo vni fore, ad res illius regni, & etiam Aragonum, compendio perstringendas, si contingat earum compoem fieri, antequam Chronici mei posterior tomus typis mandetur.
- Nuper in lucem prodit opus iustum de dignitate & rebus præclaris Hispaniæ M. Petri a Medina, viri eruditi, & mihi olim Hispani amicitia iuncti, magno, ut apparet, studio elaboratum, & iucunda rerum varietate commendabile.
- Atque hi sunt Hispanicarum rerum scriptores quos hæcenus inuestigare potui. Eos ego in hoc Chronico sequutus sum, non tamen quod ita in illorum verba iurauerim, ut ab iis discrepare mihi religio sit, si quando res postulet. Amici quidem illi per quos in hac lucubratione adiutus sum, sed magis amica veritas, cuius in historia præcipua & prope vnica ratio esse debet. Præclare enim scripsit Polybius: Quæ admodum si quis oculos animæ effodiat, reliquum corpus inutile fit, ita dempta ex historia veritate, narratio omnis inutilis est.

Catalogus eorum autorum, quibus in hoc opere sum usus. Caput V.

- Nunc paucis autores eos perstringam, quibus in hac lucubratione usus sum, tum ut auctoritatem dictis meis altrua, tum quod ingenui animi esse iudicem, fateri per quos profeceris. Sequar vero in recensendis eis ordinem alphabeticum.

Ælius Spartianus.

Alfonsi Regis historia.

Alfonso Burgenfis episcopus.

Alfonso Sanctus.

Alfonso Venerus monachus.

Andreas Alciatus.

Andreas Resendius Lusitanus.

Angelus Politianus.

Annotaciones marginales Alcobacienfis codicis, quo multum usus sum, quas confici monachi fuisse non parum eruditi,

& multæ lectionis, quique antiquioribus usus sit Hispanicarum rerum monumentis, quam quæ hodie reperiuntur.

Antonius Nebriffensis.

Antoninus pius.

Antonius Sanctus, Florentinus archiepiscopus.

Antonius Sabellicus.

Aristoteles.

Arrianus de rebus gestis Alexandri Magni.

Asconius Pedianus.

Augustinus Sanctus.

Augustinus Steuchus Eugubinus.

Aurelius Cassiodorus.

Ausonius Poeta.

Autor Floris sanctorum Hispanici.

Autor vite Senecæ.

Beatus Rhenanus.

Bede venerabilis Chronicon, quod mihi manu scriptum benigne communicavit Resendius noster multo castigatus, quam quod vulgo extat impressum.

Berosus Chaldaeus.

Breviarium Bracarense.

Breviarium Eborense, quod nuper L. Andreas Resendius, Reuerendissimi S.R.E. Cardinalis, & serenissimi Principis Infantis Portugallie, Henrici Eborensis archiepiscopi auspiciis ita nitiori suo restituit, ut non arbitrer aliud reperiri exactiori iudicio concinnatum. Certe sanctorum historiarum Hispanorum non alibi meliori fide descriptas reperias, quas ille ante annos multos, perlustrata fere tota Hispania, tanquam quod futurum erat presagens, & summo studio perquisiuit, & ex ecclesiarum Cathedralium libris, ubi quæ emendatissime reperiri poterant, accuratissime descripsit. De hoc intelligi volo, quotiescumq; Breviarium Eborense cito.

Breviarium Hispalense.

Breviarium Pompelonense.

Caroli Navarrae Principis Chronica.

Columella Hispanus.

Compositellana historia.

Concilia antiqua.

Cornelius Tacitus.

Cyprianus Sanctus.

Damianus a Goes Lusitanus.

Decretales.

Decretum.

Erasmus Roterodamus.

Eusebius Caesariensis, cuius Chronicon multis mendis quibus scatebat, repurgatum, & lectioni sincere restitutum, ex veterum codicum & præcipue Alcobacensis collatione, propediem in lucem dabimus, Christo Opt. Max. conatus meos adiuvante, simul cum Chronico D. Hier. & Prosperi Aquitanici.

Eutropius.

Ferdinandus Perez a Guzman.

Ferdinandus Nonius Pincianus.

Flavius Vopiscus.

Florianus a Campo.

Francorum Annales.

Galbertus monachus Aragonensis.

Gennadius.

Gregorius Gyraldus Ferrariensis, qui historiam scripsit Poetarum.

Gregorius Holoander.

Gregorius Sanctus Papa.

Gregorius Sanctus Turonensis episcopus.

Henricus Glareanus.

Hermannus Buschius.

Hermannus Contractus, cuius prior pars Chronici vsque ad finem Domitiani, quo loco iterum ab anno Augusti quadragesimo secundo per annorum seriem Chronicon ducere incipit, tota propemodum ad verbum ex Bedæ venerabilis Chronico transcripta est.

Hieronymus Sanctus.

Historia Tripartita.

Iacobus Faber Stapulensis.

Iacobus Meyerus, qui Chronicon Fladricarum rerum scripsit, is pauca admodum de rebus attigit Hispanorum, sed ita exacte servata temporis ratione, ut hominis diligentiam facile agnoscat.

Idacius Gallaecie episcopus.

Ioachimus Vadianus.

Ioannes Abbas patria Scalabitanus, & Biclariensis monasterii fundator, quod Valclaram nunc vulgo dicitur statum Florianus a Campo.

Ioannes Annius Viterbiensis.

Ioannes Carion.

Ioannes Chrysostomus.

Ioannes Genesis Sepulveda.

Ioannes Lazarus Cælestinus.

Ioannes Maldonadus Hispanus, qui de iis sanctis scripsit quos Burgensis celebrat Ecclesia.

Ioannes Tristemiensis, alias Tristehemiensis Abbas.

Iornandes.

Iosephus.

Isidorus, qui dicitur Iunior, Pacensis episcopus. Hunc ego semper appellabo Isidorum Pacensem, quia non recte Iunior cognominatur, ut præcedenti capite declaravi.

Isidorus Sanctus, Hispalensis archiepiscopus.

Iulius Cæsar.

Iulius Capitolinus.

Iulius Obsequens.

Iulius Solinus.

Iustinianus Imperator.

Iustinus Historicus.

Larentius a Padilla.

Lucas Tudensis.

Lucius

Lucius Florus.

Manethon Aegyptius.

Marcus Tullius Cicero.

Marius Aretius Patritius Syracusanus.

Marialis.

Matthæus Palmerius.

Metasthenes Persa.

Michael Ritus Neapolitanus.

Nicophorus, qui historiam scripsit Ecclesiasticam.

Nicolaus Clenardus, cuius schedis aliquot vsus sum, quas post obitum ipsius magno studio consequutus, aliquando, deo auspice, editurus sum, ubi typographi dabitur opportunitas.

Paulus AEmilius Veronensis, Francorum scriptor historiae.

Paulus Burgensis episcopus, is qui scrutinium scripsit scripturarum, & alia nonnulla Theologica.

Paulus Orosius Hispanus.

Petrus a Medina.

Petrus Antonius Benter, Theologus Valentinus.

Petrus Crinitus.

Petrus de Natalibus episcopus, quem ego in aliquibus cum iudicio legendum censo.

Petrus Mexias Hispalensis.

Philippus Beroaldus.

Plinius Secundus Iunior, cuius sunt epistolæ.

Plinius Secundus, Naturalis scriptor historiae.

Plutarchus.

Polybius.

Pomponius Mela Hispanus.

Procopius.

Prosper Aquitanicus.

Prudentius Poeta Hispanus.

Ptolemaeus.

Raphael Volaterranus.

Rafes historiographus Miramamolini, Marrochiorum & Cordubæ Regis.

Rhoswitha virgo Saxonica ex genere Caroli

Magni, quæ vitas aliquot sanctorum carmine heroico descripsit, & inter eas Sancti Pelagii Martyris, Cordubæ pro Christo sub Abderamene passi.

Robertus abbas Montis.

Robertus Gaguinus.

Rodericus archiepiscopus Toletanus.

Rodolphus Agricola.

Ruffinus de historia Ecclesiastica.

Salustius.

Seneca Philosophus.

Seuerus Sulpitius, qui Chronicon scripsit vsque ad AERAM quingentesimam quadragesimam septimam, & vitam Diui Martini.

Sextus Aurelius Victor.

Sidonius Apollinaris.

Sigebertus Abbas Gemblacensis.

Stephanus de urbibus.

Strabo.

Suetonius Tranquillus.

Tabule virorum triumphalium, quas Romæ nuper inuencas in columnis marmoreis, & ad Regem Portugallie Ioannem missas, L. Andreas Resendius mihi benigne, ut alia multa, communicauit, vsquæ ad monumentum antiquitatis. Eas postea Gaspar Barrerius Canonicus Eborenensis, vir ornatissimus atque humanioribus literis probe excultus, typis excusas cum catalogo Consulum & Censorum, Romæ, ubi Henrici Cardinalis & Infantis negotia gesserat, reuersus attulit.

Theodorus de historia Ecclesiastica.

Thomas Aquinas Sanctus.

Titus Livius.

Trebellius Pollio.

Valerius Maximus.

Victor Sanctus episcopus Vitis, de persecutione Vandalorum.

Victor Tunnunensis episcopus, pro quo perperam legitur in Etymologiis sancti Isidori, Turonensis.

Vincentii speculum historiale.

His ego autoribus in hoc priore Chronico hætenus vsus sum, si qui præterea offerantur, eorum ego catalogum posteriori tomo præponam, Deo adiuuante, neque quenquam, quantumuis obscurum, sua gloriæ portione fraudabo. Illud quoque admonendum arbitror, nihil me hoc priore tomo dixisse, cui non continuo nomen autoris adiungerem, neque id inconsulto fecisse, ne quis tanquam re parum necessaria offendatur. Cum enim multa essent ponenda quæ alii omiserunt, multa etiam aliter quam alii hætenus dixissent, referenda: necessario ita faciendum putavi, ut omni sublato scrupulo, certior esset dictis meis fides. id quod vsq; ad excidium Gothorum perpetuo tenore seruauit, posterius non idem facturum, nisi sicubi res ipsa requirat.

P ij

Quorum in his Chronicis opera sum adiutus, quique mihi libros suppeditarunt. Caput VI.

- P**ORRO quum tam multis emendis libris fortunæ meæ vix mediocres haudquaquam sufficerent, præsertim continua multorum annorum caritate sic attenuata, ut vix alendæ familiæ pares esse possent: præterea multi libri nulla pecunia comparabiles essent, quippe manu scripti, atque in Bibliothecis antiquis religiose adseruati: multa denique quæ ad rem meam facerent, nondum etiam in libris digesta essent, sed in schedas & quædã velut aduersaria passim relata delitefcerent: necessario mihi fuit ad eos confugiendum, qui possent opẽ rebus meis adferre. Qui quandoquidem officium benigne præstiterunt, suis laudibus fraudandi non sunt, simul vt & ipsi benignitatis atque candoris sui præmiũ ab æquo Lectore percipiant, & alii admoneantur, ne maligne occultantes, blattas ac tineas pascãtis quæ prolata in medium, & patriæ lucem, & ipsis decus, & lectori voluptatem pariter atque vtilitatem præbere possent. Proinde catalogum hic paucis attexam cum aliqua grati animi testificatione, tum eorum qui mihi libros suppeditauerunt, tum eorum quorum opera sum adiutus.
- 1 Quorum primus est, nunquam sine aliqua honoris præfatione mihi nominandus, Serenissimus Princeps ac Dominus meus D. Henricus, Cardinalis & Infans Portugallia, qui pro regia sua magnificentia, & in tanto dignitatis ac regii stemmatis fastigio incredibili humanitate, non solum Alcobaciensem codicem ex monasterio illo suo bis mihi iussit adferri, sine quo libro irritus in hoc negotio conatus meus futurus erat, sed etiam ex Bibliotheca sua varia & copiosa multos libros suppeditauit: præcipue vero Rodericum Toletanum Archiepiscopum manu scriptum, eumque tanto emendatiorẽ impresso, vt ex illo innumeros locos in codice meo restituerim, ac propemodũ mihi videar ipsum integritati suæ reddidisse. Erat in eodẽ libro eiusdem Roderici historia Arabum, quemadmodum superius dixi, nunquam hætenus impressa. Sed non contentus benignissimus Princeps hoc beneficio, si quid etiam in legendis autoribus (vt omne tempus quod ab oratione & publicis negotiis vacat, sacrorum autorũ lectione trásgit) obseruaret, quod instituto meo conduceret, humanissime mihi communicauit. Huius enim est præter alia, quod ex D. Thomæ commentariis in epistolam Pauli ad Galatas probauimus, D. Paulum Hispanis prædicasse verbum salutis. Huic igitur, amice Lector, optimo Principi & sanctissimo Præfui gratiam mecum habeas pro tanto beneficio, ac salutem ipsius Deo Opt. Max. deuotis precibus commendes.
 - 2 Neque monasterium Alcobaciense silentio prætereundum, censu locuples, ditione amplum, antiquitate venerandum, & in quo facile tum Diui Bernardi auctoritatem ac sanctitatem, tum Alfonsi Henrici primi Portugallia regis magnificentiam agnoscas, de qua re suo loco dicemus. Huius igitur monasterii patribus gratiam libenter habeo, quod & codicem illum suum, quanquam iussu & auctoritate prædicti Principis, tamen non inuiti commodauerunt, & alia nonnulla de monasterii sui primordiis & institutione vltro ipsi præbuerunt.
 - 3 Sed Ecclesiæ Bracarensis per quã reuerendo collegio multo maximas gratias debeo, quod Ferdinando Gundifaluo sacerdoti, viro probo & honesto, mihi quæ iam inde a multis annis amico permisit, vt quicquid in archiuis illius sanctæ Ecclesiæ reperiret antiquitatis, id omne diligenter excuteret, & si quid reperiret quod ad rem meam pertineret, eius me compotem faceret. Quorum beneficio simul ac diligentia dicti sacerdotis, plurima sum consequutus venerandæ antiquitatis monumenta, quæ suis locis proferentur. Fuere vero huius beneficii autores viri nobilitate conspicui, Dominus Petrus a Sousa, Bracarensis Ecclesiæ Cantor, vt ipsorum more loquar, & Balthasar Carnerius Scholaster, atque alii permulti, quos enumerare longum sit, sed eorum memoriam grato semper animo colam.
 - 4 Dominus Iulianus ab Alba non postremum hic locum meretur, quem inclytus Portugallia Rex Ioannes tertius, ob insignem ipsius integritatem & inculpatos mores, sorori suæ Dominæ Mariæ, heroidi omnibus animi corporisque dotibus in-

bus incomparabili, & inter rara exempla numerandæ, primum pædagogum elegit: deinde post multa & longa virtutum ipsius experimenta, idem Rex & mariti iudicium sequuta Regina, Dominæ Mariæ, filię suæ vnica, in spẽ ac successionem tot tantorumque regnorum enuptæ (quam Castella Principem suam magno cum gaudio vidit, sed maiore cum dolore intempestiua morte velut in herba sibi præreptam luxit, atque etiamnum luget) a secretis esse voluerunt, & nunc tandem ob tam multa ipsius & tam præclara merita episcopum Portalegrensem creauerunt. Hic, inquam, Præsul reuerendissimus quum alias optime semper meritis de me, tum vero ad hanc obeundam prouinciam quicquid habebat librorum, quicquid monumentorum Hispaniæ, quorum semper curiosus inuestigator fuit, non solum prolixè communicauit, sed etiam nonnullos ære proprio mercatus est codices quos mihi sciebat deesse. Quod beneficium nisi agnoscam & colam, merito ingratis omnium censear mortalium.

Sequitur Georgius Cælius, Serenissimi Principis ac Domini mei secretarius, & celeberrimi monasterii Sancti Georgii prope Conimbricam dignissimus Antistes, de cuius viri laudibus & eruditione quid opus est dicere, quum ipsum sua celebrent ingenii monumenta? Tamen temperare mihi non possum, quin hoc loco ponam elogium de ipso Nicolai Clenardi, viri ab omni adulationis suspitione tam alieni, quam fuit ab omnibus aliis vitiis remotissimus, quod elogium reperi in schedis quibusdam ipsius autographis. Id vero tale est: Georgius Cælius non carmine tantum Resendio riuales, sed & oratoriis laudibus a deo bene perculsus, vt paucos credam tam prope ad puritatem accedere Ciceronis. Certe Isocraticam iucunditatem lenitatemque sic refert, vt parem non viderim. Hætenus Clenardus, non inelegans ingeniorum spectator. Hic, inquam, Georgius Cælius non solum Alcobaciensis codicis (qui mihi fuit huius instituti prora & puppis) primus index fuit, sed etiam ex Bibliotheca sua Græcis Latinisque libris instructissima plurimos libros benigne suppeditauit, qui rebus meis non mediocriter commodauerunt.

Martinus ab Azpilcueta Decretorum Doctor Nauarrus, ex Salmanticensi Academia, vbi erat Iuris Canonici professor primarius, ab Ioanne Portugallia & Algarbiorum Rege, annuo mille ducatorum stipendio, eoque perpetuo, ad eandem functionem Conimbricam vocatus, atque a Domina Catharina Regina Serenissima ob egregia vitæ merita Conimbricensis Ecclesiæ cathedralis Cantoria (vt ita loquar) dignitate donatus, vir multis mihi nominibus suspiciendus, cuius insignis vtriusque iuris, Philosophiæ, Theologiæ peritia, Cathurci, Tolosæ, Salmantica, Conimbrica, quibus in Academicis maximo applausu & frequentissimo semper auditorio docuit, est admirabilis, sanctitas vitæ vix credibilis, & integritas morum omnibus amabilis. Hic non solum libris, consilio, iudicio suo limatissimo me iuuit, verum ex ipsa vsque Nauarra schedas nonnullas mihi curauit adferri, quæ conatibus meis non minimum attulerunt adiumenti.

Atque hic mihi lachrymæ iusto dolore prosiliunt, Lector amice, quod venerabilem & mihi perpetua recordatione colendum Fratrem Franciscum a Victoria, sacre Theologiæ, dum in viuis ageret, Salmantice professorem primarium, in hoc catalogo ponere non liceat. Antequam enim ipsum instituti mei certorem facerem, ipsum, inquam, cuius arbitrio regebar, consilio nitebar, in cuius benevolentia acquiescebam: præsentis vitæ calamitatibus perfunctus, in sanctorum contubernium, vt ego quidem persuasum habeo, translatus fuit. Qui si vixisset, dictum mirum, quantum subsidii conatibus meis attulisset. Erat enim eruditione incredibili, lectione pene infinita, iudicio exactissimo, memoria ex prompta, vt quoddam naturæ miraculum merito videretur. Gratuletur sibi sancti Dominici illustri ac religiosa familia, quod talem nacta sit virum, quo nescio equidem, an a multis annis alium habuerit sacre Theologiæ peritorem. quod ipse quoque testatum fecisset, si tam fuisset scribendi cupidus, quam erat egregie peritus. Illud certe sine scrupulo mihi videor affirmare posse, neminem fuisse multis annis tota Hispania, omnium bonarum artium ac totius humanitatis doctio-

rem, vt non immerito Nicolaus Clenardus dicere solitus fit, neminem se nosse, ne ex iis quidem qui omnem ætatem in Latinis literis triuissent, cuius ipsi tam placerent epistola, quam Victoriæ, qui si animum aliquando ad scribendum appelleret, orbẽ vniuersum fama sui nominis occuparet. Ignosce mihi candide Lector, quod dolori meo indulgens in eius viri laudes euagatus sum, de quo pauca dicere religio est, multa non sufficiunt, nihil dicere impium. Non potui de Victoriâ filere, cum Martini ab Azpilcueta meminisset, quod eos viros communi consilio semper expertus sim præ cæteris omnibus optime de Vasæo meritis.

8 M. Petrus Margallus Lusitanus, Philosophiæ, iuris Pontificii, Theologiæ consultissimus, & olim Salmanticensis Academiæ professor celeberrimus, nunc Canonicus Eborensis, communicatis mihi libris multis, quorum habet innumeram supellestem, non minimam meretur benignitatis suæ laudem & gratiam, vt alia ipse in me beneficia breuitatis studio in præsentia silentio præteream.

9 Clarissimus dominus Petrus a Villalon archidiaconus Turolensis, in Cæsaraugustana Ecclesia Metropolitana, & ornatissimus dominus Michael Lerma, illius olim Pædagogus, quæ mihi de rebus Aragonum decerant, studiose quæsitâ liberaliter ac benigne pro veteri amicitia mihi miserunt: quorum tanto libentius memini, quod olim mihi Salmanticæ domestica consuetudine coniuncti, iucundam diurnamque sui memoriam in animo meo reliquerunt.

10 Duo restant qui bonam huius lucubrationis partem suo sibi iure vindicare possunt, adeo mihi summam operâ suam nauauerunt. Prior est L. Andreas Resendius Lusitanus, Theologus, Orator, & Poeta insignis, & Reuerendissimi ac Serenissimi Cardinalis & Principis domini Henrici a concionibus, vir antiqua mihi beneuolentia, eaque olim Louanii incepta coniunctus, & mei in Hispaniam aduentus quodammodo autor, certe incitator. Is me in hoc opere libris antiquis manu scriptis, schedis suis, iudicio copiose iuuat, neque quicquam habuit antiquitatis, cuius ipse non solum est curiosissimus, sed etiam scientissimus, quod mihi pro candore suo non benignissime communicauit. Præterea si quid mihi suboriretur scrupuli, ad illum tanquam asylum quoddam semper confugi, cuius exactissimum in re literaria iudicium non ego solum semper maximi feci, sed & Nicolaus Clenardus, cuius hoc quoque de Resendio nostro in schedis elogium reperi: Andreas Resendius, Poeta insignis, tanta carminis maiestate, tam neruosis inuentionibus donatus ab Apolline, vt si in studio poetico perduraret, tam nobilem vatem haberet Eborâ, quam genuit olim Corduba. Alter est frater Iacobus Hallensis, patria Hannonius, sed apud Hispanos in protuincia Sancti Iacobi regulam obseruantis Diui Francisci per annos fere quadraginta religiosissime professus, vir inculpatæ vitæ, & singulari humanitate præditus, mihi que iam inde ab eo tempore quum primum in Hispaniam veni, arctissima necessitudine coniunctissimus, & plusquam Pylades alter, qui postquam factus est huius instituti mei certior, non solum quos habere potuit libros, mihi misit, sed excusis omnibus Bibliothecis, & præcipue Franciscana, hoc est monasterii sui (cui ego monasterio quum aliis multis, tum hoc præcipue nomine sum deuinctissimus, quod in eo nonnulla sint inuenta monumenta historiæ Hispaniæ antiquissima, quibus ego vehementer adiutus sum) quicquid inuenire potuit quod ad rem meam faceret, indefatigabili studio propria manu mihi descripsit, tantumque suscepit laborem amici causa, vt merito mecum communis huius operis autor censeri debeat. certe sine ipsius opera non potuissent recte meo fungi officio.

Hunc catalogum describere libuit, tum vt talibus viris tam benemeritis de me gratiam aliquam reponerem, tum vt alios hac grati animi testificatione animarem, vt si quid habent abstrusum aut reconditum de antiquitatibus Hispaniæ, in medium proferant, parem gratiam relaturi: tum denique vt maior huic Chronico sit fides apud eos qui intelligent, qualium virorum fauore, opera, auxilio fuerim adiutus.

Obtestatio ad Lectorem. Cap. VII.

POST hæc mihi orandus es, humanissime Lector, vt hos labores meos qui certe non fuere mediocres, boni consulas, & sicubi lapsus fuero (quis enim tam Lynceus, vt non aliquando cæcutiat?) candide me ac sincero animo admoncas. Paratum enim semper experieris ad palinodiam eorum quæ perperam scripsi, idque non sine honorifica eorum mentione per quos iuste atque amice admonitus fuero. Neque enim ego is sum qui non veritatis quam opinionis meæ potiorem rationem ducam. Sin talis erit admonitio cui merito cedere non debeam, tamen eo linguæ temperamento, quod scripsi, tuebor, vt & gratia bonæ voluntati habeatur, & veritas non destituatur defensionis auxilio. Semper enim mihi arrisit in primis illa Senecæ notabilis sententia: Si merito obiurgauit aliquis, scito quia profuit: sin immerito, scito quia prodesse voluit. Atque vt quod pollicitus sum, te ipsa præstem, duos hoc loco nominabo qui hoc munere doctæ atque amicæ functi sunt. Prior est Ioannes Genesius Sepulveda, Theologus, Philosophus, Orator insignis. De cuius singulari eruditione quid opus est dicere, quum tot editis libris testatissima vulgo sit? Satis sit ad laudem ipsius, quod illum ex tanto doctissimorum virorum numero Carolus quintus Imperator semper Augustus potissimum delegerit, a quo res ipsius terra marique præclarissime gestæ, perpetuæ memoriæ commendarentur. Is igitur quum ipsi a Maximiliano Boemiæ rege, tum regias vices in Hispania cum vxore Maria gerente, censura huius Chronici demandata esset, candide atque erudite quædam notauit, in quibus illi non satisfeceram. Quod adeo non agre tuli, vt etiam magni beneficii loco duxerim. Alter est Didacus Neila, iuris Pontificii Doctor, & Salmaticensis Canonicus, præter incredibilem humanitatem, Græcæ Latineque doctissimus. Id quod satis indicat Breuiarium trium lectionum, ab ipso iussu Francisci Quignonii Cardinalis, auspiciis summi Pontificis ita venuste, ita erudite concinnatū, vt nihil supra. Hic quoque quum lucubrationem hanc perlustrasset, & quædam deprehendisset quæ vel errata, vel ex autoribus deprauatis translata ipsum offenderent, eo me candore, ea humanitate ne de facie quidem notum admonuit, vt erroribus meis hoc quoque debeam, quod maximæ, & vt spero, perpetuæ inter nos amicitia fenestram patefecerint. Sed non est silentio prætereundus Gaspar a Castro, singularis ipsius amicus, & in compositione Breuiarii socius, vir non solum vtriusque linguæ peritissimus, sed etiam eximia pietate præstans, qui tamen vel nulla, vel pauca notauit, tamen multa antiquitatis monumenta, quæ plurima summo studio per totam ferme Italiam atque Hispaniam perquisita collegit, benigne communicauit, quibus ego saltem quæ ambigere & cum quodâ scrupulo dixeram, confirmare posse. Cæterum his ita præmissis, ad ea quæ de Hispania dicenda sunt, vertatur oratio.

Breuis descriptio ac diuisio Hispaniæ. Caput VIII.

40 HISPANIA Straboni lib. 3. corio bubulo humi protenso comparatur. Ea pelago vndiq; cingitur, nisi qua parte Pyrenæi montis obiectu a Gallis diuiditur. Habet Hispania ab Ortu montem Pyrenæum, qui a Veneris templo siue promontorio exortus, prope Illiberos (Colibre hodie appellant) in Oceanum procurrit Britannicum, atq; hac parte maxime angusta est, adeo vt ego dum per Cantabriam iter facerem, in monte Diui Adriani D. Ferdinando Colone harum rerum periculis commonstrante, nisi sefellit aspectus, vtrunq; mare me vidisse meminero, Oceanum videlicet, cui eramus proximi, atque eminus, quantum oculorum prospectus ferre poterat, Mediterranei maris albicantes fluctus. A Septentrione autem clauditur Oceano Cantabrico, ab Occasu mari occiduo, a Meridie freto Herculeo & mari Balearico.

50 Diuiditur vero Hispania in tres prouincias, Baticam, Lusitaniam, & Tarracensem. Batica a Septentrione clauditur Ana fluuius: ab Occasu habet eam Atlantici Oceani partem quæ est inter ostium Anæ & fretum Herculeum: a Meridie mare Balearicū quod est inter fretum Herculeum & Charidami promonto-

rium, quod vulgo appellari dicunt Cabo de Gata: ab oriente terminatur linea ducta ab hoc promontorio per Castulonem ad Anam fluuium. Dicta est Batica a Bati fluuio memorabili, qui prouinciam totam intersecat, qui ortus in saltu Tygenfi, decurrit in Oceanum Atlanticum, atq; hodie appellatur vocabulo Arabico Guadalquibir, quod sonat fluuiū magnū. Hæc prouincia posterius a Vandalis habitatoribus Vandalitia dicta, hodie quoq; corrupto vocabulo, Andalusia dicitur.

Lusitania a Septentrione habet Durium fluuium ab ostio ipsius, vsque ad pontem qui est contra Septimaneas: ab Occasu eam Oceani Atlantici partem, quæ est inter ostia Anæ & Durii: a Meridie Baticā: ab Oriente terminatur a Tarraconenfi, linea ducta ab Oretania veteri, vsque ad pontem qui habet e regione Septimaneas. Lusitania nomen accepit a Luso Liberi patris filio, & Lyfa eiusdem Liberi socio cum Luso bacchante, vnde nunc a Luso Lusitania, nunc a Lyfa Lusitania dicitur, vt etiā annotauit L. Andreas Resendius. Lusitania, vt diximus, duobus clauditur fluminibus, Ana & Durio, intersecatur Tago, omnibus his memorabilibus. Quorum Anas in Laminiano agro exoritur, e montibus Carthagini & Murcia vicinis. Vnde triginta M. P. decurrēs, obtusis totū se prope condit cuniculis, rursumq; stadiorū sexaginta quatuor subterraneo peracto cursu, totus renasci videtur, quemadmodum ait Marius Aretius Patritius Syracusanus, atq; ita modo se in stagna fundens (vt inquit Plinius lib. 3. c. 1.) modo in angustias refertens, aut in totum cuniculis condens, & sæpius nasci gaudens, prope Myrtilim (Mertolam hodie vocant) in Atlanticum Oceanum effunditur. Tagus in Celtiberia oritur Tarraconenfis prouinciæ regione, ac primum Celtiberiam, mox Carpetaniam, deinde Lusitaniam secans, prope Olisiponem in Oceanum quoque exoneratur Atlanticum. Fluuius hic antiquis celebratus est arenis aureis, quas hodie quoque reperiri affirmant, & esse qui ex ea re quæstum non mediocrem faciant. Durium in Pelendonibus prouinciæ Tarraconenfis oritur, fluitq; in Meridiem vsq; ad Numantiam, quæ prope Soriam olim fuit, inde per mediam fluens Castellā, mox in Portugalliam transit, Lusitanicam ab Interamni & Transmontana diuidens, prope ciuitatē Portugallensem in Oceanū deuoluitur Occidentālē, plurimis absorptis fluminibus, quorū non infimi nominis est Thormis, quem Salmantica nobilissima disciplinarū omniū magistra, vicinitate sua nobilitat. Interamnē appello Portugalliam, quæ est inter Durium & Miniū regio nō minus amœna quā fertilis, quam & ipsam nōnulla irrigat flumina, quorū præcipui, Auus, cuius in ripa tota cernas arborē spiniferā, hoc est, ex earum genere quæ mala Medica siue aurea, citrea, aut alia id genus producunt, quod huic fluuio cū Aleste Bracarēsi fluuio cōmune esse aiunt, quū tamen tota illa prouincia sit horū fructuū, si qua alia, multo feracissima, & Nebis, quæ Neue, seruato nomine, hodie appellat, & Limia celebratus antiquis fluuius, quæ Lethen Græci, Obliuionē Latini nuncupauerunt, hunc falso Gerundensis Episcopus cū Minio confundit. Habet & alios Lusitania non pœnitendos amnes, quorum nō postremus est Munda, Conimbricensis Academia propinquitate celebris, Mondegum hodie nuncupant, qui & ipse aureis arenis & ramentis celebratur. Perperam idem Gerundensis Conimbricam Mundam fuisse affirmat, & eam in qua filii Pompeii fuere victi, refragantibus aperte Cæsaris commentariis. nimirum Munda oppidum erat non in Lusitania, sed Batica. Nec minus inepte in Ptolemæo & Pomponio Mela quidam Lacobrigam Conimbricam esse asserunt, quum vel ipse Pomponius Mela Lacobrigam in Sacro promontorio ponat, de qua plura dicemus suo loco. Non longe a Munda est Vaca fluuius, hodie Vogam appellant, quem amnem non posuissē, nisi Plinius eius meminisset. In eodem tractu, nimirum octo leucis a Conimbrica, visitur etiam hodie fons ille admirabilis, quem Plinius in Catinensi (ita enim in Plinio legendum) Hispaniæ agro ponit, qui quicquid admotum fuerit, absorbet. Cuius rei se præsentē factum periculum mihi affirmavit perpetuo mihi venerandus dominus meus Henricus Cardinalis & Princeps, coram rege Ioanne & cæteris fratribus regiis, quum in arborum truncis & ramis, tum in iumento, quod fonti admotum pede, paulatim absorberi cœptum, ægre tandem a famulis extractum est. Affirmat Plinius alterum iuxta

iuxta fluere, qui omnia respuat. Is hodie, si extat, saltem ignoratur. Fons ille nunc appellatur Feruentia, & ager in quo visitur, Cadima, non procula Tentugalenti municipio. Habet altissimos Lusitania montes, quorū vel præcipuus qui a stella cognomen habet, in cuius cacumine frequenter in lacu quodam fragmenta nauium reperiuntur, quum tamen a mari plusquam duodecim leucis distet. Quin & exarsuare, & tempestatem ibi audiri affirmant accolæ, quoties intumescit mare. Similia fere leguntur de monte quodam prope aquas Flauias, vulgo Chaues, in transmontana Portugallia. Portugalliam improprie Lusitaniam appellat, cum alioqui nec tota Portugallia Lusitaniæ sinibus circumscripta sit, nec totam Lusitaniam complectatur: illud tamen negari non potest, potiorē Lusitaniæ partem Portugallia regi parere. Diuiditur vero Portugallia in Transaganam, Cistaganam, & Interamnem. Transagana Baticæ partē carpit, eam scilicet quæ ab Ana vsque ad regnilimites porrigitur. Interamnem tota Lusitaniam est, nisi repudiata descriptione posita, Straboni magis accedamus, qui ait lib. 3. maximam Lusitanorum partem Callaicos appellatos. Huius regionis longitudo est octodecim leucæ: latitudo, qua maxima est, duodecim, alibi tantum sex, aut etiā quatuor. Atque in hoc tam exiguo terræ interuallo, præter Ecclesiam Bracarensem metropolitānam, & Portugallensem cathedralem, ac alias quinque collegiatis, reperias plusquam centum triginta monasteria, quorum pleraque reditus habent amplissimos, vt scribit quidam. certe in ea parte, quæ Bracarensem agnoscit Ecclesiā, octingentæ recententur. Ex qua re fertilitatem & antiquam religionem gentis facile agnoscas. De amœnitate vero quid opus est dicere, quum in ea numerata sint vltra viginti quinque millia fontium perennium, pontes quadrato lapide elegantissime constructi, prope ducenti, portus marini sex. Quod propterea tacēdum minime duxi, quia bonitas & dignitas huius prouinciæ fere ignoratur. Huic prouinciæ adhaeret ea quam Transmontanam appellant, regio optimi tritici generosique vini ferax, in qua est Brigantia, caput amplissimi ducatus, cui hodie præest, multisque annis præsit, non regio tantum stemmate inclutus, sed omnibus etiam corporis animique dotibus præfartissimus heros D. Theodosius, omnium eruditorum præconiis celebrandus. Ex huius regionis montibus, affirmavit mihi amplissimus Princeps & dominus meus Henricus Cardinalis, regi Ioanni fratri suo se præsentē allatum lapidem, aureis ramētis ac bracteolis plenum. Sed hæc de Lusitania.

Reliqua Hispaniæ pars ad Tarraconensem pertinet prouinciam, quæ habet a Septentrione Oceanum Britannicum, ab Oeafone (sic appellant promontorium prope fontem Rabidum siue Fontarabiam) ad Nerium promontorium, quod hodie dicitur Finis terræ: ab Occasu Oceanum Atlanticum, a dicto promontorio vsque ad ostium Durii: a Meridie Lusitaniam & Balearici maris oram: ab Oriente Pyrenæos montes, quibus a Gallia separatur Hispania. Tarraconenfis a Tarracone ciuitate nomen accepit, eius prouinciæ metropoli, ciuitate ad excipiendas Principum peregrinationes, vt inquit Strabo lib. 3. e regione nata, & in qua Imperatores iurisdictionem agitabant. Complectitur hæc prouincia Murcia regnum, & Valentiæ & Aragonum cum Cathalonia, Castellam veterem, Nauarræ regnum, Portugalliam Interamnem, Galleciæ regnum, Asturias, totam Cantabriam. Habet præter Durium qui in ea nascitur, & alios fluuios, Cæsari, Lucano, Silio Italico, Martiali celebratos, Iberum fluuium tantum, vt toti Hispaniæ nomen Iberiæ dederit, qui solus omnium (de quinque præcipuis loquor) reliquis in occasum vergentibus, in Austrum defluit, & in mare Balearicum exoneratur. cuius rei causam qui nosse volent, ex principiis historiæ Antonii Nebrissenfis viri vndecūque doctissimi petat, quem hic in multis sequuti sumus.

Hispania primum vnica fuit prouincia proconsularis, vel potius consularis. siquidem P. Cornelius Scipio Africani maioris pater, Cōsul ad eam missus est contra Annibalem, tamen postea Proconsul administravit, vt ex T. Livii lib. 1. & 2. de secundo bello Punico patet, idque anno vrbis conditæ quingentesimo trigesimo quarto, fuitque ad eum modum prouincia proconsularis per viginti tres annos

(per quos administrata, posterius dicemus) donec anno urbis conditæ quingentesimo quinquagesimo septimo, Cn. Cornelio Cethego, & Q. Minurio Ruffo Coss. diuisa est in duas prouincias Prætorias siue Proconsulares. nam eisdem subinde T. Liuius lib. 9. de bel. Maced. & alibi sæpe, nunc Prætores, nunc Proconsules appellat. Sed hoc interesse censeo, quod prius erat Proconsularis imperio Consulari, scilicet quia tanta esset in Hispania belli moles, non solum aduersus ipsos Hispanos, verum etiam aduersus tres clarissimos Carthaginensium duces, ac totidem exercitus, ut consulari opus esset imperatore & exercitu. Annibal vero ita grauis hostis immineret Italix, ut vterque Consul ad eam tutandam necessarius esset. Quod proximum erat, Proconsul missus est imperio & potestate Consulari, donec (ut dixi) in duas diuisa est prouincias Prætorias siue Proconsulares, & per Prætores siue Procōsules administrata est imperio & dignitate Prætorias siue Proconsulari. Tamen si non ignoro, Prætorum Asconio Pediano dici omnem magistratū, cui pareret exercitus. Ita tamen in duas prouincias dispersita est Prætorias, ut pro ratione bellorum ingruentium, si quando res ita posceret, nunc hæc, nunc illa, nonnunquam etiam vtraque simul fieret Consularis. Nam Catone Consule per Consulem vnum, ipsum nempe Catonem Censorium, & duos Prætores res gestæ sunt in Hispania. Tempore Numantini belli, & contra Sertorium, duo consulares duces & exercitus, & nonnunquam tres missi sunt, ut suo loco dicemus. Hæc duæ prouinciæ dicebantur citerior & vltior. Quæ pro diuersa ratione temporū, diuersos habuere limites. Primum enim citerior Hispania dicta est, quicquid in ea Romania montibus Pyrenæis cis Iberum obtinebant: vltior, quicquid vltra. Postea progatis imperii finibus, vetus forma prouinciarū mutata est, ut ipse quoque Plinius lib. 3. cap. 3. testatur, & citerioris Hispaniæ limites Iberum transferunt, bonamque Tarraconensis prouinciæ partē occupauerunt: & ab Asturibus per Vaccæos & Orétanos vsque ad Carthaginem nouam porrigebatur, ut ex Paulo Orfio lib. 1. cap. 2. constat. Quo tempore vltior a Gallecia sumebat exordium, ut patet ex L. Floro, qui scribit lib. 56. ad hūc modum: D. Iunius Brutus in vltiore Hispania sceleriter aduersus Gallicos pugnavit, &c. Postremo, cedente iam in iura Romanorum tota Hispania, rursus prouinciarū termini mutati sunt ad eum modum, quem scribit Plinius lib. 3. ut tota Tarraconensis prouincia citerior esset Hispania, Bætica & Lusitania vltiorem facerent. Habebant hæc prouinciæ suos conuentus, vnde finitimi populi iura petebant. Bætica quatuor: Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum, Hispalensem. Lusitania tres: Emeritensem, Pacensem & Scallabitanum. Scallabis hodie Sanctaren a sancta Irene nomen habet. Tarraconensis prouincia siue citerior Hispania septem: Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucentem, Bracarensem. Clunia Plinio lib. 3. cap. 3. in Areuacis est, atque in fine Celtiberiæ, qua parte Celtiberia Carpetaniæ iungitur. Antonius Nebriffensis & Florianus a Campo affirmant Cluniam fuisse eam quæ hodie vulgari sermone Crunna dicitur, oppidum quod ab Vxama ciuitate abest leucis sex, a Durio amne tribus, a Callaroga D. Dominici patria, duabus. Vnde & Nebriffensis Comitum illius oppidi dominum, Comitum Cluniensem appellat. Et recte illi quidem non abluete vocabulo. Quæquam quæ olim Clunia erat, ab eo oppido quarta leucæ parte distat, neque quicquam nunc habet, præter antiquæ urbis vestigia, & Sacellum D. Virgini sacrum, appellaturque Castro. extant etiamnum amphitheatri & aliæ antiquitatis reliquiæ, sed & sigillum conuentus Cluniensis ibidem quinque ab hinc annis repertum, ac penes Comitum Cluniensem asseruari mihi affirmatum est. Sunt non procul Clunia & fodinæ Iaspidis præstantissimi. Perperam in Ptolemæis quibusdam impressis Clunia dicitur esse, quæ appellatur ciuitas Regalis.

Hispania, ut scribit Gerundenfis Episcopus lib. 1. paralip. cui antiqua suffragantur concilia, in quinque prouincias diuisa est tempore Constantini Pii, Tarraconensem, Carthaginensem, Bætiam, Lusitaniam, Galleciam.

Hispania habuit tempore Maurorum plurimos regulos: posterius a sex regibus possessa est, Legionensium, Nauarrensi, Castellano, Aragonensium, Portugallia, Granatensium,

tēsi, qui erat Maurus. Legionense deinde cum regno Castellæ coiit. Reliqua tempore Ferdinandi regis Catholici, ad vnius Castellæ regis arbitrium & imperium, fufis pulsisque Hispania Mauris redacta sunt, excepta Portugallia, quæ proprium habet regem.

Qui plura de Hispania nosse volet, quot habeat episcopos, quot Principes & primates viros, quibus denique rebus abundet, præter Marinæum Siculum, legat Damiana Goesea de re libellum curiose ac diligenter scriptum. Nobis hæc delibasse sufficit.

10

De laudibus Hispaniæ. Caput IX.

DE laudibus Hispaniæ superfluum videtur aliquid scribere post tot autores, qui eas pluribus verbis complexi sunt. Tamē pauca quædam perstringam, magis id adeo, ne nihil dixisse videar, quam quod necessarium existimem. Igitur illud merito inter primas Hispaniæ laudes ponendum videtur, quod ipse quoque Cæsar in commentariis suis lib. 3. de bello ciuili affirmat, regionem esse saluberrimam, quæ illi laudem cum Galliis communicauit. Sed Iustinus lib. 44. Hispaniam contendit Gallia & Africa, sicut fertiliorem, sic aeris temperamento salubriorem, ut quæ nec violento, sicut Africa, sole torreatur, nec assiduis, ut Gallia, ventis fatigetur: adeo in omnia frugum genera fecunda, & frumenti, vini, olei, mellisque copia redundans, ut non incolis tantum abunde victum suppeditet, sed etiam Italiæ & Romæ rerum dominæ frequentè durissimis temporibus per opportunam frumenti, armorum, vestimentorum, atque omne genus comæatum abundantiam subministraret: quod T. Liuius secundo bello Punico non semel factum ostendit lib. 10. de secundo bello Pun. Hæc etiam Cæsari res in Gallia gerenti materiam fabricandis nauibus, equos, equites suggestit. Plinius lib. vltimo, cap. vltimo, primam totius orbis laudem Italiæ tribuit, proximam Hispaniæ: sed nescio equidem, an vltra parte laudis Hispania cedere debeat Italiæ, de iis loquor, quæ ad salubritatem ac fertilitatem pertinent vtriusque regionis. Nam si quis veterum monumenta diligenter excutiat, primū illud reperiet, Hispanos frequenter Romanis vitæ submississe subsidia, nunquam vero Romanos Hispanis: aut si miserunt, militibus suis in prouincia bellum gerentibus miserunt. Quin & ipsos Romanorum exercitus, vel in suam perniciem aliquoties aluit Hispania. vnde illud Catonis Censorii celebre dictum, Bellum se ipsum alet. Qui non solum exercitum consulem cum prætorio, sine vllis reipub. sumptibus, in Hispania contra ipsos Hispanos pavit, sed & grandem ex præda pecuniam militi diuisit, & in triumpho tulit argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis auri quingenta quadraginta pondo. Et paucis post annis Q. Fuluius Flaccus citerioris Hispaniæ Prætor, non exercitum tantum in Hispania aluit, sed stipedium etiam impensis Hispaniæ soluit, ut affirmat lib. 10. de bel. Maced. T. Liuius, & in triumpho centum viginti quatuor coronas aureas, cum magna auri & argenti vi tulit, præter pecuniam ingentem quam exercitui dedit. Deinde auri, argenti, & reliquorum copia metallorum semper superior fuit Hispania, quantumuis hoc dissimulet Plinius, quæ his rebus adeo semper diues extitit, ut merito Posidonius apud Strabonem lib. 3. dixerit, in subterraneis Hispaniæ locis non infernū Plutonem, sed Plutū ipsum diuitiarum & opulentiæ Deum habitare, scilicet quod Hispania non diues tantum regio sibi sit, sed aliis etiam diuitias sufficiat ac suggerat. Cæterum hæc auri argenti que copia, nescio equidē maiori damno an gloriæ fuerit Hispanis. Namque diuersas gentes in Hispaniam eius auri cupiditas exciuit, præcipue Phœnicas, qui aurum vili rerū permutatione redemptum, in Græciam, Asiamque, ac nationes cæteras deferentes, maximas ex eo commercio diuitias contraxerunt, atque in Hispania tantam repererunt auri argenti que copiam, ut cū onustis nauibus superaret argentum, ancoras ipsas ex argento confare sint coacti, ut præter Diodorum Siculum lib. 6. affirmat Aristoteles de mirabil. Auscul. Et tamē adeo diuitias Hispanorum exhaurire non potuerunt, quin Carthaginenses quum in Hispaniam

duce Barca (hoc enim cognomen fuit Amilcaris) venerunt, Hispanos in Turditania, quæ Bætica pars erat, argenteis præsepibus & doliis vientes inuenerunt, vt affirmat Strabo. Quæ res & ipsos quoque Carthaginenses in Hispaniam pellexit, atque adeo auxiliorum vires, vt Diodoro Siculo teste, neque domestico neque sociorum milite vsi, Romanos, Siculos, ac Libyas in magna adduxerint pericula, quod omnis diuitiis ob auri argenti que abundantiam superaret, nam & ipsi noua in Hispania metalla inuenerunt, & puteos effoderunt, ex quibus vnus qui Bebelo ab inuente appellatur, & adhuc Plinii tempore durabat, trecenta argenti pondo Annibali indies subministravit, hoc est, iuxta æstimationem Budæi de Asse lib. 4. terna millia coronatorum aureorum in dies singulos. A quibus occupata dispoliataque Hispania, quum per multos annos eorum auaritiâ satiaret, postea etiam tres Carthaginensium potentissimos exercitus, & maximas Romanorum copias sustineret, ne sic quidem, vt quæ nouis semper metallis scaturiret, euacuari potuit, sed adeo semper sibi constitit, vt intra annos paucos, nempe opinor triginta octo, ex Hispania Romam per varios Prætores in triumphis deportata sint auri supra nouem millia nonaginta quinque pondo: coronæ aureæ trecentæ viginti quatuor: argenti infecti pondo sexcenta triginta duo millia, trecenta octoginta septem: argenti Oscensis trecenta nonaginta octo millia, sexcenta vndecim: argenti bigati trecenta triginta octo millia, viginti tria: argenti signati innumerabilis multitudo. Non hic refero pecuniam militi tot cõfectis præliis diuisam, cuius iniri numerum posse vix arbitror: non L. Quintij Crispini ex Lusitanis Celtiberisque prædam, a quo scribit T. Liuius lib. 9. de bel. Maced. tantundem auri, quantum argenti in triumpho translatum, sed quantum trãtulit, prætermisit: nõ M. Fulij Nobilioris posteriorem prædam, propterea quod T. Liuius lib. 6. de bel. Maced. forte memoria lapsus, mihi bis videatur eãdem rem potuisse. Illud quoque prætereo, non dubium quin plureis & ampliores prædas ex Hispanis Romani hoc annorum interuallo tulerint, sed quarum memoria simul cū T. Liuii monumentis interciderit. Quin & argenti fodinas illas taceo Carthaginij noue vicinas, quæ populo Rom. vicena quina drachmarum millia in dies singulos pensabant, hoc est, secundum Budæi calculum lib. 4. de Asse, duo millia quingentos coronatos, quas Budæus non recte suspicatur easdem esse cum puteo illo Annibalis, de quo loquuti sumus. Nam puteus ille Aquitanis proximus erat, vt Plinius testatur lib. 33. cap. 6. & Budæus etiam fatetur: sed argenti fodinæ, de quibus nunc loquimur, viginti tantum stadia aberant a Carthagine noua, vt ait Strabo, quæ ab Aquitanis plurimum distat. Postremo illud etiam dissimulo, quod præter ea, quæ dicta sunt, Asturia quoque, Gallecia, & Lusitania vicena millia pondo auri singulis annis præstabant, quod ipsi quoque Plinio lib. 33. cap. 4. stuporem facit. Verum tot de prædationibus vsque adeo non sunt attenuatæ vires Hispanorum, vt tū primum Romani ceperint experiri non solum inexhaustas eorum opes, verum etiã insuperabile robur animi, & virtutem bellicam tantam, quantam ducentis annis expugnare non potuerunt. quid dico ducentis annis? imo nõquam Romani tam pacatam habuere Hispaniam, vt non opus fuerit iusto exercitu. Tūc demum sentire Hispaniam non solum diuitem, verum etiam (vt ait L. Florus lib. 2. rerum ab vrbe condita) bellatricem, viris armisque nobilem, seminarium hostilis exercitus, eruditricem Annibalis, quæ propterea victa fuit a Romanis, quod sola omnium prouinciarum non prius intellexerit vires suas, quam victa est, prius obfessa quam seipsam cognosceret. Nã si vel vniuersa contra Romanos consurgere, & vires suas conferre, atque vel imperare vel libertatem suam publice tueri animum induxisset, non modo superari, sed ne adiri quidẽ ingenio situs, vt affirmat Lucius Florus, poterat, ita vndique mari Pyrenæoque vallata est. Et tamẽ hæc ipsa quæ vires suas non cognouit, quæ nunquam communi totius prouinciæ consilio bellum iniit, tã crudentia frequenter victorias Romanis dedit, vt sæpe nihilo melior, quam victi, conditio victoris fuerit, & ex victoria nihil præter inane triumphum nomen, & miserandam suorum stragem tulerint. Longum esset hoc loco recēdere, quoties apud Hispanos res Romana in summum discrimen adducta sit. Docet hoc bellum Viriaticum,

riaticum, Vaccæorum, Numantinum, Sertorianum. Satis sit, nullam omnino prouinciam tanto labore & cruore Romanis constitisse, adeo vt necesse habuerint aliquoties arma Hispanis adimere, ne possent ex bellis bella serere. Quam rem adeo ægre passi sunt, vt multi mortem sibi met ipsis consciscerent, gens ferox, inquit Titus Liuius lib. 4. de bel. Maced. nullam vitam rati sine armis esse, quippe qui in acie gaudium exultare soleant, tãquam gloriose ac feliciter vita excessuri. quod de Celtiberis affirmat Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Propter quã bellicę laudis prærogatiuam Hispania tanti semper habita est, vt quum Romani duces alij Africanum, alij Asiaticum, alij Numidicum, alij aliis cognominibus se venditarent: Imperatores postea Augusti, etiam Atticos & Francos ac Germanicos se appellarent: Hispanici cognomento tanquam sancto, & inuolabili omnes religiosissime semper abstinerint. Solus Q. Cecilius Metellus Celtiberici nomen affectasse videtur, sed non obtinuit. Scipio quoque, qui euerfa Carthagine, non nisi Africanus dici sustinuit, diruta Numantia, non Hispanicum, nõ Celtibericum, sed Numantinum se appellare cepit, contētus eo titulo futurus, nisi illi hic honos negatus fuisset. Hæc est illa Hispania, pro qua duo potentissima orbis imperia per tot annos, tanquam pro Helena, cruentissimis præliis decertarunt, ex qua cū Alexander Magnus legatos amicitiam petentes ac gratulantes accepisset, tum demum & sibi & iis qui cum eo erant, rerum dominus visus est, si Arriano credimus lib. 7. de gestis Alexandri Magni: quam pacauisse Iulius Cæsar inter præcipua militum suorum decora lib. 3. de bello ciuili commemorat: cuius defectionem cū Nero Augustus audisset, ad reliquas calamitates infractus & interritus, collapsus, animoque male fracto, diu, & sine voce, & prope inter mortuus iacuit, atq; vt respuit, veste discissa, capite conuerberato, actum de se pronunciauit. Hęc illa Hispania, quæ prima Romanis inita prouinciarum quæ quidem continentis sint, postrema omnium, ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est, si tamen perdomitam fuisse T. Liuius concedamus. Cuius vnicam ciuitatem Numantiam, Cicero pro L. Muræna terroris imperij Romani appellat: cuius metalla auri & argenti sacra Machabæorum prædicat historia, Iosephus clarissimus Iudæorum scriptor lib. 2. de bello Iudaico concelebrat. Hæc illa Hispania quam simul cum Gallia Trebellius Pollio in D. Claudio neruos ac vires imperij Romani appellat, cuius auxilio Carthaginenses imperium Romanum ad extremam pene desperationem redegerunt: in qua vel tyrocinium fecerunt, vel bellicis artibus exercitati sunt duces, per quos Romani Græciam, Asiam, ac totum Orientem, postremo etiam Septentrionem sibi subiecerunt, cui nunc Roma ipsa, totius orbis quondam domitrix, fasces suos submisit, quæ Barbarico iugo diu grauitè pressa, sed nunquam tota oppressa, adeo se antiquo nitore ac dignitati in integrum restituit, vt pulsus profligatusque Barbaris, imperio suo totum fere orbem complexa sit, India Occidentali, & altero fere orbe Antipodum veteribus incognito Castellę Regibus parente: Rege Portugallię Orientali Indiæ, & magnæ Arabum Persarumque parti, neque pœnitendæ Africę portioni iura dante, vt totam ferme Africę oram maritimam, vt plurimas insulas silentio præteream, quæ Lusitanorum imperium agnoscunt. Atque Hispania sicut opulenta, bellica virtute, imperij amplitudine reliquas omnes prouincias vel superat, vel certe æquat: ita religionis antiquitate & veræ fidei cultu nulli omnino priores parteis concedit. Scilicet hæc duos habuit Apostolos diuini verbi annunciatos: at quos Apostolos? Iacobum Zebedæi filium, qui cū duobus aliis intimis fuit Iesu Christi, Domini & seruatoris nostri consiliis, & Paulum vas electionis. Præter hos beatum Mancium Iesu Christi discipulum, qui omnibus sacratissimæ passionis Domini mysteriis interfuit, & multos aliorum Apostolorum discipulos, a quibus sacrosanctę fidei rudimentis imbuta, & plurimorum martyrum sanguine resperfa, præcipue vero Beati Iacobi Apostoli sepulchro sanctificata, tam venerabilis toti orbi fuit, vt primo post Romam Ecclesię principem numero esset, sicut ex epistolis & actis Sardicenis Concilij patet: vt ipse etiã Constantinus Magnus, quum in celebrando festo Paschali, consuetudinem Hispaniæ, Galliæ, & aliarum regionum, Orientalibus episcopis imitandam proponeret, Hispaniam re-

liquis prouinciis præposuerit. Eandem quoque venerationem etiam apud posteros habuit. siquidem in Concilio Remensi, quod in Gallia tempore Eugenii secundi celebratum est, communi patrum decreto statutum fuit, incendiario hæc pœnitentia ut daretur, ut Hierosolymis aut in Hispania in seruitio Dei per annum vnum pœniteret. Quin & hodie votum Compostellanum inter sacrosancta & inuolabilia censetur. Neque sane immerito hic honos habitus est Hispaniæ, quippe quæ Christianæ religionis, si qua alia, semper obseruantissima fuit, & fidem Catholicam, qua semel imbuta, sincerissime vsque coluit, hæreticis infestissima, contra quos si remedium domi deesset, foris quærebat, ut videre est in epistolis Diui Cypriani. Nullam enim hæresin diu consensit Hispania, & qui eam impiis erroribus fœdare conati sunt, aliunde plerique omnes venerunt: quod de Marco Ægyptio ipse quoque in 17. Esaiæ D. testatur Hieronymus. Priscillianum quidem Hispania genuit, si tamen genuit, sed hæreticum iam velut impium filium pia mater abdicauit pariter & ablegauit. Ariana hæresis alibi nata, alibi oppugnata, sed in Hispaniam a Gothis inducta, ibidem vno die penitus extincta est. Quin & illo ipso tempore, quo perfidiam Arianam Gothorum Reges fouere conati sunt, quam multi fuerint per totam Hispaniam omnis generis Catholici, qui nullis persecutorum procellis ab orthodoxæ fidei confessione potuerunt auelli, tum numerosus martyrum chorus, tum concilia docent, Toletanum secundum, Tarraconense, Ilerdense, Gerundense, Cæsaraugustanum, quæ per ea tempora maximo Reipublice Christianæ bono celebrata sunt. Quam pietatis laudem ad nostra vsque tempora religiosissime seruauit Hispania. Nam ut primum a Barbaricis bellis tota respirauit, nihil antiquius duxere pientissimi Reges, quam ut Iudæos omnes ac Sarracenos, aut ad professionem Catholicæ fidei perducerent, aut pertinaces regni sui finibus exterminarent. Quæ laus præcipue debetur Christianissimis Ferdinando & Isabellæ Castellæ & aliorum regnorum, Emanueli Lusitanicæ & Algarbiorum Regibus. cuius filius Cardinalis & Infans Hæricus, talibus auis, tali patre dignissimus, auitum ac paternum fidei zelum pulchre referens, sanctæ inquisitionis munus pro Christi amore nõ dedignatus, non minori studio, quam pater ditionibus suis gentes eas eiecerat, ab omni vel perfidiæ Iudaicæ, vel insaniæ Mahometicæ, vel cuiusuis hæreseos labe, ab omnibus quoque ritibus Christiana professione indignis vindicare Portugalliam non desinit, idque tanta prudentia, ut omnes impiorum hominum versutissimos conatus eludat: tanta integritate, ut nemo quod cauilletur, habeat: tanta seueritate, ut malos exterreat: tanta rursus clementia ac mansuetudine, ut non paucos ad respicientiam pelliciat. Atque hos quanta beneuolentia complectatur, quibus beneficiis prosequatur, & aliis arbitrator non obscurum esse, & ego alias, Deo adiuuante, fusius persequar. Illud in præsentia tacere nõ possum, quod ante annos, opinor, septem, cum duo Mauri iam adulta ætate ad fidem nostram conuersi, baptismi beneficium postularent, nõ solum eos obuicis vlnis recepit, sed ipse pontificalibus ornatus insulis, die festo Pentecostes, Eboræ in Ecclesia sua cathedrali, salutaris aqua lauacri tinxit tanta celebritate, ut si filii fuissent fratris sui Regis, fieri non potuerit honorificentius. Præterea alterum in familiam suam honesta conditione adopravit, alterum Regi in clientela dedit. Quæ res mihi tam præclara visa est, ut nihil supra. In reliqua quoque Hispania quotquot sunt de rebus fidei cognitores, ea fide religionis officii seruant, ea integritate ac vigilantia, ut nemo quisquam hiscere contra sacrosancta Ecclesiæ statuta quicquam audeat. Alibi forsitan impie facere non licebit: in Hispania ne loqui quidem, nisi pie, conceditur. Alibi errores forte iam nati extirpantur: in Hispania ipsa etiam errorum seminaria, antequam pullulent, opprimuntur. Noui ego, qui prauis alibi opinionibus imbuti, in Hispania ex animo resipuerint, & quæcumque essent Ecclesiasticis ritibus contraria, vero vultu detestati sint. Plurima, ne prolixus sim, de Hispanorum antiqua religione ac perpetua pietate prætereo, quæ in ipso Chronico suis locis interferentur. Illud nunc dicendum, quod qua fide Hispani erga Deum, eadem & erga Reges suos semper fuerunt, atque eos etiam quos pro Regibus coluerunt. Quæ res in causa fuit, ut etiam exteri Reges ac Principes maximum in Hispanorum fide

atque

atque auxilio momentum sibi ducerent. Hinc est quod Annibal in Italia ad difficillima quæque Hispanorum opera maxime utebatur, & iis plurimum fidebat, ut ex Polybio ac Tito Liuiο constat. Hinc, quod Aquitani ad oppugnandos Romanos auxilia & duces ex Hispania citeriore accersuerunt. Hinc, quod Cn. Pompeius bello civili in cohortibus Hispanorum maximum sui exercitus robur credebat, quorum ope vincere poterat, si consulto rem gessisset. Quin & Iuba Numidiæ Rex, homo barbarus, Hispanos equites, custodiæ suæ causa, circum se habere consueuerat. Plutarchus scriptor grauissimus in Sertorio autor est, hunc Iberis fuisse morem, ut qui duci alicui se deuouerent, vna cum illo morentur. Sertorium vero ducem, licet exulem & profugum, cum multa Hispanorum millia deuota sequerentur, atque hostes prope urbem quandam prælio victores extitissent: Hispanos sui oblitos tanto studio Sertorium protexisse, ut nõ prius de propria salute cogitauerint, quam ducem suum humeris asportatum in tuto posuissent. Igitur Sertorium Hispanorum fidelis opera terribilem Romanis fecit, & ipsi etiam Mithridati admirabilem, suorum scelus & insidiæ extinxerunt. Ipse quoque Octavius Augustus Calaguritanorum manum ad corporis sui custodiam vsque ad deuitæm Antonium habuit. Nunquam finiam, si commemorare velim, quotquot extant huius rei exempla. Sed superfluum sit in ea re diutius commorari, cuius hodie quoque non obscura vestigia, sed expressa clarissimaque extant documenta. Quænam gens toto reperitur orbe Regibus suis obsequentior, quam sint Hispani? quos quum Reges sui in remotissimas quotidie regiones, & alio (ut ille inquit) sole calentes, ad oppugnandos Barbaros mittat, ea accinguntur alacritate, quasi sine puluere & sanguine rem domi suæ gesturi. Cuius rei meo quidem iudicio merito palmariam sibi laudem vendicant Lusitani, adeo Regi suo dediti, quasi ex vnus vita penderet omnium. Studia vero literarum ac liberalium artium, quam in Hispania semper floruerint, quid attinet dicere? quum satis id ex Strabone constet, qui affirmat lib. 3. & inter reliquos Hispanos, Turditanos Bæticæ populos sapientia excessisse, & literarum studiis vsos, memorandæ vetustatis volumina habuisse, & poemata ac leges a sex annorum millibus versibus conscriptas. Quamquam quid Strabonis testimonio opus erat? Senecæ, Silius Italicus, Pomponius Mela, Columella, Martialis, Lucanus, & alii quam plurimi satis loquuntur, quanta fuerit eo tempore literarum gloria apud Hispanos, quantumque in omni scientiarum genere semper præstiterint. Sed quanti bonas artes Hispania fecerit, manifestius ex eo est, quod affirmat in Epistolarum libro 3. Plinius, inuentum in Hispania Lartium Licinium hominem priuatum, qui Plinii Secundi commentarios, quum ille procuraret in Hispania, quadringentis millibus nummum licitari non dubitauerit, hoc est decem millibus aureorum, ut erudite calculum ducit Budæus. Denique nulla vnquam fuit ætas, qua non multos in omni scientiarum genere viros, pro sæculo suo non pœnitendos ediderit Hispania, quos quia suis temporibus, auspice Deo, sum positurus, consulto missos in præsentia facere decreui. Neque viros solum eruditionis gloria præstantes ostentare potest Hispania, sed scæminas quoque, quibus etiam eruditissima illa scæcula merito inuideant. Iactent aliæ nationes puellas aliquot & mulieres Latini sermonis non ignaras. Pro iis omnibus, ut alias multas Latinis literis tinctas silentio præteream, dabit Hispania Aloisiam Sygæam, virginem Toletanam, sed in aula Lusitana per multos iam annos educatam, quinque linguarum adeo peritam, ut non immerito Paulus tertius Pontifex maximus, literas illius ad se scriptas Latine, Græce, Hebraice, Syriace, atque Arabice, laudibus pariter ac faustis comprecationibus sit prosequutus, admiratus tam multiplicem ingenii fructum, & donum multiplicis linguarum scientiæ in viris quoque rarum, nedum in scæminis. Sic enim sonant verba diplomatis. Debetur hæc laus optimo patri & viro doctissimo Didaco Sygæo, qui non contentus filios optimis quibusque disciplinis instituisse, tantam in filia tot linguis imbuenda diligentiam adhibuit: nec in ea solum hanc operam posuit, sed alteram quoque filiam Angelam Græce Latineque pro ætate & sexu non mediocriter eruditam, tam exacta Musices scientia curauit perdocendam, ut

Q ij

cum præstantissimis illius artis professoribus contendere posse putem. Multum debet huic viro Lusitania, quippe qui vel primus, vel certe ex primis literas humaniores Lusitaniæ inuexit, postea illustrissimi Brigantiæ ducis & fratrum ipsius præceptor, nunc tandem in Regiam familiam cooptatus est, & a Rege studiorum amantissimo docendis aulæ Regiæ pueris nobilibus præfectus. Filia vero Aloisia Sygæa in familia est Serenissimæ D. Mariæ principis primariæ, quæ & ipsa inter eruditas huius æui recenseri merito poterat, nisi calamitas tanto succumberet oneri, atque adeo ad tantarum laudum molem subeundam inhorresceret. Proinde finem faciam, de laudibus Hispaniæ non plura dicturus, quam quod eam merito Paulinus poeta & elegans & pius, apud Aufonium, felicem ac diuitem appellauit. 10

Qui Reges ac populi imperitauerint Hispaniæ a Thubal usque ad Carthaginenses. Caput X.

NUNC paucis perstringam, qui reges ac populi rerum in Hispania potiti sunt, usque dum Carthaginenses imperiū illius occupauerunt. Quia in re profiteor me Berosum Chaldæum, Manethonem, Anniū Viterbiensem, Florianū a Campo, Petrum Antonium Beuterum sequi, atque ea ponere, non quæ pro comperitis habeam, sed quæ apud illos reperio: quorum dictis quando antiquiorum ac grauiorum autorum calculus accesserit, addita eorum nomenclatura indicabo. Porro in temporum ratione subducenda, annorum seriem post diluuium, usque ad vrbs Romanæ principia sequar, deinde annos ab vrbe condita more scriptorum Romanorum ponam, usque ad Christi seruatoris nostri natiuitatem, a qua communem Christianorum numerandi modum imitabor. Diluuium vero fuit anno ab orbe condito, nempe ab Adam, bis millesimo ducentesimo quadagesimo secundo, secundum septuaginta interpretes: at secundum Hebræos, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, quemadmodum aiunt Eusebius, S. Isidorus, Beda. Sed Hebræorum supputationem ex sacris literis confirmat & astruit Ioannes Driedon, scriptor accuratus, & Catholicus. Eam & nos sequemur. 20

ANNI POST DILUUIUM. 30

- 143 **T**HUBAL filius Iaphet, nepos Noe, venit in Hispaniam, primusque eam habitauit post diluuium: regnauit vero in ea 155. annos. Huius temporibus cum Noe, quem Ethnici Ianum appellauerunt, in Hispaniā venisset, duas in ea ciuitates condidisse dicitur, atque eas a nomine suo appellasse, alteram Noelam in Galleciā: alteram Noegam in Asturiis. Hanc Berosi opinionem confirmat Iosephus his verbis: Condidit autem Iobel (hic est, quæ alii Thubal vocant) Iobelos, qui nostris temporibus Iberes appellantur, qui & Hispani, a quibus postea Celtiberi nuncupati sunt. Diuus quoque Hieronymus diuersis locis in commentariis in Esaiam & Ezechielem, Thubal siue Thobel, aut Italos, aut Hispanos interpretari affirmat. 40
- 299 **M**ORRUA Thubal successit ipsius filius Iberus, qui fluuiio Ibero nomē dedisse dicitur. Iberus vero fluuius Hispaniæ nomē Iberiæ dedit, ut post Pliniū & alios autores, affirmat etiā D. Hieron. in 66. c. Esaiæ, & 27. Ezech. regnauit vero Iberus 37. annos. 40
- 336 **P**ost mortē Iberi, rerū in Hispania potitus est Idubeda filius, qui Idubedæ monti nomen dedit, regnauitque annos 64. alii Iubaldam seu Iuballam vocant. 40
- 400 **I**dubedæ patri subrogatus Brigus, imperauit 52. annos. Ab hoc autem ortū affirmant vocabulum Briga, siue Brica, quod perinde sonat Hispanis, atque Gallis Dunum, Germanis Burgum. Nam sicut Galli dicunt Lugdunum, Nouiodunū: Germani Friburgum: sic Hispani appellant Medobrigam, Mirobrigā, &c. Quod etiā Stephanus de urbibus annotauit, tamen ille Bria ponat pro Brica. Erat vero Medobriga, ut hoc quoque breuiter annotem, oppidum in Lusitania prope Portalegrā urbem, nunc a Rege Ioanne tertio, titulo ciuitatis & Episcopali sede donatam, ad montem Herminiū posita, qui mons hodie quoque vulgo dicitur Monte Arminno, a quo mōte ipsa quoque Medobriga hodie Armenna appellatur. Quod mihi pro suo candore communicauit Resendus noster. Vtriusque tam Medobrigæ, quam Hermi-

Herminii montis mētio fit in commētariis Cæsaris, seu potius Hirtii aut Oppii, ut An. dila. titulus præ se fert. Mirobricam mihi olim dixit Reuerendus pater F. Franciscus a Vallisoleto, tūc Præfectus monasterii Sancti Benedicti apud Zamorā, postea Abbas S. Facundi, arbitrari se esse eam, quæ hodie Ciuitas Roderici nuncupatur, eaq; se opinionem concepit ex saxo quodam, quod extat apud Bletisam oppidū, quæ nunc Ledesma dicitur, in quo præter cætera legitur ad hunc modum: **TERMINVS. AVGVSTAL. INTER BLETISAM. ET MIROBR. ET SALM.** Cuiusmodi aliud quoque saxum, cum eadem fere inscriptione apud ipsos Ciuitatenfes ad D. Ioannis in baptisterio reperitur. Quam ciuitatem sunt qui contendunt olim appellatam fuisse Augustobricam: & Mirobricam fuisse, qui nunc pagus Guadramito dicitur. Sed id quam recte, ipsi viderint. Nos ad rem redeamus. 10

Post Brigum regnauit filius Tagus annos triginta, qui Tago flumini celebre apud posteros nomen dedit. 452

Bætus regnum paternum hæreditario iure susceptum administravit annos 482 num & triginta, atque Turditaniæ literarum studiis illustravit. Huic Bætis fluuius memoratissimus nomen suum acceptum refert, a quo fluuius, ut diximus, Bætica prouincia appellata est.

Bæto rebus humanis sublato, Hispaniæ regnum occupauit Geryon alienigena, nempe ex Libya, tenuitque annis viginti quinque, dictus alio nomine Deabus. Huius tempore ferunt Osirin, qui & Dionysius dictus est, ex Ægypto venisse in Hispaniam, oppressaque tyrannide Geryonis, regnum diuisisse tribus illius filiis, sed prius admonitis, ut abstinerent a crudelitate paterna. Hic Osiris primus idololatriam induxisse dicitur Hispaniæ. Sunt qui triginta quatuor annos regnasse dicant. 514

Tres Geryones, tergemini (ut aiunt) fratres, regnauerunt tanta concordia, ut poetis fabulis locum dederint, qui Geryonem tricorporem finxerunt. Iustinus hos in parte Hispaniæ regnasse prodit, aliis alia parte regnantibus. Hos Hercules Ægyptius in vindictam patris Osiris, cuius occisi non minima ad eos pertinebat culpa, cum magnis copiis profectus, primū in conflictu vicit, deinde singulari certamine singulos occidit. Huius Herculis operum monumentum sunt columnæ, inter Calpem & Abylam montes. Huius quoque dicuntur Hispali columnæ, quæ vocantur Herculis. Ab huius comite Zacyntho, Zacynthus appellata, quæ postea Saguntus dicta est: cuius vrbs originem D. Hieron. in proœmio 2. lib. Cominēt. in epist. Pauli ad Galatas Græcis tribuit. Ab eiusdem Herculis comite Baleonē Baleares insulas appellatas indicat etiam L. Florus lib. 66. Huic Herculi postea Tyrtos templum condidisse scribit Pomponius Mela lib. 3. c. 6. cōditoribus, religione, vetustate, opibus illustre. De armentis Geryonis, quæ Iustinus lib. 44. prodit, Sita-bo fabulam confictam affirmat: idem indicare videtur Plinius libri 4. capite 22. Arrianus autor Græcus non solum est in eadem opinione, sed etiam astruit nulum in Hispania Regem Geryonem natum fuisse, lib. 2. de gestis Alexātri Magni. Episcopus Gerundensis affirmat, Herculem qui in Hispaniam venit, non Ægyptium fuisse, sed Græcum, Alcumenæ ex Iouis adulterio filium. in qua opinione videtur esse & Antonius Nebrissenfis, dum ait Herculem post Liberum Patrem venisse in Hispaniam. Aristoteles autor est, Herculem Hispaniæ bellum intulisse, incolarum diuitiis inuitatum. Hinc ortam receptamque apud Hispanos fuisse legem, ut argentum possidere non liceret, eamque legem adhuc Carthaginensium temporibus durasse. 40

Hercules, compositis in Hispania rebus, profectioem in Italiam parans, Hispaniæ Regem Hispaniæ reliquit, a quo Hispalim conditam ferunt, quam postea Iulius Cæsar instaurauit atque illustravit. Eam Strabo lib. 3. suo tempore emporium fuisse affirmat. Regnauit Hispal annos 17. Lactantius Firmianus scribit lib. 1. c. 21. Herculem ex Hispania reuersum in Italiam, ritum immolatorum hominum sustulisse. 50

Hispalis successor & hæres regni filius Hispan siue Hispanus, rexit Hispanos annos 32. quæ ab ipso nomen hoc sortita dicitur. Huic falso ascribitur aquæ du-

- An. dilu.* ctus Segouientis Traiani opus, & Pharus Galleciæ, quæ turris, vt ex antiqua inscriptione patet, Augusti tempore dedicata est.
- 639 Hercules audita morte Hispanis nepotis sui, ex Italia in Hispaniam metu nouarum rerum properauit, vbi post aliquot annos senio confectus diem clausit extremum, sepultus Gadibus, vbi posterius templum illi constructum, sicuti diximus, in quo ait Pomponius Melalib. 3. cap. 6. ossa eius sita fuisse.
- 658 Post Herculem Hispaniæ gubernacula suscepit Hesperus, vnus ex ducibus ipsius, a quo Hispania dicta Hesperia, sicut Italia: sed Poetæ differentiæ causa Italiam, Hesperiam magnam appellant.
- 669 Pulso Hespero, regnum Hispaniæ inuasit Atlas Italus frater ipsius, ac tenuit per annos vndecim. Cæterum quum Hespero in Italia res ad votum fluere, timeretque Atlas, ne prosperitas fratris in suam perniciem verteret: relicto in Hispania Oro filio, cum magnis copiis in Italiam ad opprimendum fratrem profectus est.
- 682 Orus siue Sicorus dominatus est Hispaniæ quinque & quadraginta annis, a quo Sicorim fluuium vocatum asserunt, cum qui Ilerdam alluit, postea Ibero miscetur.
- 727 Sicorum in regno Hispaniæ sequutus est Sicanus filius, qui præfuit annis triginta vno. Ab hoc Anam fluuium nomen accepisse ferunt. Anum enim proprium fuisse nomen regis, sicut & Orum & Eleum: Sic vero, prænomen siue titulum principatus.
- 758 Sicano defuncto, Sicæus paterno regno inauguratus est, mansitque in eo annis quadraginta quatuor, cuius tempore affirmant fuisse diluuium Thessaliæ sub Deucalione & Pyrrha, & plagas per Moysen irrogatas Pharaoni iussu Dei.
- 802 Post obitum patris rex Hispaniæ creatur Lusus, obtinetque regnū triginta annos.
- 832 Deinde dominium cepit Hispaniæ Vluis, alias Sic Vluis, postiturque eo annis plus minus sexaginta. Fuit hic, secundum aliquos, filius Lusi: secundum alios, Atlantis.
- 893 Post hunc Testa principatum sibi vendicat Hispaniæ per annos septuaginta quatuor. erat hic Libya.
- 967 Testa vita defuncto, paternum regnum inuit Romus, possidetque annis tribus supra triginta. Huic regi Valentini vrbis suæ primordia ferunt accepta, quam ab eo Romam appellatam, Romani multo posterius amplificatam ac nobilitatam Valentiam appellauerunt. Huius tempore regis Phœnices primum in Hispaniam venisse dicuntur. Eodem fere tempore Bacchus, alias Iacchus, Liber Pater cognominatus, agmine magno comitatus in Hispaniam venit, non tam dominationis cupiditate, vt inquit Antonius Nebriffensis in præfat. historiæ, quam vt patrem gloriam reportaret ei quam ex domita India consequutus erat. Demum victor nullum aliud Hispanis aduentus sui monumentum reliquit, quam quod Nebriffam in Bætica condidit, celebrem hodie urbem, non quia Bacchum habuerit conditorem, Deum ebriosum ac male sanum, sed quod ciuem ediderit Antonium Nebriffensem magnum decus & ornamentum Hispaniæ. Hæc vrbis olim inter æstuaria erat Bætis fluuii, nunc ab eo octo millibus passuum distat, oblimato videlicet altero illius ostio quod erat meridionalius, simul cum alueo suo, vt ibidem annotauit ipse Antonius Nebriffensis. A Luso Liberi patris filio Lusitania nomen accepit, quæ eadem a Lusa Bacchi comite dicta est Lusitania, sicut superius annotauimus, atque hæc ducentis annis ante excidium Troiæ facta scribit idem Nebriffensis ibidem.
- 1001 Palatuus deinde successit, Palentiæ conditor ac Palantiæ, contra quem res nouas molitus Cacus, regni partem occupauit, sed mox superatus, secundum aliquos, in monte quodam prodicionis pœnas dedit, qui ab illo mons Caci dictus, hodie Moncaio vulgariter appellatur: secundum alios, in Italiam se recepit. Regnavit Palatuus septuaginta annis.
- 1071 Mortuo Palatuo, regnum Erythro cessit, qui regnavit sexaginta octo annis. Ab hoc Erythream insulam dictam affirmant siue Erythiam, vt appellant Pomponius Melalib. 3. cap. 6. & Plinius lib. 4. cap. 22. quam alii contra Gadeis, alii contra Lusitaniam,

- raniam, alii vtrouique ponunt, vnde Hercules Geryonum armata abduxerit. Sed Plinius ita illam Tyrios incolas ab Erythro mari dixisse putat, Arrianus eiusmodi insulam in Oceano sitam negare videtur.
- Gargoris in patris locum successit, qui Mellicola cognominatus est, quia mel-¹¹³⁹lis colligendi vsus primus inuenit, vt inquit Iustinus lib. 44. qui huius meminit, & Curetum in saltibus Tarthessiorum regem fuisse scribit antiquissimum, sed quo tempore gesserit principatum, non ponit. Aiunt regnasse septuaginta septem annos. Eodem tempore Troia euerfa, multi Græcorum qui certis de causis in patriam redire vel non potuerunt, vel noluerunt, post varios errores in Hispaniam venerunt, diuersisque in ea sedibus confederunt. Ex quibus Teucer Telamonis filius, primum Hispaniæ litoribus appulsus, ea loca, vbi postea fuit Carthago nominata occupauit, inde in Galleciam transiit, positisque ibi sedibus genti nomen dedit, vt copiosius ait Iustinus. Ad hunc autorem Salmanticæ ciuitatis originem referunt, tanquam in memoriam antiquæ patriæ ipsius Salaminis sic dictam. Quam tamen Stephanus Græce Elmantice appellat, neque huius originis meminit. Diomedes quoque in honorem patris Tydei, Tyden ciuitatem in ripa Minii fluminis condidit, quæ hodie quoque seruato nomine Tude dicitur. Astur quoque Menonis auriga, Asturicæ a se conditæ & Asturibus populis nomen imposuit. Amphilocheus Teucrici socius, in Gallecia sui nominis urbem condidit, atque in ea obiit: socii in mediterranea Hispaniæ loca errabundi abiit. Vlysses Olisiponi ciuitati fundamentum & nomen dedit, ibique templum Palladi quæ peculiariter colebat, dedicauit. Strabo lib. 3. Vlyssæam urbem appellat. Mnestheus Atheniæsis prope Gades appulit, vbi Mnesthei portum ponit Strabo, deinde Gadibus templo & oraculis celebratus est. Lacones Cantabriæ partem tenuerunt. Hæc partim ex autoribus in capitulis huius principio nominatis, partim ex Strabone, Iustino, & Antonio Nebriffensi. Ilerdam quoque Stephanus de urbibus ad Troianos auctores referre videtur, quod Ilerus Troianis Apollo dicatur.
- Mortuo Gargore, Habis ipsius ex filia stupro nepos, per admirabiles casus & stupeda pericula singulari fortuna seruatus, successor regni ab auo adhuc viuo destitutus, vt primum regnū accepit, tantæ fuit magnitudinis, vt non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur. Quippe barbarū populum legibus iniurix, boues primo aratro domari, frumenta quoque sulco ferere docuit, & ex agresticis melioribus vesci, odio eorum quæ ipse passus fuerat, homines coegit. Ab hoc & ministeria seruilia populo interdita, & plebs in septem vrbes diuisa. Hactenus ex Iustini libro 44. quem consulat, si nosse voles, ex quam mirandis casibus ac periculis Habis fatorum benignitate seu diuina potius prouidentia ad regni successionem seruatus est. Iustinus ait, mortuo Habide, regnum per multa secula a successoribus eius retentum fuisse. Ex quo constat, non vnus solum imperio totam Hispaniam paruissse, & plures habuisse reges, quam quorum memoria literarum rudimentis prodita reperitur.
- Circa hunc annum ponunt admirabilem illam siccitatem, qua negant Hispaniam per viginti sex annos vllis omnino pluuiis cœlitus irrigatam, omnes fluuios præter Iberum & Bætin exaruisse, Hispaniam fere omnem incolis exinanitam. Quod mihi quidem non sit verisimile: quia nulla eius rei memoria in veterum libris reperitur, qui rem tam stupendam ac raram procul dubio non tacuissent, quum alia minus miranda non sint passi silentio perire. Eodem fere tempore venisse aiunt in Hispaniam, nescio quos Almonides: sed hoc quoque Antonio Nebriffensi ab aliquo fabularum concinnatore confictum videtur.
- Circa hunc annum Homerus nondum cæcus, & Melesigenes appellatus, quod illi proprium nomen fuit, in Hispania atque Italia peregrinatus est. Floruit autem Homerus post bellum Troianum annis centum sexaginta octo. Autor Herodotus in vita ipsius. Quod & Strabo satis indicat lib. 3.
- Hoc tempore Celtas Galliæ populos in Hispaniam venisse aiunt, quibus cum Iberi pro agris bello certantes, pace demum constituta, communicataque inuicem patria, mutua connubia permittentes, hac rerum communione nomen quoque

An. dilu. commune fortiti sunt, & Celtiberi nuncupati, quasi Gallohispanos dicas, ut ait D. Hieronymus. Ex Diodoro Siculo lib. 6. Huius rei meminit & Lucanus,

--- Profugique a gente vetusta

Gallorum Celta miscentes nomen Iberis.

- 1370 Rhodienfes quoque in Hispaniam venere, & subiugis Pyrenæi montis in ora
maritima Rhodam urbem condidere, ad quam Carthago bellum in Hispania facturus
primum appulit, ut ait Titus Livius lib. 4. de bello Macedonico. Fuit hæc ciuitas
Episcopalis adhuc tempore Gothorum, nunc nihil habet præter ruinas & vestigia
antiquæ urbis, ac monasterium D. Petro sacrum, ut annotauit episcopus Gerun-
denfis libro primo.
- 1380 Hoc tempore, aut circiter, memorabile illud incendium Pyrenæi montis
contigisse volunt, quod lib. 6. Diodorus Siculus factum fuisse dicit igne a partibus
infecto, atque hinc Pyrenæos appellatos montes. Ardente vero continuo diebus
incendio, plures ex eo argenti puri riuuli, flammarum vi effluxere. Posidonius a-
pud Strabonem fabulam putat. Quæ vero de Pyrene nympha & Hercule etiam
ex Silio Italico feruntur, Plinius lib. 3. cap. 1. non immerito fabulam putat. Aristo-
teles huius incendii meminit de mirab. Auscult.
- 1500 Phœnices auri & argenti cupiditate illæti, iterum in Hispaniam venere, opef-
que Hispanis tum rudibus adhuc incognitas, vel saltem parui habitas, vili rerum
permutatione redemptas, sicut superius diximus, in Græciam, Asiamque, & nati-
ones cæteras, magno suo commodo auexerunt. Hinc Phœnicum coloniæ in Ibe-
ria, hoc est Hispania, & propinquis insulis. Hæc Diodorus Siculus lib. 6. sed tem-
pus non notat. Cæterum quod ait de commutatione argenti, confirmat Aristo-
teles de mirab. Auscult. his verbis: Primos Phœnices ferunt, quum Tartessus na-
uigassent, tantam argenti vim oleo aliisque nauticis sordibus commutasse, ut nec
capere naues, nec ferre possent: quo circa coactos sub discessum, cum cætera qui-
bus utebantur, tum anchoras etiam ex argento conflare. Hoc quoque tempore
Gades ab iisdem conditas affirmant, sed Strabo tertio eorum in Hispaniâ aduentu
conditas lib. 3. testatur. Ut ut est, Tyriorum certe Gades colonia, ipso etiam Plutar-
cho teste in Scipione. Phœnicibus Strabo Malacam quoque & Abderam attri-
buit lib. 3.
- 1554 Celtiberi iam patriæ multitudinem sua graues, in Lusitaniam transferunt, in qua
multas condiderunt ciuitates, quibus nomina ab oppidis patriæ suæ impoferunt,
in quibus Segouiam siue Segobiam, quæ a Segobricensibus ædificata & sic appel-
lata creditur, ciuitas aquæ ductu memorabili & lanificio nobilis, cui hoc nomine
deuinctus sum, quod uxorem mihi non ignobilem dederit, iucundam vitæ sociam.
Erat alia olim Segouia prope Cordubam, cuius Cæsar in commentariis meminit
(nam & Celtæ rursus ex Lusitania in Bæticam transferunt, ibique multa oppida
condiderunt) ea hodie quoque nomen retinere dicitur, sed diminutiuum. Segouia
vero quam a Celtiberis dictam & conditam volunt, mentio fit apud L. Florum lib. 40
3. rer. ab urb. cond. in bello Sertoriano. Ex hac Celtiberorum in Lusitaniam mi-
gratione, ipsi quoque Lusitani Celtiberi appellati sunt. Vnde ait Diodorus Sicu-
lus lib. 6. Celtiberorum Lusitani fortissimi sunt.
- 1562 Secundum supputationem annorum quam hæcenus sequuti sumus, hoc an-
no Roma condita est: proinde ab hoc loco annos ab urbe condita numerabimus.

ANNI AB URBE CONDITA.

- 13 GRÆCI ex Sicilia in Hispaniam venisse dicuntur, & aliquam eius partem oc-
cupasse, forte pellecti illecebra diuitiarum, quas Phœnices ex Hispania in om-
nes orbis partes asportauerant. D. Hieronymus in Hispaniam venisse affirmat,
sed quo tempore, non addidit. Eius in proœmio secundi libri commentariorum
in epistolam Diui Pauli ad Galatas hæc sunt verba: Ad Hispanias transgredior.
Nonne Saguntum Græci ex insula Zacyntho profecti condiderunt? & oppidum
Tartessum, quod nunc vocatur Carreia, Iones Græci homines locasse referunt?

tur? Montes quoque Hispaniarum Calpe, Idrus, Pyrene, item insulæ Aphrodisia-
des, & Gymnesiæ, quæ vocantur Baleares, nonne Græci sermonis indicia demon-
strant? Hactenus ille.

Carthaginenses occupasse dicuntur insulas maris Mediterranei, nempe Balea-
res, Ebusum, quæ est insula contra Valentiam, nullum hodie quoque generans a-
nimal noxium, sed neque aliunde allatum sustinens, quin continuo interimat: præ-
terea Colubrariam, ita dictam, quod scateat multo & malefico genere serpētum,
ut inquit Pomponius Mela lib. 2. cap. 7.

Hoc tempore Arganthonius Tartessiorum Rex Gadibus regnasse dicitur, idque
tam diu, quantum etiam ad satietatem vixisse abunde foret. Octoginta enim an-
nis patriam suam rexit, cum ad imperium sexaginta annos natus accessisset, ut ex
auctoribus certis astruit Valerius Maximus lib. 8. cap. 14. Vixit itaque annos centū
quadraginta, licet Asinius Pollio apud eundem tantum centum triginta illi tribu-
at, Cicero de Senect. etiam pauciores, nempe centum viginti. Diuus tamen Bassi-
lius in epist. ad Nepot. hunc inter viuaces numerat. Quanquam quid tam mirum,
quod homo centesimum vigesimum ætatis expleuerit annum? Tales reperti sunt
non pauci in Portugallia Interamni etiam nostris temporibus. Noui ego etiam E-
boræ anum quandam, quæ iam decem supra centum annos computabat, quum
hec scriberem, cuius mater ad centesimum vigesimum vsque peruenit. Magis mi-
randum, quod Lusitani apud Indos hominem repererunt, qui iam trecentiesimum
annum excefferat. Qui vidit, retulit mihi.

Phœnices & ipsi Græci, ex Ionia in Hispaniâ venerunt, ut etiam affirmat Stra-
bo lib. 4. & præter alias vrbes, etiâ Emporias condiderunt, ut ait T. Livius Decad.
4. Hos & Massilia Galliarum vrbes autores suos agnoscit.

De Carthaginensium in Hispaniæ rebus. Caput XI.

ATQUE hic Hispaniæ status fuit vsque ad Carthaginensium aduentum, quem
ex nominatis auctoribus descripsimus. quæ omnia, sicut pro indubitatis haberi
nolim, nisi ubi classicorum auctorum testimonium accedat, ita illud affirmare ex
Strabone, Pomponio Mela, Plinio, Iustino, Diuo Hieronymo liquido possum, I-
beros, Persas, Græcos, Phœnicas, Phœnices, Celtas, & Pœnos in vniuersam Hi-
spaniam peruenisse. Sed quo tempore, incertum est.

Cum Gaditania Tyro, vnde & Carthaginensium origo erat, sacra Herculis per
quietem iussu in Hispaniam transulissent, urbemque ibi condidissent, inuidenti-
bus incremento nouæ urbis finitimis Hispaniæ populis, ac propterea Gaditanos
bello laceffentibus, auxilium confanguineis Carthaginenses miserunt. Ibi felici
expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem provinciæ
imperio suo adiecerunt. Hæc ad verbum ex Iustini lib. 44. Quod ego aliquanto
post tempore factum crediderim. Et certe Antonius Nebriffensis circiter trecentos
annos ante salutarem Christi natalem ponit, paucis videlicet annis ante pri-
mum bellum Punicum.

Circa hunc annum, ut ex T. Livio & Paulo Orosio colligitur, missi sunt a Cel-
tis & Hispanis legati ad Alexandrum Magnum amicitiam petentes, congratulan-
tesque: quorum nomina & cultus tum primum cognouere Macedones. Ex iis et-
iam quidam venerunt, ut de controuersis suis arbitrium illi deferrent. Quæ res tã
honorifica & ipsi Alexandro, & iis qui circa ipsum erant, visa est, ut tum maxime &
sibi & suis rerum dominus visus sit. Ex Arriano lib. 7. de gest. Alex. Magni, Paulus
Orosius Hispaniæ legationis Maurinum vel principem vel socium nominat lib. 3.
capite 20.

Galli Celtici, quos ut diximus ex Celtiberia in Lusitaniam, & inde Bæticam ef-
fluxerant, traiecto Durio amne, primum Interamnem Portugalliam, deinde Gal-
leciam occupauerunt, & Portugallensem ciuitatem, quasi Gallorum portum, de-
inde Bracaram tanquam a Gallis bracatis sic appellatam, condiderunt, ut aiunt.
Sed sunt qui Bracaræ originem ad Carthaginenses autores referant, & a Bragadis

Ab urb. cō. Bragadæ (alii tamen Bagradam appellant) fluvii accolis conditam & appellatam affirmant: cuius rei iudicium, quia neutrius opinionis autores antiquos habeo, in medio relinquo. Illud tamen non dissimulo, Bracaram, quacunq̄ censetur origine, per antiquam civitatem tanti Romanis fuisse, ut Augustæ titulo ornaretur, & ab ea quicunq̄ habitabant inter Durium & Limiam populi, Bracari dicerentur, in quibus debellandis quot annos sudauerint Romani, suo loco dicemus.

489 Carthaginenses Hispaniæ thesauris & etiam Hispano milite freti, Siciliam inuadunt, atque a Romanis ea prouincia cedere iussi, non solum non parent imperio Romanorum, verum etiam bello eos terra marique per viginti quatuor annos vario Marte laceffunt, vsque dum Sicilia in totum pulsæ, ad extremum maris imperio exclusæ, funestoque naufragio victæ, a C. Luctatio conditiones accipere pacis coacti sunt. Ex Polybio & L. Floro. Quod vero principium primi belli Punici in annum ab vrbe condita quadringentesimum octogesimum nonũ inciderit, constat ex Polybii lib. 1. Solini lib. 1. cap. 2. (in quo tamen in impressione Aldina perperam trecentesimo pro quadringentesimo legitur) A. Gellii lib. 17. cap. 21. quamquã Plinius lib. 33. cap. 3. vno anno posterius ponat. Neque obstat, quod Titus Liuius in præfatione quartæ Decadis, quadringetos septuaginta octo annos ponat: quia locũ esse mēdosum clarius est, quã ut probādũ sit, & legendũ, octoginta septẽ, vel potius octoginta octo. sic erit vnus tātũ atq; alterius anni differētia. Cōsimili modo circa principiũ quartæ Decadis, anno quingētesimo quinquagesimo legendũ arbitror: & libro quarto eiusdem Decadis, vbi agit de ludis Romanis, quos primũ Senatus a populo seceretis spectauit, perperam legi, ad quingentesimum octauum annum, pro, quingētesimum quinquagesimum octauum annum, nemo, opinor, mihi refragabitur, nisi qui tam ignarum fuisse Romanæ historiæ T. Liuium contendere volet, ut tot annorũ numero ab aliis omnibus autoribus discreparet, quos ne deprauatos esse credam, facit tabula 3. virorum triumphalium, in qua inscriptiones multas reperio, in quibus numerus annorum cum supputatione nostra ad amissum respondet. Sed ne prolixus sim, quatuor tantum ponam. non enim antiquitates ostentare volo, sed fidem dictis meis astruere. Prima igitur hæc est.

M. VALERIVS. M. F. M. N. MAXIM. AN. CDXC. MESSALLA. COS. DE POENIS ET REGE SICVLOR. HIERONE. XVI. K. APRIL.

Constat hanc ex Polybio & Cassiodoro, hunc M. Valerium cum C. Octacilio, secundo anno belli Punici fuisse Coss. scilicet anno quadringentesimo nonagesimo, ut inscriptio habet. Secunda vero talis est.

C. DVILIVS. M. F. M. N. COS. PRIMVS. AN. CDXCIII. NAVALEM. DE. SICVLE. ET. CLASSE. POENICA. EGIT. K. INTERKAL.

Illud quoque iisdem attestantibus extra controuersiam est, C. Cornelium & C. Duilium quinto anno eiusdem belli fuisse Coss. hoc est, anno ab vrbe condita quadringentesimo nonagesimo tertio. Illud tantum interest, quod Cornelium Polybius, C. Cassiodorus, C. N. prænominat. Præterea in Polybio Duellium, pro, Duilium, non dubium quin mendose legitur. Tertiã porro habet ad hunc modum. C. AVRELIVS. L. F. C. N. COTTA. COS. AN. DI. DE POENEIS. ET. SICVLEIS. IDIBVS. APRIL.

Hunc quoque anno duodecimo belli primi Punici Consulem fuisse ex Cassiodoro liquido constat. Est ibidem & alia inscriptio de triumpho L. Cæcilii, qui sequenti anno triumphauit, sed eam missam facio: quartam tantum addam de triumpho C. Luctatii, qui huic bello finem imposuit. Ea est ad hunc modum.

C. LV TATI VS. C. F. C. N. CATV LVS. PRO. A. DXII. COS. DE POENEIS EX SICIL. EGIT. IIII. NONAS OCTOBR.

Hæc eo adiunxi, ut lector prudens intelligat, non frustra affirmasse, T. Liuium illis locis esse deprauatum, atque ad eum modum rescriptum esse: tamen si sic quidem probe respondet calculus. Sed in tanta rerum antiquitate, non miranda est duorum aut trium annorum differentia. Præterea ne quis ignoret, quibus rationibus & causis adductus hunc annorum numerum sequar. Nec vero existimet aliquis aduersari opinioni nostræ, quod Paulus Orosius ponat initium primi belli Punici,

nici, anno vrbe conditæ 483, quia numerum in Orosio deprauatum esse, vel ex eo liquet, quod sibi non constat.

Carthaginensibus tam longo bello fractis, aliud repente exarsit, minus quidem diuturnum, sed infestius multo ac periculosius, & quo res Carthaginensium in extremum pene discrimen adducta est. id Africanum appellant, quod præter exercitum ex varia colluue diuersissimarum gentium collectitium, cui resp. soluendo non erat, tota fere aduersus Carthaginenses Africa consurrexerat. Durauit hoc bellum tribus annis & quatuor mensibus. Ex Polybio, lib. 1.

10 Compositis in Africa rebus, Carthaginenses hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Amilcarem, cui Barca cognomen tum erat, cum iusto exercitu in Hispaniam mittunt Annibalem filio comite, qui tum fere nonum ætatis annum agebat. Hic superatis columnis Herculis, magnam Hispaniæ partem Carthaginensibus recuperauit. In iis locis annos circiter nouem commoratus, multis Hispaniæ civitatibus bello subactis, plerisque etiam, pacta salute atque impunitate bonorum, in fidem Carthaginensium receptis, dignam tãdem rebus a se gestis mortem obiit. Si quidem aduersus atrocissimos viros & potentissimos populos bellũ gerens, & maximis quibusque periculis intrepide sese, ac cum magna omnium admiratione subiciens, extremum vitæ diem morte confecit. Hæc Polybius lib. 2. Iustinus ait lib. 44. illum dum fortunam inconsultus sequitur, in insidias deductum, atque ita occisum fuisse. Huic Barcinonis ciuitatis originem tribuunt.

20 Amilcari mortuo successit Asdrubal, ætatis flore primo Amilcari conciliatus, gener inde ob altam indolem profectu animi adscitus. Qui potius imperio, plura consilio quam vi gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum nouis gentibus, quam bello & armis rem Carthaginensem auxit. Idem Carthaginem nouam, ob loci opportunitatem nõ solum ad res Hispaniæ, verum etiam Africæ commodissimam condidit. Cum hoc Romani inuidentes Carthaginensium in Hispania successibus, quia metu Gallorum bellum mouere non audebant, missis legatis in Hispaniam, fœdus percusserunt. quo fœdere inter cætera cautum est, ut finis vtriusque imperii Iberus amnis esset, quem Carthaginenses cum armis ne transirent: Saguntinis mediis inter imperia duorum populorum libertas seruaretur. Hunc virum non modo bellicis artibus, sed eloquentia quoque ad mouendos hominum animos pollentem, quem iam octo ferme annos obtinisset imperium, barbarus quidam seruus ob iram interfecti ab eo domini obruncavit, comprehensusque a circumstantibus, haud alio, quam si euassisset, vultu, tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Ex T. Liuiio & Polybio, qui illum a Gallo occisum affirmat lib. 2.

30 In Asdrubalis locum extemplo iuuenis Annibal prærogatiua militari in prætorium delatus est, ingentique omnium clamore atque assensu, fauore etiam plebis sequuto, Imperator consalutatus. Hic odium Romanorum pene cum lacte matris imbibit. Nam dum pater Amilcar exercitum in Hispaniam traiecturus sacrificaret, altaribus admotus, tactis sacris, iureiurando adactus est, se quem primum per ætatem posset, hostem fore Pop. Rom. Hic vigesimo sexto ætatis anno Imperator factus, vxorem duxit Hispanam nomine Imilcen, ex Castulone oppido nõ ignobili, & patris ac sororii res gestas supergressus, biennio vniuersam prope Hispaniã domuit. Ex Polybio, Liuiio, Iustino, & Plutarcho.

40 Quas fodinas Annibal in Hispania inchoauerit, & quantum ex eis puteus vnus singulis diebus reddiderit, superius diximus. Quibus opibus fretus, neq; Hispano contentus imperio, Romanos quoque atque Italiam inuadere gestit. Cui rei dum occasionem quaerens Saguntum per opportunum visum est, vrbs Pop. Rom. sociã. Eam omnibus viribus oppugnat, & dum Saguntini auxilia Romanorũ frustra expectant, ac Romani consultationibus ac mittendis legationibus tepus terunt, crudeliter expugnat. Cui quam obstinatis animis Saguntini ad extremum vsque resisterint, quantaque constantia & fide Pop. Rom. amicitiam conseruauerint, qui scire volet, T. Liuium consulat lib. 1. Dec. 3. Habebat id temporis Annibal in ar-

Aburb.cõ. mis centum quinquaginta millia hominum. Ex Polybio & T. Liuiio.

De secundo bello Punico, & Romanorum in Hispania rebus gestis usque ad Augustum, cum catalogo Consulium, Proconsulium, & Prætorum Hispaniæ. Cap. XII.

535 **E**A res tam indigna Romanis visa est, vt bellum Carthaginensibus indixerint, Consulemque & Consulare exercitum in Hispaniam mittendum decreuerint. Cuius rei adeo nõ poenituit Annibalem, vt nihil prius duxerit, quam omnem belli molem primo quoque tempore in Italiam trāsferre. Igitur P. Cornelius Scipio, Africani Maioris pater, Cos. primus Hispaniam sortitus prouinciã, atque ad eam cum exercitu profectus, vt Annibali ex Alpibus descendenti occurreret, reuersus in Italiam, Cn. Scipioni fratri prouinciam tradidit, qui primo anno Hānōnem cum exercitu fudit ac cepit, & contra Adrubalem terra marique felici successu præliatus, præter Balearis insulas, centum viginti populos Hispanorū Romano Imperio subiecit, anno secundo, quo P. Scipio prorogato post Cōsulatum imperio, in prouinciam rediit. Exinde duo fratres communi consilio rem gesserunt. Ex T. Liuiio. Carthaginenses ante Romanorum aduentum viginti tribus annis in Hispania dominati sunt, quo tamen tempore Romani societates in ea habebant. Possidebant Hispaniam varii reguli, quales T. Liuius nominat Mandonium Ilergetum regulum, Amustum Lacetanorum, & alios: Polybius etiam Andubalem. Hi reguli partim eo tempore Romanos, partim Carthaginenses agnoscebant. Prius tamen summa imperii penes Carthaginenses erat. Hic obiter annotandus lapsus L. Flori lib. 2. qui ait inter finem primi belli Punico & principium secūdi, vix quadriennem fuisse requiem, quum viginti tres anni, vt minimum, intercesserint, nisi vel deprauatus sit Florus, vel ad alia bella respiciat: & Valerii Maximi lib. 6. cap. 6. qui Sagunti calamitatem post Scipionum in Hispania miserabilem stragem ponit, quum decem fere annis antecesserit. Cum Cn. Scipio successorem a Senatu peteret, quod filiam haberet nubilem, cui sine ipso dos expediri nõ posset: Senatus ne Reipub. bono duce careret, patris sibi partes sumpsit, & dote consilio vxoris & propinquorum Scipionis ex ærario constituta, puellam nuptui dedit. Valerius Maximus lib. 4. cap. 4.

542 Cn. & P. Scipio cum per octo annos multas res prospere gessissent in Hispania, multasque hostium strages edidissent, miserabili clade cum exercitu cēsi sunt, vndetrigesimo die alter post alterum, vt auctor est T. Liuius lib. 5. Dec. 3. Quorū monumentum etiam hodie prope Tarraconem extare affirmant ex marmore affabre laborato. Mox L. Martius impiger & magni animi iuuenis, a Scipione militarem artem edoctus, collectis ex fuga militibus, rem perditã admirabili industria restituit. Ex eodem. Ex huius L. Martii capite concionantis flammam eluxisse, ait Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. qui addit illum octo & triginta hostium millia concidisse, & magno numero in potestatem redacto, bina castra cepisse. T. Liuius addit, in præda captum clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barchini Adrubalis. Erat autem L. Martius primipili Centurio, vt ait Cicero pro Cor. Balbo, qui testatur illum primum cum Gaditanis fœdus icisse, quod scilicet illi tam duro Reip. tempore fidelem operam Romanis nauauerint.

543 Claudius Nero cum exercitu Proprætor in Hispaniam missus, qui L. Martio & T. Fonteio Cn. Scipionis Legato succederet. T. Liuius.

544 Comitibus Romæ habitis, cæteris omnibus metu recentis cladis a petitione Hispaniæ prouinciæ deterritis, P. Cor. Scipio, Scipionis occisi filius, annos natus viginti quatuor se obtulit, qui summo omnium consensu creatus Proconsul Hispaniæ, & cum iusto exercitu in prouinciam profectus, primum Carthaginem, magnum illius belli momentum cepit: deinde post multas res p. claro imperatore dignas, tandem Pœnos variis præliis fusos fugatosque, quinto postquam Proconsul in Hispaniam venerat anno, & post bellum cum illis in Hispaniis in initum decimo quarto, penitus expulit Hispania, atque in Africam cum omni exercitu ingloriose redire coegit. Ex eodem.

Scipio

Scipio pulsis Hispania Carthaginensibus, compositisq; prouinciæ rebus, eam L. Lentulo & L. Manlio Acidino tradidit, ipse vero Romam rediit, vrbeq; ingressus, prædam ex Hispania præ se tulit in ærarium, argenti quatuordecim millia pondo trecenta quadraginta duo, & signati argenti magnum numerum. Non tamen triumphauit, quia sine magistratu res gesserat. Ex eodem. L. Lentulus & L. Manlius Acidinus Ilergetes Hispaniæ populos, in quibus Osca & Ilerda, noua molitos magno prælio fuderunt, & castris exuerunt, atq; Indibilem regulum ipforum rebellionis autorem occiderunt. Ex eodem.

10 Cn. Seruilio Cepione & Cn. Seruilio Gemino Coss. Anno secundi belli Punico 16. ex Hispania, vestimenta, frumentum, arma, & omne genus comæatus Romam portata sunt, vt ait T. Liuius lib. 10. Dec. 5. qui affirmat & sequenti anno magnã vim frumenti ex Hispania missam, adeo vt vilitatẽ annonæ Romæ fecerit.

L. Lentulus ex Hispania reuersus, Ser. Sulpicio Galba & C. Aurelio Coss. ex S. C. ouans vrbe ingressus est, tulitq; ex præda argenti pondo quadraginta quatuor millia, auri duo millia quadringenta quinquaginta, præter pecuniam militibus diuisam. Lentulo successit C. Cornelius Cethegus, qui & ipse magnum hostium numerum in agro Sedetano fudit. Ex eodem, Dec. 4. lib. 1.

20 L. Cornelio Lentulo & P. Iulio Appulo Coss. C. Cornelius Cethegus Proconsul Hispaniæ, absens Romæ Ædilis Curulis creatus est, atq; ad magistratum gerendũ venire iussus. Loco eius & Lucii Manlii Acidini, qui & ipse Romam redire iussus est, creati Proconsules Hispaniæ Cornelius Lentulus & L. Stettinius. Ibidem. L. Manlius Acidinus priuatus vrbe ingressus, ex Hispania mille ducenta pondo argenti, triginta pondo ferme auri in ærarium tulit. Idem Dec. 4. lib. 2.

30 Cn. Cornelio Cethego & Q. Minurio Rufo Coss. Hispania hæcenus vna prouincularis, tametsi per duos pari imperio administrata, diuisa est in duas prouincias Prætorias, citeriorem & vltiorem. Citerior Cn. Sempronio Tuditano: vltior M. Ælio contigit. Hi terminare iussi, qua vltior citeriorve Hispania terminaretur. De qua resuperius latius sum loquutus. M. Ælium T. Liuius Dec. 4. lib. 3. appellat paulo post M. Heluiũ, nisi mendosus est liber. Ingens eo anno in Hispania vltiore bellum coortum, Culcane & Lucinone regulis armã mouentibus. In citeriore quoq; C. Sempronius prælio victus, exercitus eius fusus fugatusque, & illustres viri in acie cæsi. Sempronius cum graui vulnere latus ex prælio, haud ita multo post expirauit. Ibidem.

40 L. Furio Purpurione & M. Claudio Marcello Coss. Q. Fabius Buteo Hispaniam vltiorem, Q. Minutius Thermus citeriorem Prætores sortiti sunt. Hoc anno iterum in Hispania bellum cœptum, scilicet quinto anno postquam simul cum Punico bello finitum erat: quia tum primum Hispani suo nomine, nullo Punico exercitu aut duce, ad arma ierant. Hoc quoq; anno Cornelius Lentulus, qui biennio ante citeriorem Hispaniam obtinuerat, vrbe ingressus, tulit præ se auri mille quingenta pondo quindecim, argenti viginti millia, signati denarios triginta quatuor millia & quingentos quinquaginta. L. Stettinius ex vltiore Hispania quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de mantubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem & matris Matutæ, vnum in Circo maximo posuit, & his fornibus signa aurata imposuit. Q. Minutius Thermus aduersus Budarem & Besasidem imperatores prospere pugnauit, duodecim hostiũ millia cecidit, Budarem cepit, cæteros fudit fugauitq;. Ibidem.

50 Gliscente tantum in Hispania bello, vt consulari & duce & exercitu opus esset, placuit patribus, vt citerior Hispania consularis esset, ad quam missus M. Portius Cato, qui postea a censura Censorius dictus est: huic P. Manlius Prætor adiutor datus. Ap. Claudius Nero Hispaniam vltiorem sortitus est. Ita ferme Titus Liuius, & Plutarchus in Catone Censorio. Sed ego ex iisdem colligo, & affirmare mihi posse videor, Prætoribus Paulo Manlio in citeriori: Ap. Claudio Nerone in vltiore: M. Catoni Consuli in tota Hispania imperium fuisse. Nam Catonem in vltiore quoq; Hispania res gessisse ex Plutarcho constat, qui ait ex Polybio, a Catone omniũ vrbiũ muros, quæ intra Bætiam amnem sunt, vno die solo æqua-

R

Aburb.cō. tos esse. Quod si quis admiratur, magis admiretur eum tribus feruis comitatum Hispaniam rexisse, & in ea intra annum quadraginta oppida cepisse, quorum alterum Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. alterum Plutarchus literis prodidere, ex quo & T. Livio petat, qui de Catonis in Hispania rebus gestis plura nosse desiderat. Eodem anno M. Heluius ouans urbem ingressus, tulit in ærarium argenti infecti quatuordecim millia pondo, septingenta triginta duo, & signati bigatorum xvii. millia viginti tria, & Oscensis argenti centum viginti millia, quadringenta triginta octo, ex vltiori Hispania. Q. Minutius de citeriori Hispania triumphauit, & tulit argenti pondo triginta quatuor millia, octingenta, bigatorum septuaginta octo millia, & Oscensis argenti ducēta septuaginta octo millia. Atq; hic est primus triumphus, quem Romanos egisse de Hispanis reperio. Rursus T. Liuius M. Heluium appellat, quem superius M. Ælium dixit, forte quod utroq; appellaretur nomine: sed in eo lapsus memoria est, quod ait Q. Minutium M. Heluium successisse. Namq; Heluius vltiorem, Quintus Minutius citeriorem, vt diximus, rexit Hispaniam: deinde quod ait M. Heluium in aliena prouincia pugnasse. Siquidem Iliurgis, circa quam postrema eius victoria fuit, Plinio & Ptolemæo in Bætica ponitur, quam aliqui Giennensem esse ciuitatem suspicantur. Antonius quoq; Nebriffensis in Bætica ponit, quanquam in Vocabulario ipsius Geographicō, mendose oppidum Bæoticæ pro Bætica impressum est.

360 P. Cornelio Scipione Africano iterum, & T. Sempronio Longo Coss. Prætores P. Cornelius Scipio Cn. filius, hoc est, Scipionis Africani patruelis, vltiorem: Sex. Digitius citeriorem Hispaniam rexerunt, rursus in prouincias Prætorias rebus compositis redactam. Horum impar fortuna fuit. Nam P. Scipio prospere omnia gessit, & Prætor Lusitanos fudit: alter crebra magis quā digna dictu prælia fecit, & adeo pleraq; aduersa, vt vix dimidium militum quod acceperat, successori tradiderit. Eodem anno M. Porcius Cato ex Hispania triumphauit, tulitq; argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centū viginti tria millia, Oscensis auri quingenta quadraginta pondo, præter pecuniam militi diuisam. Nam Plutarchus in Catone Censor. testatur singulas argenti libras viritim militibus distribuisse, illud adiciendum, melius esse multos ex Romanis argentum, quam paucos aurum habentes in urbem reuerti. T. Liuius addit, Catonem ex ferrariis argentariisq; magna vectigalia instituisse, quibus institutis locupletior inde prouincia fuit. Plutarchus indicat Scip. Maiorem Catoni in Hispania successisse, sed falsus est similitudine nominis, nisi forte lapsus est interpret. nam codicis Græci non fuit mihi copia.

361 L. Cornelio Merula & Q. Minutio Thermo Coss. C. Flaminius Hispania citerior, M. Fuluius Nobilior vltior sorte obtigit. Quorum hic apud Toletum Vaccæos, Vectones, & Celtiberos fudit fugauitq; & Hilermum Regem viuum cepit. T. Liuius.

362 L. Quintio & Cn. Domitio Anobarbo Coss. Prætores Hispaniam sortiti sunt, M. Bebius Pamphilus citeriorem, A. Attilius Serranus vltiorem: sed primum S. C. deinde plebiscito permutatis eorum prouinciis, Flaminius Fuluiusq; prorogatum imperium est. Hoc anno Fuluius Toletum cepit operibus. Ibidem.

363 P. Cornelio Cn. filio Scipione & M. Attilio Glabrione Coss. L. Æmilio Paulo euenit Hispania vltior: C. Flaminius in citeriori prorogatum imperium. Ibidem. Æmilius ad sopiendos in Hispania magnos bellorum motus exortos, missus est, non cum sex, vt cæteri Prætores, sed cum duodecim securibus, ita vt dignitas consularis imperio eius inesset. Bis collatis signis hostes superauit, interfecitq; circiter triginta hominum millia, manifesteq; apparuit victoriam ex industria eius partam fuisse. Vrbes vero ducentas quinquaginta in ditionem recepit, pacatamq; prouinciam relinquens, ne vna quidē drachma ditior quam profectus fuerat, reuersus est. Plutarchus in vita eius: Eodem anno M. Fuluius Nobilior ex Hispania vltiore ouans urbem ingressus est, tulitq; præ se argenti bigati centum triginta millia, præterea duodecim millia pondo argenti, auri pondo centum viginti septem, quam prædam T. Liuius lapsu forte memoriæ bis ponit Dec. 4. lib. 6.

L. Cor-

L. Cornelio Scipione & Cn. Cælio Coss. L. Æmilio & C. Flaminius in Hispania prorogatum imperium. Quo anno Romani magnam in Hispania cladem acceperunt, sex millibus de exercitu suo cæsis, cæteris in fugam uertis, idq; in Vascetanis, vbi apud oppidum Lyconem cum Lusitanis pugnabat. Ibidem. Ego suspicor in T. Livio mendose legi Vascetanis pro Bastetanis, qui sunt in Hispania vltiori, quanquam in citeriori quoq; Vascetanos nusquam inuenio.

M. Fuluius Nobilior & Cn. Manlius Volsone Coss. L. Plantius Hipseus Prætor fuit Hispaniæ citerioris: L. Bebius Diues vltioris. Sed L. Bebius in prouinciam Hispaniam proficiscens a Liguribus circumuentus, magna parte comitum cæsa, vulneratus ipse cum paucis sine lictoribus, Massiliam profugit, & intra triduum expirauit. Quare audita Senatus decreuit, vt P. Iunius Brutus Prætor Hærruriæ, tradita cui videretur ex legatis prouincia & exercitu, ipse in vltiore Hispaniam proficisceretur, eaq; prouincia ei esset. Paulo ante successoris aduentum, L. Æmilius Paulus tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis pugnauit, fusi fugatiq; sunt hostes, cæsa decem & octo millia armatorum, tria millia trecenti capti, & castra expugnata. Cuius victoriæ fama tranquilliores in Hispania res fecit, & supplicationes Romæ ex S. C. factæ sunt. Ibidem.

M. Valerio Messala & C. Liuius Salinator Coss. Prætores L. Manlius Hispaniam citeriorem: C. Catinius vltiorem sortiti sunt. Ibidem.

20 M. Æmilio Lepido & C. Flaminius Coss. Prætoribus Hispaniæ prorogatum imperium, quorū literis Romæ significatum est, Celtiberos Lusitanosq; in armis esse, vbi in T. Livio mendose legitur, C. Atinii, pro C. Catinii, non procul a principio libri noni.

Sp. Posthumio Albino & Q. Martio Philippo Coss. Prætores Hispaniæ creati sunt, L. Quintius Crispinus, citerioris: C. Calpurnius Piso, vltioris. Hoc anno C. Catinius cum Lusitanis in agro Astensi collatis signis pugnauit, sex hostium millia cæcidit, cæteros fufos fugatosq; castris exiit, Astam oppidū cepit, sed dum incautius subit muros, i&us ex vulnere post dies paucos moritur. Hac de causa Calpurnio nunciatum, vt in prouinciam properaret, ne sine imperio esset. Asta nō procul Gadibus erat. In citeriore Hispania L. Manlius Acidinus cum Celtiberis acie conflixit incerta victoria, nisi quod Celtiberi proxima nocte castra mouerunt. Post eosdem ad Calagurium oppidum prælio superauit, & castris eorum potitus est, in prælio ad duodecim hostium millia cæsa, plus duo capta, & nisi successor aduentu suo inhibuisset impetum victoris, subacti Celtiberi forent, si Liuius credimus Dec. 4. lib. 9.

Ap. Claudio Pulchro & M. Sempronio Tuditano Coss. Prætoribus Hispaniæ prorogatum imperium. L. Manlius ex Hispania citeriore ouans urbem ingressus, tulit coronas aureas quinquaginta duas, auri pondo centum triginta duo, argenti sexdecim millia trecenta, & pronunciauit in Senatu, decem millia pondo argenti, & octoginta auri Q. Fabium Quæstorem aduehere, id quoq; se in ærarium relaturum. Prætores Hispaniæ Calpurnius & Quintius, communi animo & consilio rem gerentes, non procul Toletum cum utroq; exercitu fusi, & in castra compulsi sunt, ac spoliis suis hostes ditauerunt, quinque suorum millibus amissis. Quam ignominiam postea contractis Hispanorum sociorum auxiliis, & recreato a terrore aduersæ pugnæ exercitu, deleuerunt ad ripam Tagi, edita in hostes magna strage, quam eleganter in quarta Decade scribit T. Liuius lib. 9.

P. Claudio Pulchro & L. Portio Licinio Coss. Prætorum sortiti sunt Hispaniæ, A. Terentius Varro, citerioris: P. Sempronius, vltioris. Eodem anno C. Calpurnius Piso & L. Quintius ex Hispania reuersi, de Lusitanis & Celtiberis triumpharunt. Calpurnius coronas aureas tulit octoginta tres, & duodecim pondo argenti. Quintius tantundem auri, quantum argenti transtulit. Sed numerum aut summam prædæ T. Liuius non posuit.

M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labæone Coss. Prætoribus Hispaniæ prorogatum imperium. A. Terentius Varro in agro Aufetano aliquot secunda prælia cum Celtiberis fecit, & vrbes nonnullas cepit. Aufetani in Catalonia principatu

R ij

- Ab urb. cō.* erant. Vltior in pace fuit, & Lusitani peropportune quieuerunt: quia P. Sempronius diutino morbo implicatus fuit, & tandē ibi mortuus est. Ibidē lib. 9. & 10.
- 572 Cn. Bebio Pamphilo & L. Emilio Paulo Coss. Prætores habuit Hispania, citerior Q. Fuluius Flaccum, vltior P. Manlium, qui eandem prouinciā priore prætura habuerat, vt ait T. Liuius, qui in hoc videtur non constare sibi, quia superius dixit P. Manlium prætorem M. Catoni consuli in citeriore Hispania adiutorem datum, vt annotauimus anno vrbis conditæ 559. Fuluius Flaccus Vrbicuum vrbem (quam hodie Arbeca appellari dicit Pet. Anto. Beuter) non sine detrimento militum suorum cepit ac diripuit. P. Manlius exercitum dissipatum in vnum coegit. Ibidem. A. Terentius Varro ex Hispania citeriore ouans vrbem ingressus, tulit in ærarium argenti pondo millia trecenta viginti, auri octoginta duo pondo, coronas aureas sexaginta septem.
- 573 P. Cornelio Lentulo & M. Bebio Pamphilo Coss. Prætoribus superioris anni in Hispania prorogatum imperiū. In citeriore Hispania bellum ea æstate coortū, quantum nunquam ferme antea, idq; a Celtiberis, aduersus quos Fuluius Flaccus magna quidem victoria, sed non incruenta, potitus est, de qua relatus T. Liuius.
- 574 A. Posthumio Albino Lusco & C. Calpurnio Pisone Coss. Prætores Hispaniā fortiti sunt, L. Posthumius vltiorem: T. Sempronius Gracchus citeriorē. Huius anni principio a Q. Fulvio Flacco missi sunt ad Senatum ex Hispania T. Minutius legatus, & duo tribuni militū T. Menius, & L. Terentius Massaliota, qui duo secunda prælia, deditionem Celtiberiæ, confectam prouinciā nunciarent, nec stipendio quod mitti solet, nec frumento portato in eum annum opus esse, & alia quæ latius profectur T. Liuius. Fuluius Flaccus Propætor siue Proconsul, vltiori Celtiberiæ agro, vnde in deditionem non venerant, vastato, magis irritauit quam cōterruit Celtiberos, qui obfesso saltu Manliano, Fuluium Tarracōnē cum exercitu ad occursum successoris properantem, nec opinato adorti, victoriā quidem illi, sed cum magna militum iactura dedere. Ibidem.
- 575 Q. Fuluius ex Hispania cum magna fama rerum gestarū reuersus, quum extra vrbem triumphī causa esset, Consul factus cum L. Manlio Acidino, qui & ipse aliquot ante annis citeriorem Hispaniam rexerat, triumphans vrbem ingressus cum militibus quos secū duxerat, tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor, auri pondo triginta vnum, præter argentum Oscense signatum, & pecuniam militibus diuisam, & duplex stipendiū solutum. Ibidē. Hoc anno Prætoribus Hispaniæ cū suis exercitibus prorogatum imperiū. Sempronius Gracchus multis rebus in Celtiberia prospere gestis, centū tria oppida intra paucos dies in deditionē accepit, & Thurrium regulum in belli societatem ex hoste accepit. L. Posthumius eadē æstate in Hispania vltiore bis aduersus Bracaros pugnavit egregie, & ad triginta quinque millia hostium occidit. vnde colligas, quanta fuerit etiam tunc frequentia illius gentis. Bracari vero dicuntur populi Interamnis Portugalliæ, qui sunt inter Durium & Limiam fluuios. Quædā impressiones hoc loco, nempe circa finē decimi libri de bello Macedonico, male habent, cum Vaccæis, pro, cum Bracaris. Quem errorem ego ex L. Flori lib. 41. natum crediderim, vbi legitur ad hunc modū: Et a Posthumio Albino Vaccæi ac Lusitani subacti sunt, &c. Sed ea lectio quæ falsa sit, ex eiusdē L. Flori 56. lib. constat, vbi aperte Vaccæos in citeriore Hispania ponit, & ostendit Bracaros tum in vltiore fuisse Hispania, in qua etiā Gallecios ponit, qui sunt vltra Bracaros. Præterea Sex. Iulius Frontinus affirmat, Vaccæos a Sempronio Graccho oppugnatos. vnde constat, tam in T. Liuiio, cū Bracaris, non cū Vaccæis, quā in L. Floro, Bracari, nō Vaccæi, legendum. & ita in T. Liuiio habet impressio Badiana, ita legit Henricus Glareanus, vir vnde cūq; doctissimus, ita L. Andreas Resendius in T. Liuiio manu scripto legisse se mihi affirmavit.
- 576 M. Iunio Bruto & A. Manlio Volsone Coss. Prætores, in Hispania citeriore M. Titinius: in vltiore T. Fonteius Capito. Hoc anno Sempronius Gracchus de Celtiberis & sociis eorum, postero die L. Posthumius de Lusitanis aliisq; eiusdem regionis Hispanis triumphauit, T. Gracchus quadraginta millia pondo argenti transtulit, Albinus viginti millia. T. Liuius lib. 1. Dec. 5.

C. Clau-

- C. Claudio Pulchro & T. Sempronio Graccho Coss. Prætoribus Hispaniæ prorogatum imperium, sed vtraq; prouincia pacata fuit. Ibidem.
- 577 Cn. Cornelio Scipione Hispano & Q. Petilio Spurino Coss. Prætoribus M. Cornelio Scipioni Maluginensi Hispania vltior: P. Licinio Crasso citerior obtigit. Sed quum sacrificiis impediri se solennibus excusarent, ne in prouinciā irent, iussi sunt aut ire, aut iurare pro concione, solenni sacrificio se prohiberi. Cum autē ambo in eadē verba iurassent, M. Titinius & Titus Fonteius Proconsules manere cū eodem imperii iure in Hispania iussi sunt. Ibidē. Huius Hispani Consulis filio Cn. Cornelio Scipioni quum Hispania prouincia aliquando sorte obigisset, decretū est, ne iret, adiecta causa, qd recte facere nesciret. Valerius Maximus lib. 6. cap. 3.
- 10 M. Lepido & Q. Mutio Coss. Ap. Claudius Cento citerioris Hispaniæ Prætor: vltioris verō quis fuerit, quia T. Liuius hoc loco mutulus est, non inuenio.
- Sp. Posthumio & Q. Mutio Coss. Prætoribus Cn. Seruilio Cepioni Hispania vltior: P. Furio Philo citerior contigit. Hoc anno Ap. Claudius Cento Celtiberos qui sub aduentum eius rebellauerant, magna clade affectos, imperio parere coegit. quam ob rem Romæ per diem vnum supplicatio fuit, & viginti maioribus hostiis sacrificatum. Ibidem.
- L. Posthumio Albino & M. Popilio Lenate Coss. Prætores Cn. Fabius Buteo Hispaniā citeriorē: M. Matienus vltiorē fortiti sunt. Idem. Perfectis comitiis, Ap. Claudius Cento ex Celtiberis ouans cum in vrbē iniret, decē millia pondo argenti, quinque millia auri in ærariū tulit. Idem. Cn. Fabius quum in prouinciā iret, Massiliæ moritur. Senatus decreuit, vt P. Furius & Cn. Seruilius, inter se fortirentur, vter prorogato imperio citeriorem Hispaniam obtineret. Sors opportuna fuit, vt P. Furius idem, cuius ea prouincia fuerat, remaneret. Ibidem.
- Cn. Popilio Lenate & P. Aelio Ligure Coss. Prætoribus M. Iunio Pæno citerior Hispania: Sp. Lucretio vltior sorte cecidit.
- P. Licinio Crasso & C. Cassio Longino Coss. a Senatu decretum est, vt vnico tantū Hispania Prætoris regeretur, vnaq; tantū prouincia esset, forte quia iam pacata erant omnia. Sortitus est autem Hispaniam L. Canuleius Prætor. Hoc anno Hispaniæ vtriusq; legati Romā missi, in Senatu conquesti sunt de magistratū Romanorū auaritia & superbia, quibus ex ordine Senatorio patroni dati sunt. Et P. quidē Furius ac M. Matienus solū verterunt: pluresq; accusassent, nisi (vt fama est) a patronis fuissent prohibiti. Ita præteritis silentio oblitteratis, in futurū consultum a Senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti estimationem magistratus Romanus haberet, ne ve cogeret vice sumas (tributi hoc genus erat) vèdere Hispanos, quāti ipse veller, & ne prefectū in oppida sua ad cogendas pecunias imponerentur. Sed & alia noui generis hominū ex Hispania legatio venit, ex militibus Romanis & Hispanis mulieribus, cum quibus conubiū non esset, natos se memorantes, supra quatuor hominum millia: orabant, vt sibi oppidū in quo habitarent, daretur.
- 40 Senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur, eorumq; si quos manumississet, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere: qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, vti numero coloniorū essent, agro assignato. Latinam eam Coloniam fuisse, libertinorumq; appellari. T. Liuius Dec. 5. lib. 1.
- A. Hostilio Mancino & C. Attilio Coss. quis fuerit Hispaniæ Prætor, nondum inuenire potui.
- Q. Martio Philippo II. & Q. Seruilio Cepione Coss. Claudius Marcellus Prætor Hispaniam obtinuit.
- L. Emilio Paulo II. & C. Licinio Crasso Coss. P. Fonteius Prætor administravit Hispaniam.
- 50 Q. Aelio & M. Iunio Coss. Hispania rursus in duas prouincias prætorias diuisa est, & Cn. Fuluii citerior, C. Licinii Nerue vltior fors fuit, ibidē lib. 5. Hactenus ex T. Liuiio: quæ sequuntur, ex L. Floro, Paulo Orosio, & aliis mutuati sumus.
- L. Opimio & Q. Posthumio Coss. a Lusitanis Romani per arma grauius vexati sunt. Iulius Obsequens. Forte tunc accidit, quod ponit Paulus Orosius hoc anno, quanquā aliis Coss. de Sergio Galba Prætoris, qui a Lusitanis magno prælio victus,

R iij

- Ab urb. cō.* vniuerso exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus euasit. Ipse quoque L. Florus ait lib. 47. his temporibus a compluribus in Hispania res parum prospere gestas.
- 601 Q. Fuluius & T. Annii Coss. primi Calendis Ianuariis magistratū inierunt, propter subitum Celtiberiæ bellum, ut ait Cassiodorus. Ex quo videtur Hispania hoc anno prouincia fuisse Consularis. Etiam L. Florus dicit comitia mutata, quod Hispani rebellarent, sed Coss. non ponit, & dicit quod anno DCCXIII. Nos aliam rationem sequimur, propter causas superius commemoratas.
- 602 M. Marcello & L. Valerio Coss. in Lusitania varie pugnati. Iulius Obsequens.
- 603 L. Lucullo & A. Posthumio Coss. Hispaniense bellū aliquoties parum prospere gestū, cum ciuitatem Romanā confudisset, tantūque Celtiberorū metus Romanos omnes inuasisset, ut nemo inueniretur, qui vel tribunus, vel legatus ire in eā prouinciā vellet, P. Scipio Æmilianus, ad quodcūque militiæ genus quod sibi imperatū foret, vltro se offerens, nō mediocriter omnium animos ad militandi studiū accendit. Quod L. Florus lib. 47. addit Vaccæos & Cantabros cū aliis populis a Lucullo subactos, non intelligo, quum certū sit, Cantabros vsque ad Augusti tempora fuisse indomitos, quemadmodum nec illud, quod ait Marcellū Lucullo successisse, quum contra manifestum sit, tam ex Cassiodoro quā ex aliis, Lucullum Marcello successisse. His Coss. fuisse Sergii Galbæ calamitatem illam quam superius posuimus, scribit Paulus Orosius lib. 4. cap. 21. atque addit eundem Galbam, cum Lusitanos circa Tagum habitantes voluntarios in deditionem accepisset, per scelus circumpositis militibus inermes incautosque prostrauisse. Quæ res vniuersæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam maximi tumultus causa fuit.
- 608 Cn. Cornelio Lætulo & L. Mummio Coss. Viriatus in Hispania genere Lusitanus, vir calliditatis acerrimæ, ex venatore, ut ait L. Florus, vel pastore, ut Paulus Orosius lib. 5. cap. 4. latro, ex latrone subito dux atque imperator, & si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus suorum libertatem defendere, magnam in Romanos stragem edidit per quatuordecim annos, & omnia citra vltraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus, & castra Prætorum & Consulium aggredi ausus, neque id irritum successu, maximo terrori Romanis fuit. Huic primo C. V. vetilius Prætor occurrit, sed cæso vsque ad internecionem pene omni exercitu, vix ipse cū paucis fuga elapsus euasit. Ex L. Floro lib. 2. rer. ab urb. cond. & Paulo Orosio lib. 5. c. 4.
- 609 Q. Fabio Maximo & L. Hostilio Coss. Viriatus C. Plautium Prætorem multis præliis fractum fugauit. Paulus Orosius ibidem.
- 610 Ser. Galba & L. Aurelio Coss. Claudius Vnimanus, cū magno apparatu belli contra Viriatū quasi pro abolenda superiore macula missus, amissis copiis vniuersis, infamiā præteritā cumulauit. Viriatus trabeas, fasces, cæteraque insignia Romana in montibus suis trophæa præfixit. Eodē tempore trecenti Lusitani cū mille Romanis acri prælio cōstiterunt, cecidere septuaginta Lusitani, trecenti viginti Romani. Lusitanis hac victoria securis ac spatibus, vnus eorū a circumfusis equitibus. Romanis pedes ipse deprehensus, equo vnus equitis lancea perfoeso, & capite ipsius ad vnū gladii ictum defecto, ita omnes metu perculit, ut prospectantibus cunctis equitibus Romanis, ipse contemptim atque ociosus abscesserit. Idem Orosius.
- 611 Ap. Claudio & Q. Cæcilio Metello Coss. hoc, opinor, anno Viriatus C. Nigidium oppressit, Prætorem, ut arbitror, Romanum, quod annotauit Plinius de viris illustribus. Viriatus hoc rerum successu tantum terrorem Romanis intulit, ut aduersus eum Consulari & duce & exercitu opus esset. Itaque rursus Hispania consularis prouincia facta est, & citerior Quinto Metello Proconsuli decreta, quod ex eo constat, quod L. Florus affirmat, illum Proconsulem in Celtiberia res gestasse, sicut mox dicemus.
- 612 L. Metello & Q. Fabio Maximo Coss. Q. Cæcilius Metellus quanta scueritate militari disciplinā seruauerit, Valerius Maximus lib. 2. c. 2. docere poterit. Sed illud in eo mihi laudabilius videtur quod idē refert lib. 5. c. 1. Metellū, dum Centobricā obsidione premeret, & Centobricenses Rethogenis filios qui ad eū transferat, machinæ ictibus obiecerunt: humanitatem propinquæ victoriæ prætulisse, atque obsidione abstinuisse. Qua clementia omnium Celtiberorum animos cepit. Eodem tem-

- dem tempore, Fabius Consul contra Lusitanos & Viriatum dimicans, Bacciam oppidum obsidione depulsi hostibus liberauit, & in deditionem cum plurimis castellis recepit. Paulus Orosius lib. 5. c. 4. Bacciam aliqui volunt esse, quæ hodie Baza dicitur, in regno Murcia, cui opinioni nō refragarer, præsertim alludente vocabulo vernaculo, nisi tam procul abesset a Lusitanis. Iulius Obsequens ait, hoc anno dubie aduersus Viriatum ab exercitu Romano dimicatum.
- Cn. Cepione & Q. Pompeio Coss. Q. Fabius Proconsul maximam Lusitaniam partem, expugnatis multis urbibus, recepit. Sed quantum Metellus clementiæ suæ decus sibi peperit, tantam contraxit Fabius crudelitatis labem. Quingentis enim principibus eorum quos societate inuitatos deditionis iure susceperat, manus præcidit: facinus etiā vltimis barbaris Scythiæ execrabile, ut ait Paulus Orosius. Valerius Maximus excusare Fabium velle videtur, quod transfugæ fuerint, quibus ea pœna sit irrogata perfidiæ suæ merito. Pompeius Cos. Numantinorū fines ingressus, cum maxima clade discessit, omni pene exercitu profligato & plurima nobilitate interempta. Paulus Orosius ibidem. Idem Termetinos subegit, & cum eisdem ac Numantinis pacem fecit. Lucius Florus lib. 54.
- Q. Cepione & C. Lælio Coss. Q. Fabius Proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. L. Florus. Sed idem ait Viriatum a Fabio oppressum. Plinius scribit hanc pacem cum Pompilio factam, in qua quum alia dedisset, arma vero retinuisset, bellum renouasse. Vt cuncta que est, Seruilius Cepio eius belli confecti gloriam captans, quū aliter vincere nō posset, duos satellites pecunia corruptis, qui Viriatū humi depositū perimerēt, atque hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse. Quæ victoria quia empta erat, a Senatu improbata, & percussores indigni præmio iudicati. Ita Viriatus qui per quatuordecim annos Romanos duces atque exercitus perierat, insidiis suorum interfectus est. Ex L. Floro, Plinio, & Orosio. Cicero lib. 2. Offic. scribit C. Lælium qui Sapiens dicebatur, hunc scilicet qui hoc anno Consul fuit, Viriatum, dum Prætor esset, fregisse & comminuisse, ferocitatemque eius ita repressisse, ut facile bellum reliquis traderet.
- 30 Cn. Pisone & M. Pompilio Coss. M. Pompilio citerior Hispania prouincia fuit, vt ex L. Floro constat, lib. 55.
- P. Cornelio Scipione Nafica & D. Iunio Bruto Coss. C. Matienus accusatus est apud Tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & tertio numo vixit. L. Florus ibidē. Iunius Brutus Cos. in Hispania is qui sub Viriato militauerant, agros oppidumque dedit, quæ Valentia vocata est. M. Pompilius Proconsul a Numantinis, cū quibus pacē factā Senatus irritā censuerat, cū exercitu fusus fugatusque. Ibidē. Hunc Pompeium alii vocant. Belli Numantini causam L. Florus ita iniustā fuisse affirmat, ut non temere vilius fuerit iniustior. Segedē ses. n. socios & cōsanguineos suos, Romanorū manibus elapsos Numantini exceperant. Habita per eis deprecatio nihil valuit. Porro cū se ab omni armorū cōtagione remouerent, in legitimi scederis precium iussi sunt arma deponere. Hoc sic a Numantinis acceptū, quasi manū abscinderetur. Itaque statim Megara viro fortissimo duce ad arma cōuersi sunt. Hacten⁹ Flor⁹ lib. 2. rer. ab urb. cond.
- M. Emilio & C. Hostilio Mancino Coss. C. Hostilio Mancino Hispania citerior aduersus Numantiam prouincia fuit, cui præter auspicia cōtraria & alia prodigia, illud quoque accidit, vt ab Herculis portu in prouinciam soluenti talis vox sine vllō autore ad aures perueniret, Mane mane Mancine. Postea victus a Numantinis & castris exutus, cum spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum iis fecit ignominiosam, quam ratam esse Senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a quatuor Numantinorū millibus victa erant, ut ait L. Florus lib. 55. Ac ne illā quidem a Numantinis obtinuisset, sed ad vnum omnes circumuerti perissent, nisi interposuisset fidem suā Tiberius Gracchus Quæstor ipsius, cuius apud Numantinos gratia magna erat, propter memoriam patris Gracchi, qui iam bellum aduersus Iberos gerens, pacem cū Numantinis firmauerat, eamque semper apud populū recte iusteque defenderat. Sed hic operæ precium est animaduertere Numantinorum fidem

Ab vrbe. & integritatem etiam aduersus hostes. Cum enim inter cæteram prædam, tabulas quoque abstulissent, in quibus quæsturæ suæ rationes Gracchus conscripserat, eaque res sollicitum eum haberet, cum quatuor familiaribus ad Numantinos profectus, rogauit eos, ut sibi tabulas reddi iuberent, ne inimicorum calumniis obnoxius fieret, si rationem administrationis suæ reddere non posset. intra urbem humaniter inuitatus & conuiuio liberaliter exceptus, non solum tabulas suas recepit, sed potestatem etiam, ut ex præda quicquid vellet, secum deportaret. Autor Plutarchus in vita Gracch. Eodem anno D. Junius Proconsul Lusitaniam urbium expugnationibus vsq; ad Oceanum perdomuit, & quum fluuium Oblitiuonem transire milites Romani nollent, male de nomine fluuii ominantes, raptum a signifero signum ipse transfudit, & sic, ut transgrederebantur, persuasit. Hæc fere L. Florus lib. 55. Vbi illud notandum, quod Romani in expugnâdis Bracarum quadraginta annos desudauerunt. Tot enim numerantur ab eo anno, quo primum L. Posthumius aduersus eos pugnaſſe legitur. Abest vero Oblituius siue Limia fluuius, Lethen Græci appellant, ab Augusta Bracarorum metropoli leucis quinq; ut vulgari more loquar. Illud quoq; non prætermittendum, quod cum tota pene Lusitania se Bruto dedidisset, sola Cinania pertinaciter arma retinens, tæta redemptio, propemodum vno ore legatis respondit: ferrum sibi a maioribus, quo urbem tueretur, non aurum quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum. Melius sine dubio, inquit Valerius Maximus lib. 6. c. 4. homines nostri sanguinis hæc dixissent, quæ audissent. 20

618 P. Furio & Sex. Artilio Serrano Coss. P. Furio provinciam Hispaniam sortitus, Q. Metellum, & Qu. Pompeium consulares viros, & ipsi vehementer inimicos, legatos secum ire coegit, fiduciam non solum fortem, sed pene etiam temerariam exhibens, quæ duobus acerrimis odiis latera sua cingere ausa est, vsq; ministerium vix tutum in amicis, e sinu inimicorum petere sustinuit. Valerius Maximus lib. 3. c. 7. Decius Iunius Brutus feliciter aduersus Gallicos pugnavit. Nam sexaginta millia eorum qui Lusitanis auxilio venerant, at peritimo bello & difficili, quum incautos circumuenisset, oppressit. M. Æmilius Lepidus Proconsul, Vaccæos innoxiam gentem, & supplicem, etiam prohibente Senatu, pertinaciter expugnare tentauit. Sed accepta clade non minus turpi quam Numantina, grauissimas improbæ pertinaciæ pœnas dedit, sex millibus Romanorum iustissime cæsis: reliqua castris exuti, armis etiam perditis vix euaserunt. Ex L. Floro. lib. 56. & Paulo Oroſio lib. 5. cap. 4. qui addit, his præliis aduersus militem Romanum ita hebetatum, ut cõspecto Hispano, hostem diffugiens, vinci se prius crederet, quàm videri. Idem affirmat L. Florus, ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quenquam sustinere potuisse. Hoc anno ad soluendum Numantini fœderis religione popululum Romanum, Mancinus turpissimi fœderis autor deditus est Numantinis, & nudato corpore, manibus à tergo reuinctis, ad portas Numantinorum est expositus, ibiq; vsq; ad noctem manens, a suis desertus, ab hoste autem non susceptus, lachrymabile vtriusq; spectaculum præbuit. Quod a Romanis iniuste factum, & eos a Numantinis non tantum fortitudine, sed etiam iustitia, fide, misericordia victos, non minus erudite, quam vere disputat Paulus Oroſius lib. 5. c. 4. & 5. Atq; ita sane est, quantum tuis excusare Romanos Cicero nitatur lib. 3. Offic. Numantini Mancini deditioem non recipientes, aut inuiolatam pacem solam, aut omnes quos pignore pacis accepto viuos dimiserant, reposebant. Idem. Hoc tempore tribus exercitibus Consulibus res in Hispania gestæ, nimirum a Furio Cof. & duobus Proconsulibus. tanta erat moles belli.

619 Ser. Fulvio & Q. Calphurnio Coss. viri Cõsulum Hispania provincia fuerit, an M. Æmilio prorogatum imperium, quod ex accepta clade non est verisimile, quia scriptum non inuenio, affirmare non possum. Illud tantum Iulius Obsequens memorie prodidit, apud Numantiam res male gestas, exercitum Romanum oppressum.

620 Cum vicio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est vltro Scipioni Africano a Senatu populoq; Romano Consulatus, cum Candidatus non esset, eiq; sine sorte bellum contra Numantinos decretum. Igitur Consul simul cum C. Fulvio Flacco factus, atque in Hispaniam profectus, primo militarem

tarem disciplinam restituit, & quæcumq; voluptatis causa comparata erant, summovit, exercitumq; ad quosuis subeundos labores exercuit: deinde commisso prælio, primo Numantinos Romani fugere, deinde increpatione & minis Consulibus incitati, eosdem, quod nunquam quisquam sperare ausus esset, videre fugientes. Scipio vltra bellum cum eis audendum non esse professus, obsidione Numantiam conclusit, & fossa circumdedit. Ex Valerio Maximo, L. Floro, & Paulo Oroſio. Quid sibi velit L. Florus, quum ait Scipionem Consulatum factum, solutum ea lege quæ verbatum quendam intra decem annos iterum Consulatum fieri, non intelligo: quia inter primum Scipionis Consulatum, quo Carthaginem deleuit, & secundum, quatuordecim intercesserunt anni. Vaccæi obsessi, liberis & coniugibus trucidatis, ipsi se interemerunt, ut ait L. Florus, sed a quibus fuerint obsessi, non addit. Nam Scipioni satis aduersus Numantinos negotii fuit.

C. Mutio & L. Calphurnio Coss. Numantini diu conclusi & fame trucidati, deditioem sui obtulerunt, si tolerabilia iuberentur. Sed cum Scipio veram & sine exceptione victoriam vellet, neque iustæ pugnæ facultatem daret, ut tanquam viris mori liceret, tandem repleti carne semicruda & cælia (ea erat ex frumento portio a calefaciendo sic dicta) duabus portis eruperunt, & atrox certamen atque vsque ad periculum Romanorum ediderunt. Ex eo prælio compositis ordinibus, nec sicut fugientes, in urbem reuersi, postremo destinata morte, clausam urbem ipsi introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atq; igne consumpti sunt. Ita Numantia quæ per annos quatuordecim sola quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta Romanorum millia non solum sustinuit, sed etiam vicit, pudendissq; fœderibus affecit, oppressa nullum de se gaudium hosti reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit qui in catenis duceretur, neque vnde triumphum dederit, Roma vidit. Præda, ut de pauperibus, nulla, arma & vestes ignis absumpsit, triumphus tantum fuit de nomine, imo Romani se magis euasisse, quam vicisse Numantinos dixerunt. Ex L. Floro, & Paulo Oroſio. Erat Numantia urbs in modico colle sita, non procul ab amne Durio, sine muro ac turribus, ut ait L. Florus, quamuis Paulus Oroſius muros habuisse dicat. Erat prope urbem, quæ nunc appellatur Soria. Multi affirmant fuisse Zamoram, quod quam falsum sit, Plinius ostendit, qui ortum Durii fluuii circa Numantiam ponit. Illud quoq; non abs re videtur admonere, nonnullos etiam celebres eruditione viros, loco Pomponii Melæ male distincto, sed peius intellecto falsos, Numantiam dixisse, & in prælectionibus suis exposuisse Cæsaraugustam. Locus Pomponii Melæ lib. 2. c. 6. sic habet: In Tarraconensi clarissima fuerunt Pallantia & Numantia, nunc est Cæsaraugusta. Dicit Pomponius, Cæsaraugustam suo tempore clarissimam fuisse Tarraconensis mediterraneæ urbem, quemadmodum olim Numantia fuerat, non quod quæ olim Numantia dicta esset, tunc diceretur Cæsaraugusta.

P. Popilio & P. Sulpitio Coss. Scipio, cum deleta Numantia per cæteras Hispaniarum gentes pacem componeret, Tiresum quendam Celticum principem consuluit, quæ ope Numantia aut prius inuicta durasset, aut post fuisset euerſa. Tiresus respondit, Concordia inuicta, discordia exitio fuit. Paulus Oroſius lib. 5. c. 8.

Q. Cæcilio Metello & T. Quintio Coss. Q. Metellus Cof. Baleares insulas quas Græci Gymneas, hodie Hispani Maioricam & Minoricam appellant, bello peruagatus edomuit, & piraticam infestationem quæ ab iisdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde compressit. Paulus Oroſius lib. 5. c. 13.

Hoc anno aut circiter, quantum ex Plutarcho in vita Marii colligere licet, C. Marius, is qui postea septies Consul fuit, Prætor vltioris Hispaniæ, provinciã latrocinii repurgauit, atq; effecit ut prædari non amplius honestum putarent.

P. Attilio, vel (secundum Cassiodorum) Rutilio & C. Manilio Coss. exercitus Romanus a Lusitanis cæsus. Iulius Obsequens.

C. Mario III. & C. Fl. Fimbria Coss. Cimbri vastatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt, reuersiq; in Galliam, bellicosus Theutonius se iunxerunt. L. Florus lib. 67.

- Aburb.cõ.* C. Mario IIII. & Q. Luctatio Coff. Lusitanis deuictis, Hispania vltior paca-
652 tafuit. Iulius Obsequens.
- 655 M. Antonio & A. Posthumio Coff. Lusitani rebellantes subacti. Iulius Obsequens. Idem ait, eodem anno parum prospere in Lusitania a Romanis pugnatum. Eodem anno L. Cornelius Dolabella Proconsul triumphauit ex Hispania vltiore de Lusitanis, 5. Kalend. Februarias, vt patet ex quinta tabula virorum triumphalium. Porro hunc in catalogo Consulatum non inuenio: proinde aut Prætorem aut Proconsularem imperio missum arbitror. Nam superius admonuimus T. Liuium sine discrimine eosdem nunc Prætores, nunc Proconsules appellare.
- 656 Q. Metello & T. Didio Coff. Hispani variis præliis deuicti. Iulius Obsequens. 10
- 657 Cn. Cornelio Lentulo, & P. Licinio Crasso Coff. Celtiberi subacti. Idem.
- 660 T. Didius Proconsul ex Hispania triumphauit de Celtiberis, 4. Idus Iunias. P. Licinius Crassus Proconsul triumphum egit de Lusitanis, pridie Idus Iunias. Ex quinta tabula virorum triumphalium. Huius Crassi meminit & Asconius Pedianus. Ex his apparet, hoc quoque tempore in Hispania duos fuisse exercitus Consulares, & T. Didio per quatuor annos, P. Crasso per tres fuisse prorogatum imperium. Sub hoc T. Didio tribunus militum fuit Sertorius, vt ait Plutarchus in vita eius. Eodem anno Hispani principes qui rebellabant, per Nasicam supplicio consumpti, dirutis vrbibus. Iulius Obsequens.
- 668 L. Cinna II. & C. Mario VII. Coff. M. Crassus quum videret patrem & fratrem a Cinna & Mario occisos, idem periculum metuens, tribus tantum comitibus & decem seruis assumptis, quanta maxima potuit celeritate, in Hispaniam contendit, vbi olim sub patre Imperatore militans, permultos amicos sibi comparauerat, atque in agro quodam maritimo, in spelunca quadam latitauit. vbi quanta fide ac benignitate habitus a Vibio Paciano, cuius ager ille erat, qui scire voluit, Plutarchum in vita eius consulat. Latuit ibi menses octo, donec de morte Cinnae nuncium accepit.
- 673 Q. Sertorius, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, vt inquit L. Florus, quum Marianarum esset partium, Syllam fugientem in Hispaniam se contulit. inde cum in Africam, & Baleares insulas, atq; ipsas etiã Fortunatas penetrasset, reuersus in Hispaniam, delatum a Lusitanis accepit imperium, atq; Hispaniam totam armauit, & varios Romanorum duces atq; exercitus, partim per se, partim per duces suos, & præcipue Herculeum Quæstorem vicit ac fudit, ipsum quoque Metellum Pium Proconsulem, virum ætatis suæ amplissimum, in eas angustias redegit, vt L. Lollius ex Narbonensi prouincia auxilio venire cogeretur, Pompeius Magnus Proconsulari imperio cum summa festinatione adiutor Metello mitteretur. Ex L. Floro, Plutarcho, & Orofio. 30
- 677 Hoc anno Pompeius missus in Hispaniã, vt colligitur ex Plutarcho in vita Luculli, & epistola ipsius Pompeii ad Senatum, quæ addita est Salustio. Eodem anno, nempe M. Emilio, & D. Bruto Coff. Didius Lælius Legatus Pompeii aduersus Sertorium, occisus inter pabulatores. Iulius Obsequens. 40
- 678 Cn. Octauio & C. Scribonio Coff. exercitus Romani a Sertorio in Hispania cæsi. Idem.
- 683 Sertorius hostis Metello & Pompeio ita par, vt sapius victor, adeo grauis Romanis exercitibus imminabat, vt Metellus præmia publice, nec ea mediocria statueret, si quis Sertorium occideret, conatus prodicione consequi, quod bello non poterat. Ita Sertorius anno ducatus sui decimo domestica fraude oppressus, a M. Perpenna & aliis coniuratis occisus in conuiuio, bello finem fecit, & Romanis vltoriã sine gloria dedit. Omnes Sertorianæ necis cõscii partim a Pompeio, partim a Maurusis interfecti sunt, neq; quisquã euasit, præter vnum Aufidiũ, qui in quadã villa barbara inops inuisusq; consenuit. Ex L. Floro lib. 98. & 3. rer. ab vrb. cond. Plutarcho in Sertorio, & Paulo Orofio lib. 5. c. 23. Hic mihi temperare non possum, quin adscribam Pauli Orofii verba, quæ in singularem Hispaniæ laudem habent ad hunc modum: Fortis fide ac viribus semper Hispania, cum optimos inuictissimosq; Reges suos ad deditionem Reip. dederit, nullum vnquam tyrannorum ab initio

ab initio vsq; in hodiernum diem, vel de se editum misit, vel in se extrinsecus incurrentem viuum potentemue dimisit. Hactenus ille. Hic Sertorius gymnasium in Osca vrbe instituit, in quo nobilium filios, traditis præceptoribus, Græcis ac Latinis literis erudiri curauit. Plutarchus in vita eius. Huic Sertorio Eborenses ciuitatis suæ primordia accepta ferunt, & aquæ ductum in signem aquæ Argenteæ, vt patet ex inscriptione marmoris antiqui: quod se vidisse ac optima fide transcripsisse affirmat Resendius noster, mihiq; pro suo singulari candore in hanc formam transcriptum dedit.

10

Q. SERTOR.

HONOREM NOMINIS SVI. ET COH. FORT. . .
EBORENSVM MVNIC. VET. EMER. VIRTVTIS ERGO. . .
DON. DON. BELLO CËLTIBERICO. DEQVE MANVBIIS. . .
IN PVBLIC. MVNIC. EIVS VTILITATEM. VRB. . .
MOENIVIT. EOQVE AQVAM DIVERSEIS IN DVCT. . .
VNVM CONLECTEIS FONTIB. PERDVENDAM CVRAV. . .

- 20 Erat in atcu Eboræ, ad portam nouam. Ex qua inscriptione videtur Eboræ Sertorio antiquior esse.
Sertorio occiso, ciuitates omnes Hispaniæ vltro ac sine mora in deditionem venerunt, duæ tantum restiterunt, Vxama & Calagurris: quarum Vxamam (hodie Osma) Pompeius euertit, Calagurrim Afranius iugi obsidione confectam, atque ad infameis efcas miseranda inopia coactam, vltima cæde incendioq; deleuit. Ex Paulo Orofio. De qua re vide Valerium Maximum, qui Calagurrim a Pompeio obsessam scribit lib. 7. cap. 6. Cn. Pompeius edomita Hispania & ad triumphum redire festinans, Pompelonem sue Pompeiopolin de nomine suo condidit, vt ex D. Hieronymo contra Vigilantium patet.
- 30 Q. Metello Cretico & Q. Hortensio Coff. P. Piso Proconsul de Hispania triumphauit. Asconius Pedianus in orat. contra Pisonem. 685
L. Cæsare & C. Martio Figulo Coff. Cn. Piso adolefcens perditus, quia cum Catilina creditus est coniurasse ad cædem Senatus faciendam, in Hispaniam a Senatu per honorem legationis ablegatus, dum iniurias facit prouincialibus, occisus est, vt quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non inuito. Idem in oratione contra Anton. & Catil. Eius rei meminit Suetonius Tranquillus in Cæsare cap. 9. qui ait etiam C. Iul. Cæsarem cum Pifone conspirasse, & Pifoni Hispaniam prouinciam ob suspicionem vrbanae coniurationis vltro extra ordinem datam. Huius rei meminit & Salustius in Catilinaria. 690
- 40 Q. Calidius M. Calidii oratoris pater, circa hæc tempora Præturam gessit Hispaniæ. Asconius Pedianus in 2. Act. in Verrem. 692
Eodem fere tempore, Tubero quidam Prætor fuit vltioris Hispaniæ, cuius C. Iulius Cæsar Quæstor in ea prouincia fuit, vt autor est Plutarchus in Cæsare. Quo tempore Cæsar Gadibus animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in ea ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset. Suetonius cap. 7. 693
- 50 Q. Metello & L. Afranio Coff. C. Iulius Cæsar Prætor vltiorem sortitus est Hispaniam: & Tuberonis filium Quæstorem suum creauit. Quo anno Gallecos & Lusitanos Romano subiecit imperio, & bellicis rebus optime constitutis, togatas nihilo deterius in pace disposuit: præcipue vero finiendis debitorum creditorumq; disceptationibus intentus, iussit, vt ex debitorum prouentibus duas quidem creditorum partes singulis annis defumeret, reliqua dominus, quod ad æri alieno satisfecisset, frueretur. Quibus rebus magna sibi parta gloria, quum Romæ Comitibus Consularibus rediisset, neq; vt per amicos absentis sibi Consulatum petere liceret,

- Ab urb. cō.* impetrare potuisset, Catone præsertim aduersante, omisso triumpho cuius gratia extra urbem aliquandiu moratus de more fuerat, ad Consulatum ingressus animum adiecit, neque id irritum conatu. Suetonius & Plutarchus. Iulius Obsequens ait, hoc anno Lusitanos & Gallicos fuisse deuictos.
- 695 C. Iulio Cæsare & M. Calpurnio Bibulo Coss. triumuiratus ille & societas inter Pompeium, Cæsarem, & Crassum coit, & Cæsar Galliam, Crassus Asiam, Pompeius inuasit Hispaniam, quam postea per legatos administravit, ut ait Plutarchus in Cæsare & Catone. Ex L. Floro, lib. 4. rer. ab urb. cond.
- 696 L. Pisonem & A. Gabinio Coss. hoc anno, nempe quo exulauit Cicero, P. Lentulus citeriorem Hispaniam cum imperio obtinuit Prætor, ut ego opinor. Nam sequenti anno Consul fuit. Ex epistola Ciceronis 9. libri primi.
- 698 Cn. Lentulo & L. Philippo Coss. Q. Metellus Nepos Proconsul fuit Hispaniæ, ut ex Plutarcho colligitur in Cæsare. Eodem anno Aquitani aduersus Romanos pugnaturi, missis legatis auxilia & duces ex Hispania accersuerunt, & eos præcipue duces bello præfecerunt, qui vna cum Sertorio militauerant. Ex Commentariis Cæsaris, & Paulo Orosio, lib. 6. c. 8.
- 705 L. Lentulo & M. Marcello Coss. Pompeius vtramque obtinebat Hispaniam, quas per legatos administrabat. Ii fuere L. Afranius, M. Petreius, & Marcus Varro qui vltiorem regebat Hispaniam. Contra quos Iulius Cæsar exardescens iam civili bello profectus, multis præliis Petreium Afraniumque superatos composita fœderis pactione dimisit, duas legiones a Marco Varrone recepit, totamque Hispaniam sibi pacificauit, idque quadraginta diebus, postquam in Hispaniam & hostium conspectum venerat. Ex Commentariis Cæsaris, Plutarcho, & Paulo Orosio, lib. 6. cap. 15.
- 706 C. Iulio Cæsare Cof. & Dictatore, per annos aliquot Hispanias ipsius auspiciis rexere, M. Lepidus Proconsul citeriorem, Q. Cassius vltiorem. Ex Commentariis Cæsaris, lib. 4. de bello Alexandrino
- 708 Q. Furio & P. Vatiniano Coss. quo anno in pugna Pharsalica victus fuit Pompeius, Q. Cassio qui ob insignem auaritiã exorsus erat prouinciã, succedit C. Trebonius, Proconsul factus vltioris Hispaniæ. Ex iisdem.
- 710 C. Iulio Cæsare IIII. & Fabio Maximo Coss. Q. Fabius Cof. triumphauit ex Hispania tertio Idus Octobris, ut patet ex sexta tabula virorum triumphalium. Huius sit mentio in Commentariis Cæsaris. Eodem anno Cæsar in Hispaniam contra filios Pompeii qui bellum ibi instaurauerunt, proficiscitur, eosque apud Mundam Bæticiã urbem vicit, tam ancipiti prælio, ut Cæsar publice testatus sit, sæpe alias se pro victoria, sed tunc pro vita dimicasse. Hæc victoria eodem die parata est, quo Pompeius pater ante annos quatuor bellum gesturus ab urbe aufugerat. Ex Plutarcho in Cæsare, & Paulo Orosio, lib. 6. c. 16.
- 712 Q. Pedius M. F. Proconsul hoc anno, vel sequenti, triumphauit ex Hispania Idibus Decembris, ut patet ex tabula sexta virorum triumphalium.
- 713 M. Lepido & L. Planco Coss. M. Æmilius Lepidus II. III. vir R. P. triumphauit ex Hispania. Ibidem.
- 717 Cn. Domitius Caluinus Proconsul, ex Hispania triumphauit decimo sexto Kalend. Sextiles. Ibidem. Videtur prorogatum illi fuisse imperium. Nam triennio ante Consul fuerat.
- 719 C. Norbanus Flaccus Proconsul, ex Hispania triumphauit quarto Idus Octob. Ex eadem tabula. Hic quoque triennio ante Consul fuerat.
- 721 Hoc anno C. Asinius Pollio imperium videtur habuisse vltioris Hispaniæ, ut patet ex lib. 10. epist. famil. Cicer. vbi sunt tres ipsius epistolæ Cordubæ scriptæ.
- 726 Augusto VI. & M. Agrippa II. Coss. Imperator Augustus parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros atque Astures, fortissimas Hispaniæ gentes, suis vti legibus fineret, aperuit Iani portas, & in Hispanias ipse cum exercitu profectus, eos intra quatuor annos, vel per se, ut Paulus Orosius lib. 6. c. 21. vel per legatos suos Antistium, Firmium, & Agrippam, quum ipse in Tarraconis maritimis hybernaret, ut ait L. Florus lib. 4. rer. ab urb. cōd. domuit, & legi-

- & legibus ad cultiorem vitæ usum traductos, in prouinciæ formam redegit, ut auctor est Iustinus lib. 44. Tunc Augustum apud Tarraconem legati Indorum & Scytharum cum muneribus adierunt, quemadmodum olim Alexandrum Magnum Hispanorum Gallorumque legati apud Babylonem contemplatione pacis adierant. Ex Orosio & L. Floro. Augustus pacata Hispania in Italiam rediturus, milites qui ætatem militarem excedebant, & emeriti erant, in ea prouincia reliquit, concessitque eis ut in Lusitania urbem conderent, quæ a militibus emeritis Emerita dicta est, ab Augusto Augusta cognominata, hodie seruatò vocabulo Merida dicitur. S. Isidorus & Calepinus ex Diomede. Tunc quoque Cæsar Augusta, quæ Saludaba prius dicebatur, ab eodem Augusto amplificata nomen accepit, ut annotauit episcopus Gerundenfis, & ex Pomponio Mela facile colligitur.
- C. Augusto Cæsare VI. & M. Agrippa Coss. Sex. Appuleius Proconsul ex Hispania triumphauit 7. Kal. Febr. ut patet ex septima tabula virorum triumphalium.
- Hoc anno, qui fuit Augusti Cæsaris trigessimus quintus, C. Iulius Hyginus cognomento Polyhistor, Grammaticus insignis clauit, quem Suetonius Hispanum fuisse affirmat, licet aliqui Alexandrinum fuisse velint.
- Hæc hæcenus de Hispanorum & Romanorum in Hispania rebus gestis, vsque ad Iesu Christi seruatoris nostri natiuitatem, inuenire magno labore potui, quæ te precor candide lector, ut boni consulas.

20

Quomodo administrata sit Hispania a Natiuitate Christi vsque ad Gothos: & Catalogus Imperatorum qui imperauerunt Hispania, donec a Gothis occupata est. Caput XIII.

- ATQVE ad hunc quidem modum per Consules, Proconsules, & Prætores administrata est Hispania, vsque ad natalem Christi salutiferum. Postea quoque eandem fere administratæ Hispaniæ rationem inuenio, p̄tòpe vsque ad tempora Maximiniani & Diocletiani Imperatorum. Nam & sub Tiberio Cæsare, L. Pisonem citerioris Hispaniæ Prætor lego apud Cornelium Tacitum, & in ff. tit. de abigeis, Diui Adriani Augusti rescriptum ad Consulem Bæticiæ, atque ad l. Corneliam de Sicariis, eundem Imperatorem Ignatii Taurini Proconsulis Bæticiæ factum reperio comprobasse. Inuenio & Præsidem Hispaniæ Menium Probum, ff. de interdictionis & relegatis: sed hoc nomen generale erat, & ad omnes qui prouincias regebant, quo cunque ordine aut titulo censerentur, pertinebat, sicut docetur in titulo de officio præsidis. Strabo auctor est, suo tempore (vixit vero temporibus Augusti & Tiberii) Bæticiam plebi attributam fuisse, ad quam mitteretur Prætor, qui Legatum haberet & Quæstorem: reliquã Hispaniam Cæsaris fuisse, ad quam duos Legatos mitti solitos, Prætorium, & Consulare: Prætorium, qui alterum secum Legatum habebat, Lusitanis Bæticiæ vicinis ad Durium vsque ius dixisse: quod reliquum esset Hispaniæ, Prætori siue Legato Consulari subditum fuisse, haud indignum habenti exercitum, tribus ordinibus ac tribus Legatis instructum quorum vnus cum duobus ordinibus trans Durium Callicos, Astures & Cantabros, alius alteram Hispaniæ citerioris maritimam partem, tertius interiorẽ prouinciã seruabat, & in pace atque Italica viuendi forma continebat, adeo ut etiã togata subinde veste vteretur. Imperatorem in oris maritimis, maxime ad Carthaginem & Tarraconem iurisdictionem agitare solitum, idque præcipue tempore hyberno. Nam æstiuo aliquam prouinciæ partem obire consueffit, intuentem quæ emendationis indigerent. Et hæc quidem tempore Strabonis. Sed postertus, Imperatoribus omnia sibi vendicantibus, prouinciæ quoque ipsorum arbitrio ac nutu administratæ sunt, neque semper eodem modo. Namque Hispania, primis illis Imperatoribus regnantibus, in duas etiam tum diuisa prouincias, postea vna tantum prouincia facta, & per vnũ recta, sed qui varios haberet legatos & tribunos. Circa tempora Maximiniani & Diocletiani per Comites cœpta est regi, quos si abesse prouincia quacunque de causa contingeret, per vicarios regebatur: ut ex variis titulis Codicis Iustiniani constat, vbi reperimus Seuerum Comitẽ Hispaniæ, tit. de fide instrumentorũ, l. 14. & tit.

de Seruis fugitiuis, lex est, nempe sexta, Imperatoris Constantini ad Tiberium Comitem Hispaniæ. Qui Tiberius videtur ex vicario factus Comes Hispaniæ. Nā in eodem Codice de Donationibus ante nuptias, lex est eiusdem Imperatoris ad Tiberium vicarium Hispaniæ. Sed & in tit. de acquirenda & retinenda possessione, lex est A. A. Arcadii & Honorii, ad Petroniū vicariū Hispaniæ. Postremo vero tempore Gothorum, quæ portio Hispaniæ Romanis obtemperabat, per Duces & Præfectos administrata est: quanquam ea sane perexigua pars erat, nimirum maritima Carthaginensis prouinciæ, & Cantabriæ, atque Asturiarum pars, vt ex ipso Chronico constabit. Nunc vero ponamus catalogum eorum Imperatorum qui totius Hispaniæ imperium habuerunt, quorum merito primus numeratur Augustus, quippe qui primus, de uictis Cantabris & Asturibus, imperium totius Hispaniæ Romanis dedit, a quo tempore catalogi nostri initium faciemus.

1 Octavius Augustus an. 36. nempe a domitis Cantabris & Asturibus.	25 Gordianus an. 6.	
2 Tiberius an. 23.	26 Philippus an. 7. Sulpitio & Isidoro tantum 6.	
3 Caius Caligula an. 3. men. 10. dies 8. vt ait Suetonius.	27 Decius an. 1. men. 3.	
4 Claudius an. 13. men. 8. dies 20.	28 Gallus & Volusianus an. 2. men. 4.	
5 Nero an. 13. men. 8. dies 14.	29 Valerianus & Gallienus an. 15.	
6 Galba men. 7.	30 Claudius an. 1. men. 9.	20
7 Ottho men. 3.	31 Aurelianus an. 5. men. 6.	
8 Vitellius men. 8.	32 Tacitus men. 6.	
9 Vespasianus an. 10. dies 10.	33 Probus an. 6. men. 4.	
10 Titus an. 2. men. 2. dies 20.	34 Carus cum filiis an. 2.	
11 Domitianus an. 15. men. 5.	35 Diocletianus & Maximianus an. 20.	
12 Nerva an. 1. men. 4.	36 Galerius an. 2.	
13 Traianus an. 19. men. 6. Secundum aliquos an. 20.	37 Constantinus an. 30. men. 10.	
14 Adrianus an. 21. Alii tribuunt illi an. 20.	38 Constantinus, Constantius, & Constans, an. 24. men. 5. dies 12.	
15 T. Antoninus Pius an. 23. Bedæ & S. Isidoro an. 22.	39 Iulianus an. 2. men. 8. Isidoro & aliis an. 1. men. 8.	30
16 M. Antoninus an. 19. men. 1.	40 Iouinianus men. 8.	
17 Commodus an. 13.	41 Valentianus & Valens an. 13. men. 5. Alii an. 14.	
18 Helius Pertinax men. 6. Alii tantum 85. dies.	42 Gratianus cū Valentiano fratre an. 6.	
19 Seuerus an. 18.	43 Valentianus cum Theodosio an. 7.	
20 Antoninus Caracalla an. 6. Bedæ & Isidoro 7.	44 Theodosius cum filiis an. 3.	
21 Macrinus an. 1. Aliqui addunt men. 2.	45 Arcadius cum Honorio an. 13.	
22 M. Aurelius Antoninus an. 4.	46 Honorius cum Theodosio fratris filio an. 16. alii 15.	40
23 Alexander an. 13.		
24 Maximinus an. 3.		

De Vandalis, Alanis, & Sueuis. Caput XIII.

Vandali, Sueti, Alani Scythicæ originis populi, atq; a Gothis pulsi suis sedibus, e patria in Pannoniam, quam a Constantino acceperunt, inde euocati a Stilicone in Galliam transierunt: e Gallia metu Gothorum in Hispaniam se receperunt, qua post miserandam duorum annorum stragem tripartito inter se diuisa, Vandali & Sueui Galleciam possederunt, Vandali Silingi Bæticam, Alani Lusitaniam & Celtiberiam, quæ sola in Romanorū permanerat fide, & Reges habuerunt, eos qui sequuntur: Sueui Hermericum, Alani Athacem, Vandali Silingi Gundericum. Alani cum Rege suo Athace a Romanis, auxiliante Walia Gothorum Rege, ad interuentionem pene cæsi, in Gunderici Regis fidē recepti, Sueuis se iunxerunt, neq; postea

postea Regem aut regionem propriam habuerunt. Vandali relicta Hispania metu Gothorum, decimo nono anno quatuor in eam venerant, in Africam concesserunt. Ex quo tempore duo in Hispania regna fuere, Gothorum & Sueuorum: pars tamen aliqua, nempe Celtiberia, Romanis parebat, quam Gothi paulatim carpentes, tandem imperio suo totam adiunxerunt.

De Gothorum & Sueuorum Regibus. Caput XV.

GOTHORVM historiam vsque ad captam ab Alarico urbem Romam, elegantissime pariter atque eruditissime rededit in compendium Ioannes Ludouicus Viues, & doctissimis suis in libros D. Augustini de ciuitate Dei commentariis præposuit. Nos ea tantum hic ponemus, quæ sunt instituto nostro necessaria. Gothos Scythiæ populos esse, & eos qui olim Getæ appellati sunt, apud quos Ouidius exulasse se scribit, multi volunt. In hac opinione sunt D. Hieronymus in quæstionibus super Genesim, Paulus Orosius lib. 1. cap. 16. D. Isidorus, ipse etiam Claudianus, qui bellum quod Suilico contra Alaricum Gothorum Regem gessit, Geticum appellat. Sidonius quoque Apollinaris passim Gothos Getas appellat. Sunt tamen qui Gothos longissime a Getis distare contendunt, quippe Sarmatis interiectis & mari Sarmatico siue Gothico. Vt ut est, hi populi Romanis prouinciis sepe graues & infesta multis Romanis Imperatoribus cruentis attriti fuere præliis, sed a Constantino Magno tanta clade affecti, vt per multos annos coegerent agere quietem. Postea tempore Valentis Imperatoris, Gothi ab Hunnis, qui & ipsi Scythicæ populierant, sed immaniores, sedibus suis pulsi, supplices ab Imperatore petierunt, vt liceret sibi stipendiariis Po. Ro. Mysiam citra Danubium flumen incolere, fidem & auxilium solum aduersus reliquorum Scythiarum incursum Po. Ro. polliciti. Quare impetrata, quum a Lupicino & Maximo, qui Diuumi diuidendis agris missi erant, auare crudeliterque tractarentur, impatientes atque efferati tanta indignitate, cæsis Romanis ducibus & præsidio, Mysiam totam inuadunt, atq; in Thraciam proximam transeunt, omnia ferro ac flammis late populantes. Quibus Valens Imperator cum iusto exercitu profectus obuiam, Romanis suis fugatisq; ipse saucius, dum fuga sibi salutem quaerit, in villula quadam viuis a Gothis iusto Dei iudicio crematur, vt suo loco dicemus. Impetus vero Gothorum qui iam Byzantium obfidione premebat, Valentiani Augusti virtute paulisper retardatus est, vsq; diu Theodosius ex Hispania accitus, & cōsors factus imperii, ita eos multis præliis fregit, vt supplices pacem petere coegerit. Tandem post mortem Theodosii, a Rufino & Stilicone, qui tutores Arcadio & Honorio relictis, alter sibi, alter filio imperiū quaerebant, & ita demum se voti compotes fieri posse credebant, si reip. statum quā maxime turbarent: ab his, inquam, Gothi in Italiam contra Romanos acciti, magnitudo ubiq; terrorem fecerunt. Sed ea quoque re infelicitate cedente, tandem fraude Stiliconis Imperatori detecta, & pactis induciis, Gallias Hispaniasq; ad habitandum obtinuerunt, quas Imperator instantibus barbaris aliis, se retinere posse, desperabat. Quæ præterea de Gothis dicenda erant, suis locis referentur. Illud tamen in præsentia omittendum non est, quod Gothi morte Regis sui Hermarici, qui illis imperauit tempore Constantini Magni, in Ostrogothos & Vesogothos diuisi sunt, hoc est Orientales & Occidentales Gothos. Vesogothos Nicephorus Hypogothos appellat. Fuere præterea inter eos duæ illustrissimæ regniq; familiae: inter Vesogothos Balthei, a moribus sic vocati, ita enim apud eos appellantur audaces: inter Ostrogothos vero Amali, ab Amalo summo duce & Rege sic nuncupati. Vesogothi per Italiam in Galliam, inde in Hispaniam venere, atq; in eā regnū per annos plus minus trecentos octoginta sex possederunt, donec a Mauris pene vsq; ad vnum oēs deleri sunt. Ostrogothi vero Zenonis Imperatoris tempore in Italia regnare coeperunt. Sed quoniam Sueti per multos annos in Hispania diuisim a Gothis regnum Galleciæ possederunt, catalogum Regum vtriusque gentis simul ponemus, initio facto ab Athanarico Gothorum Rege, sicut scriptores omnes Hispani faciunt, tametsi primus in Hispaniam venerit Athaulphus.

An. dō.	Reges Gothorum in Hispania.	indigni, quorum nomina in animis ho- minum vigerent.	An. dō.
369	Atharicus an. 13.	Theodimirus Catholicus an. 6.	563
382	Alaricus an. 28.	Miro an. 13.	569
411	Athaulphus an. 6.	Eboricus an. 2.	582
416	Sigericus an. 1.	Andeca tyrannus.	584
417	Wallia an. 22.	Sueuorum regnum deletum est tempore Leo- uigildi Gothorum Regis, post quā regna- uerunt in Hispania annis centum septua- ginta septem, ut autor est D. Isidorus.	585
439	Theodoredus an. 14.	Reges Gothorum & Sueuorum.	
453	Thurismundus an. 1.	Recaredus primus Gothorum Regum Catho- licus an. 15.	586
454	Theodoricus an. 13.	Loiba an. 2.	601
467	Euricus an. 17.	Victericus an. 7.	603
484	Alaricus an. 23.	Gundemirus sive Gundemarus an. 7.	610
507	Gefalaricus an. 4.	Sisebutus Rex Christianissimus annis octo, 612 mens. sex.	612
511	Theodoricus Italia Rex, pro nepote regnat in Hispania an. 15.	Recaredus, secundum alios men. 3, secundum alios 7. Constantinus Phrygia dicit, quod anno vno, mensibus quinque.	620
526	Amalaricus an. 5.	Cimila, qui primus Hispania monarchia ha- buit, Romanis in totum pulsus 10.	621
531	Theudius an. 17. men. 5.	Sisnandus an. 5.	631
548	Theudiscus an. 1.	Cimila an. 6.	636
549	Aguila an. 5.	Tulcas an. 2.	642
554	Athanagildus an. 14.	Cindasvimbis an. 6.	644
	Interregnum quinque mensium.	Reccesvimbis an. 24.	650
568	Luibā sive Loyba an. 1.	Bamba, aliis dictus Wamba. an. 8. Aliis an. 9. men. 1.	672
569	Leouigildus an. 18. Nam duo anni Luibā Regis illi annumeratur. Hunc Beda Leu- uigildum appellat more Gothorum, qui pro eo ponunt en, Theodosius pro Theo- dosius, quod hodie quoque Lusitanis fa- miliare est.	Eringius, alias Ervingius an. 7.	682
	Reges Sueuorum in Gallecia.	Egica, alias Egipta an. 15.	689
408	Hermericus an. 32.	Vitiza an. 9.	700
440	Rechila an. 7.	Rodericus regnavit an. 3. sed duos semul cum Vitiza, vnum tantum per se. Hoc Rege antiquissima Gothorum nobilitas ab im- puris Mauris extincta est.	713
448	Reccarius an. 9.		
457	Maldra an. 3.		
460	Frumarius an. 4.		
464	Remismundus, qui cum tota gente Ariana heresi infectus fuit, in quo errore gens illa per annos fere centum perseveravit, cuius temporis Reges non reperiuntur, quippe		

Catalogus Regum Legionensium & Castellæ, a Pelagio vsque ad tempora
nostra. Caput XVI.

ACCEPTA tñ insigni calamitate, quæ in montes Asturiæ confugerant Christiano-
rum reliquiæ, Pelagium ex Regio Gothorum sanguine, recuperandæ Hi-
spaniæ diuina clementia seruatum, Regem consalutarunt anno quinto post exci-
dium Hispaniæ, ut in duobus antiquissimis libris inueni, sed qui cladem illam Hi-
spanicam anno domini septingentesimo duodecimo ponunt, secundum Isido-
rum Pacensem. Igitur regnum Pelagii ab anno septingentesimo decimo sexto
auspicabimur. Regnavit igitur

716	1 Pelagius an. 19. Secundum aliquos 20.	6 Silo an. 9. men. 1. die 1.	774
735	2 Fasila filius eius an. 2. men. 6.	7 Mauregatus an. 5. men. 6.	783
737	3 Alfonsus Catholicus an. 19. men. 1. die 1.	8 Veremundus an. 3. Secundum alios 2.	789
756	4 Froila an. 11. men. 5. dies 20. Secundum alios an. 13.	9 Alfonsus II. cognomento Castus an. 41.	791
767	5 Aurelius, Alfonsi Catholici filius an. 6. men. 6.	Sed anni Mauregati & Veremundi Al- fonsi Casto adscribuntur.	
		10 Ramirus vel Ranimirus an. 6. men. 9.	824

11 Or-

An. dō.	11 Ordonius an. 10.	antiquis, quod annis 46. & mensibus 6. An. dō.
831	12 Alfonsus III. cognomento Magnus an. 46.	Hic sub mortem tribus filiis regna sua diuisit, deditq. Sanctio nato maximo re- gnum Castellæ, Alfonso regnum Legionis & Asturiarum, Garfia regnum Galleciæ cum Portugallia.
841	13 Garfias an. 3.	
887	14 Ordonius II. an. 8. men. 6.	27 Sanctius II. huius impatiens regnorum diuisionis, altero fratre pulso, altero in vincula coniecto, regna ipsorum occupa- uit: regnavit sex annos, occisus per fraudē a Vellido proditore.
290	Hoc tempore Castellæ per Comites rege- batur, quos hic Ordonius interposita fide publica euocatos ad se, necari iussit. Quā perfidiam Castellani inique ferentes, e gente sua iudices duos elegerunt, quorum alter iuri dicundo, alter bellicis reb. præ- esset. Fuerunt ii, Nunius Rasura, auus Ferdinandi Gun- disalui Comitis. Lainus Caluus, abauus Roderici a Bi- uar, qui Cidus dictus est. Alii Flauii Cal- uum appellant.	28 Alfonsus VI. frater Sanctii, an. 43. Hic Toletum Christianis restituit.
	15 Froila II. an. 1. men. 2.	29 Vrraca filia Regis Alfonsi, cum marito Alfonso Rege Aragonum, an. 4. Sed ii Alfonso septimo attribuuntur.
898	16 Alfonsus IIII. an. 5. men. 7.	30 Alfonsus VII. dictus Imperator Hispaniæ, nepos ex filia Alfonsi VI. an. 51.
899	17 Ramirus sive Ranimirus II. an. 19. mē. 2.	Huius morte rursum separatim est re- gnū Legionis a regno Castellæ. Nam duos reliquit filios, Sanctium & Ferdinan- dum. Quorum
905	Hoc tempore Ferdinandus Gundisalu- uus rerum potitus est in Castellæ, & pri- mus Comes fuit.	31 Sanctius III. cognomento Desideratus, 1159 fuit Rex Castellæ anno vno.
924	18 Ordonius III. an. 5. men. 6.	32 Ferdinandus I. Legionis, an. 31. 1159
	19 Ordonius IIII. cognomento Malus. Huic nulli dantur anni.	33 Alfonsus VIII. Sanctii III. filius, re- gnauit in Castellæ an. 53. 1160
929	20 Sanctius Crassus an. 12.	34 Alfonsus IX. Ferdinandi secundi filius, 1196 Rex Legionis an. 8.
941	21 Ramirus sive Ranimirus III. an. 25.	35 Henricus Alfonsi VIII. filius, tegula ca- su occisus apud Palentiā, regnavit in Ca- stellæ an. 2. 1214
	Huius anno primo mortuus Ferdinan- dus Gundisaluus, Castellæ Comes, cui suc- cessit Garfias Ferdinandus filius.	36 Ferdinandus III. Alfonsi IX. filius, utroq. regno Castellæ & Legionis potitus est an. 35. Hic Cordubam & Hispalim Christia- nis reddidit, & Sanctus habetur, ac mul- tis miraculis clarus. Ab hoc tempore regnum Castellæ & re- gnum Legionis perpetuo vni fuerunt.
966	22 Veremundus II. an. 17.	37 Alfonsus X. an. 32. Hic fuit electus Im- perator Romanorum. 1252
983	23 Alfonsus V. an. 27.	38 Sanctius IIII. an. 11. 1284
	Huius tempore Regis mortuus est Gar- fias Ferdinandus, secundus Castellæ Com- es, cui successit Sanctius Comes.	39 Ferdinandus IIII. an. 15. Hic dicitur mor- tuus dicto sibi die a duobus, quos iniuste iusserat tanquam homicidii reos occidi. Alii morte fatali defunctum asserunt.
1010	24 Veremundus III. an. 10.	40 Alfonsus XI. an. 40. Hic potitus est cele- berrima illa victoria, auxilio Alfonsi Por- tugallie Regis socii sui, ad flumē Salatii, contra infinitas Barbarorum copias. 1310
	25 Hoc Rege Legionensibus imperante, per mortem Sanctii Comitis, dominium Ca- stellæ hereditario iure ad Sanctium Ma- iorem Nauarra Regem, qui Sanctii Com- itis filiam uxorem duxerat, translatus est. Is se non Comitem, sed Regē Castellæ scri- psit. Atq. ab eo tempore Castellæ regio ti- tulo semper & merito decorata est. Huic regi, quia filius eius Ferdinandus, ipso ad- huc superstite, regnavit in Castellæ, per annos duodecim, nulli hic assignantur anni. Qui cū quatuor haberet filios, Fer- dinandum reliquit Castellæ Regem.	41 Petrus cognomento Crudelis, an. 19. Hic a fratre Henrico occisus est. 1350
1010	26 Occiso Veremundo, Ferdinandus Magnus Castellæ Rex, Legionense quoq. regnum, propter uxorem suam Veremundi soro- rem (nam ille sine liberis deceffit) conse- quutus est, & regnavit an. 40. Quan- quam inueni in Chronicis quibusdā per-	42 Henricus II. an. 10. 1369
		43 Ioannes an. 11. Hic dum inconsulte rem gerit, & prudentiorum consilio parere

- An. dō. *recusat, memorabili victoria fufus est a Lusitanis. tandem Compluti casu equi oppressus fato concessit.*
- 1390 44 Henricus III. an. 16. Dicitur est Valetudinarius.
- 1407 45 Ioannes II. an. 47.
- 1454 46 Henricus III. an. 20. men. 4. dies 22.
- 1474 47 Isabella & Ferdinandus V. an. 30. Hi Reges vere Catholici, expugnato regno Granatensi, Sarracenos Hispania penitus exterminarunt: Iudaeos vel Christum agnoscere, vel regnis suis exulare coegerunt: Mauros quoque qui ex Granatensi bello remanserant, vel ad fidem Christianam redierunt, vel Hispania cedere compulerunt: contra eos qui fidem Christo in baptismo datam non seruarent, aut alio quouis modo ab orthodoxa fide aberrarent, sanctae Inquisitionis officium instituerunt, atque alia quamplurima gesserunt perpetua recordatione dignissima, quae suis locis declarantur. Per hos regnum Aragoniae, Valentiae, Siciliae, ac Neapolitanum cum aliis quae ad Ferdinandum hereditaria successione pertinebant, regno Castellae & Legionis iuncta sunt, & etiam regnum Granatae, quod ipse a Sarracenorum tyrannide vindicauerunt.

Catalogus Regum Navarrae. Caput XVII.

SICUT Christiani, qui a clade illa Hispaniae miseranda reliqui in montes Asturiarum se contulerant, Pelagium Regem salutauerant: sic qui ad iuga montis Pyrenaei salutis ergo se receperant, Garciam Ximenium, Gothici generis nobilem virum, communi consilio Regem dixerunt. A quo Reges Navarrae & Aragoniae descendunt.

- 716 1 Garcias Ximenius, qui dicitur est Rex Suprarborum (vulgo Sobrarbre) Hic cum sexcentis equitibus (non enim plures habebat) multas magnasque in Sarracenos strages edidit, magnamque Navarrae partem Christianae religioni restituit. regnavit an. 42.
- 758 2 Garcias Ennicus, & ipse multis adversus Mauros felicibus praeliis insignis an. 44. Hic se appellavit Regem Pompelonensem, a Pompelone civitate quam Mauris ademit.
- 802 3 Fortunius Garcias an. 13. Hic ducta uxore Galindi, Aragoniae Comitissae filia, Comitatus Aragoniae titulum accepit.
- 815 4 Sanctus Garcias an. 20. Hic a Mauris in praelio occisus sine haerede decessit.

Hic oritur magnus scrupulus ex varietate eorum qui de rebus scripserunt Navarrae, dum Marinus Siculus affirmat, Navarrae iterum a Mauris occupatam, in

- 48 Philippus Archidux Austriae, Caroli V. An. dō. Imperatoris pater an. 2. Hic Comitatum Flandriae cum reliquis ditionibus regno Castellae univit, & immatura morte pre-reptus, magnum sui desiderium omnibus reliquit.
- 49 Rursum Ferdinandus V. Rex Aragonum & 1506 utriusque Siciliae, regnavit in Castellae pro Carolo nepote suo, simul cum Ioanna filia sua, Philippi Regis uxore an. 10. Quo temporis intervallo regnum Navarrae vobellia expugnatum regnis Castellae sociavit.
- 50 Carolus Romanorum Imperator, eius nominis quintus, semper Augustus, regnis Castellae, Legionis, Aragoniae, Navarrae, Valentiae, Granatae, & reliquis in augmentus, regnavit iam in Hispania trigentesimum quintum annum. Quem Dominus Deus ad commune Hispaniae & totius Christianae Reipublicae commodum per multos annos servare dignetur incolumem, simul cum Principe Philippo filio, regnum ac ditionum omnium successore designato.
- Novem supra quadraginta numeravimus Legionis & Castellae Reges, quorum viginti tres solum fuerunt Reges Legionis & Asturiarum: quatuor in Castellae solae regnauerunt: reliqui utroque regno potiti sunt.

illorum fuisse potestate usque ad tempora Caroli Magni, hoc est annum Domini 912. sed Gallorum annales mortem Caroli Magni ponunt an. 814. ut Marinae sententia penitus videatur explodenda. Frater Galbertus Fabricius, qui vitam scripsit Regum Aragoniae, ait inter Sanctum Garciam & Ennicum Aristam, nullum intercessisse tempus. Sed hic rursus sibi non constat, dum Fortunio Garciae alibi tribuit an. 20. alibi 13. D. Martinus ab Azpilcueta doctor Navarrus, & iuris Pontificii in Academia Comimbriensi professor primarius, vitam multis nominibus mihi observandus, misit ad me catalogum Regum Navarrae, missum sibi a D. Francisco a Lodofo Navarro, viro antiquae nobilitatis & harum rerum peritissimo, qui in oppido quoddam (Ponte Reginae appellant) Reges omnes Navarrae

- 20 Henricus, an. 3. 1271
- 21 Philippus Pulcher, qui & Rex Galliae, 1274 an. 36.
- 22 Ludovicus Vtinus, Rex etiam Galliae, an. 1310
9. Nam, ut ait Robertus Gaguinus, viro patre, per matris obitum coronatus est Pompelone, & appellatus Rex Navarrae.
- 23 Philippus Longus, & ipse Rex Galliae, 1319 exclusa filia Ludovici Vtini, ad quam iure hereditario regnum redibat: atque ex eo tempore dicunt apud Gallos filias non esse heredes regni: regnavit an. 6. vel secundum annales Gallorum, quing.
- 24 Carolus Pulcher, Rex etiam Galliae, an. 1325 6. secundum annales Gallorum.
- 25 Philippus III. nomine uxoris suae Ioannae, quae filia erat Ludovici Vtini, an. 15. 1331
- 26 Carolus II. annos 37. Sed hic anno demum 1350. per mortem matris regnare cepit, ut ex Chronicis Caroli Principis Navarrae constat. 1346
- 27 Carolus III. an. 30. 1386
- 28 Ioannes, Ferdinandi Aragonum Regis filius, & Ferdinandi Regis Catholici pater, an. 40. Cum hoc regnavit Carolus filius post mortem matris, rebellis patri. 1425
- 29 Gastonus Comes Phoenis, dies 15. 1479
- 30 Phaeus an. 2. Forte usque ad eum diem sub aliena tutela vixit. 1481
- 31 Ioannes Labritensis coronatus est Pompelone. Nam Catharina cum qua regnum dotale accepit, ad eum usque diem sub tutela matris fuerat, ut ex Antonio Nebriffensi apparet. Cui regnum a Rege Ferdinando legitimis de causis ademptum est, anno 1512. 1494
- 32 Ferdinandus Rex Catholicus, annos matris Caroli Imperatoris, an. 4. 1512
- 33 Carolus Imperator semper Augustus, cui Deus Opt. Max. vitam incolumem quam diutissime prorogare dignetur. 1516
- Itaque tres & triginta fuerunt Navarrae Reges, quanquam quatuor illi primi non sint dicti Reges Navarrae, sed Suprarborum & Ripagortiae. Navarrae, suae, ut alii appellant, Navariam (ut hoc quoque obiter annotemus) Antonius Nebriffensis a camporum planicie dictam putat. Nam camporum planas areas Hispani Navas appellant. Hos tempore Gothorum Ruccones appellatos affirmant.

Catalogus Regum Aragoniae. Caput XVIII.

ARAGONENSES a Tarraconensibus corrupto vocabulo dici, non inerudite opinatur doctissimus Antonius Nebriffensis, neque immerito somnium censet,

An. do. quod nonnulli de Aragonie fluuio, & ara Herculis, ac ludis agonalibus speciose fin-
xerunt. Nam si vocabulum Aragonie tam antiquum esset, mirum ni apud antiquos
scriptores inueniretur. Inuenio quidem in conciliis & decretis Pontificum epi-
stolam Hormisdæ Papæ ad Sacratium Aragonum Regem, sed viri eruditi consul-
ti a me, responderunt non satis fidendum titulis illius libri, alioqui vere aurei. Pre-
terea in antiquis Hispanorum scriptorum monumentis aliqui pro Ruccones le-
gunt Aragonies, & pro Aregiam Aragoniam: sed ne hoc quidem tanti est, vt fi-
dem facere debeat. Proinde Antonio Nebriffensi hætenus accedo, cessurus, si
quis melius aliquid afferat.

- 1018 1 Aragonum primus Rex omnium calculis
numeratur Ranimirus, pietate singulari in-
nouercam celebris, Sancti Maioris filius, qui
quibus meritis eo regno sit potitus, suo loco
dicemus. regnavit an. 40.
- 1058 2 Sanctus an. 36. qui fuit etiam Rex Na-
uarræ.
- 1094 3 Petrus, qui fuit & Nauarræ, an. 14. Hic
impetravit ab Urbano Papa decimas, & eius
patronatus, ut vocant, Ecclesiarum Na-
uarræ.
- 1108 4 Alfonsus, Petri frater & hæres, an. 18.
- 1126 5 Ranimirus Alfonsi frater, ex monacho
Rex, an. 19. vt aiunt. Hic memorabile ex-
emplum edidit in regni sui proceres qui ipsum
tanquam monachum paruipendebant. Sunt qui
asserunt illum filia sua Raimundo Berenga-
rio Barcinonis Comiti de sponsa, ad institutum
monasticum rediisse, ac propterea fortasse nu-
merus annorum non respondet.
- 1145 6 Raimundus Berengarius decimus Comes
Barcinonis, nomine Petronilla coniugis sue
obtinuit regnum Aragonie, regnavit an. 32.
Per hunc Comitatus Barcinonensis iunctus
est regno Aragonie. Hic quamdiu vixit,
Principem se appellavit Aragonum, non
Regem: ita enim in conditionibus matrimo-
nii conuenerat.
- 1169 7 Alfonsus I I. secundus Raimundi filius,
an. 34.
- 1203 8 Petrus II. Alfonsi filius, an. 10. tametsi
dicunt quod 17. sed numerus annorum non
respondet. Hic a Papa Innocentio tertio Ro-
ma coronatus est, & privilegium obtinuit,
vt successores sui Casar Augusta coronaren-
tur ab Archiepiscopo Tarraconensi.
- 1213 9 Iacobus an. 62. men. 9. dies 9. Hic Balea-
- res insulas, & regnum Valentie ac Murtie a
Mauris recepit. Constantinus Phrygio ponit
anno 1241. sed fallitur.
- 10 Petrus III. an. 9. Hic per mortem Man- 1276
fredi socii fuit primus regum Aragonie Rex
Sicilie.
- 11 Alfonsus III. an. 6. 1286
- 12 Iacobus II. an. 35. 1292
- 13 Alfonsus IIII. cognomento Benignus, 1327
an. 8.
- 14 Petrus IIII. cognomento Ceremonio- 1335
sus, an. 51. Hic obiit citatus ad tribunal Chri-
sti a procuratoribus Ecclesie Tarraconensis,
cuius patrimonium tyrannice voluit usur-
pare. Citatus est autem in sexagesimum diem,
atq; ipso iudicium die obiit. de qua re suo lo-
co copiosius Deo annuente dicemus.
- 15 Ioannes, an. 9. men. 4. Hic in venatu sub- 1387
ito delapsus equo, seu (vt alii) mula, mortuus
est. Alii dicunt lapsu equi oppressum, confra-
ctâ a ceruice, repente expirasse.
- 16 Martinus frater Ioannis, cognomento 1396
Humanus, an. 14.
- 17 Ferdinandus cognomento Honestus, fra- 1410
ter Henrici Regis Castellæ, cognomento Va-
letudinarii, an. 5.
- 18 Alfonsus V. cognomento Magnanimus, 1416
Ferdinandi filius, primus Aragonie Regum
Rex Neapolitanus, an. 42.
- 19 Ioannes Nauarræ Rex, frater Alfonsi, 1458
& pater Ferdinandi Regis Catholicæ, an. 20.
- 20 Ferdinandus V. Rex Catholicus, an. 37. 1516
- 21 Carolus V. Imperator semper Augustus, 1516
qui hodie feliciter regnat, regnabit, quan-
diu diuina clementia placuerit.
Numerantur hætenus Reges Aragonie
vnius & viginti.

Catalogus Regum Portugallie. Caput XIX.

PORTUGALLIAM primum dedit Ferdinandus Rex cognomento Magnus,
cum titulo regio filio suo Garfiæ, simul cum Gallecia: quem Garfiæ, Sanctus
frater diuisionem regnotum ægre ferens, bello captum in vincula coniecit, & do-
minium ipsius inuafit. Sed, occiso Sancto, Alfonsus Rex eius nominis sextus, is
qui Toletum a Sarracenorum fædo dominatu auferuit, fratrum suorum regnis om-
nibus

An. do. omnibus potitus, aliquantopost filiam suam Tarasiam Henrico Comiti despon-
dit, eiq; prouinciam Portugallie dotalem dedit, cum titulo Comitatus. Erat hic
Henricus, vt aiunt Lusitani, Hungarus: vt Castellani, Constantinopolitanus. Sed
Iacobus Meyerus, rerum Flandricarum scriptor diligentissimus simul & eruditissi-
mus, Lotharingum fuisse affirmat. Qui Constantinopolitanum asserunt, eo de-
ceptos arbitror, quod cum Bisuntinus fuisse legatur, quæ ciuitas Burgundie Com-
itatus est metropolitana, olim Lotharingie attributa, Byzantium intelligunt, &
Constantinopolitanum faciunt. Nam quæ nunc Constantinopolis dicitur, olim
Byzantium appellata fuit. Quin & Sebastianus Munsterus in Cosmographia sua
Lotharingum facit. Hic Henricus fuit Alfonso sexto gratissimus propter insignem
probitatem & rei militaris industriam, rerumq; in Portugallia potitus est vsq; ad
annum Domini 1112.

- 1112 1 Henrico Comiti successit Alfonsus, Henri-
ci filius. Hic ducem Portugallie se appellauit,
vsus hoc titulo per an. 27. vsq; ad memorabi-
lem illam pugnam in agro Orichienfi contra
Ismarium & alios quatuor Sarracenorum
Reges. Quod prælium commissurus, Rex ab
exercitu saluatus est. indignum enim vi-
debat, nisi Rex aduersus tot reges bellum
iniret. Regnavit postea annos 46. Hic totam
fere Portugalliam, quanta nunc est, a Sar-
racenorum tyrannide liberauit. Reliqua suo
loco.
- 1185 2 Sanctus Alfonsi filius, an. 26. Hic quoq;
multis rebus aduersus Mauros præclare ge-
stis celebratur.
- 1211 3 Alfonsus II. an. 12. & hic multa præcla-
ra facinora in Mauros edidit.
- 1223 4 Sanctus II. an. 26. Sed duobus postremis
rexit pro illo Portugalliam Alfonsus Comes
Bononiensis, frater ipsius, iussu Innocentii
III. summi Pontificis, apud quem Sanctus
delatus fuit, quod animo esset nimis omif-
so in administratione regni.
- 1247 5 Alfonsus III. Comes Bononiensis, & ex
administratore Rex Portugallie, an. 32. Hic
ducta uxore Beatrice, filia Alfonsi X. Regis
Castellæ, regnum Algarbiorum in dotem
accepit.
- 1279 6 Dionysius, an. 46. Hic agricolæ appella-
uit neruos Reipub. & 44. oppida Portuga-
lie partim instaurauit, partim a fundamen-
tis extruxit.
- 1325 7 Alfonsus IIII. an. 31. Hic interfuit illi
memorabili prælio cum Alfonso XI. Rege
Castellæ, genero suo, quod gestum est contra
Alibohacem Regem Marrochiorum & de
Benamarin, atq; alios 4. Reges, in quo desi-
derata sunt quadringenta quinquaginta
Sarracenorum millia, Christiani milites tan-
tum viginti.
- 8 Petrus, an. 10. men. 7. dies 18. Hic proci- 1357
ratores & caudicos e regno sustulit: acerri-
mus fuit scelerum vindex: dixit Regem, quo
die nulli benefecit, Regio nomine indigna.
- 9 Ferdinandus, an. 16. men. 9. 1367
- 10 Ioannes filius Regis Petri, sed illegitimus, 1383
ex Magistro militia ordinis Cisterciensis de
Auis, declaratus Rex Portugallie, auxilio
Nouii Aluari Pereira, regnum Portugallie
a Castellanis iam pene nobili defensione pos-
sessum recepit. Regnavit an. 50. & Septem
Africa ciuitatem Mauris ademptam, Lusit-
anis dedit.
- 11 Eduardus, an. 5. Huius ex filia Leonora 1433
nepos exiiii Maximilianus Augustus.
- 12 Alfonsus V. an. 43. Hic primus Africanus 1438
titulum meruit, multis magnisq; in Africa
victoriis potitus, & merito regum omnium
dicitur maximus poterat, nisi inauspicatum cō-
iugium fecisset vltima regi ipsius minus
prospera.
- 13 Ioannes II. an. 14. men. 2. Rex magna- 1481
nimus, sed nobilitatem parum habuit propi-
tiam. Huius etiam hodie corpus integrum esse
asserunt qui viderunt, in monasterio Vi-
torienfi, quod vulgo dicitur Batalha.
- 14 Emanuel, nepos Regis Eduardi ex filio 1495
Ferdinando, an. 26. Hic Iudeos & Sarrace-
nos regno suo exterminauit, nisi qui fidem
Christianam amplectebantur, & alia pluri-
ma gestit memoratu dignissima, quæ suis lo-
cis declarabuntur.
- 15 Ioannes III. Hic hodie feliciter regnat, 1521
quietis ac tranquillitatis regni sui studiosissi-
mus, religionis monasticæ instaurator vigi-
lantissimus, studiorum ac bonarum artium
fautor benignissimus. Eum cum Catharina
coniuge serenissima, & Ioanne filio Rege de-
signato, quam diutissime regno suo Dominus
Deus seruare dignetur incolumem.

ENUMERATIS ad hunc modum, quotquot hæcenus tota Hispania regnasse leguntur, Regibus, operæ precium mihi facturus videor, si antiquos episcopatus Hispaniæ breuiter recenseam, qui a temporibus Romanorum & Gothorum extiterunt: propterea quod hoc tum gratum lectori, tum etiam utile futurum censeam restituendis multis locis, qui in antiquis conciliis harum rerum ignorantia leguntur mirè deprauati. Laboraui in hac re supra quam quisquam facile credat, neque tamen mihi per omnia satisfeci, propterea quod volumine conciliorum Hispaniæ & decretorum, ut a diuo Isidoro & eius successoribus descriptum fuit, ad manum habere non potui. Nam in editis conciliorum voluminibus ea tantum ex conciliis Hispaniæ leguntur, quæ ad communem ecclesiasticæ disciplinæ institutionem faciebant, relictis illis quæ ad Hispaniam peculiariter pertinebant. Hæc vero res adeo mihi cordi fuit, ut si vitæ meæ rationes paterentur, non inuitus totam Hispaniam peragraturus fuero, ad excutiendas ecclesiarum cathedralium & antiquorum monasteriorum bibliothecas. Sed erunt alii fortasse, qui ampliore præditi ocio, prouinciam hæc diligentius obibunt. Interim lector æquus & candidus hunc meum conatum boni consulet. Episcopatus vero, ut ex antiquis conciliis de-
 cerpsi, ordinè alphabetico ponendos censui. Et primus quidem

ABÆRITANVS, pro quo mendose in conciliis impressis Abritanus legitur. Ciuitas est Bæticæ maritimæ, non procul Charidami promontorio. Aliqui arbitratur esse eam, quam hodie Almeriam appellant. Gerundensis ait esse eam, quæ hodie Vera dicitur. Sed priorem opinionem plures sequuntur. Episcopatus antiquissimus, cuius primus Episcopus sanctus Crespho, beati Iacobi Apostoli discipulus, ut suo loco dicemus.

Accitanus. Acci ciuitas est regni Granatensis, quam hodie appellant Guadix. Huius ciuitatis episcopus fuit S. Torquatus, beati Iacobi apostoli discipulus. Huius quoque ciuitatis episcopus Camerinus interfuit Concilio Eliberitano, quod tempore Costantini Magni celebratum est. Hic episcopus erat prouinciæ Carthaginensis.

Adenis. Huius sit mentio in tertio concilio Toletano, ubi tamen in margine notatum est, alios codices habere Addianensis. Adebam ponit Ptolæmus in Tarraconensi prouincia non procul Dertosa. Aliud hic non habeo quod dicam, nisi forte mendosum sit pro Dianensis.

Agabrensis. in Bætica est Agabra, vulgo Cabra. Nunc non habet episcopatum.

Agathensis. Hic est prouinciæ Narbonensis. Nam illius quoque prouinciæ episcopi ad concilia Toletana conueniebant.

Agragensis. Huius episcopi mentio fit in secundo concilio Toletano, sed qui fuerit, hæcenus ignoro. Agram D. Cyprianus in concilio Carthaginensi numerat inter episcopatus Africae. Nam inde in Hispaniam ad concilia veniebant, præcipue ex prouincia Tingitana. Ego tamen suspicor deprauatè Agragensis, pro; Agabrensis, vel potius Agathensis, legi, quod ex subscriptionibus secundi & tertii concilii Toletani poterat astui, nisi tot anni intercessissent. Nam utrobique Nibridius subscribit, qui in altero Agarensis, in altero Agathensis dicitur.

Arcobricensis. Arcobricam aliqui in Bætica ponunt, & aiunt esse eam quæ hodie Arcos dicitur, caput amplissimi Ducatus. Sed Arcobricensis episcopatus in Tarraconensi prouincia erat, in qua etiam Plinius & Ptolæmus Arcobricam ponunt, non procul Bilbili. Et Antoninus Pius inter Segontiam ponit & Bilbilim. Ut hoc credam, adducor concilio Toletano nono, in quo Arcobricensis episcopi mentio fit: quod mihi concilium, ut suo loco dicam, non generale totius Hispaniæ, sed prouinciæ Carthaginensis siue Toletanæ prouinciæ fuisse videtur. Præterea, quod in tertio Hispalensi concilio Arcobricensis episcopi mentio fiat. Erat & Arcobri-
 censis Africae episcopus, ut ex conciliis Carthaginensibus constat.

Afindonensis. Hic in Bætica Hispalensem agnoscebat. Erat autem Afindum, quæ hodie Medina Sidonia dicitur, caput amplissimi Ducatus. Burgenis tamen arbitratur esse quod hodie Xeritium dicitur, quam Gerundensis Sisaponem dictam arbitratur,

arbitratur. Hodie non est episcopus Afindonensis, sicut nec Arcobricensis. Forte episcopatus ille Gades translatus. Nam episcopum Gaditanum in antiquis commentariis non reperimus.

Astigitanus. Hic quoque in Bætica Hispali suberat, nunc est Archidiaconatus Hispalensis ecclesiæ, nisi me fallit memoria. Astigi vrbs erat percelebris, & conuentus Po. Ro. hodie quoque non ignobilis, vulgo dicitur Eciia.

Asturicensis. Vulgo Astorga. Hodie quoque dignitatem retinet episcopalem. Tunc Bracarensem agnoscebat.

Auelensis, opinor legendum, Abulensis. Vulgo Auila, ciuitas & episcopatus celebrior, quam ut alicuius declarationis indigeat.

Augustæ. In Sardicensi concilio sic inuenio: Domitianus episcopus ciuitatis Augustæ. Qui concilia edidit, F. Petrus Crabbe Machliniensis, de Hispania intelligit. Sed de qua vrbe intelligatur, non est interpretatu facile. Nam & Bracaram lego Augustam, & Asturicam Augustam, & Plinius ait Setabientes Augustanos appellatos. Ego tamen de Bracara intelligo, quæ peculiari quadam prærogatiua Augustæ appellata est, ut ex Plinio constat: præsertim quum Florentinus episcopus Emeritæ eidem concilio interfuerit.

Aurienis siue Aurisinus, hodie Orensis in Gallecia, tunc Bracarensi parebat, nunc Compostellanum agnoscit.

Aufonensis, Gerundensis est in Cataloniae principatu, episcopus Vicensis siue Vicquensis.

Auxitanus. Ut ego quidem arbitror, Auxitanus scribitur, pro, Aucitanus. Erat autem Auca ciuitas supra Burgos, circiter viginti millia passuum, in monte Iubeda, qui hodie dicitur Saltus Aucensis, ut auctor est Antonius Nebriffensis. Hic erat sedes episcopalis, quæ tempore Alfonsi sexti, eius qui Christianis restituit Toletum, translata est in ciuitatem Burgensem, anno domini millesimo nonagesimo septimo, auctoritate Urbani 11. ut post Gerundensem annotauit F. Alfonsus Venerus. Aucæ vrbs vestigia cum nomine etiam hodie extant. Auxitanus episcopus præfedit, aut saltem primus subscripsit in concilio Eliberitano.

Auzensis Gerundensis idem est, qui Aufonensis, nisi forte scriptum sit Auzensis pro Aucensis. Sic erit idem cum Auxitano.

BARCINONENSIS hodie quoque celebrior est, quam ut aliqua annotatione illustrari possit, ciuitas quæ titulos Regum & Imperatorum illustrat.

Bassitanus. Bassetania Plinio regio est Hispaniæ citerioris, in qua est Oisca. Huiusmodi episcopatus hodie non extat. Bassitanus episcopus Eutychanus interfuit concilio Eliberitano.

Bastitanus. Bastetania Refendio est, quæ vulgo dicitur Baza in regno Murciae. Annotauit quoque Antonius Nebriffensis siue filius suus, in lexico suo Geographico, Bastetanorum mentionem fieri in monumento quod est Carthagini Nouæ. Nunc episcopum non habet.

Beterrensis, Galliæ est Narbonensis. Beterras enim non procul Narbona ponit Antoninus Pius.

Bigastrensis. Huius sit mentio in concilio Toletano vndecimo: in margine tamen annotatur alibi Bistargensis, alibi Bigerrensis legi. Quisquis est, videtur fuisse prouinciæ Carthaginensis.

Bigerrensis. Bigerra Petro Antonio Beutero ciuitas est Hispaniæ, quæ hodie dicitur Beiar, caput amplissimi Ducatus, cuius Dux Illustrissimus D. Franciscus a Stuniga ab hinc annis, opinor, quatuor, ex hac vita decessit, vir præter antiquissimam nobilitatis stemmata, multis virtutibus & etiam literarum studiis ex cultus. Cuius olim singularem erga me humanitatem Salmanticae expertus, nisi grata recordatione colam, merito ingratus audiam.

Bracarensis. Aufonius Poeta qui circa tempora Diui Hieronymi scripsit, in catalogo urbium illustrium Bracaram, Emeritam, Cordubam, Tarraconem, quatuor præcipuas Hispaniæ ciuitates ponit. vnde colligimus, usque ad tempora Gothorum, florentissimam fuisse Bracaram, non solum conuentu Romanorum, sed

etiam sedē metropolitana tantę autoritatis, vt quum S. Turibus Asturicensis episcopus iussu B. Leonis Papę contra Priscillianistas Synodum totius conuocasset Hispanię, decreta concilii ad Baleonium Bracarensem miserint episcopum, tanquam quę cuperent ipsius autoritate confirmari. Hęc etiam hodie cum Toletō de primatu contendit Hispanię, ob id, opinor, quod cum Toletum in potestate esset Maurorum, omnes Hispanię episcopi Bracarensem agnoscerent, quę prima metropolitana ecclesiarum a Mahometistarum tyrannide liberata fuit. Ego certe professionem obedientię Mindoniensis, Asturicensis, Tudensis, Lamecensis, Olibronensis, Zamorensis, Auriensis episcoporum, Bracarensi Archiepiscopo factam vidi, etiam post Toletum Sarracenis ademptum, & epistolam Alfonso Hispanię Imperatoris ad Ioannem Bracarensem Archiepiscopum super confirmatione episcopi Lucensis, quum tamen nescio, an Compostella iam suum haberet Archiepiscopum. Bracarensi ego me ciuitati, propter eximiam gentis humanitatem, qua me per triennium benignissime tractauit, & migrantem magno dolore, multisq; lachrymis prosequuta est, deuinctissimum esse libenter profiteor. Illud non prætereundum silentio, quod in concilio tertio Toletano reperio duas subscriptiones Bracarensis episcopi, quarum altera ad hunc habet modum: *Pantardus ec. ca. Bracarensis metr. Gallicie pro. episcopus, &c.* Altera vero sic: *Iulianus Bracarensis ecc. episcopus subs.* Similiter inuenio duos episcopos Emeritenses, & nonnullarum item aliarum ecclesiarum. De qua re diu multumq; cogitanti, hoc mihi venit in mentem, episcopos ecclesiarum catholicos a Leouigildo sedibus suis deturbatos in exilium, vt ex ipsius Chronicis & D. Gregorio constat, pro iis alios Arianę hæreseos defensores substitutos: postea vero catholicos ex testamento & mādato Leouigildi per Recaredum reuocatos, ac sedibus suis restitutos: illos qui intrusi fuerant, suspicor, postquam cum Rege & Regina & tota Gothorum nobilitate Arianam hæresin publice in concilio Toletano abiurauerant, & Catholicę fidei professioni subscriperant, quemadmodum ex actis ipsius concilii multos fecisse certum est, in gratiam & episcoporum Catholicorum communionem receptos, nomen retinuisse episcopi, & legitimis episcopis successores designatos. Quod vt ita credam, quarti concilii Toletani autoritate ducor, in quo Iulianus, qui in tertio, titulo Bracarensis episcopi subscripsit, iam metropolitanum episcopum Bracarensem se appellat. Illud quoq; manifestius, quod in tertio concilio Toletano, Beccila Lucensis episcopus qui inter abiuratores episcopos nomen suū profiteatur, postea in eodē concilio inter Catholicos actis & constitutionibus concilii subscribit, quū tamen prius Pantardus Bracarensis Ecclesię metropolitanus episcopus, tam pro se quā pro fratre suo Nitigisio, ciuitatis Lucensis episcopo, scribere se profiteatur. Idem de aliis intelligendum. Hęc mea est de hac re opinio, quę si quibus non probabitur, per me non stabit quo minus suo quisq; fruatur iudicio.

Britoleensis. Ciuitas erat in Portugallia Interamni, prope Vianam, quę dicitur de Camigna, quę Bracarensem agnoscebat metropolitanum episcopū. Eius adhuc extare vestigia mihi affirmauit Resendus noster. Illud certe ex Chronicis Regis Alfonso constat, quod episcopatus Britoleensis fuerit Tudensi conterminus.

Britonorū. Britoni Resendio iidem qui Britoleenses. Hęc ciuitas postea Maurorum tyrannide liberata episcopum habuit, qui consecrationi ecclesię B. Iacobi interfuit, vt patet ex Roderico Archiepiscopo Toletano. Quando vero fuerit vastata, ignotatur.

CÆSARAUGUSTANVS. Cæsaraugusta a Cæsare Augusto amplificata, quum prius Salduba vocaretur, autore Plinio lib. 5. cap. 18. Hęc tam copioso sanctissimorum martyrum sanguine respersa, imo vero sanctificata est, vt venerari magis quam laudare libeat. Episcopatus antiquissimus, cuius episcopum Felicem a sanctitate & orthodoxa fide laudat D. Cyprianus lib. 1. cap. 5. Huius ciuitatis episcopus Valerius interfuit concilio Eliberitano, & Costus Sardinensi. Cæsaraugusta tempore Ioannis XXI. Papę, metropolitana dignitate merito donata est.

Calagurritanus. Calagurtris, hodie Calahorra dicitur, ciuitas celeberrima ciue M. Fabio Quiniliano. Nunc episcopum habet D. Ioannem Bernardum, virū ob insignem

insignem vitę integritatem & singularem eruditionē, editis iam libris celebrem, ea dignitate multo dignissimum, mihi olim in aula Isabellę Augustę cognitum. Huic quoque ciuitati quidam falso ciuem adscribunt sanctissimum Christi confessorum B. Dominicum, Prædicatorii ordinis autorem, quum ille non Calaguri natus sit, sed Calarogę oppido Oxomenis dicecesis. Affinitas vocum videtur erroris locum dedisse. Pro Calarogę, sciolus quispiam in breuiario Romano trium lectionum supposuisse videtur, Calagurę.

Caliabrensis. opinor ita mendose legi, pro, Colibrienfis, hodie Colimbrienfis sius Conimbricensis dicitur, non tantum ecclesia cathedrali, sed etiam celeberrima Academia insignis. Illud tamen annotandum, in octauo concilio Toletano vtrunque reperiri, videlicet Colibriensem siue Caliabrensem, & Conimbricēsem, ad hunc modum: *Celidonius Caliabrensis episcopus*, & paulo post, *Sisebertus Conimbricensis episcopus*. Quę res adiuuat opinionem Resendii nostri, qui arbitratur Colibriam esse, quę hodie Conimbrica dicitur, quā & D. Isidorus Colibriam appellat: Conimbricam vero, quę hodie Condexa vetus, nihil habens præter antiquitatis vestigia. De qua re ipse Resendus aliquando latius in antiquitatibus Lusitanicę.

Carcassonenfis, in prouincia est Narbonensi.

Carthaginēsis. Hęc vsque ad tempora Gothorum præcipua sedes fuit Hispaniæ, vt suo loco latius dicemus. Hodie nomen & dignitatem retinet episcopalem.

Castulonensis. Castulo ciuitas erat Hispaniæ primatia, cuius episcopus Annianus Sardicensi interfuit concilio. Hodie oppidū ignobile, dicitur Castona, & seruat antiquitatis suę vestigia, sed episcopo caret.

Catralaucensis. Huius ciuitatis episcopus Secundinus concilio interfuit Eliberitano. Catralauci Prolemæo sunt in Lusitania Celtica. Quod præterea dicam, non habeo.

Cauritensis. Hodie Coria in Lusitania.

Conimbricensis. De hac ciuitate quę dicenda erant, in ciuitate Caliabrēsi diximus. Conimbrica olim caput erat regni Portugallię.

Complutensis. Hodie Alcalá de Henares, a fluuio Henari sic dicta, nunc episcopum non habet, sed Academiam nobilem & Ecclesiam collegiatam, cuius omnes canonici sunt Theologi, quod vtinam sit in aliis Hispaniæ ciuitatibus, saltē quę Academias habent. Debet hoc Complutum maximo illi F. Francisco Ximeno, ordinis D. Francisci, Cardinali, Archiepiscopo Toletano, & Hispanię gubernatori. Sed de Compluto alias deo adiuuante plura dicemus. Illud tantum non omitterendum, errare eos qui Complutum Guadalaiarēnses esse dicunt, quum Guadalaiarēnses prius dicti sint Carraccenses. D. Isidorus Complutum dicit esse sexagesimo milliario a Toletō.

Cordubensis. Hic episcopus antiquissimus est, & propter Osium episcopum celebratissimus. Ei hodie præest D. Leopoldus, Maximiliani Augusti filius. Corduba Colonia Patricia dicta, & Marcelli ædificiū, vt inquit Strabo, sed cuius Marcelli, hæcenus incertum. Ego arbitror illius qui tempore belli ciuilibus inter Cæsare & Pompeium, res in Hispania gessit, de quo in Commentariis Cæsaris. Vt hoc existimem, ea præcipue ratione adducor, quod ante illud tempus nusquam inueniamus Cordubę mentionem, quod ego quidem meminero, nisi apud Silium Italicum lib. 3. de secundo bello Punico, vbi sic inquit,

Nec deus aurifera cessauit Corduba terra.

Illud valde miror, T. Liuium in descriptione illius belli, cum multam Beticarū urbium mentionem fecerit, tamen Cordubę non meminisse.

Corficanus. Hic ex Corfica insula in Hispaniam venit ad concilium Eliberitanum, nomine Catonus.

DERTOSANVS. Nomen hodie retinet in Aragonia, ad Iberū fluuium. Adrianus sextus, ex Decano Louaniensi in episcopum Dertosanum, ex episcopo Dertofano & Cardinali, in summum Pontificem assumptus. Huius ciuitatis primum episcopum S. Rufum, Simonis Cyrenæi filium fuisse aiunt, vt suo loco dicemus.

Dianiensis, nunc Denia, prouinciæ erat Carthaginensis, nunc Marchionem habet, episcopum non habet.

Dumiensis monasterii. Sunt qui hunc episcopatum fuisse arbitrentur eum qui hodie Mindoniensis dicitur, sed hi tota errant via. Dumienſe monasterium prope Bracaram erat, cuius ecclesia etiam hodie extat, antiquitatem suam referens. Huius monasterii conditor & primus episcopus fuit S. Martinus, quæ Bracari adhuc cognominat Dumienſem, ut ex decimo concilio Toletano patet. Huius etiam mentio fit in 3. concilio Toletano. Hoc monasterium adhuc tempore Gothorum vnitum fuit Bracarenſi Ecclesiæ. Nam in decimo sexto concilio Toletano subscripti Felix, qui se Bracarenſem & Dumienſem episcopum appellauit, ut ex libro Canonum annotatum reperit in Roderico Archiepiscopo Toletano manuſcripto, cuius mihi copiam fecit serenissimus dominus meus Cardinalis & Infans D. Henricus.

Egabrenſis, idem qui Agabrenſis. Antonius Nebriffenſis interdum Egabrenſis, interdum Agabrenſis ſcribit. Tamen in concilio Toletano octauo primum ponitur Selua Egabrenſis episcopus, deinde Baucada Agabrenſis episcopus, ubi suspicor in altero loco ponendum Egarenſis, siue Egurenſis: nisi eiusdem ecclesiæ duo simul episcopi fuerint, alter re vera, alter titulo tenus, & successore designatus.

Egarenſis. Ne Figaram quidem reperio, sed Egurros populos in ea regione Hispaniæ, ubi est hodie Medina, quæ vulgo dicitur de rio seco.

Egitanus. Scribendum erat Igæditanus, ut antiqua monumenta declarant. Igædita ciuitas erat Lusitaniæ, nunc vicus obscurus Edania dictus. Episcopalis sedes in Guardiam ciuitatem translata est.

Egobinenſis. In concilio Toletano duodecimo reperio Memorium Egobinenſem episcopum, sed quis fuerit, penitus ignoro. Suspicerer esse mendum, pro Segobienſi vel Segobricenſi, nisi in eodem concilio vtriusque subscriptio sequeretur. In margine annotatum est, alias legi Egosenſis. Egosam Ptolemæus in Catalonia ponit, non procul Gerunda.

Eborenſis. Eborenſem Romani appellant. Eboræ ciuitas est Lusitaniæ celeberrima, & frequenti regum Portugalliæ domicilio nobilissima, cuius episcopatus ex eo videtur antiquissimus, quod B. Mácium Iesu Christi discipulum habuerit primum diuini verbi annunciatorem, & ut verisimile est, episcopum. Huius etiam ciuitatis episcopus Quintianus Eliberitano concilio interfuit. Anno millesimo quingentesimo quadagesimo Eborenſis ecclesia metropolitana facta est, auctoritate Pauli 111. primusque Archiepiscopus qui nunc præest, multisque annis feliciter præsit, serenissimus Princeps, & Reuerendissimus S. R. E. Cardinalis, Dominus meus, D. Henricus Portugalliæ Infans.

Eliberitanus. Eliberis ciuitas erat populosa & magna, duabus distans leucis a Granata, quin & Granatæ hodie quoque extat porta Eliberitana. Nam quæ leguntur in libris Hispanis, de nescio qua filia Herculis & nomine Garnatæ, mera videtur nugamenta. In ditione Eliberitana castellum erat Granatæ, quæ dicebatur vrbs Iudæorum, quia a Iudæis condita, ut annotauit Rases Sarracenus historiographus Miramolini, Marrochiorum & Cordubæ regis. Gregorii Eliberitani Bæticæ episcopi meminit D. Hieronymus. Plinius hanc Eliberim appellat, distinguens ab Illiberi, quæ est ad radices montis Pyrenæi prope Veneris templum. Alii vtramque eodem modo Illiberim appellant. Sedes Eliberitana Granatam translata est, quæ & ipsa nunc metropolis est. Quæ præterea dicenda restabant, dicemus in Illiberi.

Eliocrotensis. Eliocrotam reperio in itineralio Antonini Pii, qui ponit eam viginti quinque millibus passuum a Carthagine Spartaria distantem, itinere quo a Carthagine itur Castulonem. Huius episcopus Successus interfuit concilio Eliberitano. In aliis conciliis nullam Eliocrotensis episcopi mentionem inuenio: forte quia tempore Gothorum desit esse episcopatus, & a Vandalis diruta est Eliocrotæ, quo tempore Carthaginem euerterunt.

Elnensis. Legendum erat, Helenensis. Helena ciuitas est Galliæ Narbonensis, iuncta Hispaniæ, quam dicitur Helena Constantini Magni mater, vel Constans in honorem auæ condidisse, ubi Constans mortuus est, ut post D. Hieronymum scribunt

bunt Eutropius, & Paulus Orosius lib. 7. cap. 29. Duabus plus minus leucis abest a Pyrenæis montibus. Hodie quoque nomen & dignitatem episcopalem retinet.

Emeritanus. Emerita Augusta a militibus Augusti, ut diximus, emeritis sic dicta, metropolis erat totius Lusitaniæ, nunc neque episcopum habet, neque quicquam memorabile, præter ruinas & antiquitatis suæ vestigia. Dignitas metropolitana a Calixto secundo Pontifice Romano Compostellâ translata est, de qua re suo loco fusius agemus. Qui affirmat dignitatem hanc ex Emerita Ouetum, ex Oueto Compostellam fuisse translata, falluntur. Nam neque diplomata Ioannis octauo Pontificis Romani, quibus auctoritas metropolitana Ouetensi ecclesiæ cõceditur, neque Calixti secundi, quibus Compostellana ecclesia archiepiscopali sede sublimatur ullam huius rei mentionem faciunt.

Eminienſis. Plinio teste legendum erat Eumenienſis, tamen apud Antoninum Pium & Ptolemæum etiam legatur Eminium. Erat autem Eminium, siue Euminium, ciuitas & flumen eiusdem nominis inter Conimbricam & Portugallensem ciuitatem, ut ex Plinio, & clarius ex Antonino Pio constat. Aliqui opinantur, neque in epte, fuisse oppidum illud quod nunc appellatur Agada, situm ad flumen eiusdem nominis.

Ergauicenis. Ergauica vrbs est Aragoniæ, quæ nunc appellatur Alcaniz, sed episcopum non habet.

GERUNDENSIS in Catalonia dignitatem antiquam retinet, sed mutato paululum nomine vulgo Girona dicitur.

Gerabricenſis, in concilio Toletano octauo legitur, pro quo annotatum est in margine, alias legi Agitienſis, quam vocem nusquam hactenus reperire potuit. Proinde si vera est lectio, scribendum erat, Ierabricenſis: quanquam etiam apud Antoninum Pium semel legitur Gerabrica, forte æque mendose. nam postea legitur Ierabrica, ut nos legendum dicimus. Erat autem, ut ex Antonino Pio constat, Ierabrica inter Ollisponem & Scalabin. Resendio videtur fuisse, quam nunc Alanqueram vocant: nec abluat Antonini Pii descriptio.

HISPALENSIS. Hispalis hodie Siuilia dicitur, maiestatem ac dignitatem antiquam retinet. Quæ de etymologia huius vocis Rodericus Toletanus ex S. Isidori etymologus refert, mihi non arrident. Ciuitatem esse peruetustam non nego, sed a Iulio Cesare amplificatam ac nobilitatam, & alii scriptores, inter quos etiam S. Isidorus, testantur, & ego ex eo præcipue arbitror, quod apud T. Liuium nulla fiat eius mentio, quum tamen bella describat in Bætica gesta. Hispalensis præsul tempore Hormidæ Papæ in Lusitania & Bætica, hoc est tota vltiore Hispania, vires habebat Romani Pontificis, sicut alibi annotauimus.

ILERDENSIS. Ilerda, hodie Lerida dicitur, in regno Aragoniæ ad Sicorim fluiuium: sedem retinet episcopalem, & Academiam non ignobilem.

Ilicensis. Ilice ciuitas Hispaniæ Tarraconensis, ad mare Balearicum sita, in regno Valentini, vnde sinus Ilicitanus, nunc alii vocari aiunt Alicante, alii Elche, quod magis alludit ad vocabulum antiquum. Episcopum iam non habet.

Ilicitanus idem cum Ilicensi.

Ilipensis. Ilipa in Bætica erat, cuius episcopus Hispalensem agnoscebat Archiepiscopum, ut ex primo concilio Hispalensi apparet, & Hispalensis quoque conuentus erat auctore Plinio, sed quæ fuerit, mihi non constat: tamen nonnulla mihi suspicio est, fuisse Ilipam, quæ hodie Niebla dicitur. Quam suspensionem ex Archiepiscopo Toletano concepi lib. 3. cap. 23. apud quem inuenitur aliquoties Elepita enim in codice manuſcripto legitur, non Elepla, ut habet impressi codices, pro quo vocabulo in Chronicis Alfonso decimi semper est Niebra. Quod si doctis non probabitur, non magnopere contendam.

Illiberitanus. Illiberis ad radices montis Pyrenæi posita, contra mare Balearicum, Ptolemæo Eliberis siue Eliberi dicta, nunc vulgo Colibre appellatur. Gerundenſis affirmat hic celebratum primum Hispaniæ concilium quod Eliberitanum dicitur, sub Constantino Magno. Quanquam alii celebratum contendunt Eliberi, quam diximus fuisse prope Granatam. Ego tamen hactenus Gerundenſi magis accedo.

Immontinensis. In Concilio Constantinopolitano 150. episcoporum, quod sub B. Damaso summo Pontifice celebratum est, ita legitur: *Provincia Hispania sive Spania* (ita enim scribitur Græci) *Agrius Immontinensis*, & in margine, *alias Laminitanus*. Immontinensis quis sit, nusquam legi, nisi forte legendum sit Imomontensis, sicut Imopyrenæus, de quo mox dicemus. Sed hoc pro diuinatione, non assertionem haberi velim. Laminitanos ponit Plinius in Carthaginensi provincia & conuentu.

Imopyrenæus. In concilio Toletano octavo sic legitur: *Donus Imopyrenæus episcopus*. Hic mihi videtur fuisse episcopus Rhodensis. Erat enim Rhoda, de qua alibi diximus, in radice Pyrenæi montis posita, & episcopum olim habuit, ut annotauit episcopus Gerundensis, cui hoc magis credo, quod vir eruditus ea quæ ad suam pertinerent diœcesin, accuratius esse perscrutatus videatur.

Impuritanus. Non dubium, quin Emporitanus legendum sit, ab Emporiis, de quibus iam diximus. nunc ad Gerundensem pertinet diœcesin.

Iugastrensis. in margine alias Iuncariensis, vel Intercatiensis. De Iugastrensi nihil dū inueni. Iuncaria prope Gerundam erat, nunc redacta ad parui momēti oppidū, ut annotauit Gerudensis. Intercatia nō. pcul Asturica ponitur Antonino Pio.

Iriensis. Iria Flauia ciuitas Galleciæ maritima, quæ nunc appellatur Padron, ad quam appulit corpus B. Iacobi Apostoli. Huius sedes tempore Alfonsi Casti translata est Compostellā, sub Theodomiro episcopo Iriensi viro sancto, cui diuinitus reuelatū est, ubi occultaretur corpus Apostoli, ut post historiam Compostellanā 20 annotauit F. Alfonsus Venerus, qui ait Iriā a tēpore Mironis Regis Sueuorū, quo tempore sedes illius episcopalis instituta est, vsque ad sedis translationem, quindecim habuisse episcopos, quorū primus fuerit Andreas vir sanctus, cuius successor Dominicus tertio Toletano interfuit concilio, in quo Ariana hæresis abdicata est.

Italicensis. Italica, Sili Italici, Traiani Augusti, Adriani Augusti patria, prope Hispalim erat, ut ex Antonino Pio manifestum est: nunc ignoratur.

LAMBRIONENSIS. Legendū opinor, Lambrionensis. Erat autem Flauia Lambria prope Limiam, in Portugallia Interamni.

Lacobricensis. Duas inuenio Lacobricas, alteram in promōtorio Sacro, quod vulgo promontorium D. Vincentii appellatur, cuius nunc ruinae & antiquorum ædificiorum vestigia extāt, prope Lagos Algarbiorum urbem, in vico qui Lusitana lingua dicitur a Lagoa: alteram ponit Plinius in Vaccæis, & Antoninus Pius XLV. millibus passuum a Palentia, in itinere, quo ab Asturica iitur Tarraconem. Sed vtrius harum fuerit dignitas episcopalis, quis in tanta rei veritate affirmet?

Lamecensis. Lameca etiam hodie in Portugallia ad Durium amnem sedem retinet episcopalem.

Legionensis. Legio Gemina, siue (ut aliqui volunt) Germanica, & regni titulo & dignitate cathedrali etiam hodie celebratur. Hæc singulari priuilegio iam inde a temporibus Gothorum sedi tantum Apostolicæ subiecta, metropolitanum episcopum non agnoscit.

Lotonensis. Narbonensis est provincia, nunc Lodonenfis dicitur. Pro eodem legitur forte mendose in concilio sexto Toletano Lotenenfis.

Lucensis. Duos inuenio Lucenses episcopos in tertio concilio Toletano, quorum alter in Galleciæ provincia, hodie Lugo dicitur, & Sueuorum tempore metropolitanus erat, ut ex conciliis patet: de altero quid sentiam, in Bracarenfi declaratum est. Chronica Regis Alfonsi Lucensem in Tarraconensi ponit: sed in Tudensi, vnde ea ad verbum translata sunt, pro Luca legitur Auca.

MAGALONENSIS in Narbonensi est provincia. Huius ciuitatis episcopus secundo Bracarenfi concilio interfuit.

Malacitanus in Bætica, hodie nomen retinet, Malaga.

Mentefanus. Mentefa in Bætica Resendio est, quæ nunc dicitur Montio, neque abludente vocabulo, & Roderico Archiepiscopo Toletano propemodum affirmante, dum ait lib. 3. cap. 22. Mentefam fuisse prope Giennium. Mentefanus episcopus postea in Giennensem translatus est. Mentefanus episcopus Pardius Eliberitano concilio interfuit.

NARBO-

NARBONENSIS in Galliis notior, quam ut de eo quicquam dicendum sit.

Nemaufensis in Narbonensi prouincia, hodie Nimes.

Nouiensis. Nouium Ptolemæo in Gallecia ponitur, & sunt qui arbitrentur esse urbem eam quæ hodie Noya appellatur: sed an de ea dicatur episcopus Nouiensis, penes eruditiores esto iudicium.

OLISPONENSIS. De Olisipone tacere quam pauca dicere fatius est. Ea inter celeberrimas non dico Hispaniæ, sed totius Europæ ciuitates merito non postremum locum obtinet. Tempore Gothorū Emeritensi suberat ecclesiæ, postea Bracarenfi. Errant qui sub Hispalensi fuisse scribunt. Tempore Ioannis Portugalliæ Regis eius nominis primi, ex cathedrali ecclesia facta est metropolitana.

Orcelis. In concilio Arelatenfi secundo, quod tempore Constantini Magni celebratum est, in subscriptionibus ita reperio: *Ex Hispania ciuitate Orcelis, Natalis presbyter, Ceterius diaconus*. Eam ciuitatem Ptolemæus in Bastitanis ponit. Non desunt qui pro Orcelis, Ocelis siue Oceli legendum putēt, & de Ocelo Durii, quam Antonius Nebrissenfis & nonnulli alii Zamoram esse suspicantur. Ego iudicium huius rei in medio relinquo.

Oretanus. Oretani in confinio sunt Tarraconensis Bæticæ & Lusitaniæ. Vulgo Calatraua. Nunc episcopum non habent, sed conuentum equitum militiae ordinis Cisterciensis, qui cognominatur a Calatraua.

Oscensis nomen adhuc retinet & dignitatem in Aragonia. Præter hæc Academicam habet non ignobilem.

Ossonobensis. Ossonoba ciuitas erat in regno Algarbiorum, prope ciuitatem quæ dicitur Pharus. Mauris dicta est Exuba. In locum episcopi Ossonobensis successit Siluenfis. Ossonobensis episcopus Vincentius interfuit concilio Eliberitano.

Oxomensis, pro quo perperam aliquoties legitur in conciliis Oxouienfis, nomen & antiquam sedem retinet. vulgo enim Osmā dicitur. Hæc ciuitas Plinio & Ptolemæo Vxama nominatur.

PACENSIS. Pacem Iuliam existimāt quidam esse eam quæ Badaioz hodie dicitur, & Pacensis episcopatus nomen retinet, sed vehementer hallucinantur, cum Pax Iulia, pprie sit in Lusitania, quæ Beia nunc appellatur: quod ex Antonini Pii itinerario clarius est, quam ut negari possit. Præterea in Chronico quodam perantiquo, cuius mihi copiam fecit Resendius noster, reperi Begiam ciuitatem adhuc tempore Maurorum Paccam appellatam. Conuentus etiam erat Romanorum celebris. Nunc quidem ciuitatis nomen retinet, sed episcopalis sedes simul cum titulo in Badaioensem ciuitatē translata est. Cui nunc sedi merito præsider illustrissimus D. Franciscus a Nauarra, non tantum inclyto regum Nauarræ stemmate clarissimus, sed etiam sanctitate vitæ, grauitate, eruditione multa, & omnibus animi corporisque dotibus exculissimus. Alii episcopum Pacensem ab ipso statim initio dictum affirmant a Pace Augusta, vrbe & colonia Romanorum, Anæ fluuio apposita. Nam Pax Augusta Maurorum corruptione in Baxaugus, deinde in Baxaxos degenerauit. Quæ vrbs quāquam ex parte Bæticæ apposita est Anæ fluuio, tamen quia Lusitanæ iurisdictioni contributa erat a Romanis, idcirco ab eis inter Lusitanas censebatur. Quæ ratio eadem est Metellinensis coloniar. Horum me admonuit Ioannes Genesius Sepulueda.

Palentinensis. Palentia nihil adhuc de nomine & pristina dignitate mutauit, nisi quod olim Palantia dicta est.

Pampelonenfis, seu potius Pompilonensis. Ne Pampelona quidem quicquam ab autoritate & appellatione pristina degenerauit, caput regni Nauarræ, & episcopatus antiquissimus, ut ex iis patebit quæ suo loco de S. Saturnino dicemus.

Placentinus. Placencia quoque hac ætate antiquo nomine & honore censetur. Portugallensis. Hæc ciuitas ad ostium Durii sita, & amplo portu nobilis ac populosa, tantæ autoritatis, ut non episcopo solum, sed etiam Regibus Portugalliæ titulum dederit. Ea Antonino Pio, si probe constat lectio, Cale dicitur.

SALMANTICENSIS. De Salmantica diximus alibi. Ea nunc est non solum episcopali dignitate venerabilis, sed etiam plurima nobilitate illustris, & Academia

T ij

magnificentissima a Ferdinando Rege nominis eius tertio ac sancto instituta, adeo celebris, ut alieni præconii haudquaquam indigeat. Episcopum habet D. Petrum a Castro, inclito Lusitanorū Regum stemmate clarissimum, sed quem ego non tam natalium splendore, quam præstanti sacrarum literarum peritia prædicandum censeo, cuius illum egregia documenta cum in disputationibus publicis, tum in sacris ad populum concionibus præbentem, non sine magna voluptate animi frequenter audiui.

Segobienfis. De Segobia & eius origine alibi diximus. Ea nomen & decus antiquum obtinet, ciuitas lanificio & aquæ ductu visendo nobilis: in qua mihi inter cætera illud in primis adhibuit, quod illic neminem vidi ociofum, neque mendicū, nisi qui per ætatem, aut morbum opus facere non posset. Nulli deest, vnde victum quærat, aut in quo se exerceat: quod vti nam perinde fieret in aliis Hispaniæ ciuitatibus. Antonino Pio Secobia, Plinio Sagouia dicitur, nisi fallor. Ea quoque Præfulem habet D. Gasparem a Cunniga primariæ nobilitatis virum, atque illustris Mirandæ Comitis filium, a Carolo Augusto Salmantica, quum nihil minus vel ambiret vel cogitaret, a publica sacræ Theologiæ professione ad obeundum episcopi munus magno tum vitæ integerrimæ, tum præstantissimæ eruditionis merito vocatum.

Segobricensis. Segobrica in Aragoniæ regno, nunc quoque episcopum habet, & non nihil mutato nomine, Segorbia dicitur. 20

Segontinus. Segontia prope in confinio Castellæ & Aragoniæ sita, de nomine antiquo & episcopali sede nihil mutauit. Hanc perperam aliqui Saguntum fuisse dicunt. Quanquam docti nonnulli arbitrantur eam a Sagūtinis, post euerisionem vrbs suæ eo commigrantibus conditam.

Setabiensis. Setabis, siue (ut in antiquis epitaphiis scribitur) Serabis, in regno Valentiniæ, nunc Xatiua dicitur, sed episcopum non habet.

Sibariensis. In concilio Eliberitano inter alios episcopos subscripsit etiam Ianuarius Sibariensis episcopus, in margine alias Salariensis. Sibarim in Hispania nusquam inuenio, neque adduci possum, ut suspicer Sibariensem, pro, Sarabriensem scriptum. Nam Sarabrim alii Zamoram, alii Taurum fuisse volunt, pro quo in Antonino nescio an perperam legitur Sabaria, & verisimile est aliquem in ea regione fuisse episcopatum, cui successerit Zamorensis. Salarias duas in Hispania ponit Ptolemæus, alteram in Oretanis non procul Castulone, vti etiam ex Plinio colligitur, alteram in Bastitanis, non longe ab Abula. Reliqua in lectoris iudicio relinquo. Illud tamē addā, tempore concilii Eliberitani aliquot in Hispania fuisse episcopatus, quorū in conciliis tempore Gothorū celebratis nulla reperitur mentio.

Sitalensis, in duo decimo concilio Toletano, vbi in margine alias Sitianensis, alias Sitenfis. Sitia Plinio oppidum est Batiæ Cordubensis conuentus. Nihil præterea de hac ciuitate legi.

Suffetulenfis. Suffetua ciuitas est Africa, ut ex D. Cypriano, & S. Victore Vitenfi episcopo constat. Sed apud D. Cyprianum in libris impressis mēdofe legitur in concilio Carthaginensi, Priuatianus a Suficula, pro, Suffetula. Antoninus Pius huius ciuitatis meminit, & dicit abesse a Carthaginē M. P. CLXXII.

Tabetanus. Hunc quoque Africanum fuisse suspicor ex eo, quod apud D. Cyprianum inter subscriptiones reliquas inuenio: N. a Tabeis.

Tarraconensis. Tarraco tam celebris fuit pristinis temporibus, ut nomen amplissimæ prouinciæ dederit, & conuentum habuerit amplissimum: hætenus metropolitanam dignitatem retinet, in regno Aragoniæ ciuitas maritima. Huius ecclesiæ antiquitas ex Prudētio constat, qui episcopum eius martyrem cum duobus diaconis eleganti hymno celebrat.

Tirassonenfis, pro Turiaffonenfis, ut ex Plinio & Ptolemæo legendum constat. Turiaso enim ciuitas est Aragoniæ, quæ nunc vulgo Tarazonā dicitur, non procul a finibus regni Nauarræ: hodie quoque episcopum habet.

Toletanus. Toletanæ ecclesiæ antiquitatem, maiestatem, opulentiam, elegantiam, si dicere velim, nescio hercle an satis pro dignitate possim: De hac re multa

multa scripserunt, nos quoque quædam suis locis delibauimus. Illud in præsentia satis sit dixisse, Archiepiscopum Toletanum in Hispania, post Reges ac Regiam prolem, nulli esse neque dignitate, neque fortunæ amplitudine secundum.

Tuccitanus. Tucca in Bætica erat, non procul Castulone, ut ex epitaphiis constat, quæ vidi apud Andream Resendium. Plinius ait fuisse conuentus Astigitani. Nunc quæ fuerit, ignoratur, tantum abest, ut episcopum habeat.

Tudensis. Tude siue Tyde in Gallecia ad Miniuum amnem sita, nunc Tuy appellatur, & etiam nunc dignitate cathedrali gaudet.

Tullicensis. Tullicam Ptolemæus in Hispania prope Cantabros ponit, in Autrigonibus, quorum caput Calagurtis est, ut annotauit Episcopus Gerundenfis. Quam tamen Ptolemæus in Vasconibus ponit.

VALENTINVS. Valentia regni amplius metropolis, & ciuitas ipsa magnificentissima, notior est, quam de qua dicendum aliquid sit. Illud tantum animaduersione dignum, quod in concilio Toletano tertio tres inuenio Valentienses episcopos, Wiligisclum, Celsinum, Murilam. De duobus idem dicendum arbitror, quod de Bracarēsis & Lucensibus diximus, quia Wiligisclus inter episcopos abiurates subscribit. Tertius forte fuit ex Valentia Galliæ.

Valerianensis. Valeria olim dicebatur, quæ nunc Concia, vulgo Cuença dicitur, & episcopus Conciensis dicitur, qui Valerianensis appellabatur.

Vellenfis. Forte Veliensis, nam Veliam Ptolemæus in Autrigonibus ponit prope Bardulos. Bardulia verò dicebatur olim, quæ nunc Castella vetus.

Vescienfis. Vesci oppidum Plinio, sed & Ptolemæo in regno Gratiatē ponitur. In Decretalibus extat epistola Innocentii III. ad Archiepiscopum Tarraconensem, in qua fit mentio episcopi Vicensis. Sed eum esse opinor, qui nunc Vicquensis dicitur. Nam ciuitas Vescienfis tūc in potestate erat Maurorum. Quæ vero fuerit, mihi nondum constat.

Vicenis siue Viseensis. Viscam ciuitas Portugalliæ non ignobilis, dignitatem antiquam & nomen retinet.

Vrcitanus. Vrci oppidum, quantum ex Plinio & Ptolemæo patet, non procul Murcia erat, forte quod nunc appellatur Almeria, & Pomponio Melæ dicitur Virgi. Alii dicunt esse oppidū Aragoniæ in cōfinibus regni Nauarræ, quod hodie Verga appellatur. Hoc ego potius Virgi appellatum crediderim.

Vrgellitanus, alias Vrgellenfis, in regno Aragoniæ hodie nomē & episcopalem sedem retinet.

Has vique ad Gothorum in Hispania excidiū ciuitates episcopali sede insignes reperire potui, ex quibus quædam in ignobiles vicos redactæ sunt, & ruinas antiquæ superbiæ tantum ostentant, præclarum inconstantie rerum humanarum documentum: quædam funditus interierunt, scilicet ne nobis caduci homunciones immortalitatem vana spe mentiamur, quum etiam præclarissimæ vrbes ita intercidant, ut ne nomen quidem aut vestigium vllum super sit.

De recentioribus Hispaniæ episcopatibus. Caput XXI.

POST vindicatam a Barbarorum tyrannide Hispaniam, partim antiquis ciuitatibus episcopalis dignitas restituta est, partim noui episcopatus instituti, nimirum qui sequuntur.

Badaiocensis, hodie quoque Pacensis dicitur, mutata tamen sede, quod alii negant. De quâ re superius in Pacensi latius diximus.

Burgenfis, mutata sede ex Aica ciuitate antiqua, de qua iam dictum est, in Burgensem ciuitatem insignem, & Castellæ veteris (hoc est Barduliæ) metropolin. Ea nunc episcopum habet reuerendissimum Cardinalem D. Franciscum a Bobadilla, maiorum imaginibus clarissimum, sed integritate vitæ, & optimarum disciplinarum studiis, atque eruditione multa clariorem, cui velut bonarum artium patrono, vitam longissimam & omnia prospera merito studiosi omnes optare debent.

Ciuitatensis, in confinio Castellæ & Portugalliæ. Ciuitatensium mentio fit in epistola decretali Hilarii Papæ, quæ extat priori tomo conciliorum. Sed ex ea non constat, quod tum episcopum habuerint.

Compostellanus. Compostella primum villa, deinde municipium, postremo ciuitas episcopali sede nobilis, vt ait Paschalis Pontifex Rom. in diplomate quo illam ecclesiam pallii honore donat. Compostellanus episcopus Iriensi mutata sede, sed retento nomine dictus est Iriensis, a tempore Alfonsi Casti, quo tempore sanctissimum beati Apostoli corpus Theodomiro Iriensi episcopo sanctissimæ vitæ viro reuelatum est, vsque ad Alfonsum sextum. Cuius tempore Vrbanus Papa eius nominis secundus, anno pontificatus sui octauo, hoc est, anno domini millesimo nonagesimo quarto siue quinto, precibus Dalmachii ex Cluniacensi monacho Iriensis episcopi, & sedem & omnia quæcunque Iriensis ecclesiæ fuerat, Compostellam transtulit, & Compostellanum deinceps appellari, non Iriensem episcopum iussit. Præterea Compostellanam ecclesiam hac prærogatiua donauit, vt quæ ad illud vsque tempus Bracarensem Archiepiscopum agnouerat, nulli in posterum, præterquam Romano Pontifici, metropolitano subesset Episcopo. Quæ omnia successor ipsius Paschalis, qui Cardinalis adhuc legatus in Hispania fuerat, paulo post confirmauit, simul illud adiecit, vt Cardinales in ecclesia Compostellana crearentur. Postea quoque anno domini supra millesimum ceteresimo quarto, Præsulem Compostellanum pallii honore cumulauit. Postremo Calixtus secundus, anno Pontificatus sui secundo, & salutis nostræ plus minus, millesimo centesimo vigesimo secundo, Compostellanam ecclesiam metropolitana dignitate sublimauit, & in eam omnia Emeritensis ecclesiæ iura transtulit, omnesque illius suffraganeos Compostellano Archiepiscopo parere iussit. Id quod fecit adductus tum singulari sua in B. Iacobum & Compostellanam Ecclesiam pietate, præsertim quod in ea frater ipsius Raimundus, Tolosæ Comes, Alfonsi vii. pater sepultus esset, tū precibus ipsius Alfonsi Hispaniæ Imperatoris, cuius ipse patruus erat, & olim puerum in ea ecclesia sacro baptismi lauacro tinxerat, atque in Regem vnixerat. Nec his contentus D. Didaco Compostellano Archiepiscopo vices suas in Bracarensi & Emeritensi prouincia commisit. Hæc eo accuratius ex historia Compostellana collegi, in qua & Apostolicæ de iis rebus literæ descriptæ sunt, quod quæ hæctenus super hac re vulgo prodita leguntur, non satis mihi videantur autoritatis habere. Habet nunc Compostella præsulem Reuerendissimum Cardinalem, D. Ioannem a Toletano, ex illustrissima Toletana familia, virum antiquo stemmate & multis animi dotibus præclarum.

Eunensis. Eunensem in Aragonensi prouincia ponit Marinus Siculus, sed esse Elnensem siue Helenensem suspicor, de quo suo loco dicemus. Alioqui ingenue fateor, me de Eunensi episcopo nusquam alibi quicquam legisse, atque adeo ne audisse quidem.

Gaditanus, a Gadibus insula celebri, quæ hodie dicitur Calis.

Giennensis, ex Mentefano nomen & sedem mutauit, vt diximus.

Granatensis. De Granatæ origine in Eliberitano scripsi, quæ in Rase Miramolini Marrochiorum & Cordubæ Regis historiographo reperi. Ea igitur ex castello non admodum celebri eo amplitudinis creuit, vt metropolis ampli & opulenti regni fuerit, quod regibus Barbaris, vt ait Antonius Nebrissenis in principio de bello Granatensi, singulis annis decies centena millia ducatorum aureorum pendebat. Eam Reges Catholici Barbarorum tyranni delibetam, metropolitanam merito fecerunt, fortasse Eliberitana sede illuc translata, sed pallii iure amplificata. De qua re suo loco latius.

Guadicensis, olim Accitanus, nomen tantum mutauit.

Guardiensis, hodie quoque corrupto vocabulo Egitanensis dicitur, mutata tamen sede, vt in Egitano diximus. Hunc episcopatum Rex Portugalliæ Ioannes iii. in duos diuisit, Guardensem & Portalegensis, nimirum quod amplior videretur, quam vt ab vno recte administrari posset.

Lericensis, in Portugallia non procul Conimbrica, episcopatus nuper institutus auctoritate

toritate Pauli i. i. summi Pontificis, præsulem habet perquam Reuerendum Patrem F. Blasium, ordinis Diui Hieronymi, virum integritate vitæ omnibus valde commendatum, & seuerum monasticæ obseruantie instauratorem.

Mindoniensis, vulgo Mondonnedo in Gallecia. F. Antonius a Gueuara, ciuitatis huius episcopus, memoriæ prodidit in epistola quadam, sedem episcopalem ex Ribadeo ciuitate Galleciæ translata in Mindonensem. Perperam nonnulli Mindonensem cum Dumienſi confundunt, vt suo loco declaratum est. In historia Compostellana inuenio episcopum Mindonensem olim etiam Vallibriensem appellatum.

Mirandensis. Miranda hæc ciuitas est in Portugallia quam appellauimus Trásmontanam, non procul Brigantia, ad Durium amnem sita. Eam ante annos, opinor, sex, Ioannes Portugalliæ Rex episcopali sede donauit, ex auctoritate Pauli i. i. summi Pontificis. Primum in ea episcopum instituit dominum Toribium Lupum, virum ob integritatem vitæ ac prudentiam singularem, & alias animi dotes, hoc honore dignissimum.

Ouetensis. Hanc ecclesiam Froila, quartus ab Hispaniæ recuperatione Rex, ædificasse & cathedralem constituisse dicitur, quam postea Leo Papa tertius rogatu Regis Alfonsi Casti metropolitanam fecerit: sed ex historia Roderici Archiepiscopi Toletani constat, hoc non a Leone iiii. sed Ioanne vii. neque sub Alfonso Casto, sed Alfonso Magno factum, vbi etiam ipsum exemplar Apostolicarum super ea re literarum extat. Ouetensis ecclesia semper venerabilis extitit, multitudine sanctissimarum reliquiarum, quæ tempore illo miserabilis excidii ex omni Hispania in Asturias comportata, demum in ea ecclesia repositæ sunt, vbi etiam hodie summa cum veneratione seruantur. De qua re suo loco plura dicemus.

Portalegensis. Hic episcopatus ab hinc biennio institutus a Paulo i. i. rogatu Ioannis Portugalliæ & Algarbiorum Regis, ex ea Guardiensis episcopatus parte quæ trans Tagum longius aberat, quam vt ab vno recte administrari posse videretur. Præsulem habet dominum Iulianum ab Alba, multis magnisque animi dotibus ornatissimum, sed pluribus & maioribus vitæ meritis suspiciendum, denique de cura ouium suarum & officio recte faciendo ita sollicitum, vt verum pastorem facile agnoscat.

Syluensis in regno Algarbiorum, mutata sede, Ossonobensi successit, vt iam dictum est.

Zamorensis an alicui successerit, in tanta rei antiquitate, non est interpretatu facile. Sunt tamen qui affirmant, de nouo institutum episcopatum, petente Alfonso Hispaniarum Imperatore, a Calixto secundo Romano Pontifice, circa annum Domini millesimum centesimum decimum nonum, Pontificatus Calixti anno primo, ea que de re extare instrumenta Pontificia & Imperatoria in archiuis illius ecclesiæ. Primum vero Zamorensis episcopum fuisse quendam Bernardum Toletanum Canonicum, qui obiit anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono. Successisse huic Stephanum virum sanctum. Aliqui Zamorensis dixerunt fuisse Numantinum episcopum. Sed Episcopus Numantinus nunquam fuit. Numantia enim multo ante salutarem Christi natalem diruta, nullo post tempore fuit instaurata. Atque hæc de episcopis Hispaniæ.

Postremo illud addendum videtur, de primatu Hispaniæ penes quem fuerit, certo decerni non posse. Nam in conciliis primum Archiepiscopi, deinde Episcopi secundum ordinationis suæ tempus sedebant, quod patet tum ex ipsis conciliorum subscriptionibus, tū ex primi concilii Bracarenſis capite vigesimo quarto. Sed quantum ex Hispanorum annalibus colligi potest, primatus Hispaniæ primum in Hispalensi fuit ecclesia, deinde Toletana, vsque ad excidium illud Hispaniæ funestum. Postea vero quum Toletum adhuc esset in Barbarorum potestate, Bracarenſis Archiepiscopus ea dignitate functus est, vt ex iis constare potest, quæ ex ecclesiæ Bracarenſis archiuis diximus, dum de Bracarenſi præsule loqueremur. Denique restituto Christianis Toletano, dum Bracarenſis acquisitam semel dignitatem sibi vendicat, Toletanus amissam postliminii iure reperit, contentio

tentio inter eos orta est, vt ex primo libro Decretalium apparet, & adhuc sub iudice lis est.

Illud quoque obiter dicendum, ne quem offendat, quod in ipso Chronici cursu frequenter Toletanum Episcopum, Hispalensem Episcopum, non Archiepiscopum, dicimus. Nam rationem illius temporis sequimur, quo tempore tam Episcopi quam Archiepiscopi, ex æquo vocabantur Episcopi, sed Archiepiscopi metropolitani cognomine distinguebantur. Solus Pontifex Romanus dicebatur Archiepiscopus, quippe omnium episcoporum summus & vere princeps: quod ex antiquis conciliis manifestum est.

De Æra, & quantum differat ab anno natiuitatis Christi. Cap. XXII.

POSTREMO loco dicendum videtur aliquid de Æra, & quotannis prior sit anno natiuitatis Christi. Inter alias designandi temporis rationes, Hispani præcipue hac vsi sunt, non solum ecclesiasticis in rebus, verum etiam in scripturis prophanis, vt annos per Æras distinguerent, quod apud alias nationes non perinde vltatum fuit. Vnde in conciliis antiquis raro admodum Æram inuenias, præterquam in iis quæ in Hispania celebrata sunt. Quod opinionem Gerundensis episcopi adiuuat, qui ait hanc Augusti constitutionem de orbe describendo, atque ære in tributum dando in Hispania Tarracone factam esse, multis annis antequam promulgaretur. Quod vt affirmare non audeam, donec aliunde certius mihi constet, ita non temere factum arbitror, vt Hispani præ cæteris nationibus hoc notandi temporis modo peculiariter vterentur. Sed illud mirum quia autoritate affirmauerit idem, Æram anno Christi tantum viginti sex annis priorem esse, & errare eos qui plures addant, quum cõtrarium omnes, tam qui Latino, quam qui vernaculo sermone de rebus Hispaniæ scripserunt, sentiant, atque omnes ex æquo annu natiuitatis Christi Æra triginta octo annis posteriorẽ ponant. Quod duorum grauissimorum autoritate scriptorum probandũ duxi, tamen si res extra cõtrouersiam alẽ esse videatur. In Eusebio Alcobaciensi manu scripto, in quarto Augusti Cæsaris anno, hæc verba in ipso contextu reperi: *Hoc tempore edito Augusti Cæsaris as in tributũ & census dari iubetur, ex quo æra collecta est.* Quæ verba in Eusebio impressis, nescio qua de causa, omissa sunt. Igitur quatuor annis si addas triginta octo, habebis quadragessimum secundum Augusti annu: quo anno natus est Iesus Christus mundi seruator. Si quis forte tergieretur, & calumniari velit, hæc annotationem esse supposititiam, quod in vulgatis exemplaribus non reperiatur: habeo diuini Isidori autoritatem, qui aperte dicit in Chron. Gothorũ, anno ante Æram constitutã duodecimo, pro accipiendõ Reipub. imperio, Cn. Pompeiũ & C. Iul. Cæsarem arma ciuilia commouisse. Hoc vero factum est L. Paulo & C. Marcello Coss. a quibus vsque ad quartum Augusti annum, Cassiodorus duodecim annos numerat. Idem S. Isidorus paulo post, primum Valeriani & Gallieni Imperatorum annum, Æra ducentesima nonagesima quarta fuisse dicit, cui numero si octo & triginta detrahas annos, habebis annum domini ducentessimum quinquagesimum sextum, quo anno Eusebius eos inauguratos imperio scribit. Vnde mihi suspicari libet, Augustum Cæsarem iam tum, quum inito Triumuiratu cum Lepido & Antonio imperium orbis, velut censum aut hæreditatem paternam, inter se partiti sunt, hoc editum cõscripsisse, quod multis post annis promulgauerit, ac forte in Hispania tum, quum domitis Cantabris & Asturibus, vniuersa Hispania tranquilla ac pacata potitus est. Cuius edicti quum mentio fiat in Euangelio Luc. 2. & etiam Iosephi libro Antiquitatum 18. mirũ est Romanos scriptores nihil omnino meminisse. Quod vero ab illo edicto hæc designandi tẽporis ratio exorta sit, præter alios docet S. Isidorus Etymolog. lib. 5. c. 36. his verbis: *Æra singulorum annorum constituta est a Cæsare Augusto, quando primum censu excogitato, Romanum orbem descripsit. Dicta autẽ Æra, ex eo quod omnis orbis æs reddere professus est Reipub. Hactenus ille. Dicta est quidem Æra, non tamen inde natum vocabulum, quod multo antiquius est. Nam Lucilius Poeta eo vsus est ad hunc modum: Æra numeri subducta improbe.* Erat enim Æra, numeri nota in moneta, designans quantum valebat. quod post Noni-

Nonium Marcellum, etiam notauit Ambrosius Calepinus. Hæc vero temporis per Æras significandi ratio, in Aragonia sublata est a rege Petro eius nominis quarto, anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo, in conuentibus Valentia celebratis, vt annotauit Petrus Antonius Beuter: in Castella vero, anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio, ab Ioanne Rege eius nominis primo, dum conuentum regni sui Segobia ageret: postremo etiam in Portugallia, ab Rege Ioanne primo, postquam Septam Africa vrbem munitissimam vi bellica Sarracenis ademit, circiter annum domini millesimum quadringentesimum decimum quintum. Atque ita communi omnium Hispaniæ regum decreto cautum est, vt in actis publicis anni a natiuitate Christi in posterum perpetuo numerarentur. Postquam hæc scripsissem, admonitus sum a Ioanne Genesio Sepulueda, longe aliam esse Æræ originem, quam a S. Isidoro & aliis scriptoribus prodita sit. Cuius de hac re annotationem, quia non solum ingeniosa, verum etiam erudita mihi visa est, ad verbum hic adscribendam duxi. Ea habet adhuc modum. In Augusti Principis gratiam, Hispani non solum vrbem ad ripam Iberi amnis Cæsaraugustam nominarunt, sed etiam temporum rationem, vt Romani ab vrbe condita, sic ipsi ab Augusti Cæsaris principatu repetere constituerunt. Mansitque ea consuetudo ad annum vsque Christi nati millesimum trecentessimum octogessimum tertium. Tunc enim lege cautum est ab Ioanne primo Castellæ Rege, vt deinde anni & tempora a Christi natali die, velut a capite, deducerentur, omissa Æra Cæsaris. De cuius initio & nomine multa a multis tum veteribus, tum recentioribus falso tradita sunt, nec quisquam quem quidem vel legerim vel audierim, quæstioni satisfecit. Erroris autem origo fuit, quod hæc temporum ratio Æra nuncupata, Christi natale triginta octo annis antecedit. at hoc incidisse constat in quadragessimum secundum annum Augusti principatus, cuius initium scriptorum consuetudo idem quod Triumuiratus facit. Huius igitur quatuor annorum interualli consideratio, multorum ex nostris ingenia torfit, qui cum exitum non inuenirent, in varias & commentitias opiniones, atque adeo mera somnia discesserunt, quæ refellere nec huius loci est, nec magni negotii, vt ipsi alias pluribus verbis explicuimus. Cæterum non fuerit alienum, quemadmodum mihi omnia diligenter perpẽdenti, & veterum de temporibus illis monumenta collustranti difficultas expediri posse visa est, paucis explicare. Sic enim existimo, vt res ipsa docet, veteres Hispanos ea ratione gratia ab Augusto Cæsare inite molientes, non ab ipso statim principio Triumuiratus initium huiusmodi supputationis Æræ constituisse, cũ Augustus, Antonius, & Lepidus communi consilio & auctoritate rem Romanam administrare cõperunt: sed ab eo tempore, cum orbe partito, Hispania, & Gallia, & reliquæ citra Ionium mare regiones occidua, in vnus Augusti imperium cõcessere, & reliquus orbis ad Orientẽ Antonio permissus est, Africa vero attributa Lepido. Quam partitionem factam fuisse post bellum Perusinum, statim post Lucii Antonii consulatũ, hoc est quarto Triumuiratus anno, qui fuit Hircio & Pansa Coss. & tertio post anno, cũ Publio Seruilio Luctum Antoniu fuisse Consulem, Aurelius Cassiodorus est autor. Æra igitur qua multos annos atque sæcula, præter aliarũ gentium consuetudinẽ, vsi sunt Hispani, recte, vt est, sic Augusti Cæsaris nominatur, initiumque sumpsit ab anno cũ Hispaniarum imperium ad ipsum solum delatum est, qui annus, vt exposui constataque, tricesimus octauus ante natum Christum numeratur. Huius vero vocis Æra, quam noster Isidorus, autor alioquin grauissimus, & fere posterius, ad æream monetam & tributum ab Augusto Cæsare in descriptione orbis imperatum referendam falso putarunt, rationem paucis explicabo. Veteres enim initio (vt equidem pro comperto exploratumque habeo) scripturas claudentes, tempus ad hunc modum adscribebant: Acta fuerunt hæc, exempli gratia, Cordubæ, pridie Calendas Maii. Annus erat Augusti Cæsaris centesimus quinquagesimus. Deinde breuitatis causa sic verba ad annum pertinentia signabant, A. E. R. A. C. Æ. S. C. L. initia dumtaxat verborum punctis distincta pro totis verbis notates, vetustissimo properantiũ librariorũ more. Et huiusmodi multa in tabulis æneis & lapidibus olim scripta licet animadu-

mauertere. Postea librariorum tabellionumque temeritate & inscitia punctis ablatis, scribi cœpit, *ÆRA CÆS.* & ab aliis magis etiam properantibus *ÆRA*, duntaxat adhibito numero per notas. Quo errore latius serpente, quæ quis annorum ab aliquo velut capite deducta ratio, primum ab Hispanis, deinde a cæteris astrologis *Æræ* cœpit nuncupari. Hactenus ille. Postea vero rogavi virum doctissimū Didacum Neilam Canonicum Salmanticensem, vti per literas percōtaretur Sepuluedam, an aliquam haberet opinionis suæ autoritatem. Respondit ingenue, vt candidum virum decebat, nullam se habere præter coniecturam verisimilem. Mox Resendum consului, ne quid inexploratum relinquerem. Is mihi respōdit ad hunc modum.

L. Andr. Resendus Ioanni Vasæo viro doctissimo S.

CIRCITER Cal. Maias Vasæe literas tuas adcepi, datas nonis Februarii Salmaticæ. Adcepi autem Conimbricæ, quo me Regia auctoritas (ita enim blandiri mihi malo, quam vim adpellare) transtulerat, hoc est, ab honesto & quieto otio in negotium turbulentissimum, a musæo in pistrinum, vbi sine vlla intermissione ad extremam defatigationem est molendum. Nec satis scio quid conquerar, neque quid non conquerar, nisi quod hoc quidquid est, irato meo genio mihi contigisse certo ego scio. Non igitur vacauit, imo ne nūc quidem vacat, postulationi tuæ adcuratius paulo respondere, vti amico amicum par erat, tamen ne nulla ex parte satisfaciam tibi, cui equidem semper ex omni, pro tua in me benevolentia, studui satisfacere, scito me de *Æra* nihilo plus cogniti, nihilo plus comperti habere nunc, quam habuerim tunc, quum de ea re præsens mecum egisti. Neque ego de initio eius loquor. Nam satis manifeste adparer, incepisse ex eo tempore, quo ex partitione Triumviri vtraque Hesperia Octauio cecidit, post annos quatuor quam est interfectus C. Cæsar. Loquor autem de origine tantū vocabuli, vnde videlicet *Æra* nominetur, quæue nominis eius causa fuerit. Nam quod alii ab *ære* dando, id est, a censu, qui Augusti indictione soluebatur, *Æram* nominatā arbitrantur, non admodum probō: multo etiā minus, quod alii ab hero, id est domino, heram dici volunt, quasi dominationem. Commētum autem Genesii Sepuluedæ, quo ex compendio scriptionis *A. E. R. A.* Cæsi id est, annus erat Augusti Cæsaris, fecisse imperitos *Æram* Cæsaris, nobis nititur persuadere, fateor, non sine admiratione, propter hominis eruditionem, legi. Libenter enim ab illo quærerem, num literarum illarū compendium existimet scribis tantum fuisse cognitum, quasi esset simile illi Hebræorum elemētorum arcano, quod apud ipsos Cabala nominatur, aut hieroglyphicis notis, quib. veterum Ægyptiorum obducta implicataque erat sapientia, quarū mysteria quum solis essent cognita sacerdotibus, a patribus adcepta quasi per manus posteris proderentur, an magis compendiarum istam formulam etiam in vulgus emanasse arbitretur. Huic parti si, vt doctum facere æquum est, adlentatur: respondeat, quonam tempore Hispanos autemet in tātam animi, vt ita loquar, supinitatē deuenisse, stantibus ne adhuc in Hispania Romanis rebus, ac vigente imperio, an postea quam conlabi ad Gothorum irruptionem cœperet Florētibus rebus id fieri nequaquam potuit, quum Latina lingua multum non Romani modo qui in Hispania erant, sed ipsi etiam Hispani vterentur. Ad hæc, quum Hispania primum in prouincias duas, hoc est citeriorem & vltiorem, deinde in tres, Tarraconensem, Beticam, & Lusitaniam esset diuisa, tum deinceps propter magnitudinem diuisa trifariam Tarraconensi, Gallecia facta sit quarta, Carthaginensis vero quinta, vt scribit ad Valentinianum Sextus Rufus, nec ibi finis, sed diuisa quoque Lusitania, sexta numero cœperit esse Vettonia: atque hæc omnes prouinciæ siue consulibus, siue procoess, siue prætoribus, siue proprætoribus, siue præsidibus, siue legatis regerentur: præterea scribis, logistis, tabulariis, tabellionibus, hominibus vel Romanis, vel certe Romanæ linguæ peritis, plenæ essent, etiam vsque ad tempora Maiorani Cæsaris, qui regnare cœpit circiter annum Seruatoris nostri cccclxxxii. consentaneum profecto non est, ignorasse eos vim harum literarum

A. E. R. A.

A. E. R. A. Si autem postquam in Hispanias Gothi inuaserūt, id accidisse dicat, rursus quærerem, subito ne id, an paulatim potius? Subito ac repente extinctam fuisse notitiam illorum verborum quibus tam frequēter in tabulis vterentur, persuaderi ego non possum, nisi me doceat Genesius, lethargo fuisse tū simul correptos Hispanos omnes. Paulatim enenit, inquiet. En rursus eodem luto, in eadem hæremus salebra, vt nimis sane videatur esse mirum, vix centum annorum intervallo, in tantum rem obsoleuisse, vt etiam ad Leādrum illum, ac adeo Isidorum, multarum eruditionis tum diligentiarum hominem, vulgatissimus quatuor illarum literarum intellectus minime perueniret, vt consilia vetustissima, nempe Bracarense primū *Æra* d. c. x. & Hispalense prius *Æra* d. c. x. v. i. i. celebrata prætermittamus: vt prætermittamus etiam veteres in saxis inscriptiones *Æra* d. x. & d. x. x. & d. l. factas, hoc est, sub Anastasio, & maiore Iustiano. Sed quid quod sub Arcadio & Honorio circa annum nati Seruatoris cccc. integris etiam dum, aut certe minima ex parte adcis in Hispania rebus, Diuus Faustus Regienfis in Gallia episcopus, scriptor satis luculentus, *Æræ* vtitur vocabulo? Quibus verba priore de Spiritu Sancto libro, ita habent: Sacer autem numerus diximus, quia trecenti in *Æra* siue supputatione, signum crucis: decem & octo vero, Iesu adorandum nomen ostendūt. Quibus ego verbis partim, partim etiam ipsa ratione adducor, vt credā, neque ab *ære* dando vocatam *Æram*, vt putauit Isidorus, neque ab hero heram, vt somniāt nonnulli, sed simpliciter a nota numeri, quod *Æra*, sit nota vel supputatio, vt Faustus interpretatur. Ad quam rationem Alphonfus Hispaniarum Rex suam temporum supputationē *Æram* adpellarit. Si quis autem roget, satis ne id Latine: respōdebo Nonii Marcelli verbis, *Æra*, inquit, numeri nota. Lucilius libro 29. Hæc est ratio peruersa, *Æra* numeri subducta improbe. Igitur ab initio, ratio hæc numerandi tempora, ab usque Augusto cœpta, *Æra* nominata est. Neque mouere quenquam debet, eius vocabuli vsum apud probatos auctores minime inueniri.

Multa renascuntur, que iam cecidere, cadent que

que nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,

quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi,

Ait Horatius. Meus Vasæe huc inclinat animus. Sicut aliud placuerit, suo fratur iudicio. Hæc ille. Atque hæc quidem sunt, quæ de *Æra* diligenti studio perquisita inuenire potui. Placuit vero horum sententiam doctissimorum virorū adscribere, de qua iudicium meum in medio relinquo. Nam vtriusque singulari eruditioni tantum tribuo, vt ab alterutro dissentire religio mihi sit. Prudens lector id sequatur, quod magis ipsi probabitur. Nunc Chronicon ipsum, Deo bene fortunante, aggrediamur.

40 CHRONICON RERVM HISPANICARVM, A NATIVITATE CHRISTI, VSQVE AD ANNUM MIL- LESIMVM VIGESIMVM.



QVA nocte nat⁹ est Iesus Christus, illuxit vniuersæ Hispaniæ nubes candida, tantæ claritatis atque etiam calor, vt instar Solis esset meridiani, vt patet ex historia Regis Alfonsi decimi par. i. cap. 107. Verum non hoc soli contigit Hispaniæ, siquidem eam noctem omni luce clariorem fuisse, scribit in sermone de Natiuitate Christi D. Cyprianus, siue quisquis est illius autor, qui certe fuisse pius & eruditus negari nec potest nec debet. Hoc fere tempore floruit Sextilius Hæna poeta Cordubensis, qui de laude & interitu

V

- An. dom.* Marci Tullii carmen composuit. Petrus Crinitus lib. de poet. Lat. 3. Quod carmē recitavit in domo Messalæ Coruini, ut ait Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet.
- 16 Primo Tiberii anno, Hispanis petentibus permisit a Senatu Romano, ut in Tarraconensi Colonia templum Augusto strueretur, datumque in omnes provincias exemplum. Cornelius Tacitus lib. 3. Tiberius Cæsar Cantabros & vicinas gentes latrocinia exercentes, ab Augusto oppressos, ex Augusti Cæsaris instituto, tribus militū ordinibus impositis, non modo pacatos, sed etiam vrbis præditos moribus effecit. Strabo libro tertio. Huic Tiberio Principi nunciauit Olisiponensium legatio ob id missa, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur forma, ut autor est Plinius lib. 9. cap. 5. qui scribit in eodem litore spectatam Nereidem squamis hispido corpore, etiam qua parte humanam effigiem habet, cuius morientis etiam gannitum tristem accolas audiuisse longe.
- 24 Anno Tiberii nono, Vibius Serenus Proconsul vltioris Hispaniæ, de vi publica damnatus, ob atrocitatem temporum, in insulam Amorgum (vna erat ex Cycladibus) deportatur. Cornelius Tacitus lib. 4.
- 26 Hispania vltior, missis ad Senatum legatis, orauit ut exemplo Asiæ delubrum Tiberio matrique eius extrueret. quod Tiberius illis negauit, eleganti ac modesta oratione testatus, mortalem se esse, atque hominum officio fungi malle in animis illorum, quam templis coli: tantum hoc a ciuibus & focis petere, ut quandocunque cōcesserit, cum laude & bonis recordationibus famam nominis ipsius profequantur. Idem. Eodem anno agrestis quidam nationis Termestina, in Hispania citeriori L. Pisonem eius provinciæ Prætorem, pace incuriosum, ex improuiso in itinere adortus, vno vulnere in mortem affecit, qui tandem deprehensus, cum tormentis edere focios adigeretur, voce magna sermone patrio frustra se interrogari clamitauit: adlisterent focii ac spectarent, nullam vim tantā doloris fore, ut veritatem eliceret: idemque cum postero ad quæstionem retraheretur, eo nisu se proripuit custodibus, saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Piso Termestinorum (Termes oppidum est Plinio & Ptolemæo inter Cluniam & Vxamam) dolo cæsus habetur, quia pecunias e publico interceptas acrius, quam tollerarent Barbari, cogebat. Idem.
- 35 Seruio Galba & L. Sylla Coss. Sex. Marius Hispanorum ditissimus, defertur in cestasse filiam, & saxo Tarpeio deiicitur, non dubium, quin magnitudo pecuniæ ei malo verterit. Idem lib. 5.
- 37 D. Iacobus Apostolus filius Zebedæi in Hispania prædicauit Euangeliū Christi, & in tota provincia nouem duntaxat ad fidem nostrā conuertisse dicitur. Quāuis beatus Calixtus in epistola translationis ipsius, dicat illum plures habuisse discipulos, sed duodecim speciales, quorum nouem, dum adhuc viueret, in Gallecia elegisse. cuius tempore prædicationis in ciuitate Cæsaraugusta templum Virgini matri dedicauit, ipsius admonitu, (quod vulgo dicitur, nuestra senhora del pilar) etiam hodie plurimis nobilitatum miraculis, ut Petrus Antonius Beuter Beati Calixti Papæ & aliorum autorum testimoniis confirmat. Atque hæc fuit prima Christianorum toto orbe Ecclesia, ut est constans a multis retro seculis ac perpetua fama & memoria, per quam multa antiquorum gesta, teste Magno Basilio in epist. ad Nepot. nobis velut per manus tradita sunt. Apostolus vero, duobus discipulis in Hispania prædicationis causa relictis, cum reliquis in Iudæam rediit. Beatus Calixtus Papa.
- 39 Caius Cæsar Caligula Romanum suscepit imperium, cuius tempore Herodes, suadente Herodiade incesta Philippi fratris vxore, pro qua Ioannes Baptista occisus erat, ad petendam Cæsaris amicitiam Romam venit: sed accusatus ab Agrippa, Tetrarchiam perdidit, fugiensque in Hispaniam cū Herodiade, mœrore consumptus est, ut autores sunt Seuerus Sulpitius & Beda. Eodem anno, aut saltem sequenti, natus est Cordubæ M. Anneus Lucan⁹ Poeta, patre L. Anneo Mela, Senecæ Philosophi fratre, matre vero C. Acilia Acilii Lucani Oratoris filia, I I I. Nonas Nouēbris, C. Cæsare Augusto Germanico iterū, & L. Cæsario Coss. Cunas infantis qui-

- An. dom.* tis quibus ferebatur, apes circumuoluisse, osque infedisse memoriæ proditū est, dulcem & facundum poetam portendentes. Infans octimestris Romam delatus est. Hæc partim ex Petro Crinito lib. 3. de Poet. Lat. partim ex aliis. Fuere hoc tempore Cordubæ duæ illustres familiæ ac nobiles, altera Annea, ex qua plerique insignes doctrina viri nati sunt, ab hac Lucanus, Senecæ, & alii Annei dicuntur: altera Acilia, ex qua Acilius Lucanus Orator, Lucani aut paternus, & Acilius Buta vir prætorius. Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet.
- Anno primo Tiberii Claudii Cæsaris, D. Iacobus Apostolus ab Herode Agrippa capite truncatus, ut autor est Eusebius in historia ecclesiastica, libri secundi capite nono: quamuis idem in Chronicis dicat decollatū anno trigesimo sexto. Occisus est autem vigesimo quinto die Martii, corpus vero nauigio impositum a discipulis, appulit in Hispaniam octauo calendis Augusti, quo die præcipuum ipsius festum ab ecclesia celebratur, ac depositum est in petra, cuius durities cessit sancto corpori, in ciuitate quæ olim Iria Flauia, nunc vulgo Padron dicitur. Tandem post longas, sed vanas D. Lupæ & Reguli siue Præsidis illius provinciæ illusiones, & vtrunque per clarissima miracula ad fidem Christi conuersum, corpus Apostoli a discipulis translatum est Compostellam, atque ibidem sepultum tertio Cal. Iul. uarias, quo die trāslatione ipsius tota Hispania celebratur. Ita ferme qui de factis Hispaniæ scripserunt. Sed ex epistola beati Leonis III. Papæ cōstat ab iisdem discipulis, a quibus corpus Apostoli nocte sublatum metu Iudæorū, & ab Ioppe naue diuinitus præparata ad Iriam Galleciæ portū delatum est, ad prædiū quoddam quod a dicta vrbe ferme decē & octo millibus passuum aberat, deportatum, vbi (inquit B. Leo) nunc veneratur: & in crypta quadā diruto minutatim idolo a paganis constructo, ac reclusa tellure conditum est facta super domuncula cum altari, sed quæ domuncula (ut annotauit L. Andreas Refendius) crescente indies fide, aucta & locupletata est celebri per orbē sepulchro. Vide Breuiariū Eborense nuper a Refendio recognitū. Sed operæ precii videtur hoc loco subiungere, quod de hac re in Historia Compostellana reperi. id est huiusmodi. Occidit Herodes Iacobū fratrem Ioannis gladio. Cuius beatissimi Apostoli corpus venerandū Iudæi malevolentia & inuidia ducti nec sepelire voluerūt, nec a Christianis qui tunc temporis Hierosolymis erāt, sepeliri permiserūt: sed (sicut Leo Papa in epistola quā de eius passione & corporis ipsius in Hispaniā trāslatione ad Hispanos destinauit, affirmat) integrū corpus cū capite extra ciuitatem proiicientes, canibus, auibus, atq; feris deuorandum consumendumque exposuerūt. Sed eius discipuli ab eo adhuc viuente præmoniti, ut corpus suum in Hispaniam transferrent tumulandum, totum corpus cum capite, teste Leone Papa, nocturno tempore arripientes, ad litus vsque maris citato calle peruenerunt. Vbi dum solliciti de nauigio quo transfretarent in Hispaniam, essent, nauim diuinitus paratam in litore maris inuenerunt. Quam Deo gratias vnanimiter agentes, imposito sacratissimo corpore, læti conscenderunt, & Scylla cum Charybdi ac periculosis Syrtibus manu Domini gubernate deuitatis, primum ad Iriensem portum scelici cursu peruenerunt, deinde venerabile corpus ad locum qui tunc Liberum donum, nunc Compostella dicitur, deferentes, sub marmoreis arcubus sepelierunt. Hos vero discipulos, eodem autore & aliis multis, Diuus Iacobus in Hispania fide Christiana imbuit, qui corp⁹ magistri pro Christo passi in Hispaniam sequuti sunt, & inde Romam profecti, atque ab Apostolis Petro & Paulo infulis episcopalibus ornati, ad prædicandum verbum Dei in Hispanias iterum missi sunt, & ibidem pro Christi fide quam prædicabant, martyrio affecti. S. Cecilius, primus episcopus Eliberitanus prope Granatam. S. Euphrasius, primus episcopus Illiturgitanus in Bætica, hoc est, ut aliqui affirmant, Gienensis. S. Secundus, primus episcopus Abulensis. S. Indallentius, primus episcopus Vrcitanus, quod oppidum sunt qui in Aragonia esse affirmant, in confinibus Nauarræ, & appellari hodie Verga. Huius reliquiarum pars in Ecclesia Burgenfi. S. Ctesiphon, episcopus Abderitanus, secundum alios, secundum Beatum Calixtum Virgitanus. Erat autem Virgi, quam nunc Almeriam vocari aiunt, non procul Abdera, ut ex Pomponio Mela constat. Vide quæ de Vrcitano episcopatu suo

An. dom. Ioco diximus. S. Hefychius episcopus Carthefanus, vel secundum Beatum Calixtum, Carcestanus prope Asturicam fuisse aiunt. Reliqui duo S. Athanasius & S. Theodorus iuxta S. Apostoli corpus quod indefinenter vigilantes seruauerant, alter ad dextram, alter ad sinistram, a populis quos Deo lucrificerant, sepulti sunt: quos Petrus Antō. Beuter libri primi capite vigesimo tertio ab Apostolo ex Hispania in Iudæam redeunte, Cæsaraugustæ relictos, alterum episcopum, alterum presbyterum scribit. Sed hoc cum epistola B. Leonis non concordat. Beatus Petrus martyr, primus Bracarēsis episcopus, etiam fuit S. Iacobi Apostoli discipulus, ut Bracarēsis cantat Ecclesia. Hoc tempore, nimirum sub imperatore Claudio, floruit (ut erudite colligit Ioachimus Vadianus) Pomponius Mela nobilis Cosmographus Hispanus, ex Mellaria oppido Bætica, ut ipse scribit libri 2. capite 6. Atque hæc ipsa Mellaria nobis etiam dedit Turannium Gracculam, quem citat Plinius in præfatione libri 3. Naturalis Historiæ.

46 Anneus Seneca philosophus Cordubensis, ab exilio quo missus a Claudio per inuidiam fuerat, reuocatur, procurante Agrippina Claudii noua coniuge ac matre Neronis, & Prætor Romanus designatur. Cor. Tacitus lib. 12.

50 Tiberius Claudius Nero vndecimo ætatis anno adoptatus a Claudio, Anneo Senecæ philosopho iam tunc Senatori in disciplinam traditus est. Suetonius Tranquillus. Quod Agrippina curasse creditur, ut consilii eius ad spem dominationis vteretur, quia Seneca fidus in Agrippinam, memoria beneficii, & infusus Claudio dolore iniuriæ videbatur. Cor. Tacitus. Hic est ille Seneca philosophus Stoicus & Orator clarissimus, Socionis philosophi discipulus, cuius hodie præclara ingenii monumenta extant. Cuius tam tenax fuit memoria, ut duo nominum millia, quo ordine erant dicta, referret, & ducentos amplius versus semel auditos, ab ultimo incipiens, vsque ad primum recitaret, ut ipse de se referi in præfatione declamationum suarum. Anneum Senecam Romæ non solum Prætorem, sed etiam Consulem fuisse reperio, simul cum Trebellio Maximo, autore Senatus consulti Trebelliani, quos Cassiodorus propterea in catalogo Consulium non posuit, quia honestamenta potius nominis, quam insignia potestatis habuerunt: ita ut querendum reliquerint quibus Coss. Consulatum gesserint, quemadmodum de Seneca & aliis aliquot ait Aufonius in Paneg. Gratia. Ideo horum Consulatum Cassiodorus, opinor, Neroni adscribit. Huius filius fuit L. Anneus Seneca, Tragediarum scriptor celeberrimus, Cordubensis & ipse, ut auctor est Rodolphus Agricola in commentario quem scripsit in præfationem declamationum Senecæ. Habuit & alios duos filios, Nouatū & Melam, quæ Rodolphus Agricola Lucani Poete patrem dicit. Ego tamē Eusebium sequutus, Melā Lucani patrem, fratrem fuisse Senecæ dixi. Habuit. n. Seneca fratres duos Gallionē & Melā, ut ex Cornelio Tacito constat. Quanquā qui animaduertit Senecā & Lucanum eodē fere tēpore neci datos a Nerone, atq; ætatem vtriusq; cōsideret, fortasse Rodolpho Agricolæ credat, Senecam philosophū non patruū, sed auum fuisse Lucani. Eodē fere tēpore floruit Latio Portius Hispanus, eximius orator, & Senecæ admodū familiaris, ut videre est in præfatione declamationum Senecæ. Per hæc tēpora memoriæ prodidit Pet. Ant. Beuter, S. Saturninū, postea Tolosanum episcopū, a Diuo Petro Roma missum in Hispaniam ad prædicandum verbum Dei. Venit vero Pompelonem, & septem dierum spatio quadraginta hominum millia ad Christum conuertit, ut Pompelonensis legit ecclesia, & in his S. Firminum ciuem Pompelonensem Episcopum & martyrem. De quo suo loco.

61 Nero Othonem qui Galbæ imperio successit, charissimū ipsi & omnium consiliorum, secretorumq; participem, ut Poppæa amica eius sine rivali potiretur, per causam legationis in Lusitaniam misit, eiq; prouinciæ præfecit. Quā Otho administravit quæstorius per decem annos moderatione ac abstinentia singulari. Cor. Tacitus lib. 13. & Suetonius in Othone capite tertio.

64 Octauo Neronis anno, Anneus Seneca non ignarus criminationum quibus ipsum mali apud Neronem ad deteriores iam inclinantem adoriebantur, per speciem senectutis & aduersæ valetudinis, eleganti ratione petiit a Nerone, ut liceret sibi pu-

sibi publicis negociis & fortunis omnibus secedenti in ocium se abdere. cuius orationem subdola responsione ac multum beneuolentiæ mentita, Nero velut clauū clauo pepulit, & securum esse iussit. Corn. Tacitus lib. 14.

Marcus Anneus Lucanus poeta in Pisoniana coniuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit, pridie calendas Maias, anno ætatis suæ xxvii. vel xxviii. Partim ex Chronicis Eusebii, partim ex aliis. Eusebius dicit, Melam patrem quadriennio post bona filii a Nerone promeruisse: sed contrarium asserit lib. 15. Corn. Tacitus, interfecti filii rem familiarem acrius requirentem, a Fabio Romano accusatum, tanquā coniurationis conscium, assimulatis Lucani literis, quas cū Nero qui opibus eius inhiabat, ad ipsum ferri iussisset, soluta vena præputissimam mortis sibi quæsiuisset. Lucano mortuo, cuius superstitis gloriæ inuidebat, in monumento marmoreo Nero elogium hoc posuit, quod Romæ inuentum dicit Petrus Crinitus libro tertio de poet. Lat. M. ANNEO. LVCANO. CORDVBENSI. POETÆ. BENEFICIO. NERONIS. CÆ. FAMA SERVATA.

Eodem anno Iunius Anneus Gallio, frater Senecæ, egregius declamator, propria se manu interfecit, mortem eius Nerone in præsentiam suam differente. Eusebius.

Nero Senecam præceptorem suum ad necem compulit, quamuis sæpe com-
meatum petenti, bonisque cedenti persancte iurasset, suspectum se frustra, perit-
urumq; se potius quam nociturum ei, ut inquit Suetonius in Nerone cap. 35. Ius-
sus est autem a Nerone mortem suo arbitrio sibi parare. Igitur apertis primum ve-
nis brachiorum & crurum, cum lentius sanguis ex venis senio arctatis efflueret,
venenum quale Socrates in carcere bibit, hausit intrepidus: & quum ne sic qui-
dem moreretur, in feruens demum balneum illatus, ut calor veneno vires suppe-
ditaret, pauca de animæ immortalitate philosophatus, & cōsolatus Paulinam vx-
orem & amicos præsentem, mortuus est. Corn. Tacitus lib. 15. & Rodolphus Agri-
cola, vbi supra. Mortuus est autē maior annis 114. ut ex ipsius Senecæ præfatione
in declamationes suas facile est colligere. Ait enim, Ciceronem se audire potuisse,
nisi bellorū ciuiliū furor obstidisset, quo se intra suam coloniam continuit. Porro
30 inter bellum ciuile Cæsaris & Pompeii, quo tempore aptum se fuisse dicit audien-
do Ciceroni, & mortem Senecæ, intercesserunt plus minus 116. anni, ut affirmare
liquido possimus, ipsum centesimum vigesimum ætatis annum excessisse. Paulina
scissis venis comitem ac sociam se mortis marito voluit præstare, sed fluente sen-
sim sanguine, siue desiderio vitæ, siue admonitu Neronis incepto destitit, ut in
eodem loco scribit Corn. Tacitus. Hoc tempore floruit L. Iunius Moderatus Co-
lumella Hispanus, ex municipio Gaditano, ut ipse aliquot locis lib. 8. cap. 16. & lib.
10. cap. 7. testatur. Scribit enim libro primo de agricultura, quæ ex L. Volusio con-
sulari viro audierit. Quem consulem fuisse cum C. Cæsare Caligula, scribit Holo-
ander, anno domini 43. quo anno mortuus est Cæsar Caligula. Hunc ego Senecæ
40 postposui, quia illius meminit. Hoc quoq; anno produnt annales Hispanici, bea-
tum Paulū Apostolum in Hispania prædicasse Euangelium Christi, & multos ad il-
lius fidē adduxisse. De qua re quoniam variæ sunt opiniones, quod partim studio
proprio, partim amicorū admonitu ex grauib; autoribus annotauī, paulo diffu-
sius explicandū duxi. Et Gelasius quidem Paulū ad Hispanias venisse negat, 22. q.
2. c. Bea. Paul. Sed D. Chrysostomus illo antiquior affirmat, homil. 7. scribens ad
hunc modū: Postquam vero Romā ingressus est, ibi quoq; quanta cum modestia
annunciat veritatem: quāta cū libertate obstruit ora impiorū: Verum nec ibi stare
contētus, etiā in Hispaniā percurrit. Diuus quoq; Hieronymus, tametsi in epistola
quadā contra Heluidium significare videtur, Paulū antequam profectiōne in Hi-
spaniā animo destinatā susciperet, a Nerone in vincula coniectū, & in commenta-
riis in epistolā Pauli ad Ephesios cap. 3. ambigue scribat, D. Paulū ad Hispanias vel
50 perrexisse, vel ire disposuisse: tamē idē in Esaiæ cap. 11. scribens affirmat his verbis:
Quod de vnus Pauli Apostoli exemplo intelligamus, qui per Pamphiliā, & Asiā,
& Macedoniā, & Achaiā, & diuersas insulas atq; prouincias ad Italiā quoq; & (ut
ipse scribit) ad Hispanias alienigenarum portatus est nauibus. Sed idem scribens in

An. dom. Amos prophetam cap. 5. clarius hoc astruit, ad hunc modum: Qui vocatus a domino, effusus est super faciem vniuersæ terre, vt prædicaret Euangelium de Hierosolymis vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & a mari rubro, imo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans dominum suum & solè iustitiæ. Sophronius quoque Hierosolymitanus Patriarcha in eadè est opinione, vt ait Iacobus Faber Stapulensis in commentariis in epistolam ad Romanos cap. 15. Sed ipsius Fabri verba, cum Sophronii sententiâ, operæ precium fuerit adscribere. Ea sunt eiusmodi: Sed dices. Profectus ne est aliquando Paulus Apostolus in Hispaniam? Credo quidem. Quod & Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus reliquit scriptum. Scribit enim, Italias, Gallias & Hispanias transitu beatissimi Pauli illustratas. Qui (vt refert) cum in domo Probi illustris cuiusdam viri hospitio susceptus in Hispania fuisset, & Xantippe vxor eiusdem Probi, modestiã hospitis sedulius in eum intenta admiraretur, diuina voluntate factum esse, vt dum sic intenta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontem Pauli quasi literis aureis scriptum: PAVLVS APOSTOLVS PRÆDICATOR CHRISTI. Quæ cum prænuncia fama multa de Apostolo audisset, & diu desiderasset vultum se posse videre Apostoli, gaudio pariter resoluta & stupore, cum lachrymis corruit ad pedes Apostoli. edocta autem mysteria Christi, cum viro & familia Christo regenerata est, regno æternæ beatitudinis adinuento. Sed & traditur Philotheus, eius regionis Princeps, Paulo adhæsisse, factus Christi confessor. O quam felices, qui cum æterno regnū permutant terrenū! Hactenus ille. Sed & D. Gregorius idè affirmat in Moralibus li. 31. c. 37. & D. Isidorus in eadè est opinione, in libello quem scripsit de ortu & vita vel obitu Sanctorum Patrum, cuius hæc sunt verba: Incipiens enim ab Hierosolymis vsque ad Illyricum & Italiam Hispaniasq; processit, ac nomē Christi multarum manifestauit gentium populis, quibus non fuerat declaratum. Sanctus quoque Thomas idem affirmat in commentariis in epistolam D. Pauli ad Galatas c. 2. hoc pacto: Vocat autem prædicationem suam cursum, propter velocitatem doctrinæ suæ: quia in modico tempore, a Hierusalē vsque in Illyricum, & vsque in Hispaniam prædicauit Euangelium. Non ignoro eundem in commentariis in epistolam ad Romanos cap. 15. hæc quæstionem in medio relinquere, adductum autoritate Gelasi, cuius paulo ante meminimus. Cæterum vt quod de hac re sentio, dicam, subiiciēs tamen semper quæcunq; dixerō saniori ac meliori iudicio, neq; mihi D. Paulus bis affirmasse sine causa videtur in eodè capite, se profecturum in Hispaniam, neq; autores graues & sancti hoc temere de illo memoriæ proditū reliquisse. At nusquam in Hispania fuisse legitur in actis Apostolorum. Sed Lucas historiā tantum vsque ad quartum Neronis annum prosequutus est. Paulus vero Apostolus vltimo Neronis anno, hoc est decimo quarto, passus est, neq; res illius gestæ decem annorum sacratū literarum oraculis traditæ sunt, & tamē illum interca fuisse ociofum, credendum non est: præsertim quum D. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum literis mandauerit, eum post biennium quo in libera mansit custodia, dimissū a Nerone, vt Euangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret. Idem fere scribit & Beda. Hæc altius repetenda duxi, quod plurimum ad Hispaniæ laudem pertinere censeam, si constet eam tanti Apostoli fuisse prædicatione sanctificatā. Neq; vero proprio Marte collegi omnia hæc, sed adiutus sum primum opera serenissimi Domini mei D. Henrici Cardinalis, Infantis Portugalliæ, deinde Fratris Francisci Forerii ordinis Prædicatorii, vix vlli hac tempestate meo quidem iudicio, concionandi dexteritate secūdi. Neq; defuit Frater Innocentius ex instituto D. Hieronymi, vir religiosus, mihiq; amicus, & literis elegantioribus excultus. Nec silentio prætereundus est Frater Alexius Salamæca, ex D. Francisci familia, vir egregie peritus, qui & ipse mihi operā suā hac in re præstitit non inutilē. Postremo M. Gregorius Gallus Theologus, & sacrarū Bibliorū in Salmanticensi Academia professor laudatissimus, sed a Carolo Augusto ad Concilium euocatus, mihi Quodlibeticam quæstionem suā ostendit, in qua fusi⁹ hoc argumentū tractat, & argumenta eorū qui refragatur huic opinioni, nō minus acute quam erudite diluit atq; conuincit. Paulus Confessor, Diui Pauli Apostoli discipulus,

scipulus, atque in Hispania prædicationis Euangelicæ socius, a magistro relictus in Hispania, & factus Narbonensis demum episcopus, completo diligenter officio, clarus miraculis ibidem in domino quieuit. Celebratur festum illius pridie Idus Decembris. Archiepiscopus Florentinus huius meminit, & Prudentius: & Petrus de Natalibus, ac Petrus Antonius Beuter lib. 1. cap. 21. affirmant esse Paulum Sergium quem Paulus Apostolus ad fidem conuertit Actuum 13. S. Rufus Simonis Cyrenæi filius, Pauli Apostoli discipulus ac socius, fuit primus Episcopus Dertofanus. Pet. Ant. Beuter. vbi supra.

Consul fuit Romæ Silius Italicus Poeta Hispanus, ex Italica ciuitate Bæticæ p-
10 pe Hispalim, cuius Consulatus eo fuit celebrior, quod eodem anno mortuus sit Nero, publica Romanorum calamitas, & imperii dedecus. Hic poeta defunctus Consulatu, totum se a publicis negociis ad ocium poeticum & studia conuertit, vt etiam in Nutritiis testatur Angelus Politianus. Possedit hic prædiū Vergilij in agro Neapolitano, & Academicam villam Ciceronis. Martialis lib. 7. & 11. epigrā. Hermānus Buschius, vir diligens & eruditus, ac de bonis literis optime meritis, scribit illum ter fuisse Consulem, idq; Martialis epigrammate cōfirmat. quod nescio equidem, an de hoc Silio, an de aliis (nam plures fuere) intelligendum sit: præsertim cum primum eius Consulatum fuisse dicant, quo anno mortuus est Nero. Quo Consulatu perfunctum, ipse quoque Martialis autor est, illum in octum literariū relictā vrbe se abdidisse. Plinius quoque a Nerone consulem factum ait, sed sæpius fuisse Consulem non addit. Hunc Petrus Crinitus lib. 4. de Poet. Lat. affirmat tradi ex Italica Hispaniæ ciuitate oriundum, sed Romæ natum. Quo tempore mortuus est Nero, magistratum gessit in Hispania Cluuius Rufus, vir facundus & magnæ autoritatis, cuius honorifica sit mentio in epistolis Plinii lib. 6. & 9. Eodem anno, paulo ante mortem Neronis, inter alias prouincias, Hispania quoque tam nefarium peractū Principem, a Romano defecit Imperio. Cuius motus compescēdi prouincia quum tradita esset Sergio Galbæ, qui Tarracōnensem prouinciam per octo annos varie & inæqualiter rexerat, ipse sibi melius quā Neroni consultum cupiens, præsertim a quo mandata de nece ipsius ad procuratores clā missā
30 deprehenderat, ita sibi omnium illic deuinxit animos, vt consulatus sit Imperator, non refragante exercitu. Ad quod præter alia signa & auspicia, vehementer confirmatus est vaticinio fatidicæ puellæ, quæ ante ducentos annos cecinerat oriturū quandoq; ex Hispania Principem dominumq; rerum. Illud quoque mirabile accidit illi, vt cum prouinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicā, puero e ministris acerrā tenenti capillus repente toto capite canesceret. Quo significari interpretabantur mutationem rerum, successurumq; iuueni senē, hoc est, ipsum Neronem. Hæc ferme ex Suetonio in Nerone cap. 42. & Galba cap. 8. 9. 10. Fabius Quintilianus Callagurri oppido Hispaniæ (Ausonius Callagorrim vocat) natus, adolescens admodū a Galba Romam perducitur, patre vsus erudito viro, & in reipub. suæ ad
40 ministracione honestissime versato. Eusebius & Angelus Politian⁹ in præf. Quint. Sub hæc tempora, Vespasianus Imperator Augustus, iactatus procellis Reipub. Latii vsu vniuersæ Hispaniæ tribuit, hoc est, ius petēdi magistratus, & vt eadē gauderent immunitate, qua Romani. sic enim interpretatur Andreas Alciatus lib. discipul. 2. c. 1. Plinius in Naturali historia l. 3. c. 3. Eodem fere tempore accidit Lartio Licinio Prætorio viro, iura redenti in Hispania Carthagine, vt mordēti tuber deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret, quemadmodum autor est Plinius in Naturali historia lib. 29. cap. 3.

Belilla Hispana, serua Iesu Christi, requeuit in domino, obiit Æra 115. hoc est, anno domini septuagesimo septimo. Hoc monumentum, cum aliis antiquissimam
50 Hispanorum religionem testantibus, paucis ab hinc annis prope Cantabriam inuentum scribit Alfonso Venerus in Enchiridio temporum.

Fabius Quintilianus cum agendis causis maximum sibi nomen comparasset, 90 primus Romæ scholam publicam instituit, atq; ex fisco salarium accepit. Eusebius & Angelus Politianus loco iā dicto, qui discipulos eius fuisse dicit Iuuenalē & Plinium Iuniorem, qui patronum se fidelem Bæticis opem ipsius implorantibus, in

An. dom. grauiſſimis cauſis præſtitit, de qua re vide epiſtolas ipſius. Iuuenalē ſunt qui Hiſpanis adſcribant, quod ego neque affirmare poſſum, neque reſellere. Illud recte cōmemini, ante annos quindecim vidiffe me Segobiz, dum illic in aula Iſabellę Auguſtę agerem, in turri quadam e regione portę Diui Andree, faxum cuius hæc erat inſcriptio: PVBLIO IUVENALI IUVENALIS. Sed nō arbitror eſſe de hoc Iuuenali. Hoc tempore celebres fuere multi poetę Hiſpani, quorum præcipuus M. Valerius Martialis, natus Bilbili (quam hodie Calataiud appellat, dictam Mauris Calataiub, a Mauro quodam Aiub qui ruinas illius inſtaurauit, ſed loco aliquantulū remoto a veteri Bilbili) Romę variis ornatus honoribus, vtque eſtri dignitate, Prætura, iure trium liberorum. Hunc Ælius Verus Imperator ſuū ſolet appellare Ver- 10
gilium. Qui iam ætate prouectior, res vrbanas pertæſus, & in patriam reuerſus, nō multo poſt diem ſuum obiit. Petrus Crinitus lib. 4. de Poet. Lat. Mortem Martialis deplorat Plinius in epiſtolis lib. 3. epiſt. vlt. Canius Poeta Gaditanus. Decianus Emeritenſis, cuius virtutes & vtriuſque linguę peritiā, eleganti epigramate celebrat Martialis lib. 1. Fuit hic poeta & philoſophus, vt annotauit Gregorius Gyraldus. Licianus eiufdem cum Martiali patrię. Hos tres Martialis vnico epigrammatelib. 1. complexus eſt. Lucium quoque poetam Hiſpanum ponit hoc tempore, nempe ſub Domitiano, Gregorius Gyraldus lib. 4. hiſt. poet. & ait imitatum fuiſſe Horatium Flaccum. M. Vnicus poeta, Martialis conſanguineus. Idem.

97 Domitianus Imperator, ſecundus poſt Neronem perſequitur Chriſtianos. Eusebius. In hac perſecutione Beatus Eugenius primus Toletanus epiſcopus, S. Dionyſii Areopagitę diſcipulus, dum peracto in Hiſpania Euangelicę prædicationis officio, magiſtrum reuiferet, prope Lutetiam, Chriſtum prædicans, a gentili quodam capite cæſus eſt, atque in lacum proiectus: vnde ducentis poſt annis, ab Hercoldo quodam ciue Romano diuinitus admonito exemptus ac ſepultus eſt. Lauren. Padilia Hiſtoricus Hiſpanus, & S. Antoninus.

98 Cocceius Nerua iam ſenex, nimirum anno ætatis ſexageſimo ſeptimo, Romano eſt inauguratus imperio, per quem (vt inquit Paulus Oroſius) re vera adſictę Reipublicę diuina prouifio conſuluit. Hic primo edicto ſuo cunctos exules reuocauit. vnde & Ioannes Apoſtolus hac generali liberatus indulgentia, rediit Ephreſum. Hunc Chronica Hiſpana fuiſſe Hiſpanum aſſerunt. Certe Sextus Aurelius Victor extra Italiam genitum aſſerit. Sed paulo poſt parum ſibi conſtans Narnienſi oppido genitum ſcribit, quod Plinius lib. 3. cap. 14. in ſexta regione Italia conſtituit. 30

100 Vlpianus Traianus Hiſpanus, atque (vt autor eſt Eusebius cum Eutropio) Italicę natus, Reipub. gubernacula Nerua tradente atque eum adoptante ſuſcepit, ſumptis imperii inſignibus apud Agrippinam Gallię vrbe. Hic in perſequendis Chriſtianiſ erroribus deceptus, tertius a Nerone, cum paſſim reſcriptos cogi ad ſacrificandum idolis, ac detractantes interfici præcepiffet, plurimique interficerentur, Plinii Secundi admonitu reſcriptis leuioribus temperauit edictum. Pau. Oroſius lib. 40
7. cap. 12. De hac re vide Plinii epiſtolas lib. 10. Sub hoc Principe imperium Romanum, quod inertia Cæſarum quaſi conſenuerat, mouit lacertos, & præter ſpem omnium, ſeneſtus illius quaſi reddita iuuentute, reuirit. L. Florus lib. 1. rer. ab vrbe cond. De anima Traiani Imp. a pœnis inferni per beatum Gregorium Papam aſſerta, quid ſentiendum ſit, conſule theologos, & inter eos S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum par. 2. tit. 12. cap. 3. §. 8. In hac perſecutione Beatus Mancius ciuis Romanus, Ieſu Chriſti diſcipulus, Eborę ſub Præſide Validio pro fide Chriſti martyrio affectus eſt. Fuit vero vnus ex iis qui Chriſto eunti Hieroſolyma ſubſtrauerunt veſtimēta in via. Hic & in cena cum diſcipulis recubuit, & domino lauanti pedes apoſtolorum, ſedulo pro ſuo modulo miniſtrauit, & cæteris Domini- 50
cę paſſionis ac reſurrectionis myſteriis interfuit. Alfonſi Regis Chronica hoc tempore, Laurentius Padilia ſub Nerone paſſum ſcribit, & reliquias ipſius adſeruari in oppidulo quodam prope Medinam, quę cognominatur vulgo de rio ſeco. Qui plura de eius vita noſſe volet, conſulat breuiarium Eboſenſe.

106 Traianus nobilitauit Hiſpaniam variis ædificiis, atque inter cætera cōſtrui iuſſit ſuper

ſit ſuper Tagum, pontema ſe cognominatum, qui nunc vulgo dicitur Dalcanta. An. dom. ra, opus ſuperbum & imperatoria maieſtate dignum, in quo etiam hodie ſequentes viſuntur inſcriptiones. Ex vtraque parte arcus.

IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ. TRAIANO. AVG.
GERM. DACICO. PONTIF. MAX. TRIB. POTES. VIII. IMP. VI.
COS. V. P. P.

Sub arcum tabula eſt ex vno latere,

MVNICIPIA
10 PROVINCIÆ
LVSITANIÆ STIPE CONLATA
QVÆ OPVS PONTIS PERFECERVNT
ICÆDITANI
LANCIENSES OPPIDANI.
TALORI
INTERANNIENSES.
COLARNI
20 LANCIENSES TRANSCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PÆSVRES

Erant quatuor ſimiles, ſed aliarum trium ſolæ vacuę ſedes apparent.

Supra limen ſuperius ædis D. Iuliani, in principio pontis.

30 IMP, NERVÆ. TRAIANO. CÆSARI. AVGV-
STO. GERMANICO. DACICO. SACRVV.
TEMPLVM IN RVPE TAGI SVPERIS ET CÆSARE PLENVM.
ARS VBI MATERIA VINCITVR IPSA SVA.
QVIS QVALI DEDERIT VOTO FORTASSE REQVIRET
CVRA VIATORVM QVOS NOVA FAMA IVVAT.
INGENTEM VASTA PONTĒM QVOD MOLE PEREGIT.
SACRA LITATVRO FECIT HONORE LACER.
QVI PONTĒM FECIT LACER ET NOVA TEMPLA DICAVIT.
ILLIC SE SOLV. VOTA LITANT.
PONTĒM PERPETVI MANSVRVM IN SECVLA MVNDI.
FECIT DIVINA NOBILIS ARTE LACER.
IDEM ROMVLEIS TEMPLVM CVM CÆS. DIVIS.
CONSTITVIT. FELIX VTRAQVE CAVSA SACRI.
C. IVLIVS. LACER. H. S. F. ET DEDICAVIT. AMICO. CVRIO,
LACONE ICÆDITANO.

Huius quoque opus ab eruditis creditur aquæductus ille Segobienſis viſendę ſtructurę, & in qua facile Romanã magnificentiam agnoſcas. In hac mecum opinione eſt Florianus a Campo, & Petrus Anto. Beuter lib. 1. cap. 10. Rodericus Archiepiſcopus Toletanus lib. 1. cap. 7. Hiſpani ſive Hiſpano Regi adſcribit, ſed fallitur. Traianus ex 14. legionibus, quas ad comprimēdos Prouincialium populorum motus conſcripſerat, duas in Hiſpaniam miſit, vt quę vrbes in editioribus locis erant ædificatę, ſolo æquarentur, atque in locis planioribus & ad rebellādum minus idoneis extruerentur. A quibus diruta Sublancia, Legio Gemina cōndita a militibus ſeptimę legionis nomen accepit, quę hodie regni Legionēſis metropolis eſt. Sunt qui hoc Nerua imperante factum ſcribant. Illud in præſentia non videtur ſilentio prætereundum, eſſe nonnullos, & eos eruditos ac celebres viros, qui ciuitatem hanc Legionem Germanicam appellatam affirmēt, Ptolemæi autoritatem ſequuti. In qua ſententia & ego hætenus fui, donec a viro graui & erudito

An. dom. Didaco Neila, Canonico Salmanticensi, admonitus sum, Legionem Geminam siue Geminiam, non Germanicam olim dictam, & Ptolemæi codicem mendosum videri: propterea quod cū a legione septima conditam vel ex ipso Ptolemæo conflet, tamen nusquā tota Hispania, legionis septimæ Germanicæ nomen in vetustis saxorum inscriptionibus reperiri hæcenus potuerit, legionis vero septimæ Geminæ persæpe. Cuiusmodi multas inscriptiones inuenit, mihi que ostendit vir ornatissimus Gaspar a Castro, curiosissimus harū rerum inuestigator, & primus huius erroris vindex, quod ego quidem sciam. Quam rem eo studiosius indagavit, ut verum patriæ suæ nomen e tenebris erueret in lucem. Multa enim huius rei monumenta descripsit, & mihi pro sua humanitate communicavit, ex quibus pauca quædam in medium proferam, & legionum nomina, ut via Appia nō ita pridem in columna marmorea reperta & in ædes Cardinalis S. Floræ translata sunt, subiūgam, ut manifestum sit studioso lectori, non coniecturis tantum opinionem hanc niti, sed etiam grauioribus testimoniis fulciri. Et prima quidem inscriptio reperta in Portugallia, quam Transmontanam vocant, apud aquas Flauias, vulgo Chæues, in ædibus Simonis Guedes, habet ad hunc modum:

IMP. CÆS. VESP. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. X. IMP. XX. P. P. COS. IX.
IMP. VESP. CÆS. AVG. F. PONT. TRIB. POT. VIII. IMP. XIII. COS. VI.

Hoc loco iam olim erant erasi duo versus, nec dubium quin de Domitiano.
C. CALPETANO. RANTIO. QVIRINALLVAL. FESTO. LEG. AVG. PR. PR.
D. CORNELIO. MÆCIANO. LEG. AVG. L. ARR. VNTIO. MAXIMO. PROC. AVG. 20
LEG. VII. GEM. FEL.

CIVITATES. X.
AQVIFLAVIENSES, AOBRIGENS
BIBALI, COELERNI, EQVÆSI
INTERAMICI, LIMICI, EBISOC
QVARQVERNI, TAMAGANI

Altera est in pago cui Ruiforco nomen, duabus leucis cum dimidia a ciuitate Legionensi, in templo D. Iuliani, in tabula prægrandi marmorea. Ea habet ad hunc modum:

IMP. CÆSARI
M. AVREL. ANTO
NINO. PIO. FELI
CI. AVG. PARTHIC
MAX. BRIT. MAX
GERMAN. MAX.
PONTIF. MAX
TRIB. POT. XVIII
COS. IIII. IMP. III
P. P. PROC
EQVITES. IN
HIS. ACTARIVS
LEG. VII. GEM
ANT. P. FEL. DE
VOTI. NVMINI
MAGESTATIQ. EIVS

Quin & ipsa ciuitate Legionensi multilateres inuenti sunt cū hac inscriptione. 40
LEG. VII. P. F.

Plures inscriptiones adferre in medium possem, quibus idem cōfirmatur, quas idem Gaspar a Castro diligenter obseruatas ac descriptas mihi communicavit, nisi præstare videretur ipsa Legionum nomina, ut Roma missa sunt, hic apponere.

NOMINA LEG.

II. AVG.	II. ADIVT.	III. SCYTH.
VI. VICTR.	III. FLAV.	XVI. FLAV.
XX. VICTR.	VII. CLAV.	VI. FERRA.
VIII. AVG.	I. ITALIC.	X. FRETE.
XXII. PRIM.	V. MACED.	III. CYREN.
I. MINER.	XI. CLAVD.	II. TRAIAN.
XXX. VLP.	XIII. GEM.	III. AVG.
I. ADIVT.	XII. FVLM.	VII. GEM.
X. GEM.	XV. APOLL.	II. ITALIC.
XIII. GEM.	III. GALLIC.	III. ITALIC.
I. PARTH.	II. PARTH.	III. PARTH.

De hac quoque re consulendum Resendum dūxi, virum omnis antiquitatis scientissimum, cuius mihi sententia, quamuis Ptolemæi locus quem facile deprauatum

uatum affirmare non audeat, præsertim suffragante codice Græco, scrupulum faciat, eodem inclinare videtur, ut ex eius ad me patet epistola, cuius partem transcribere hic ad verbum operæ precium duxi, cum ipsis Legionū nominibus, quæ ipse ad me misit. Arbitror enim hoc studiosis non minus gratum quam vtile futurum. De altero epistolæ tuæ capite nunc agam. Aiste a viro doctissimo Salmanticensi Canonico admonitum candide, quasi non recte Legionem urbem Legionem Germanicam appellaris, quum potius Legionem Geminam debuisses. idque esse ita, videri quum ex Legionum nominibus quæ Romæ in columna via Appia adhuc extant, quæque benigne tibi a viro illo doctissimo scribis communicata, tū vero ex inscriptione quæ alate coctili inuenta sit in eadem vrbe, quæ esset ad hunc modum: LEG. VII. GEM. P. F. id est, ut ego interpretor, Legio septima Geminæ pia, fidelis. De ista inscriptione coctili tunc iudicabo, quum oculis videro. Neque enim ego temere soleo hisce rebus fidem adiungere, quum præsertim inscriptionis ipsius truncatæ illa tantum verba miseris. Sed donemus ibi esse. Etiam ne ex ea patet, ab Legionē septima Geminā urbem Legionensem esse conditam, an lateritiæ istæ literæ alterius rei causa Legionis septimæ Geminæ meminerunt? Hoc prius si constat, emendandus erit Ptolemæus, qui libro Geographiæ secundo, inter Asturiæ ciuitates Legionem v. i. Germanicam ponit, vel expendendum, num eadem sit legio v. i. Geminæ, quæ legio v. i. Germanicæ: eo que magis, quod ex Antonini itinerario, vbi describitur iter a Mediolano per Alpes Cottias vsque Callectiam, ad leguas v. i. Geminam, quod ego legendum puto ad Leg. v. i. Geminam, videtur opinio ista cōfirmari. Tameñ Antoninianū hoc itinerarium mire est deprauatum. Sin vero illud non constat, nec eadem sit legio v. i. Geminæ, cum Germanicæ v. i. imo etiam si vna eademque sit, Ptolemæi autem codex fidei sit minus fluxæ, iaterim licebit nobis, opinor, maximum virum grauiissimumque auctorem imitari. Nomina vero legionum quæ misisti ad nosco quidem, sed non sola. Longe enim plura inueniuntur. Ego quæ tumultuaria lectione ex auctoribus colligere modo potui, ad te mitto, simul orationem quam nuper habui de laudibus Regis nostri. Quod præterea scribam, habeo nihil, nisi me tui esse, ut qui maxime, & quum maxime, studiosum. Vale. Conimbricæ, 1111. Nonas Iulii M. D. LI.

Legionum appellationes.

I.	Adiutrix.	III.	Cyrenaica.
II.	Adiutrix.	VI.	Ferratenfis.
	Alauda.	XII.	Flam.
V.	Alauda.	III.	Flauiana.
VI.	Alauda.	III.	FLAV.
VII.	Alauda.	XVI.	FLAV.
40 VIII.	Alauda.	X.	Fretenfis.
IX.	Alauda.		Fulminea, vel Fulminatrix, Kē- raynobolos.
X.	Alauda.	III.	Gallica.
	Amerina.	VII.	Galbiana.
VIII.	Antoniniana.	VII.	Gemella, vel
X.	Antoniniana.	VII.	GEM.
XV.	Apollinaris.	VIII.	Gem.
II.	Augustalis.	X.	Gem.
III.	AVG.	XIII.	Gem. Antoniniana.
VIII.	AVG.	XIII.	Gem. im. Neron.
50 IX.	Britannica.		Tiber.
VI.	CLAVD.	XIII.	Gem. im. CC.
VII.	CLAVD.	XIII.	Gem. MV.
X.	Claud.	XIII.	Gem. CAMIL.
XI.	Claud.	XIII.	Gem. G. A.
	Commoda P. F. constans.		

An. dom.	XIII.	Gem. IVN.	I.	Mæfiaca.	
	XIII.	Gem. A.	XVIII.	PRIMIG.	
	XIII.	Gem. VI. AC.	XXII.	PRIM.	
	XIII.	Gem. V. ALE.	XXII.	PR.	
	XIII.	Gem. FE.		Pannonicæ legiones.	
	XIII.	Gem. FL.	I.	Pannonic.	
	XIII.	Gem. POET.	VIII.	Pannon. Italia.	
	XIII.	Gem. OLIM.	I.	PARTHIC A.	
	XIII.	Gem.	II.	PARTH.	
	XIX.	Gem.	III.	PARTH.	
	VI.	Germanica.	XXI.	RAPAX.	10
	VII.	Germanica.		Sarmaticæ legiones.	
	X.	Germ.	I.	Adiutrix. P. F. Severiana.	
	XIII.	Germ.	II.	Adiutrix. P. F. Severiana.	
	XIII.	Germ.	I.	Traiana.	
		Germaniæ inferioris, leg. prima- ni. Quintani, & XV. & XVI. legiones.	II.	Traiana. Fortis.	
	I.	Italica.	III.	Traiana.	
	II.	Italic.	VI.	Victrix.	
	III.	Macedonica.	XVIII.	Victrix.	
	V.	Maced.	XX.	Victrix.	20
	I.	Minerua.		Vitellianæ legiones.	
		Mæfiacæ legiones	XXI.	Vitelliana.	
			XXX.	Vipia.	
			XXXV.	VLP.	

Haftenus Resendius. Illud hic addendum videtur, non deesse qui arbitrentur, viam quæ Argentea vulgo etiam nunc appellatur, & Salmantica, aut non procul inde Emeritam vsque, deinde (vt plerique affirmant) Hispalim ducit, a Traiano lapidibus stratam ac munitam, atque iis columnis quæ adhuc, quanquam plurimis locis collapsæ, visuntur, certis interuallis distinctam. Sed illud opus Traiano antiquius, & ab Hadriano Augusto restitutum, ex sequenti patet inscriptione, quæ passim in illis columnis legitur, quam idem Gaspar a Castro mihi misit ad hunc modum:

IMP. CÆSAR
DIVI. TRAIANI. PAR
THICI. F. DIVI. NER
VÆ. NEPOS. TRAI
ANVS. HADRIANVS
AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. V. COS
III. RESTITVIT

CXLIX.

Hoc tempore claruit Voconius Victor Poeta, ipse quidem Romanus, sed cuius mater e primis fuit citerioris Hispaniæ, vt annotavit Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet. De Voconio, vide epistolas Plinii, & Martialem.

110 Persecutio in Christianos quam Traianus mouerat, Plinii Iunioris cõsilio mitigata est. Eusebius.

112 Plinius Secũdus qui naturalem scripsit Historiam, dum Vesuuii montis inuifit incẽdium, crassiore caligine obstruẽto spiritu, clausoq; stomacho, periit. Eusebius & Plinius Iunior lib. 6. epist. Hic in Hispania procurauit, eodem autore lib. 3. epist.

119 Ælius Hadrianus Hispanus Italicæ natus, & cõsobrinæ Traiani filius, Romanũ suscepit imperiũ, & parẽs patriæ appellat, atq; vxor ei⁹ dicta Augusta. Hic p̄ Quadratum

dratum Apostolorum discipulũ, & Aristidem, ac Serenum Granium de Christiana religione instructus, per epistolam Minutio Fundano Asiæ Proconsuli præcepit, ne cui liceret Christianos sine obiectu criminis & probatione damnare. Quin & Christianos Hierosolymis agentes multis fauoribus est profecutus, vrbe ipsius concessa, expulsis Iudæis. Quam vrbe muris instauratam, a nomine suo Æliam appellari iussit. Eusebius & Paulus Orosius lib. 7. cap. 13. Hadrianus cum Tarracone hybernaret, quo Hispanos omnes ad conuentum euocauerat, ædem Augusti suo sumptu restituit. Quo tempore non sine gloria maximum periculum adiit. Nam cum apud Tarraconem per hospitium vitidaria spatiaretur, & seruus quidam in ipsum gladio furiosus irrueret, retentum illum ministris accurrentibus tradidit, & vbi furiosum esse constitit, nihil animo turbatus, medicis curandum dedit. Ælius Spartianus.

10 Bellum Iudaicum in Palestina finem accepit, rebus Iudæorum penitus oppressis, inquit Eusebius. Quos vero Hadrianus in eo bello Iudæos cepit, in Hispaniam exulatum misit. Atq; hæc fuit decima illorum captiuitas. Porro ex eo tempore ad felicissima vsq; tempora Catholicorum Regum Ferdinandi & Isbellæ, atq; etiam Emanuelis inuicti Portugalliæ Regis, publicæ in Hispania Iudæorum Synagogæ fuere. Per. Anto. Beuter lib. 1. cap. 19. Quod ipsum D. Hieronymus affirmare videtur, dum in commentariis in Amos prophetam cap. 8. ait ad hunc modum: Ablata est eis lex, & prophetæ æterno conticuere silentio, mouentur a mari ad mare, & ab Oceano Britannico vsq; ad Oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, & ab Aquilone vsq; ad Orientem, toto orbe peregrini. Hadrianum Ælius Spartianus Romæ natum dicit, Sextus Aurelius Victor Adriæ oppido agri Piceni, sicut Traianum ex vrbe Tudertina: sed vterq; tota errat via. Nam Eusebius cum Eutropio, & Orosio, & Seuero Sulpitio, vtrunq; natum Italicæ prope Hispalim in Hispania scribunt. Numisma Bracaræ aureum vidi, ponderis duorum plus minus ducatorum, quod vtriusque habebat inscriptionem, Traiani & Hadriani.

140 T. Aurelius Fuluius Antoninus Pius, Hadriani gener, factus est Imperator Romanorum, sub quo floruit Iustinus Historicus, qui Trogi Pompeii historiam cõtraxit in compendium, atque Antonino Pio dedicauit. Quidam hunc Hispanum dicunt, quod mihi nondum constat. Hispani annales aiunt, hunc eundem cum Iustino philosopho & martyre qui sub hoc Imperatore, Crescente Cynico persequente, gloriose pro Christo sanguinem fudit. Quod mihi non sit verisimile: primum, quod Diuus Hieronymus nullam in hoc Iustino mentionem epitomes facit: deinde, quod dubito, an Iustinus Trogi abbreviator Christianus fuerit. Illud satis liquet, sacræ historiæ non admodum fuisse peritum, quum ab his quæ scribuntur in Genesi, non vno tantum loco dissentiat. Postremo, quod epitome Iustini, historici titulum præ se ferat, non philosophi. Quocirca persuasum habeo, duos eodem tempore fuisse Iustinos, alterum philosophum, alterum historicum. Hoc quoque tempore scribunt floruisse Pompeium Trogum, quem etiam fuisse Hispanum affirmant. Quorum neutrum probabile mihi videtur. Nam Iustinus in fine penultimi libri, tam ipsum, quam maiores ipsius Volscis Italiæ populis adscribit, & in principio libri 43. Romam patriam ipsius vocat. Quod vero ante hunc Imperatorem scripserit, manifestum est ex Iustino, qui in calce libri penultimi, patrem ipsius sub Caio Cæsare militasse, epistolarumque, legationum & a-nuli curam habuisse testatur. Inter Cæsaris autem monarchiam & Antoninum Pium numerantur anni plus minus 185. Clarius autem istud constat ex Plinio Secundo, qui in sua Naturali historia frequenter citat Trogum Pompeium, quum ipse sub Tito Vespasiano illud opus lucubraverit. Vnde potius crediderim, Trogum Pompeium Octauii Augusti tempore scripsisse historiam, præsertim quum illam tantum ad illius vsque tempora profecutus sit. Hæc libuit accuratius expendere, non quod Hispanorũ gloriæ quicquam delibatum velim, aut quos illi viros claros & eruditos alii adscribunt, detrahere, sed quod mihi videatur Hispania domesticis opibus ditior, quam quæ peregrinis & aliunde mendicatis ornari falso de-

An. dom. beat: præterea, vt opiniones non veras ex animis hominum reuellerem.

- 156 S. Firminus ciuis & episcopus Pompelonensis, & Senatorii apud suos ordinis, dum in Hispania & Gallia multos ad Christi fidem prædicatione sua conuertisset, in vrbe Ambianensi, iussu Longini & Sebastiani iudicum, propter populi tumultum clam noctu decollatus, martyrii lauream accepit, circa annum Domini 156. Fuit hic S. Saturnini, vt diximus, discipulus, ab Honesto sacerdote eiusdem sancti discipulo fidem Christi doctus, & ab Honorato episcopo Tolosano, S. Saturnini (vt arbitror) successore, factus episcopus, de cuius inuentione corporis suo tempore dicemus. Ex Breuiario Pompelonensi.
- 163 M. Antoninus Verus Philosophus inauguratus est imperio Romano, qui sanctitate vitæ omnibus ante se Principibus antecelluit. Natus is quidem Romæ, sed oriundus ex Hispania. Nam proauus paternus Annius Verus Prætorius, ex Succubitano municipio prouinciæ Bæticæ, ex Hispania, factus est Senator. Iulius Capitolinus. Idem autor est, huius Imperatoris tempore Mauros Hispanias prope omnes vastasse, ac M. Antoninum per legatos bene gessisse: præterea eundem res in Hispania, quæ per Lusitaniam turbatæ erant, composuisse.
- 195 Seuerus factus est Romanorum Imperator, qui prius sorte creatus erat Quæstor Bæticæ, sed quia Bæticam Mauri populabantur, pro Bætica Sardinia illi est attributa. Aelius Spartianus.
- 200 Hoc anno, aut circiter, mota est in Christianos quinta persecutio imperante Seuerus, in qua Felix Presbyter, Fortunatus, & Archilochus diaconi, a Beato Irenæo Lugdunensi episcopo ad prædicandum Valentini in Hispaniam missi, sub Præside Cornelio pro fide Christi & prædicatione Euangelica, post non estimandos cruciatus, securi sunt percussi, quod ciues essent Romani. Pet. Ant. Beuter, & Petrus de Natalib. Hos martyres Chronica Regis Alfonsi nona persecutione sub Claudio passos testatur. Laurentius Padilia in quarta persecutione ponit, quæ fuit sub Marco Antonino Vero, in qua manifestum est ex Hermanno Contracto, S. Irenæum martyrio coronatum. Martyres istos quidam Valentia Gallicæ attribuunt.
- 239 Maximinus Imperator Romanus sextam in Christianos persecutionem exercuit, in qua S. Maximus prope Tarraconem cum aliis multis martyrio coronatus est. Pet. Ant. Beuter. Huius Maximini monumenta sunt, Bracaræ Augustæ vicus & porta Maximini, quæ hodie quoque post tot secula nomē retinent. Certum est, Romanos omnes Imperatores tum per se, tum per magistratus, res præclaras in Hispania gessisse: quod tum ex plurimis ipsorum monumentis, tum ex antiquis numismatis constat. Quæ ego omnium fere Imperatorum insignita nominibus vidi, & pleraque etiam habeo penes me, multa largitus amicis.
- 241 Hoc anno, secundum Eusebii supputationem, Antherus Papa epistolam scripsit ad episcopos Bæticæ & Toletanæ prouinciæ, pictatis ac diuini spiritus plenissimam, in qua statuit, episcopum non debere migrare in aliam sedem, nisi publicæ necessitatis & vtilitatis, non priuati commodi causa.
- 256 Lucius Papa epistolam scripsit ad episcopos Gallia & Hispaniæ consolatoriã & hortatoriã de iis quæ ad officium pertinent episcoporum. Ea extat priori tomo Conciliorum. Eodē fere tempore, aut paulo post, nempe sub Stephano Papa, Diuus Cyprianus Carthaginensis episcopus, epistolam scripsit pietatis & eruditionis plenissimam, cum reliquis episcopis in concilio congregatis, ad Felicem presbyterum & plebem Legionensem atque Asturicensem, & Aelium diaconum & plebem Emeritensem, in qua de communi aliorum patrum sententia decernit, Basilidem & Martialem idololatriæ crimine commaculatos, & nefandorum facinorum conscientia vinctos, episcopatum gerere & sacerdotium dei administrare non oportere, ac proinde recte priuatos ea dignitate, & alios in locum eorum subrogatos. Videtur alter eorum Legionensis, alter Emeritensis fuisse episcopus. Sabinum in Basilidis locum successit ipse D. Cyprianus aperte testatur. Præterea colligi videtur, Legionenses atque Asturicenses eo tempore eidē episcopo fuisse subiectos, licet postea diuisi episcopatus fuerint. In eadē epistola mentio fit Felicis episcopi Cæsaraugustani, quem collegam & fidei cultorē & defensorē veritatis appellat.

pellat. Epistola extat in operibus illius priore tomo lib. i. epist. 5. Eius initium, Cum *An. dom.* in vnum conuenissemus.

- Durante adhuc Deciana ac Valeriana persecutione quæ post Neronem fuit octaua, admirabili certamine pro Christi gloria certauit constantissimus martyr beatus Laurentius Hispanus, Leuita, Archidiaconus, & Cancellarius summi Pontificis, quem Sanctus Xistus Papa, quum ad Toletanum venisset concilium, Cæsaraugusta, qua iter fecerat, Romam secum duxit, vt autor est beatus Vincentius ordinis Prædicatorū, in sermone de hoc Sancto. Huius sancti martyris gloriosam passionem, cuius tanta, Diuo Augustino teste, gloria extitit, vt mundum illuminauerit vniuersum, eleganti hymno profecutus est Prudentius. Qui de sanctis Hispaniæ scripserunt, Oscensem fuisse dicunt, inter quos est beatus Vincentius quem modo citauimus, qui addit illum Cæsaraugustæ literis operam dedisse. In hac persecutione, quæ fuit multo maxima, Tarracone sub Æmiliano Præside, imperantibus iam Valeriano & Gallieno, pro asserenda fide Christi sanguinem suum fuderunt Fructuosus episcopus Tarraconensis, & duo eiusdem diaconi Augurius & Eulogius, de quorum passione elegans extat hymnus Prudentij. Cordubæ passus est Parmenius presbyter cum aliis. Hermannus Contractus. Carthagine trecenti martyres, dicti Candida massa, sed in Africa, vt autor est Prudentius, in hymno de passione Diui Cypriani, non in Hispania, vt opinantur alii.
- 200 Huius tam nefariæ persecutionis autor Valerianus, mox a Sapore Persarum Rege captus, Imperator populi Romani, ignominiosissima apud Persas seruitute consenuit, hanc infamis officij, donec vixit, damnationem fortitus, vt ipse accliuus humi Regem semper ascensurum in equum, non manu sua, sed dorso attolleret. Gallienus vero tam claro Dei iudicio territus, tamque misero collegæ exemplo permotus, pacem ecclesiis trepida satisfactione restituit. Paulus Orosius lib. 7. cap. 22. Hic obiter annotandum, Hermannum Contractum hoc loco vbi de hac agit persecutione, quam Decio non exacte subducta temporis ratione attribuit, vitio librariorum corruptum, sic restituendum. Veronæ Zenon episcopus. In Hispania Tarracone, Fructuosus episcopus, Augurius & Eulogius diaconi. Fuit enim Zenon episcopus Veronenfis, non tantum sanctitate, sed etiam eximia sacrarum literarum peritia clarus, quemadmodum videre est in his quæ ex monumentis ipsius in Bibliotheca Vaticana perlustratis, citat in Catena sua quam ex antiquissimis quibusque autoribus, tum Græcis, tum Latinis, & eorum plerisque omnibus nunquam impressis, maximo labore & industria contexit in Genesin, & parat in totum Pentateuchum Reuerendissimus D. Aloysius Lippomanus, eiusdem ciuitatis fratri suo subrogatus episcopus, Patrius Venetus, natalium splendore, literarum peritia, morum integritate, vitæ sanctimonia clarissimus, nuper apud Ioannem Portugallia & Algarbiorum Regem legatione Apostolica functus. Qualeis si multos haberet Legatos Romanus Pontifex, vel citra argumenta obmutescerent, quotquot his temporibus tam impie ac nefarie Romanæ sedi oblatrant. Reliqui vero tres fuerunt Hispani, non sub Decio passi, vt ait Hermannus Contractus, sed sub Gallieno, vt autor est Prudentius. In hac persecutione octaua, martyrum catalogo accessit S. Narcissus, qui ex Alpibus venit in Hispaniam ad prædicandum Gerundensibus. Petrus Antonius Beuter lib. i. cap. 24.
- Anno 265. aut secundum Eusebium, 266. Germani vltiores abraſa potiuntur Hispania, ac Tarraconem deuaſtant, per duodecim fere annos omnia ferro & incendiis ac rapinis miscentes, vt ait Paulus Orosius lib. 7. cap. 22. Beatus Rhenanus lib. i. rerum Germ. dicit fuisse Sueuos, qui Galleciæ regnum occupauerint. Quod tamen multo post contigit, quemadmodum suo loco patebit.
- 30 Circa hunc annum Sixtus Pontifex Maximus scripsit ad episcopos Hispaniarum epistolam grauem de accusatione episcoporum, quæ inter decretales ipsius epistolæ extat, priore tomo Conciliorum.
- Dionysius Papa epistolam scripsit ad Seuerum Cordubensem, vt apparet, episcopum, de diuisione ecclesiarum parochialium prouinciæ Cordubensis, accusatione presbyterorum & episcoporum, quæ extat ibidem.

- An. dom. Imperante Claudio, Tetricus inuasit Hispanias & Gallias, neruos & vires Imperii Romani. Trebellius Pollio.
- 272
- 278 Probus Romanum fortis Imperium, permisit Gallis omnibus & Hispanis, ut vites haberent, vinumque conficerent. Flavius Vopiscus. Huius temporibus Hispani aduersus Romanos res nouas moliti sunt, quia illos Saturninus pacasse se dicit, qui huius Imperatoris tempore in Oriente occupauit imperium. Idem. Eodem tempore Bonofus quoque stupenda bibacitate celebris, origine Britannus, sed educatione Hispaniensis, in Germania vsurpauit imperium. Idem.
- 284 Hoc anno, secundum Eusebium, Eutychianus Pontifex Romanus scripsit ad Ioannem (opinor Hispalensem) & omnes Bæticæ prouinciæ episcopos, epistolam sanctam, quomodo deberent subditos de incarnatione Seruatoris nostri informare. Ex priore tomo Conciliorum.
- 306 Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculus in Occidente, mense Martio, die sancto Pasche, secundum Eusebium, secundum Historiam tripartitam die passionis Dominicæ, vastari ecclesias, affligi, interficique Christianos decimo post Neronem loco præcipiunt. Quæ persecutio omnibus fere antea actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocens, cædibus martyrum miserabiliter acta est. Paulus Orosius lib. 7. cap. 25. Huius persecutionis non minima laus debetur Hispaniæ, atque haud scio, an vlla tunc prouincia plus effuderit sanguinis pro fide & nomine Christi. Sola Cæsar Augusta, nisi fallor, potest hac parte contendere cum quauis non dico ciuitate, sed prouincia, ut eleganter testatur Prudentius in hymno de octodecim martyribus Cæsarugustanis. Vt igitur ab ea catalogum exordiamur eorum martyrum qui durante hac persecutione martyrii lauream adepti sunt: passi sunt Cæsarugustanæ martyres Lusitani:

*Optatus, Publius, Lupercus, Fronto,
Successus, Felix, Martialis, Cacilianus,
Urbanus, Euentius, Iulius, Primitiuus,
Quintilianus, Apodemius, & quatuor Saturnini.*

Quos omnes simul cum duobus confessoribus Caio & Crementio, Prudentius eleganti celebrauit hymno. Quatuor illos Saturninos, quorum nomina renuente merri lege non posuit Prudentius, dicit fuisse Cassianum, Matutinum, Faustum, Ianuarium. Ego tamen suspicor fuisse alios. S. Encratis (vulgo Engratia) virgo nobilis, filia Dynastæ seu Principis qui rerum in Lusitania potiebatur, & Ducum limitaneo Rhodani prouinciæ Narbonensis Galliæ desponsata, quæ sola propriæ passioni fuit superstes, ut canit Prudentius in hymno iam dicto, ubi passionem illius paucis perstringit, de cuius vita qui plura volet, consulat Breuiarium Eborense a Resendio recognitum. Dacianus Hispaniæ id temporis Præses, atque sedulus huius persecutionis minister, ubi vidit crudelitatem suam Christianorum succumbere constantiæ, dolo pensandum ratus quod viribus deerat, dispositis ad omnes Cæsarugustanæ portas militibus in insidiis, per præconem edici iubet, quicumque Christiani in ciuitate essent, si continuo discedant, impune atque illæfos abituros. Illi vero gaudio exultantes, neque quicquam suspicantes fraudis, subito sese agmine portis effundunt psallentes Deo, & gratias agentes: sed mox in militum insidias lapsi, simul omnes pro Christi nomine sanguinem obruncti effundunt. Quorum corpora ne a Christianis, si qui forte remaneret, occulte sepeliri atque adseruari possent, iussit in vnum collecta aceruum cremari, permittis quotquot in vinctulis erant facinorosis ac maleficis hominibus, ut cinerum quoque confusio esset. Sed nihil potuit aduersus diuinam prouidentiam humana malitia. Postquam enim redacti fuerunt in cineres, repente sanctorum martyrum cineres apparuerunt niue candidiores, aliorum vero carbone quouis attriores. Præterea pluuia cælitus dimissa, reliquias sanctorum in massas candidas redegit, unde id nomen hodie quoque retinent, atque adseruantur summa cum veneratione in templo diuæ Encratis, cum reliquiis huius sanctissimæ virginis, & octodecim martyrum, in monasterio quod in ciuitate ad honorem Dei & sanctorum martyrum magnifice instaurauit catholicus

- catholicus Rex Ferdinandus, ac monachis Diui Hieronymi habitandum dedit. Celebratur vero festum horum innumerabilium martyrum tertio Nonas Nouembris, quorum nomina ignorantur quidem, sed scripta sunt in libro vitæ. Ex Flore Sanctorum. S. Lambertus eodem tempore, cum nollet abnegare fidem Christi, ab hero suo cui in agriculturæ seruitio officio, capite truncatus, mox capite in manus resumpto (mira res, sed vera) vltra quatuor passuum millia profectus est, ad locum ubi prædicti iacebant martyres occisi: quo cum peruenisset, elata voce dixit, Exultabunt sancti in gloria. Responderunt sancti martyres, Et lætabuntur in cubilibus suis, atque acclinavit se illis. Ibidem.
- IO SAGVNTI, (nunc vulgo Moruedre, quasi murus vetus) prope Valentiam Aragoniæ, sub eodem Præsede, gloriosum certamen pro fide Christiana certauit D. Vincentius Cæsarugustanus (ut Prudentius aperte testatur, non Oscensis, ut vulgo creditur) & (ut inquit diuus Augustinus) vere Vincentius, omnia mortis pericula fortissime vicit. de cuius admirabili passione vide Prudentium. Nuper quoque L. And. Resendius passionem ac translationem ipsius ad Olesiponem ciuitatem, heroico carmine grauitate est prosequutus. S. Valerius Cæsarugustanus episcopus, in exilio prope Valentiam diem suum obiit. Pet. Ant. Beuter.
- BARCINONE passus sub eodem Daciano S. Cucufas, & S. Eulalia virgo, variis iisque grauissimis cruciata tormentis, & S. Iulia virgo. Laurentius Padilia cum aliis. Corpus S. Cucufatis Parisiis in Ecclesia S. Victoris adseruari memoriam prodidit Petrus de Natalibus, & etiam Laurentius a Padilia, sed in templo S. Mauricii.
- GERVNDÆ, S. Felix S. Narcissi diaconus, & ut aliqui volunt, S. Cucufatis frater, cuius mentionem facit Prudentius, sicut & Sancti Cucufatis. Sunt qui hoc tempore B. Narcissum dicant passum, de quo iam diximus. S. Cucufas & S. Felix passi sunt a Rufino Daciani legato, sed prius Gallerio Proconsule, & Maximiano Præsede, dum in illos variis tormentis desæuirent, diuino supplicio peremptis. Ex Breuiario Eborensi.
- Prope Barcinonem, in oppido quod tunc dicebatur Castrum Octavianum, nunc S. Cucufatis, martyrio affecti sunt S. Seuerus episcopus Barcinonensis, clauo ferreo in caput impacto, post multa verbera, & cum eo quatuor sacerdotes, & S. Emeterius gladio percussus. Laurentius a Padilia.
- CARTHAGINE (de ea loquor quæ in Hispania dicitur Carthago noua, Pænororum opus) Saturnino Proconsule, pro fide & religione Christi gladio percussus sunt S. Speratus, Natalius, Cirinus, Berurius, Felix, Aquilinus, Letarius, Ianuarius, Generosa, Bassia siue Bessia, Donata, Secunda. Autor est præter alios Marinæ Siculus. Sed hos ego potius imperantibus Gallieno & Valeriano passos crediderim, quo tempore Saturninum Consulem lego. Verum an is sit qui in martyres istos tyrannidem suam exercuerit, neque asserere possum, neque negare.
- CALAGVRI, S. Hemeterius & Cheledonius milites legionarii, filii Marcelli Centurionis, & fratres Facundi & Primitiui, de quibus Prudentii extat hymnus, in quo dicit ignorari tempus, quo tempore passi sint: sed Chronica Hispana huic adscribunt persecutioni. quod ita esse, ex Eborensi Breuiario constat.
- COMPLVTI, Iustus & Pastor fratres adolescentes, quæ nomina deprauata sunt in Hermanno Contracto, ubi perperam legitur, Iustus & Hastar, pro Iustus & Pastor. Sicut in eodem paulo ante Oucufas, pro, Cucufas. Horum quoque mentionem facit Prudentius.
- TOLETI, S. Leocadia, in cuius ecclesia posterius celebrata sunt pleraque omnia concilia Tolerana. Sunt autem tria illic huic diuæ templa: primum ubi nata, alterum ubi passa, postremum ubi sepulta. Huius sanctæ virginis ac martyris corpus tempore Maurortum a Christianis Coloniam Agrippinæ delatum fuit. Vnde D. Ioanna, Caroli quinti Imp. semper Augusti mater, brachium illius e Flandria deportatum, Toletanæ ecclesiæ dono dedit. Laurentius Padilia.
- AVVLÆ (vulgo Auila) sub Daciano Præsede S. Vincentius, alius ab illo de quo iam diximus, cum sororibus Sabina & Christetide. Ciues sunt Eborenses in Por-

An.dom. tugallia, non oppidi vulgo dicti Talauera, ut quidam inepte somniant. Marinæus Siculus falso putauit, hunc eundem esse cum Diuo Vincentio Cæsaraugustano. Visuntur adhuc Eboræ plantarum S. Vincentii vestigia in lapide, in quo cum ad aram Iouis sacrificandi causa positus esset, lapis velut figuli lutum mollitus, plantarum eius impressionem recepit. Verum & hæc, & ipsa passionis historia, in Eborensi Breuiario fusiis & melius describuntur.

EMERITÆ Augustæ, quæ tunc Lusitanæ prouinciæ metropolis fuit, Prudentio teste, beata Eulalia virgo nobilis, duodecim annorum, a Donato presbytero fidem Christi docta, cum S. Iulia comite, sub Calpurniano Daciani legato, cuius gloriosam & admirabilem passionem eleganti carmine descripsit Prudentius. S. Estertius, Victor, Theogenes, Laurentius Padilia. S. Fides & Sabina, ut ait Ferdinandus Perez de Guzman. Raphael Volaterranus memoria prodidit, S. Lucretiam virginem etiam Hispanam & martyrem, sub Daciano passam Emeritæ. Cuius meminit etiam Petrus de Natalibus.

CORDVBÆ, S. Acifclus cum Victoria sorore sub Dione Daciani, opinor, legato, & S. Zoilus, siue, ut appellat Prudentius, Zoellus (cui viuo renes a tergo extracti fuerunt) cum nouem sociis. Petrus de Natalibus. In eadem persecutione sub Eugenio legato vel præside, pro Christi fide martyrio creduntur affecti S. Paulus Diaconus, S. Æmilianus, Hieremias, Eulogius, Faustus, Ianuarius, Martialis, qui naribus & auribus abscisis, confractis dentibus, igni tandem perierunt, S. Flora, S. Maria, sed sancti Faustus, Ianuarius, Martialis, S. Marcelli martyris filii fuerunt, fratres sanctorum Facundi & Primitiui. Ornatur & aliis Corduba Patritia martyribus, Helia, Isidoro, Isaac, Leouigildo, Christophoro, Perfecto presbytero, Athanasio, Secundino, Petro, Auentio, Faudila, Adulpho & Ioanne, Salomone, Heleo, Narcisso, Lucio & Minutio Diaconis, Abundo, Vigildo, Olympiade & Maximo, quos duos postremos sub Decio passos affirmat Laurentius a Padilia. Reliqui quo tempore passi sint, hætenus inopia scriptorum incertum est. Arbitror tamen aliquos ex istis tempore Gothorum ab Arianis martyrio affectos, ut Leouigildum, Faudilam, Adulphum, quorum ipsa quoque nomina Gothicum quiddam resonant.

HISPALI, S. Carpophorus, & Abundius, S. Petrus, S. Florentinus, S. Iusta & Rufina virgines, partim sub ipso Daciano, partim sub Diogeniano Daciani legato: Corpus beatæ Iustæ ex altissimo puteo in quem proiectum erat, & ossa beatæ Rufinæ, cuius corpus in amphitheatro combustum fuerat, a venerabili Sabino episcopo, in cæmeterio suburbii Hispalensis sepulta fuerunt. Ex Breuiario Eborensi.

ITALICÆ, S. Gerontius episcopus & martyr.

MALACÆ, S. Cyriacus & S. Paula virgo.

ASTÆ, (quæ fuit Colonia Romanorum in Bætica, prope Gades) S. Honorius, Euty chius, Stephanus, Laurentius Padilia.

PROPE Gades, ad fundum Vrsonianum conuentus Gaditani, siue (ut alii volunt) Astigitani, circa finem huius persecutionis, S. Seruandus & Germanus, sub Viatore vicariam præfecturam agente: S. Germanus sepultus Emeritæ, S. Seruandus Hispali. Ex Breuiario Eborensi.

OLISIPONE, S. Verissimus cum sororibus suis Maxima & Iulia pro fide Christi capite truncati sunt, & in mare præcipitati, postea apparuerunt: quo loco in honore illorum edificatum est monasterium quod vulgo dicitur Ad sanctos, monialium ordinis militiæ Diui Iacobi. In hac persecutione passus est Romæ Beatus Pantaleon, cuius corpus postea a Romanis fugientibus, persecutionem barbarorum, deuectum est in Portugalliam, atque in ciuitate Portugallensi multis etiam nunc claret miraculis.

BRACARÆ Augustæ, passionem S. Victoris, cuius illic templum est iuxta fluuium Alesten, eodem tempore fuisse opinor, & sanctorum martyrum Syluestri, Cucufati, Sufannæ, S. Torquati, atque aliorum martyrum, quorum memoria diuturnitate & scriptorum penuria exoleuit. Neque enim dubitandum est, quum diues tum Bracara fuerit (ut inquit Aufonius qui eam inter quatuor præcipuas Hispaniæ ciuitates nominat) & conuentus celeberrimus. Po. Ro. quin multorum martyrum sanguine resperfa sit, quorum adhuc subobscura fama passim illic restat.

IN TV-

IN TVDENSI ciuitate Sancta Euphemia. Ferdinandus Perez.

IN ASTVRIIS (nomen urbis non proditur) B. Felix Complutensis, & Anastasius, & S. Digna.

IN LEGIONENSI, pro Christianæ fidei confessione sanguinem fuderunt, Claudius, Lupercus & Victoricus fratres, sub Diogeniano Daciani legato. Quorum corpora in eadem ciuitate in monasterio Diui Benedicti summa cum veneratione seruantur. Hos F. Alfonsus Venerus, sanctorum Martialis & Nonæ eiusdem ciuitatis ciuium filios fuisse scribit. Sed L. Marinæus Siculus dicit, Marti-lem duodecim habuisse filios, quorum vndecim eodem die crudelissimo affectos martyrio, Nonam vero extincto cum filii marito, paruulum qui restabat filium complexam, orasse Deum, ut ipsam cum filio miseriis præsentis vitæ subduceret, atque exorto repente lacu cum prole diuinitus absorptam, ad quem lacum templum illi conditum, quod S. Nonæ dicitur. Cæterum fuerunt martyres isti filii non Martialis, ut illi dicunt, sed B. Marcelli prius Centurionis legionis Traianæ, viri nobilis, ac multis honoribus militaribus & emeritis stipendiis honestati, postea martyris, qui Anitio Fausto & Gallo Coss. Legionibus apud Galleciam natalem Augustorum diem celebrantibus, quum sacrificare monitus baltheum & spatam proiiceret, & Christianum se profiteretur, a Fortunato tribuno legionis victus ad urbem Legionensem ductus est, & inde Tingin Mauritanæ Tingitanæ metropolin ad Agricolanum Præfectorum prætorii vices agentem missus, & ibi propter bellica decora capitis abscissione punitus. Acta huius rei habes in Eborensi Breuiario, per L. Andream Resendum diligenter & fideliter translata ex Ecclesia Compostellana. Filii huius Diui Marcelli fuerunt, Claudius, Lupercus, Victoricus, Facundus, Primitiuus, Hemeterius, Cheledonius, Faustus, Ianuarius, Martialis, Seruandus, & Germanus, martyres omnes, de quibus suo loco in hac ipsa persecutione diximus.

Ad Ceam fluuium passi sunt sub Attico Præside Facundus & Primitiuus, prædicti S. Marcelli martyris filii, quo loco nunc oppidum S. Facundi, reliquiis horum martyrum, & monasterio Diui Benedicti nobile. Prope ciuitatem Burgensem (quanquam incertum an eodem tempore) sub Eglisio præfecto passæ sunt pro Christo, S. Centolla & S. Helena. S. Centollæ corpus, regnante Alfonso decimo, a Gundisaluo episcopo in Burgensem Ecclesiam translatum est. Ioannes Maldonadus. In hac quoque persecutione (locus non proditur) S. Vincentius & Orontius, & S. Victor Leuita, qui hospitio eos acceperat, & pater S. Victoris, ab Aquilina coniuge in confessione fidei confirmatus, capite sunt caesi. Quorum corpora dum a Pontio episcopo diuinitus admonito in Italiam plaustro imposita deferrentur, ad ciuitatem Hebrundensem bobus subsistentibus, nec ulterius procedere volentibus, sepulta sunt. Petrus de Natalibus. Eodem tempore in sanctorum martyrum sodalium relati sunt S. Eugurius, Iulius, Iulianus, Vincentius, Fructuosus, Cassianus, Euty-chius, & S. Bibiana. Laurentius Padilia. Sed quod ad S. Fructuosum & Eugurium attinet, arbitror esse eosdem quos sub Valeriano & Gallieno passos diximus. Hi sunt sancti Christi martyres, quos his temporibus, aut saltem circa hæc tempora passos reperire hætenus potui, quibus Hispania quum aliis multis, tum hoc præcipue nomine felix, apud Deum patronis merito gloriatur. Nec dubito, quin multo plures fuerint, sed quorum nomina Christo cui militarunt, nota, suffragia nobis salutaria sunt. Quorum si mihi liceat aliquando frui patrocinio, satis amplum laboris mei præmium recepisse merito gloriabor. Nec moueat quenquam, quod alios aliis Præsidibus passos diximus. Nam nihil mirum, si Hispania per decem annos quibus durauit huius persecutionis tempestas, a diuersis administrata sit Præsidibus. Præterea certum est, Dacianum, quum vnus tam multis persequendis Christianis non sufficeret, per legatos multa gessisse. Quem constat ex vita Diui Georgii, huius tempore persecutionis, igne caelitus demisso conflagrasse. Hac tempestate vixit etiam Beatus Prudentius Hispanus, ex ea Cantabriæ prouincia quæ nunc dicitur Alaba, episcopus Tarraconensis & confessor domini, cuius festum celebratur vigesimo octauo die Aprilis. F. Alfonsus Venerus. Alius hic est a Prudentio poeta. Claruit

X iiii

An. dom. eodem tempore Ruffus Festus Auienus, poeta eruditus & elegans, quem Hispanum fuisse putant, ut inquit Petrus Crinitus lib. 5. de Poet. Lat. Hunc etiam Abidnū in antiquis codicibus appellari notauit Gregorius Gyraldus lib. 4. hist. poet.

315 Hoc anno, aut secundum alios, 311. Melciades Pontifex Rom. ad Marinum, Benedictum, Leontium, & alios Hispaniarum episcopos epistolam scripsit, tam sancto Pontifice dignam, de primatu sedis Romanæ, qua etiam respondet ad quaestionem illorum, utrum maius sit sacramentum manus impositio, id est confirmatio, an baptisimus. Ex priore tomo Conciliorum.

326 Celebrata est mense Iunio sancta Synodus Nicena 318. episcoporum, quæ fuit prima, teste Eusebio, sed œcumenica. Nam concilia generalia prouinciarū prius celebrata legimus, ut Carthaginense sub B. Cypriano, sed & Beda in Chronicis dicit, imperante Helio Pertinace, concilium in Cæsarea Palestinæ a Theophilo & aliis episcopis super celebratione Paschæ celebratum. Scribit Ioannes Abbas, quod concilium Nicenum fuit anno Constantini vigesimo, hoc est, Christi 329. sed ex actis ipsius Concilii, & epistola Osii constat, celebratum hoc Conciliū consularu Paulini & Iuliani, qui cadit in annum decimum septimum Constantini, id est, annum domini 326. Celebratum est autem 13. calendis Iulias. Interfuit huic Synodo Theophilus Gothorum episcopus, ut ait Socrates in historia Tripartita lib. 5. cap. 38. vnde liquet falsum esse quod aiunt, Gothos vsque ad Valentis Imperatoris tempora Chritum penitus ignorauisse. Huic sancto concilio Niceno Osii episcopus Cordubensis interfuit, & bonam multamque in eo nauauit operam, ut etiam annotauit Petrus Messias in vita Constantini Imperatoris, scriptor diligens & multæ lectionis, mihi que olim Hispali cognitus. Imo vero præfuisse videtur concilio, & in eo vicem Romani gessisse Pontificis, cum Victore & Vincentio presbyteris Romanis, quos nunc Cardinales appellamus: quod apparet ex præfatione Sardicensis concilii. Præterea extat illius in actis concilii Niceni epistola, in qua ipse & Macarius Constantinopolitanus episcopus & presbyteriam disti postulant, quæ in eo concilio gesta erant, Syluestri summi Pontificis consensu & calculo confirmari: Historia Tripartita lib. 6. c. 20. testatur Osium Cordubæ Hispaniæ præfulem ad hoc concilium ab Imperatore Constantino præmissum, ut flammam ab Ario tunc excitatam extingueret: etiam Sabellii Libyensis hæretici dogma destruxisse. Interfuit Osii Episcopus etiam concilio Gangrensi, quod eodem fere anno in Paphlagonia celebratum est. Priore tomo Conciliorum. Quæ præterea de Osio dicenda restant, suis locis dicentur.

329 Floruit sub Constantino Imperatore Iuuenus, nobilissimi generis Hispanus presbyter, qui versibus heroicis, pene ad verbum transferens, Euangelicam historiam quatuor libris cōscripsit, & alia nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia. D. Hieronymus & Seuerus Sulpitius.

338 Constantinus Imperator magnas adduxit copias in Hispaniam, ut barbaras nationes quæ Galleciam, Bæticam; atque omnem oram maritimam varie occupauerant, expelleret: atque Hispanos in monteis & inaccessa loca profugos sedibus suis restitueret. Quod ut effecit, ad componendas res ecclesiasticas animum adiecit. Chronica Regis Alfonsi. Iussit enim celebrari concilium Illiberitanum a 19. Episcopis, in Illiberi, quæ est in radicibus montis Pyrenæi, non ea quæ fuit prope Granatam, cui concilio Helenam Constantini Magni matrem cum Constante nepote, cui in partitione Imperii Gallias & Hispanias Constantinus pater dederat, interfuisse affirmat Ioannes episcopus Gerundensis. In hoc concilio Hispania in quinque prouincias diuisa est: Tarraconensem, Carthaginensem, Bæticam, Lusitaniam, & Galleciam: & singulis prouinciis assignati sunt episcopi metropolitani. Citeriori Hispaniæ Tarraconensis, Carpetaniæ Carthaginensis, in cuius locum postea successit Toletanus (ut etiam ex Diuo Alfonso colligere est, apud quæ frequenter de Toletanis Episcopis sic inuenies, *Carthaginensis prouinciæ metropolitani Episcopus*) Bæticæ Hispalensis, Emeritenfis Lusitanæ, Galleciæ Bracarenfis. Ex Ioanne episcopo Gerundensi lib. 1. Huic concilio interfuerunt Osius Cordubensis episcopus (quamuis Petrus Antonius Beuter Cōscium Osii præcessorē, & hoc

& hoc concilium ante Nicenam Synodum fuisse dicat) & Quintianus Eborensis episcopus. Ex priore tomo Conciliorum. Quod propter antiquitatem S. Eborensis ecclesiæ adiunctum volui, quam Chronica Regis Alfonsi hoc tempore non ponunt. Quo loco quæcunque ponuntur, ut ingenue fatear, ægroti veteris somnia pleraque omnia mihi videntur. Multos enim episcopatus ibi lego, quorum in antiquis conciliis nulla fit mentio.

Constantinus Magnus prope Nicomediam moritur, anno ætatis sue 66. Quem dicit Eusebius extreme vitæ tempore ab Eusebio Nicomediæ episcopo baptizatum, in Arianum dogma declinasse. cui opinioni subscribit S. Isidorus. Sed Historia ecclesiastica lib. 10. c. 11. ac Theodorus contrarium sentiunt. Siquidem Rufinus in historia ecclesiastica, Constantiam Constantini sororem, a presbytero quodam Ariano infectam veneno, presbyterum eundem sub mortem commendasse Constantino, Constantinum vero eiusdem presbyteri suasu Ariam ab exilio reuocasse, ac iussisse, ut quod de fide sentiret, scripto exponeret. sed eam expositionem Imperator ad Hierosolymitani concilii remisit examen, neque illum in communionem recipere voluit ante iudicium & probationem Ecclesiæ, ut est in historia Tripartita lib. 3. cap. 6. Præterea verum quidem est, quod Athanasium Magnum falsis Arianorum persuasionibus in exilium Treuiros misit in Galliam, sed ante mortem honeste reuocari iussit. Postremo, cum Nicomediæ ægrotans fatalem vitæ diem suspicaretur adesse, gratiam sacri baptismatis recepit. Distulerat enim vsque ad illud tempus, in Iordane fluuio desiderans salutaris aquæ lauacro tingi. Ibidem cap. 12. & Theodorus in historia sua ecclesiastica lib. 1. cap. 31. in qua hæc verba subiungit: Rex quidem in melius transit regnum. Augustinus Streuchus Eugubinus erudite probat, non solum falsum esse quod ab episcopo hæretico baptizatus sit, sed etiam quod baptismum vsque ad finem vitæ distulerit. Quod si verum esset, non potuisset sine baptismo interesse Niceno concilio, nec cum sanctis Patribus preces habere. Quod de baptismo quidam dixerunt, balneum calidarum aquarum fuisse recuperandæ valetudinis ergo. Quod patri adscribitur, de filio intelligendum. Idem etiam apparet ex edicto ipsius Constantini, quod extat priori tomo Conciliorum. Huius Imperatoris mortem Eusebius ponit anno 340. Hermannus Contractus 343. Ego Paulum Orosium sequutus sum, qui dicit fuisse anno ab vrbe condita 1092. Constantinum Magnum quum de vniuersa Hispania, tum vero de Bracara Augusta præclare meritum constat ex numismatis antiquis, quorum illic maxima multitudo etiam hodie manibus hominum teritur, cum imagine & inscriptione Constantini.

Impietas Ariana Constantii Regis fulsa præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primo Athanasium, deinde omnes Catholicos episcopos persecuta est. Eusebius. Hoc tempore Osius Cordubensis episcopus pro Catholica fidei professione missus est in exilium, de quo extat hoc Athanasii Magni in Apologia elogium: De maximo autem & optimo sene & vere confessore Osio etiam loqui superfluum. Omnibus enim notum est, quod etiam hunc in exilium deportari fecerunt. Nō enim ignobilis, sed omnibus noscitur esse notissimus. Cui namque non præfuit Synodo? aut recte loquens, non satisfecit vniuersis? Quæ ecclesia huius patrocinii memoriam non habet? Quis aliquando dolens, cum venisset ad eum, non decessit sanus? Quis indigens quum petisset, non meruit quod poposcit? Et tamen etiam contra hunc talia præsumperunt, quod impia eorum molimina cognoscens noluerit propria subscriptione firmare. Hęc ille. Ex priore tomo Conciliorum.

Pacianus Barcinonensis episcopus, vitæ puritate ac sanctimonia & eruditione clarus celebratur, & sub Theodosio Principe in vltima senectute mortuus est. De quo vide D. Hieronymum de scriptoribus ecclesiasticis.

Natus est Cæsaraugustæ Aurelius Prudentius Clemens, Philippo & Salia Coss. ut ipse de se testatur in præfatione libri Cathemerinon, vbi sic inquit:

*Irrepsit subito carities seni,
Oblitum veteris me Salia Consul admonens.*

An. dom. Ita enim legendum, non quemadmodum hactenus etiam a doctis deprauate legebatur. Atque hanc huius loci restitutionem non mihi debes candidè lector, sed L. Andræ Refendio, qui mihi locum hunc atque alios nonnullos, qua est humanitate, communicauit, cuius ego in his rebus limatissimo iudicio non immerito plurimum tribuo. Is in hoc autore ad amissim plurima restituit, quemadmodum re ipsa experieris, si quando, quos sub lima premit in Prudentium Commentarios, per occupationes serias potuerit euulgare. Locum errori mihi dedisse videtur titulus Prudentii. Sic enim legitur, Aurelii Prudentii Clementis V. C. quod peperam interpretantur, Viri Consularis, & Massiliæ fuisse Consulē somniant, quum legēdum sit, viri clarissimi, vt erudite scribit Andreas Alcarius lib. 3. dispunct. c. 4. 10

352 Hoc anno celebratum est concilium Sardicense, nempe vndecimo anno post mortem Constantini, Rufino & Eusebio Consulibus, in quo vel præcipuam operam nauauit Osius Cordubensis episcopus, iam longæuus, & vt est in epistola eiusdem Synodi, atq; Historia Tripartita lib. 4. cap. 23. propter ætatem & confessionem, tantumque laborem omni honore dignus. Tamen Cassiodorus hos Consules nono post mortem Constantini ponit anno. ego Tripartitam historiam sequor. Porro quod Osiū in hoc concilio præsedisse dicunt, contrarium ex subscriptionibus ipsius concilii constat, in quibus Osius non primo loco, vt in Synodo Nicena, sed quadagesimo quarto ponitur, quum tamen sententiæ concilii prope omnes ipsius sint. Quin & alii quatuor episcopi Hispani ante Osiū sub- 20 scripserunt, nempe Annianus Castulonensis, Costus Cæsarangustanus, Domitianus ciuitatis Augustæ (de quo vide in titulo de episcopatibus Hispaniæ) Florentinus Emeritæ, qui simul cum Osiō interfuerunt, & præter eos Prætextatus Episcopus Barcinonensis.

354 Constantius Imperator, quum apud Ariminum numerosam vtriusque orbis Synodum episcopalem collegisset, cupiens aduersus Catholicam fidem Arii venena reuoluere, & Ecclesiam Dei tyrannica vrsurpatione turbare, Osiū interrogauit solenni legatione episcoporum missa, vtrum in concilio Niceno cui ipse interfuerat, Homusion vnus cum patre substantiæ filii, sicut Catholici, an Homœusion, similis cum patre substantiæ filium, sicut Ariani, Patres illi 318. confiteri de- 30 creuissent. Osius vero siue per longam ætatem, siue assentatione Principis respondit, vtrosque recte sentite. Quæ sententia tam stulte prolata, tam ab ipsis Arianis, quam catholicis vno ore derisa & refutata est, & post hanc consultationem nomē illius inter Catholicos episcopos decessores eius minime recitatur. Ex priore tomo Conciliorum. Hanc Synodum, si tamen Synodus appellanda est, ac non potius conciliabulum, D. Hieronymus in addit. ad Eusebium, anno trecentesimo sexagesimo tertio ponit, sed quia acta Conciliorum Synodum istam Syrmienfi concilio, de quo iam dicemus, præponunt, quod ex historia Tripartita constat, anno sequenti, nempe post consulatum Sergii & Nigriani celebratum, ego eundem ordinem sequutus sum. 40

355 Constantius a D. Athanasio ad sanam mentem conuersus, quum præuis Ariariorum suasis in pristinam relapsus esset insaniam, concilium contra Catholicos Syrmii collegit, quo Osiū Cordubensem Pontificem tunc celeberrimum omnium, vt etiam Tripartita testatur historia lib. 5. c. 16. qui Ariariorum molimine paulo ante in exilium missus fuerat, euocauit, & inuitum venire compulit. Qui cum eis consentire respueret, tormenta longæuus plagasque perpassus est: vnde etiam necessitate vehementi expositionibus tunc editis consensit atque subscripsit. Ex priore tomo Conciliorum. Sed operæ precium fuerit hoc loco adscribere, quæ Sanctus Isidorus de Osiō memoriæ prodidit libro de viris illustribus, admiranda mehercle ac relatu digna. Inquit igitur ad hunc modum: Osius Cordubensis Ec- 50 clesiæ episcopus scripsit ad sororem de laude virginitatis epistolam, pulchro ac diferto comptam eloquio. In Sardicensi etiam concilio quamplurimas ipse edidit sententiās. Hic autem post longum senium vetustatis, accersitus a Constantio Principe minisque perterritus, metuens ne senex & diues damna rerum vel exilium pateretur, ilico Ariarum impietati consensit. Cuius quidem vitam, vt meruit, confestim

confestim exitus crudelis finiuit. Nam post impiam (vt ait quidam) Osi præuaricationem, dum Sanctus Gregorius Eliberitanus episcopus, in Cordubensi vrbe iuxta imperiale decretum fuisset adductus, ac minime vellet illi communicare, commotus Osius dicit Clementino Constantis præfecti vicario, vt mitteret eum in exilium. At ille, Non audeo, inquit, episcopum in exilium mittere, nisi prius eum ab episcopatu deiecero. Vt autem vidit Sanctus Gregorius, quod Osius vellet dare sententiam, appellat Christum totis fidei suæ visceribus exclamans, Christe Deus qui venturus es iudicare viuos & mortuos, ne patiaris hodie humanam perferri sententiam aduersum me minimum seruum tuum, qui pro fide nominis tui, vt reus assistens, spectaculum factus sum: sed tu ipse, quæso, in causa tua hodie iudica, ipse sententiam perferre dignare per vltionem. Non ego quasi metuens de exilio fugere cupio, cum mihi pro tuo nomine nullum supplicium graue sit: sed vt multi a præuaricationis errore liberentur, cum præsentem viderint vltionem. His dictis, ecce repente Osius residens factus quasi regalis imperii, cum sententiam conaretur exprimere, os vertit distorquens pariter & ceruicem, ac desurtum in terram eliditur, atque ilico expirauit. Tunc admirantibus cunctis, etiam Clementinus ille gentilis expauit, & licet esset iudex, tamen timens ne in se simile supplicium iudicaretur, prostravit se ad pedes sancti viri, obsecrans vt sibi parceret, qui in eum diuinæ legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio. Inde est, quod solus Gregorius, ex numero vindicantium integram fidem habens, nec in fugam versus est, nec passus exilium. Vnusquisque enim timuit de illo vltius iudicare. Hactenus Sanctus Isidorus. Tamen Diuus Augustinus contra Parmenianum, innocentem Osiū & catholicum contra hæreticorum calumnias astruit. Illud mirum, quum Diuus Hieronymus Gregorii mentionem fecerit, tamen Osiū non meminisse. Ioannes Tritemius Osiū ponit anno 390. Sed arbitror illum Æram pro anno domini accepisse, alioqui non constat ratio temporis.

Petrus Cæsarangustæ Orator insignis docet. Diuus Hieronymus in addition. 360 ad Eusebium.

30 Mortuo Liberio, S. Damasus ordinatur Rom. Pontifex, numero trigésimus quintus. Fuit hic natus Vimarani oppido Portugalliæ, inter Durium & Minium, 369 tribus leucis a Bracara Augusta, sicut Bracarensis cantat Ecclesia. Hic elegans habuit ingenium in componendis versibus. Diuus Hieronymus huic sancto Pontifici fuit a libellis synodicis, atque in eremum reuersus multas ad illum dedit epistolas, inter quas vnam singularem tomo secundo, cuius initium, *Quoniam veni-* *sto:* in qua luculenter ostendit, quanto pere sedem Apostolicam venerabatur. Vide Breviarium Eborense, a Refendio notori suo restitutum. Sunt qui Sanctum Damasum anno trecentesimo septuagesimo primo Pontificatum summum iniisse scribant, sed illi Liberio subrogant Felicem, qui sedit anno vno, menses quatuor, dies duos. Verum hunc alii tanquam Ariarum inter Pontifices non ponunt. Eodem anno Athanasius electus est in Regem Gothorum siue Getarum, a quo scriptores Hispanicarum rerum Gothorum Reges numerare incipiunt. Sed Rodericus Toletanus & Alfonsus Burgenfis episcopus in hoc lapsi sunt, quod illius regnum ab anno trecentesimo quadagesimo tertio auspiciatur, quum vel ipsis testibus sub Valente fuerit, non Constantio. Rectius igitur Sanctus Isidorus, qui dicit hunc regnare cepisse Æra 407. anno quinto Valentis, in quo tribus tantum annis ab Eusebii supputatione discrepat, a qua vnico tantum anno differunt Chronica Regis Alfonsi decimi, sicut & Lucas Tudensis. Hic Christianos crudelissime persequutus, plurimos barbarorum ob fidem interfectos, ad coronam martyrii sublimauit, quorum tamen plurimi in Romanorum solum non trepidi, velut ad hosteis, sed certi quod ad fratres, pro Christi confessione fugerunt. Paulus Orosius lib. 7. c. 32.

Floruit Gregorius Baticus Eliberitanus episcopus, vsque ad extremam senectutem, floruit, inquam, non solum doctrina & scriptis, sed etiam puritate vitæ ac fidei Catholicæ, neque se vnquam Ariarum miscuit prauitati. Diuus Hieronymus 374

An. dom. & Seuerus. Hic est ille Gregorius beatus, quem Osius Cordubensis episcopus, episcopatu, quia ipsi communicare nollet, deturbare voluit, vt iam commemorauimus. Eodem tempore sub Valentiano Principe claruit in Hispania Aquilius Seuerus, de quo vide D. Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

377 Corpus S. Firmini Pompelonensis ciuis & episcopi reuelatum est Saluio Ambianensium episcopo, decimo tertio die Ianuarii, quo die subito maximus calor factus est, & campi floruerunt, multisque miraculis hic dies insignis fuit. Ex Breuiario Pompelonensi. Eodem anno secundum S. Isidorum, secundum vero historiam Tripartitam, cui Alfonso Regis Chronica concinunt, 379. Gothi rebus inter Athanaricum & Frigidernum (alii Frigidernum appellant) diuisis, mutuis se vulneribus attriuerunt. Sed dum Athanaricus rerum potitus, a Valente fidei Catholicæ doctores postulat, Imperator Arianæ fautor hæreseos, missis sacerdotibus hæreticis, eadem illos imbuit impietate, qua nobilis illa Gothorum gens infecta fuit per ducentos tredecim annos, hoc est, vsque ad tempora Recaredi Regis Catholici, qui a beato Leandro veram fidem edoctus, in Toletana Synodo & publico Patrum consensu omnem hæresin abiurauit, & se ac suos Catholicæ orthodoxæ mancipauit fidei. Ex Sancto Isidoro. Sed quomodo Gothi in Arianam impietatem seducti sunt, quando hanc rem non satis accurate, atque aliqua ex parte, ne fideliter quidem, scriptores Hispani tradidere, non abs re fuerit explicatius paulo repetere. Gothi igitur a fide Catholica quam profitebantur, Valentis Imperatoris & Eudoxii Arianorum episcopi sollicitatione, in Arianam perfidiam lapsi sunt, ad hunc modum. Quum transito Istro, ciuili inter se bello conflictarentur in duas factiones diuisi, & Athanaricus Frigidernum vicisset: Frigidernus Romanorum ad quos desciiuit ope, rursus Athanaricum vicit. Pro quo beneficio Valenti gratificari cupiens, cum suis omnibus dogma religionis ipsius amplexus est. Hæc in historia Tripartita lib. 8. cap. 13. Theodoritus vero in histor. ecclesiast. lib. 4. cap. vlt. dicit, quod cum Gothi transgressi Istrum, pacem cum Valente fecissent, Eudoxius suggestit Imperatori, vt ei Gothi communicarent, quia communio vnus dogmatis firmiorem faceret pacem. Quod consilium quum Valenti placeret, exegit a Gothorum ducibus, vt dogmatum quoque concordiam retinerent. Illi vero negarunt se paternam posse mutare doctrinam. Tum Eudoxius Viphilam Gothorum episcopum verbis pecuniisque flectens, effecit, vt Barbari communionem amplecterentur Imperatoris, dicens certamen esse verborum, non differentiam dogmatum. Huius Viphilæ magna erat apud Gothos autoritas & irrefragabilis, qui literas Gothicas inuenit, ac diuinas scripturas in vernaculam illorum linguam conuertit. D. Isidorus Gulphilam appellat, Hispanæ historiæ vitiose Gudillam nominant.

379 Valens Imperator instinctu dæmonis necromantiam fecit, vt sciret de successu imperii, cui dæmon quatuor literas demonstrauit, Th. E. O. D. dicens hoc nomen post Valentem Imperii culmen accepturum. Vnde Imperator zelo ductus peremit multos, quos tyrannidem ambire iudicauit. Occidebantur itaque Theodori, Theodoti, Theoduli, & quicumque has literas in capite sui nominis habuissent: inter quos etiam Theodosius quidam, vir fortis, ex Hispana prouincia genus ducens, occisus est. Historia Tripartita lib. 7. cap. 35. Hic est Comes Theodosius, Theodosii Imperatoris pater, qui contra Firmum res nouas in Africa molientem & regnum vsurpantem cum exercitu missus, Mauros multis præliis fregit, ipsum Firmum coegit ad mortem, & totam cum Mauritania Africam ad Imperatoris reduxit obsequium. Postea vero inuidia & calumnia quorundam (ea nimirum quam diximus) iussus apud Carthaginē interfici, baptizari voluit in remissionem peccatorum. At postquam sacramentum Christi quod quaesierat, adsecutus est, post gloriosam seculi vitam, etiam de vita æterna securus, percussori iugulum vltro præbuit. Paulus Orosius lib. 7. c. 33.

381 Hoc anno secundum D. Hieronymum, secundum S. Isidorum trecentesimo septuagesimo octauo, nimirum Æra 416. Gothi alios suis sedibus deturbare soliti, ab Hunnis pelluntur, quorum vim dum ferre nequeunt, transito Danubio Valentis Im-

An. dom. ti Imperatori se dedentes, Thraciam habitandam accipiunt, sed seruitutis impatientes mox rebellant, ac Valentem bello superatum & iaculo vulneratum, in vilula quadam, quo confugerat, supposito igni succendunt. Itaque iusto Dei iudicio ipsi eum viuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arsi sunt. Sanctus Isidorus, & Orosius. Sed Orosius dicit hoc decimo tertio anno Imperii Valentis factum, hoc est, anno Domini 380. nimirum anno ab vrbe condita 1132. Sic enim omnino legendum, non 1122. vt erat in libro quo ego vsus sum. Cum Orosio consentit Tudenfis.

Decio Aufonio Gallo & Olybrio Consulibus, Gratianus Augustus quum afflictum & prope collapsum Reipublicæ statum videret, eadem prouisione qua quondam legerat Nerua Hispanum virum Traianum, per quem Respublica reparata est: legit & ipse, atque Orienti præfecit Theodosium virum Hispanum, ex prouincia Bætica. Qui afflictam Reipublicam ira Dei, reparandam eiusdem misericordia ratus, Christi fretus auxilio, Alanos, Hunnos, & Gothos formidatos maioribus, etiam Alexandro illi Magno populos, multis magnisque præliis vicit ac fudit. Paulus Orosius ibidem. Hoc loco in Prospero Aquitanico mendose legitur, Musonio & Olybrio Consulibus, pro Aufonio, in ipso statim Chronici sui principio. Hic Theodosius tam propter parentum nobilitatem, quam propter fortitudinem propriam nominatissimus habebatur, & propter hanc causam inuidia parium iudicum fatigatus in Hispania morabatur, vbi & ortus fuerat & nutritus. Vnde illum euocatum Imperator Magistrum militum fecit, & cum exercitu ad Barbaros misit, in quibus ille tantam stragem edidit, vt Imperator, nisi missis qui res actas inspicerent, credere non potuerit. Huic per somnium visus S. Melitius Antiochenus præsul chlamydem dare imperialem, & corona caput ornare. Historia Tripartita libri noni capite quarto. De sanctitate & admirandis virtutibus Placillæ vxoris huius Theodosii, vide Historiā Tripartitam eodē lib. cap. 30. & 31. Hoc tempore S. Paulinus in Hispaniam se contulit ex Italia, vitam monasticam professurus, vt quietius religioni vacare posset. Fuit hic poeta non illepidus, & Romæ magnis perfunctus honoribus, vt ex Aufonio patet, cuius extant ad Paulinum epistolæ, & Paulini ad Aufonium. Hunc ego non leuibus coniecturis adducor, vt credam fuisse Paulinum illum Nolanæ ciuitatis episcopum, ad quem extat Diui Hieronymi epistola de institutione Monachi, tamen Petrus Crinitus diuersum sentiat, non dissimulans interim, alios in hac esse opinionem. Gregorius Gyraldus Burdegalensem fuisse dicit, & Pontium Paulinum appellat, atque opinionem Criniti sequitur. præterea dicit, quod Christianus factus, Diuo Augustino atque Ambrosio multum vsus est, quodque ab illis Barcinonem in Hispaniam missus, sacris initiatus est. quod magis opinionem meam auget. Eodem anno Priscillianus, Abulensis in Hispania episcopus, ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresin nominis sui condidit. Prosper Aquitanicus, qui hoc loco in libris vulgo impressis mire deprauatus est. Sic enim legitur: Priscianus episcopus de Gallatia. qui locus ex Alcobaciensi codice sic restituendus est: Priscillianus episcopus de Gallecia. Nam quod Priscillianus, non Priscianus legendum sit, ex Diuo Augustino patet ad Quoduultdeum, vnde Prosperi verba desumpta sunt. Nam quamuis Abula, cuius episcopus Priscillianus fuit, in Gallecia non sit, fieri tamen potest, vt Galleciam patriam habuerit. Certe quod Hispanus fuerit, non Galata, ex Diuo Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem contra Pelagium, ac D. Augustino patet. Idem affirmat clarissime D. Isidorus in etymologiis lib. 8. cap. 5. Abylæ vero fuit episcopus, non eius quæ est Phœnicis in Syria, vt in scholiis suis annotauit Erasmus, sed eius quæ est in Hispania. Nam si vel in Gallatia, vt mendose legitur in Prospero, vel in Syria, vt inquit Erasmus, fuisset episcopus: ad Orientalem, non Occidentalem pertinuisset ecclesiam, & in Constantinopolitano 180. Patrum concilio, quod tunc celebratum est, non Burdegalensi condemnatus fuisset.

Theodosius Theffalonicæ grauer ægrotans, a Basilio eiusdem ciuitatis episcopo baptismum suscepit. Prosper Aquitanicus.

- An. dom.* Hoc anno secundum Prosperum Aquitanicum, secundum Isidorum anno trecentesimo octogesimo primo, nempe Æra quadringentesima decima nona (hoc tamen utriusque cum Luca Tudenſi conuenit, quod anno Theodosii tertio) Athanaricus Gothorum Rex, isto cum Romanis foedere, Constantinopolim ad Theodosium Imperatorem profectus, decimo quinto die quam ab eo fuisset honorifice susceptus, obiit. Gothi Imperatoris benignitate ac virtutibus allekti, illius se tradiderunt imperio. Isidorus & Paulus Orosius.
- 386 Anno Theodosii quarto, Gothi indignum genere suo rati parere Romanis, quorum saepe vires bello fregissent, abiecto iugo Alaricum Regem creant. Isidorus ac Tudenſis dicunt Æra quadringentesima vigesima factum, hoc est, anno trecentesimo octogesimo secundo. Rodericus Archiepiscopus Toletanus, & illum sequuti Alfonso Carthaginensis & Didacus Valera, dicunt Gothos Romanis sine duce proprio paruiffe viginti sex, aut viginti octo annos. Sigebertus Gemblacensis & Chronica Regis Alfonsi, quod quatuordecim, in quo Iornadem sequuti sunt. Lucas Tudenſis, quod septem. Sed in hoc autore numerus Æra ita mendosus est, ut in argumentum trahi non possit. Ego Isidorum sequor, apud quem numerus annorum Alarici, Prosperi calculo probe respondet. Hanc annorum differentiam ex eo natam arbitror, quod Rodericus Toletanus contra fidem historiarum, Athanarici regnum anno trecentesimo quadragesimo tertio, hoc est, Æra trecentesima octogesima prima coepisse scribit, ut iam dictum est.
- 387 Damasus Papa migravit ex hoc seculo, sedit in cathedra Petri octodecim annos, mensis duos, dies decem. Petrus Antonius Beuter Tarracensem fuisse dicit, Marinæ Siculus Madritio ciuem adscribit, sed multæ (ut diximus) Hispaniæ Ecclesiæ Vimaransenſem fuisse affirmant. Damaso successit Siricius, cuius extat ad Himerium Tarracensem episcopum epistola apostolica doctrina & autoritate plena, quam iussit Carthaginensibus, Lusitanis, Bæticis & aliis finitimis episcopis transmitti. Ea extat in priore Conciliorum tomo. In Prospero pro Siricius, mendose legitur Vrsinus.
- 388 Priscillianus hæreticus, cum in synodo Burdegalensi se damnandum intellegeret, ad Imperatorem seu potius tyrannum Maximum prouocauit, auditusque Treueris ab Euodio præfecto prætorio, a Maximo gladio additus est cum aliquot sectatoribus, atque inter eos Matroniano (Latronianum alii vocant) Hispano, viro erudito, & in opere metrico veteribus comparando. Ex Prospero Aquitanico & D. Hieronymo. Hos duos, Priscillianum dico & Marronianum, Petrus de Natalibus etiam in sanctorum Martyrum (si diis placet) catalogum cooptauit, & quod indignus est, D. Hieronymi autoritate somnium suum voluit confirmare, quum ex D. Hieronymo constet, impudentissimos fuisse hæreticos, atque etiam spurcissimos. Eodem tempore floruit Ithacius Hispaniarum episcopus, cuius etiam in Priscilliano meminit D. Hieronymus. Is librum sub apologetici specie edidit, in quo deſtenda Priscilliani dogmata, & maleficiorum arteis, & libidinum probra demonstrauit. Idem cum Vrsatio ob mortem Priscilliani quem accusauerant, ecclesiæ communionem priuatus, exilio condemnatus fuit, atque ibi diem suum obiit. S. Isidorus, Sigebertus Gemblacensis dicit propterea communionem priuatus, quod episcopi nefas esse ducerent, cuiuscunq; modi hominem episcoporum accusatione necari. Huc Ithacium Ioannes Trittemius eundem esse asserit cum Idacio Hispaniarum episcopo, qui Chronicon scripsit a primo Theodosii Consulatu vsque ad annum quadringentesimum nonagesimum, sed fallitur. Siquidem Idacius in Chronico suo testatur, se anno demum Honorii decimo, hoc est, anno Domini plus minus quadringentesimo decimo septimo, ad Deum esse conuersum. Erasmus apud D. Hieronymum in Priscilliano, p. Vrsatio legit Hylatiū, sed (pace tanti viri dixerim) hac in parte illi non assentior. Nam S. Isidorus, Sigebertus Gemblacensis, & Hermannus Contractus dicunt, Vrsatiū cum Ithacio ob accusationem Priscilliani cōmunionem ecclesiæ priuati, & exilio multati: apud quos, si vllū fuisset in vocabulo mendum, non esset tanta lectionis concordia. Eadē tempestate Tiberianus Bæticus quū a suspitione Priscilliane se purgasset hæreseos, eadē post eadē Priscilliani & sociorum, tædio

- tædio victus exilii, mutauit propositum, & canis reuersus ad vomitum, filiam virginem Deo dicatam nuptui tradidit, ut autor est D. Hieronymus, qui non minus vere quam pietate tribuit impietati, quod quidam hoc tempore (pro dolor) nullo exemplo, nulla autoritate, sed sola impietate huius quoque dementiæ suggestrice pietatem mentiuntur. Sed vnus tantum hæresiarcham, & paucos aliquot illius sectatores in Hispania est inuenire: nunc videamus, qui floruerint id temporis in eadem viri vere catholici. Lucinius Bæticus, vir nobilis ac pius, qui D. Hieronymi sodalitiū suis opibus iuuuit, quique sex notariis seu librariis scriptoribus Bethlehemi missis, omnia D. Hieronymi opera describi sibi curauit. Cuius extat D. Hieronymi epitaphium ad Theodoram uxorem, sed quæ ab illo sororis habita sit loco. Abigaus presbyter, quem de cecitate consolatur D. Hieronymus. Abundius Auitus presbyter, qui epistolam Luciani viri sancti de reuelatione corporis S. Stephani ad omnes ecclesias missam, Latino sermone trātulit. Gennadius. Ad hunc quoque scripsit D. Hieronymus. Imo vero duos Auitos ciues suos, eodem tempore viros eruditos ponit Paulus Orosius, in epistola ad D. Augustinū, de errore Priscillianistarum & Origenistarum. Olimpus Hispanus episcopus, qui scripsit aduersus eos qui naturam, & non arbitrium, in culpam vocabant. Gennadius. Audentius episcopus, magnus & strenuus aduersus omnes hæreticos fidei propugnator, scripsit aduersus Manichæos, Sabellianos, & Arianos, & præcipue contra Photinianos. Gennadius. Hunc ego ex Diuo Alfonso colligo episcopum fuisse Toletanum, numero octauum. vnde id coniciam, paulo post in primo concilio Toletano latius explicabo. Vigilantius natione Gallus, patria, ut ex D. Hieronymo colligitur, Pompelonensis, Barcinonensis parochiæ presbyter, in sanctorum martyrum reliquias & sacerdotum castitatem furiose debacchari coepit. Cuius deliramentis ac venenatis dictis D. Hieronymus, Riparii ac Desiderii Hispanorum presbyterorum rogatu, magno zelo & feruore fidei respondit. Quæ epistola non mediocriter dabit antidotum aduersus quorundam nostri temporis in sanctos Dei seruos blasphemias, in quibus Vigilantius, aut illo antiquior Eunomius, velut alter Euphorbus, renatus videtur. Quasi vero D. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Prudentius, Gregorius, & alii eiusdem ordinis, qui reliquias sanctorum maximo cultu venerandas esse, non minus exemplo quam scriptis testati sunt: imo vniuersa hæc ecclesia diuino desinituta præsidio delirauerit, ipsi soli, si diis placet, nunc tandem acceperint spiritum sapientiæ & intellectus. Sed nihil mirum in seruos Dei contumeliosos esse, quum in Dominum ipsum & sanctissimam ipsius sponsam ecclesiam nihilo modestius sese gesserint. Vigilantii meminit & Gennadius.
- Ad hunc vsque annum D. Hieronymus prosequutus est opus suum de scriptoribus ecclesiasticis, nimirum vsque ad annum Theodosii decimū quartum, ut ipse testatur, & etiam Sigebertus Gemblacensis. Quod opus dedicauit Dextro Barcinonensi, Præfecto prætorii Principis Theodosii, & Paciani Barcinonensis episcopi, de quo superius loquuti sumus, filio, ut ait Raphael Volaterranus. Hieronymus huius Dextri meminit in eodem opere, & ait omnimodam scripsisse historiam, sed nihil addit, vnde constet eundem esse cui opus dedicatum est. Eodem tempore Prudentius Poeta Lyricus in Hispania claruit, & in Repub. Romana variis perfunctus honoribus, mundanarum rerum pertæsus, totum se ad scribendas vario carmine res ecclesiasticas contulit. Quem tanti fecit ecclesia, ut aliquot illius hymnos in diuinis officiis cantari sanxerit.
- Theodosius Honorium filium natū minorem, in eodem loco, quo Arcadium prius, Cæsarem creat. Prosper Aquitanicus. Nam posteaquam imperium conſortis habere coepit, senior Augusti retento nomine, ad consortium allecto Cæsaris nomen tribuebat, qui tamen Augustali maiestati ut superiori deferret, erantque Cæsares, quasi designati Augusti, ut nostra tempestate electi Reges Romanorum, quemadmodum luculenter & erudite præter alios annotauit L. Andreas Resendius in scholiis suis in Vincentium Leuitam & martyrem, cuius passionem & translationem duplicem carmine (ut diximus) heroico celebrauit.

- An. dom.* Theodosius post multas & eas insignes Deo duce aduersus varios tyrannos victorias (de quibus vide Paulum Orosium) post penitentiam Theffalonicensis crudelitatis, Mediolani sub Diuo Ambrosio, vt vere catholicum Principem decebat, actam (de qua consule D. Augustinum) quum iam septendecim regnasset annos, vt ait Iornandes, moritur Mediolani. Hunc Iornandes de regno & temp. successi dicit Theffalonice ab Anatholio Sancto episcopo baptizatum, admodum ecclesie religiosum enituisse propagatorem, Reipubliceque defensorem eximium. Corpus defuncti Constantinopolim allatum, ibique sepultum.
- 398 Arcadius & Honorius imperare ceperunt, hic in Occidente, ille in Oriente. Fuerunt quidem, vt auctor est Claudianus, in Hispania nati, sed foris educati. Paulus Orosius Hispanus, Diui Augustini discipulus, & elogio Diui Hieronymi commendatus, hoc tempore claruit, qui scripsit aduersus calumniatores Christiani nominis qui dicebant defectum Reipub. Romanę Christi doctrina inuectum, libros septem hortatu D. Augustini, in quibus totius pene mundi temporis calamitates & miseras ac bellorum inquietudines replicans, ostendit magis Christianę obferuantię esse, quod contra meritum suum res Romana adhuc duraret, & pace culturę Dei pacatum vereretur imperium. Gennadius. Prosequutus est vero hanc historiam, ab initio mundi, vsq; ad tempora Valie Gothorum Regis. Fuit autē Paulus Orosius non Cordubensis, vt opinantur quidam, sed potius Tarraconensis, vt ait Raphael Volaterranus, & ex ipsius historia colligere licet, vbi loquitur de Germanorum in Hispaniam sub Gallieno irruptione. De Orosio scribit ad hunc modum B. Augustinus ad D. Hieronymum: Venit ad me religiosus iuuenis, catholica fide frater, ætate filius, honore compresbyter, noster Orosius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, vtile vas in domo domini esse desiderans. Hic Orosius a Beato Augustino ad Diuum Hieronymum missus pro discenda animę ratione, rediens reliquias Beati Stephani primi martyris tunc nuper inuentas, primus intulit Occidenti. Gennadius.
- 399 Gothi in Alaricum & Ragadaifum diuisi, muris sese lacerant cedibus, sed postea in Romanorum excidium conspirantes, deprædari Italiam communi consilio institunt. S. Isidorus, & Lucas Tudensis. Sed addit S. Isidorus, quod anno Arcadii
- 400 & Honorii quarto: atq; ita conspiratio ista in annum quadringentesimum incidit.
- 401 Arcadius & Honorius ne non per omnia religiosissimo patri similes essent, per totum mundum, qua Romanum patebat imperium, idolorum templa dirui ac solo adæquari præceperunt. Sigebertus.
- 402 Tempore Arcadii & Honorii, Flauio Stilicone Consule, celebratum est Toletani primum concilium a 19. episcopis, præsidente Patrono episcopo, contra heresin Priscilliani, in quo constitutum est, vt sacerdotes Hispanię viuere in perpetuo cœlibatu. De cuius Concilii cap. 21. (quoniam scrupulus iste mouetur in priore tomo Conciliorum Colonie impressorum) hoc mihi videtur, non esse proprium huius concilii, sed ab aliquo huius concilii actis assutum, propterea quod idem tractaret argumentum. Quod patet, quia concilium illud vnde hoc caput translatum est, Leonis Papæ iussu, 40. plus minus post annis, per S. Turibium Asturicensem episcopum celebratum est, cuius episcopi nomē inter episcopos huius Toletanę synodi non adscribitur, cum tamen ipse in illo concilio iussu Leonis celebrato, præcipua fuerit autoritas, vt ex epistola decretali Leonis Papæ constat, quæ in priore extat Conciliorum tomo. Inter episcopos qui subscripserunt huic concilio, nominatur Asturius, quem ego Toletanum fuisse præfulem arbitror, cui reliquie sanctorum martyrum Iulii & Pastoris reuelatę diuinitus fuerunt. Sed præstat ipsius S. Alfonsi de eo verba recensere, ex quibus hanc cœcepi opinionem. Dicit igitur ad hunc modum: Asturius post Audentium in Toletana vrbe sedis metropolis, prouincię Carthaginis, Põtifex successor, vir egregius, adsignans opera virtutum plus exemplo viuēdi, quam calamo scribentis. Hic & sacerdotio beatus & miraculo dignus, quia quibus iungeretur in cœlo, eorum terreno reperire membra meruit in sepulchro. Nā cū sedis suę sacerdotio fungeretur, diuina dicitur reuelatione cõmonitus, Cõplutensē sepultos municipio, quod ab vrbe eius ferme sexagesimo milliario situm est, Dei martyres

- martyres persecutari. Qui concitus adcurrrens, quos & tellus aggeris & obliuio temporis presserat, in lucem & gloriã terrenę cognitionis prouehendos inuenit. Quibus repertis redire ad sedem renuens, seruitute simul & affiduitate sanctorum innexus, diem clausit extremum. Cuius tamen sedem, donec vixit, nemo adiit. Inde (vt antiquitas fert) in Toletum sacerdos nonus, & in Compluto agnoscitur primus. Hactenus S. Alfonsus. Ex cuius verbis, præter alias coniecturas quas breuitatis causa missas facio, colligo & Audentium cuius superius meminimus, Toletanum fuisse pontificem, & hunc Asturium de quo loquitur S. Alfonsus, huic primo Toletano interfuisse concilio. Ego quid sentiam exposui, paratus cedere, si quis certius aliquid attulerit. Hoc concilium Toletanum alii anno quadringentesimo septimo ponunt. Ratio diuersitatis ex ipsius concilii titulo nascitur. Scribitur enim celebratum Stilicone Consule, sed non declaratur, vtrum fuerit priore an posteriore cõsultu. Bis enim Consul fuit, anno quadringentesimo secundo & quadringentesimo septimo, vt ex Prospero Aquitanico & Aurelio Cassiodoro constat.
- Anno Arcadii & Honorii decimo, Ragadaifus Gothorum Rex, genere Scythæ, cultu idololatra, cum ducentis armatorum millibus Italiam populabundus ingreditur, spondens se Christianorum sanguine diis suis litaturum, si victoriam illi concederent. Sed exercitus eius in Fesulanorum montium verticibus interclusus a Stilicone Romanorum duce & Consule, fame magis quam ferro consumptus est, ipse demum Ragadaifus captus & interfectus. S. Isidorus. Tanta multitudo captiuorum Gothorum fuisse dicitur, vt vilissimarum pecudum modo, singulis auricis, passim greges hominum venderentur. Paulus Orosius lib. 7. c. 37. qui hanc Gothorum cladem copiosus describit. Huius Regis in Italiam cum tam numerosis copiis aduentus, magno timore Romam concussit, & concursum excitauit Paganorum clamantium, hostem esse cū virium copia, tum maxime deorum præsidio vincendum: potentem autem urbem ideo desitutam & mature perituram, quia Deos & sacra perdiderit, magnis querelis vbiq; agebatur, & continuo de repetendis sacris celebrandisq; tractabatur. Quorum vt blasphemiam reprimeret, D. Augustinus doctissimos illos & omni pietate referatissimos de ciuitate Dei libros conscripsit, & Orosius Hormestam suum. Ex Paulo Orosio & Sigeberto.
- Vandali, Alani, Sueui, relictis Galliis quas per annos aliquot misere depopulati fuerant, Hispanias inuadunt, biennio ante Romam duce Alarico Gothorum Rege captam, teste Paulo Orosio, quem hac in parte sequor, quippe Hispanum autorem, & qui testis huius rei fuit oculatus. Prosper Aquitanicus & Cassiodorus sequenti anno Hispaniam a Vandalis occupatam scribunt, nempe anno Honorii secundo. Idem dicunt Seuerus & Idacius, sed addunt, quod Æra quadringentesima quadragesima septima, hoc est, anno Domini quadringentesimo nono, & dicit Idacius, quod quarto idus Octobris, D. Isidorus, quod Æra quadringentesima quadragesima sexta, hoc est, anno Domini quadringentesimo septimo. Idem dicit alio
- 40 in loco in historia Gothorum, quod Honorii anno decimo quinto, sed hoc intelligendum est de iis annis quibus Honorius cum Arcadio fratre imperauit, qui est secundus annus Honorii cum Theodosio Arcadii filio. Atq; ita cū Prospero Aquitanico & Cassiodoro cõcordat. Imperabat tū Vandalis (Vandilos appellat Procopius) Gundericus, Sueuis Hermericus, Alanis Resplandianus. Procopius lib. 3. de bel. Vand. ait primum Vandilorum in Hispania Regem Gogidiscum appellatum, & addit eos cum Honorio Imp. conuenisse, vt sedes in Hispania haberent, minime tamen cæteris habitatoribus nocentes, neq; præscriptionis iure vti vllò vnamquam tempore possent. Quem Procopius appellat Gogidiscum, Nicephorus vocat Modigifscum, & eum ait in Hispania mortuum.
- 50 Honorius Alarico Gothorum Regi pro pace optima & quibuscunq; sedib. simpliciter ac (vt ait Orosius) simpliciter oranti, inito cum Senatu cõsilio, vt Gothos Italia expelleret, Gallias Hispaniasq; quas iam pene perdiderat, concedit. Quæ donatione sacro oraculo confirmata, quum ad cõcessas sibi Gallias Alaricus proficisceretur, Stilico qui filio suo Eucherico, Christianę fidei infestissimo hosti, captas imperium, res Romanas quam maxime turbare studebat, die sancto Paschæ,

An. dom.

in Gothos nec opinātes ex insidiis Saulo Hebræo duce irruit, ac primo impetu victor, postea a Gothis turpiter victus est in Alpibus Cæciliis. Ex Procopio & Sigeberto. Proinde Alaricus hac perfidia exasperatus ac vindictæ cupidus, Italiā repetit, Romam obsessam magno impetu capit Calendis Aprilis, ac deprædatus urbem, omnia ferro ac flammis miscet. Sacris tamen locis, & iis qui ad ea cōfugerant, vim belli abstinet, & si quid ex locis sacris ab aliquo sciret asportatum, magna cū reuerentia iubet restitui, testatus se cum Romanis bellum gerere, nō cum Sanctis & Apostolis Dei. vnde & multi pagani Christianis se miscentes, Christiani nominis prætextu salutem sibi pepererūt. Hæc omnia latissime & elegantissime describit Orosius. Sed liber quo ego sum vsus, mendosus est. Ait enim, irruptionem urbem ab Alarico factam, anno ab vrbe cōdita 1174. cum legendum sit, 1164. vt cōstet ratio temporis, quemadmodū etiā legitur in codice manu scripto & libris emendatius impressis, quod obiter admonitum volui, & ita habet Beda, sed addit, quod nono Cal. Septembris: quod opinor errore libratorum factum. Alaricus triduum vrbe direptioni immoratus Roma discessit, & per Campaniā ac Lucaniam simili clade peracta, in Africam cum opibus totius Italiæ nauigans, facto naufragio in Siciliam rursus eiectus, paucis post diebus Consentis rebus excessit humanis. Ex Iornande & Sigeberto. Regnavit secundum aliquos viginti sex annis, secundum Beatum Isidorum, viginti octo, sepultus a Gothis superbo monumento, in aluco fluuii Barentini, prope eandem ciuitatem, quem fluuium hac de causa deriuauerūt, aquis denuo in locum suum reductis: sed ne locus aliquādo posset cognosci, fossores omnes ad vnum interemerunt. Iornandes in lib. rerum Goth.

413 Gothi Athaulphum Alarici consanguineum, & forma ac mente conspicuum, Regem creant. Qui suscepto regno Romam reuerfus, si quid remāserat, more locustarum abrasit, nec tātum priuatis diuitiis Romam spoliavit, sed etiam publicis, Imperatore Honorio resistere non valente. Iornandes ibidem. Hic in animo habuit, obliterato nomine Romano, solum omne Romanum Gothorum imperium facere, & Romam Gothiam appellare. Verum multa experientia doctus, Gothos propter effrenatam barbariem legibus parere nullo modo posse, sine quibus nulla Respub. constare potest, gloriam potius ex restituendo in integrū augendo; Romano nomine quæsiuit, vt haberetur Romanæ restitutionis autor, qui non potuit esse immurator. Paulus Orosius lib. 7. c. vlt. Eodem anno Gogidiscum, quo Rege Vandali Hispaniam ingressi sunt, autore Procopio, mortuum, & ei Gundericum substitutum scribit Sigebertus Abbas, quamuis apud illum Modigiscus p Gogidiscus, de quo nomine iam diximus, legitur. D. Isidorus præcedenti anno ponit, Chronica Hispana sequenti. Hoc quoque anno Constantinus tyrannus per Constantium Comitem, Honorii Imperatoris ducem, apud Arelatum occidit. Hic Constantinus apud Britannias occiso Gratiano tyrāno, ex infima militia, sola specie nominis, sine merito virtutis electus, continuo in Gallias transit, vnde iudices in Hispanias misit. Quos cum prouinciæ obedientes accepissent, Didymus & Verianianus (Seuerianum alii appellant) fratres nobiles ac locupletes, patriam suam propriis impensis & clientelis tueri, & iusto Imperatori cōseruare aduersus tyrannos conati sunt, atque Pyrenæi claustris occupatis, eos Hispania prohibere. Aduersus hos Constantinus tyrannus filium suum Constantem, ex monacho Cæsarem factū, cum barbaris quibusdam militibus qui Honoriaci dicebantur, in Hispanias misit. Hinc (vt ait Orosius) apud Hispanias prima mali labe. Nam barbari milites, occisis fratribus iam dictis, occupatis Pyrenæi claustris, in pretium victoriæ prædandi licentiam cōsequuti, illecti præda & abundantia regionis, quo magis impunitū scelus foret, atque ipsis plus liceret, prodita Pyrenæi custodia quæ ipsis erat commissa, barbaras gentes quæ per Gallias vagabatur, Hispaniis immittunt, sequi ipsi adiungunt. Atque ita Vandali, Alani, & ceteri barbari, sicut superius diximus, in Hispania venere. Ex Orosio lib. 7. c. 40. Antonius Sabellicus affirmat, fratres illos Didymū & Seuerianū Palentinos fuisse, ac proinde Palentinos primos omnium hostiliter fuisse captos & afflictos, Tolerū frustra tentatū, Olibisponēses auro pacē redemisse. Hunc Constantem Geruntius comes suus apud Viennam Galliarum occidit. Idem. Cum ex Hispania reuertisset, vt ait Paulus Æmilius.

Maxi-

An. dom.

Maximo tyranno in Hispania regnum ablatum, sed vita concessa, eo quod modestia humilitatis affectati imperii inuidiam non merebatur. Prosper. Eodem anno Athaulphus Gothorum Rex, Placidiam Theodosii Magni filiam, & Honorii sororem, quam Gothi Romæ ceperant, in Foro Iulii ciuitate Æmilie matrimonio sibi iunxit, ex qua nullam prolem sustulit, & relicta Italia in Gallias transit. S. Isidorus & Iornandes. Hispania per biennium Barbarorum gladio ac direptionibus, fame, peste, moribus bestiarū grauiter vexata. Sigebertus post Orosiū.

Barbaræ gentes post graues rerum atque hominum vastationes, & magnos cruciatusque discursus, habita sorte, Hispaniarum possessionem inter se distribuunt. Alani Carthaginensem prouinciā & Lusitaniam sortiuntur: pars Vandalorum qui Silingi dicebantur, Bæticam in sedete: reliqui vero Vandali cum Sueuis Galliciam occupauere. Partim ex Orosio, partim ex Seuerio, qui dicit hæc contigisse biennio post captam Romam. Sola Celtiberia mansit in fide & potestate Romanorum, defendente & obtinente Constantino Patrio. Chronica Regis Alfonso. Resplandiano Alanorum Regi defuncto successit Atax. Chron. Hisp.

Hoc anno secundum Gregorium Haloandrum, secundum alios anno 413. Innocentius Papa epistolam scripsit ad episcopos in Toletana Synodo congregatos. Cuius concilii in libris conciliorum nulla fit mentio. vnde constat, plura Toletana celebrata concilia, quam quæ vulgo extant, & numerum qui in libris Conciliorum reperitur, intelligendum de iis quæ sunt diuulgata, non de celebratis. Neque quisquam hanc epistolam tempore primi concilii Toletani scriptam credat. Nam nihil in eo constitutum est eorum quæ hæc epistola decretali præscribuntur.

Athaulphus Rex qui Placidie vxoris, probatæ religionis scemine, consiliis delinitus, Honorio vt leuiro deferens, relicta illi Italia, in Gallias se contulerat: miseratus calamitatis Hispanorum quam a barbaris nationibus patiebantur, in Hispaniam obuiam tantis malis iturus profectus, Barcinone a suis inter familiares fabulas est interfectus. Iornandes & Orosius. Sed Iornandes addit illum tertio anno, postquam Gallias Hispaniasque domuisset, occubuisse, ilio perforato gladio Vernulsi, de cuius solitus erat ridere statura. Idacius scribit Athaulphum Narbone Placidiam vxorem duxisse, & inde a Constantio Patrio pulsum, Hispanias petiisse. Petrus Antonius Beuter autor est, illum Barcinone cum sex filiis quos ex alia ante Placidiam coniuge susceperat, occisum, & monumento eius hoc insculptum Epitaphium.

BELLIPOTENS VALIDA NATVS DE GENTE GOTHORVM
HIC CVM SEX NATIS REX ATHAOLPHE IACES.
AVSVS ES HISPANAS PRIMVS DESCENDERE IN ORAS
QVEM COMITABANTVR MILIA MVLTÀ VIRVM.
GENS TVA TVNG DEMVM NATOS ET TE INVIDIOSA PEREMIT
QVEM POST AMPLEXA EST BARCINO MAGNA GEMENS.

40 Sed quintus versus claudicat, forte superest demum, quod obiter admonendum duxi. Athaulpho successit Segericus (D. Isidorus Siericum appellat, nisi mendosus sit liber) qui cum itidem iudicio Dei ad pacem pronus esset, suorum fraude peremptus, mox vitam cum regno reliquit. Orosius & Iornandes, apud quem opinor corrupte Regericum, pro Segericum legi. Athaulphus regnavit annos sex. Segericum Rodericus Toletanus & illum sequutus Alfonso Carthaginensis vno anno regnasse scribunt. Sed Paulus Orosius, Iornandes, S. Isidorus, mox vt regnare cœpit, occisum affirmant. Sigebertus Abbas Toletano subscribit. Prosper Aquitanicus & Seuerus Segericum hunc inter Vesogothorum reges non ponunt, propter breuitatem temporis, quia videtur regnum iniisse, non possedisse: quapropter Walliam Athaulpho subrogant. Sed Prosper Aquitanicus hoc loco mire deprauatus est, hoc pacto restituendus ex Alcobaciensi codice antiquo: Athaulphus Gothorum Rex a quodam suorum vulneratus interiit, regnumque eius Wallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, inuasit. Sequenti quoque annotatione in eodem, quanquam, pro, quamque, & Gallia, pro, Wallia mendose legitur.

Y iij

An. dom.

Wallia Rex a Gothis ad hoc creatus est, ut pacem cum Romanis infringeret, ad hoc ordinatus a Deo, ut pacem confirmaret. Paulus Orosius lib. 7. cap. vltimo.

Hunc viginti duos regnasse annos, testes sunt Hispanorum Annales vernaculo sermone conscripti iussu Regis Alfonfi, atq; ita esse, facile ex Prospero Aquitanico ac Paulo Orosio colligitur: quanquam Archiepiscopus Toletanus, & illum per omnia imitatus Burgenfis, tres tantum annos regnasse scribant. Quos ego S. Isidori parum emendatis exemplaribus deceptos arbitror, apud quem idem legitur, sed non dubium quin mendose. idq; ex Luca Tudensi satis constat, qui S. Isidori vestigiis ita inhæret, ut eadem ferme verba referat. Sed & Tudensis rursus ita deprauatus est, ut facile restitui non possit. Simili modo vitiose legitur hoc loco in Sigeberto Gemblacensi, annis duobus, pro, viginti duobus, quod ex ipso libro manifestius est, quam ut probandum sit. Hic Placidiam Theodosii Magni filiam honorifice apud se honesteq; habitam, Honorio fratri pacem ipsius expetens, reddidit, quæ Constantio Comiti nupti tradita, Valentinianum peperit, Honorii successorem. Paulus Orosius, Prosper, & Sigebertus. Eodem anno Paulus Orosius, a D. Hieronymo ad S. Augustinum responsa de animæ ratione referens, reliquias S. Stephani cum historia inuentionis in Africam attulit. Sigebertus.

419 Wallia cum Honorio Imperatore pacem pepigit, & Romanæ securitati periculum suum obtulit, ut aduersum cæteras gentes quæ per Hispanias confedissent, sibi pugnaret, & Romanis vinceret. Quo tempore & Alanorum, Vandalorum, Sueuorumq; Reges Honorio Imperatori ad hunc scripserunt modum. Tu cum omnibus pacem habe, omniumq; obsides accipe, nos nobiscum confligimus, nobis perimus, tibi vincimur: immortalis vero quæstus erit Reipublicæ tuæ, si vtriq; pereamus. Orosius.

420 Isidorus Senior Cordubensis episcopus, scripsit ad Paulum Orosium, claruitq; sub Honorio. Ioannes Tritemius & Petrus Messias. Eodem anno Idacius scriptor Hispanus ad dominum conuersus est, ut ipse de se testatur. Hic postea fuit, ut inquit Sigebertus, Lemicæ Hispaniarum vrbs episcopus, & Chronicon scripsit a primo Theodosii consulatu vsq; ad annum quadagesimum nonagesimum, quod auspiciatur a Diuo Ioanne Chrysostomo. Sed nomen vrbs cuius dicitur fuisse episcopus, neq; in conciliis antiquis, neq; vsquam alibi inuenire potui. In Alcobaciensi codice antiquo dicitur Idacius Galleciæ episcopus. Proinde suscipitur in Sigeberto legendum, Lamecæ Hispaniarum vrbs episcopus. Nam & episcopatus Lameccensis perantiquus est, ut ex conciliis patet, & ea Portugaliæ pars olim Galleciæ tribuebatur. Sed hoc ego in aliorum iudicio relinquo. Eodem anno Wallia a Constantio Patritio euocatus, Alanis & Vandalis qui Lusitaniam & Bæticam tenebant, bellum infert. Seuerus.

421 Wallia Alanos qui Vandalis & Sueuis dominabantur, in eas redegit angustias, Atace Rege ipsorum cæso, ut pauci qui cladi superfuere, Gunderico in Gallecia Vandalorum Regi se iunxerint ac subiecerint. Fuit vero hoc prælium apud Emeritam, ut autor est Sabellicus. Idem extinxit & Vandalos Silingos qui Bæticam occupabant. Ipse confecto Hispaniensi bello, cum classe traicere in Africam parat, in freto Gaditano grauissima iactatus tempestate, memor illius sub Alarico naufragii, cæpto destitit, & Hispania relicta, Gallias repetiuit. Vbi ab Imperatore ob res bene gestas secunda Aquitania (ita etiam in Prospero legendum, teste Alcobaciensi codice) & ciuitatibus aliquot vicinis donatus est, hoc est, a Tolosa vsq; ad Oceanum, ut inquit Idacius. Ex S. Isidoro, & Seuero. Huius rei meminit & Sidonius Apollinaris in paneg. Antemii Augusti. Hoc anno, id est, Æra 459. S. Isidorus partitionem possessionis Hispaniarum inter Vandalos, Alanos, & Sueuos factam scribit, quam nos anno 415. posuimus: sed suspicor in Isidoro numerum esse vitiatum. Vsq; ad hunc annum Paulus Orosius prosequutus est historiam suam, hoc est, vsq; ad annum mundi 5618. ut ipse in fine sui operis testatur.

422 Alani indomiti, nec alieni patientes imperii, a Gunderico, cuius se fidei traderant, desciscunt, & Carthaginensem prouinciam ac Lusitaniam repetunt, & sine Rege terras eas incolunt, vectigales tamen Romanis. Chronica Regis Alfonfi. Ab Ala-

Ab Alanis Alanqueram patriam suam dictam nõ incite putat Damianus a Goues, dictam verò Alanqueram corrupto vocabulo, pro, Alankerquam, hoc est Alanorum phanum. Ea vrbs Romanis olim dicebatur Ierabrica, ut Resendus arbitrat, cuius opinio ex Antonini Pii itinerario probe constare videtur. Idem Gothis misti, Gothalaniam nomen dederunt prouinciæ, quæ nunc Cathalonia dicitur, ut autor est Raphael Volaterranus. Sed vero propior videtur Beati Rhenani opinio, qui lib. 1. rer. Germ. Cathalaniam dictam scribit ab Alanis, & Cathis, qui cum Alanis iuncti, in eam Hispaniæ partem proruperunt.

10 Inter Gundericum Vandalorum Regem, & Hermericum Sueuorum, quem alii Ermanaricum, Idacius Ermigarium appellat, dissensione orta, Sueui a Vandalis in Narbaforum montibus obsidentur. Seuerus. Quanquam in Seuero Sulpitio est, in Erbaforum montibus. Ego tamen apud Ptolemæum Narbalos inuenio: Constantius Comes ob egregia in Remp. merita in societatem imperii ab Honorio cooptatur. Prosper Aquitanicus.

424 Vandali, ommissa Sueuorum obsidione, relicta Gallecia, in Bæticam transierunt. Seuerus. Sed prius Rex eorum Balearicas Tarraconensis prouinciæ insulas (Mauricam & Minoricam hodie appellant) deprædatus est, & Carthaginem Spartariam euertit, deinde exercitum in Bæticam duxit. S. Isidorus. Aliqui anno 427. factum dicunt. Mortuo Constantio Imperatore, missus est exercitus ad Hispanias contra Vandalos, duce Craftino, (Castinum constanter appellat codex Alcobaciensis) qui dux Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto & iniurioso imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Nam ille periculosum sibi atq; indignum ratus sequi, quem discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad portum vrbs, atq; inde ad Africam proripuit. Quæ res Reip. multorum laborum initium fuit. Prosper.

429 Gundericus Vandalorum Rex Balearibus insulis dispositis, & etersa Carthagine, ducto in Bæticam exercitu, Hispalim diruit, & omnia cæde ac prædis miscet. Sed dum autoritate regis potestatis, irreuerenter manus impias in Basilicam diuini Vincentii martyris vellet extendere, repente Dei iudicio in foribus templi demone correptus interit. Idacius, & S. Isidorus, & Seuerus. Iornandes in literas misit, Gogidisco Vandalorum Regi duos successisse filios, Gontharim, quem nos Gundericum diximus, & Gizerichum, illum ex matrimonio legitimo, hunc nothum, cui quod esset armorum peritus, & frater adhuc puer, rerum summa delata est. Gontharim quidam putant a fratre interfectum: sed Vandali illum dicunt in Hispania a Germanis (Sueuos, opinor, intelligit) captum, paloque infixum, iam in Africa Gizericho res gerente. Cæterum cum Idacius, Seuerus, S. Isidorus, Lucas Tudensis, Alfonso Rex cognomento Sapiens contrarium sentiant, eos potius sequendos duxi. Nicephorus quoq; Gontarin appellat, quem nos hic Gundericum dicimus.

40 Defuncto Gunderico succedit Gizerictis, siue (ut Iornandes appellat) Gizerichus, quem Idacius Gayzaricum nominat. Regnavit hic, secundum S. Isidorum & Lucam Tudensem, quadraginta annos: secundum Sigebertum & Chronicam Regis Alfonfi, quadraginta octo. Sunt qui Gensericum appellent. Hoc anno Prosper Aquitanicus dicit Vandalos a Gothis exclusos, ex Hispaniis in Africam transisse, de qua re paulo post dicemus. Cum Prospero concordat Cassiodorus. Eodem tempore, Hierio & Ardabure Coss. Valia siue Wallia contra Vandalos fines ipsius, hoc est, Hispaniam prædis vastanteis, mouet exercitum. Iornandes.

Idem dicit Sigebertus, sed biennio post factum dicit, nempe anno 432. Atq; ita Wallia bis oppugnauit Vandalos.

433 In Hispaniis viginti ferme hominum millia contra Vandalos pugnantium cæsa, inquit Sigebertus. Siquidem illi alioqui natura feroces, Rege iuvene ac bellicoso freti, magnam in hostes edidere stragem. Chronica Regis Alfonfi. Sed Gizericus partim a Bonifacio Comite, Aetii fraudulentis consiliis a Rep. alienato, inuitatus, partim Gothorum odia venitus, cum Vandalis & omnibus eorum familiis in-

- An. dom.* Africam traiecit, & eam prouinciam miseris modis adflixit. Sigebertus. Traiectus vero Vandalorum in Africam fuit mense Maio, vt inquit Idacius. Vandalis in Africam translatis, soli in Hispania Sueui rerum potiti sunt. Quorum Rex Hermericus hoc anno in magnum & longum incidit languorem, quo per septem annos continuato, tandē consumptus est. Ita S. Isidorus, ac Tudenſis, & qui præterea de rebus Hispaniæ scripserunt. Sed Idacius autor est, prædantē Lusitaniam, quum haud procul Emerita Sanctæ Martyri Eulaliæ iniurias inferret, vltione diuina peremptum. Cuius de prædationis quum Gayſaricus (ita enim appellat, vt diximus, Gizericum Vandalorum Regem) in Africam transire parans admonitus eſſet, re-
 10 curſu cum aliquam multis suorum factu, maleficos & impios fudit fugauitq;. Er-
 migarius vero (ita Hermericū idem nominat) cum eis quos secum habebat, arre-
 10 pto, vt putauit, euro velocius fugæ præſidio, in flumine Ana diuino brachio præci-
 pitatus interiit. Quo ita extincto, mox quo cœperat Gayſaricus enauigat. Hæc ille.
- 437 Wallia Gothorum Rex Vandalos odio persequens, etiam in Africam eos per-
 sequi diſpoſuit, sed morte præuentus obiit, eiq; in regnum Theodoricus successit.
 Vandali Africam vniuersam deuastant rapinis, cæde, incendiis, nulli sexui, nulli
 parcētes ætati vel ordini. D. Augustinus in sermonibus ad fratres in eremo, si ta-
 men illius sunt. Sigebertus eadem ferme verba ponit, sed anno 439. quem in hoc,
 vt in omnibus fere, sequitur in Chronicis suis Rex Alfonso. Quem diuus Au-
 gustinus & Sigebertus Theodoricum vocant, Hispanis scriptoribus Theodore-
 20 dus, S. Isidoro Theodoredus, Idacio Theodorus dicitur. Et secundum Sigeber-
 tum, anno 439. regno Gothorum præfectus est, regnavitq; annos 14. Tamen si S.
 Isidorus & illum sequentes Tudenſis & Archiepiscopus Toletanus, 33. annos re-
 gnasse scribant, attribuentes illi annos quos Walliæ detrahunt, quem tres tan-
 tum annos regni gubernacula tenuisse aſſerunt, mortuum anno 419. Sed quum
 Prosper Aquitanicus qui illo tempore floruit, & Paulus Orosius, ac Iornandes
 contrarium sentiant, eos potius autores sequendos duxi, præsertim quum suspi-
 cer, numerum anni in Diuo Isidoro esse corruptum. Hanc vero differentiam an-
 norum ex eo natam arbitror, quod D. Isidorus ait, Theodoredum regno Gotho-
 rum initiatum anno Theodosii Iunioris nono. Qui, si intelligas de annis quibus
 30 Honorio patruo fuit confors imperii, incidit in annum domini 419. Si vero de iis
 intelligas quibus ipse potitus imperio, Valentinianum consobrinum in societa-
 tem assumpsit imperii, cadit in annum, secundum Prosperum, 435. secundum ali-
 os, 436. atq; ita parum ab opinione nostra discrepat. Eodem anno, nempe 437.
 Hermericus longo morbo pene confectus, paulo ante mortem, pacem cum Gal-
 lecis quos in parte prouinciæ regno proprio vtentes aliquandiu vexauerat, fecit,
 Rechilanem filium in regni consortium cooprauit, & hæredem nuncupauit.
 Eundem cum exercitu in Bæticam contra Andenotum Romanæ militiæ ducem
 misit. Quem Andenotum cum magnis copiis Rechila ad Singilim Bæticæ flu-
 40 uium fudit, magno auri argentique pondere potitus. Postea reuersus per Lusi-
 taniam, obsedit Emeritam, atque expugnatam regno suo adiunxit. S. Isidorus
 cum reliquis.
- 438 Pax cum Vandalis facta, magis necessaria quam vilis aut honesta, data eis ad
 habitandum Africæ portione, & certis finibus, quos ne excederent, idq; addita iu-
 risiurandi religione, vt inquit S. Isidorus ac Tudenſis. Factum est hoc tertio Idus
 Februarii, vt inquit Prosper Aquitanicus & Cassiodorus. Sigebertus anno 443.
 pacem hanc factam scribit: sed ego Prospero & Cassiodoro magis accedo.
- 439 Theodoredus Gothorum Rex Aquitanico regno non contentus, rupto cum
 Romanis fœdere, vicina illorum municipia occupat, Narbonensi oppido maxi-
 50 me infestus, quod cum diu obsidione & fame laborasset, per Littorium Comitem
 ab utroq; periculo liberatum. Siquidem per singulos equites binis tritici modis
 aduectis, strenuissime & hosteis in fugam vertit, & ciuitatem annona impleuit.
 Prosper Aquitanicus, & partim S. Isidorus.
- 440 Hermericus quum triginta duos annos imperasset Sueuis, post septem anno-
 rum continuum languorem, moriens Rechilani filio regnum hæreditaria succes-
 sione re-

- ſione reliquit. Qui Rechila septem regnavit annos, & Hispali expugnata, Bæticam
 & Carthaginensem prouinciam ditioni suæ subiecit. S. Isidorus. Lucas Tudenſis
 nouem annos regnasse scribit Rechilanem. Rodericus Toletanus octo, cui sub-
 scribunt Chronica Regis Alfonso. Vnde in diuo Isidoro suspicor mendose septem
 legi, pro octo. Prosper Aquitanicus scribit, hoc anno bellum aduersus Gothos
 Hunnis auxiliantibus gestum. Eodem anno testis est Sigebertus, Beatum Au-
 gustinum, Vandalis Hipponem ciuitatem ipsius decimum tertium iam mensem
 obsidentibus, migraſſe ad Deum. Sed Prosper Aquitanicus gloriosam ipsius mor-
 tem anno 433. ponit.
- 10 Silingorum in Batica nomen a Rechilane extinctum. Chron. Regis Alfonso. 441
 Sabino episcopo Hispali per factionem expulso, in locum eius Epiphanius ordi-
 natur fraude, non iure. Idacius. Gifericus Vandalorum Rex, ex catholico factus
 apostata, & Arianæ cultor hæreseos, intra habitationis suæ limites fidem Catholi-
 cam Arianam impietate subuertere volens, episcopos persequitur. Prosper Aquit-
 anicus. Eodem tempore quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius,
 Eutyechius, dudum apud Gifericum merito sapientiæ & fidelis obsequii clari ha-
 bebantur, quos Rex vt copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire præ-
 cepit. At illi tam nefarium atq; impium facinus constantissime respuentes, excita-
 to in rabidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, tum
 20 atrocissimis cruciati suppliciis, ad postremum diuersis mortibus interempti, illu-
 stri martyrio mirabiliter occubuerunt. Prosper Aquitanicus. Puer autem Paulus
 Iulius nomine, frater Paschasii & Eutyechii, pro elegantia formæ atq; ingenii admo-
 dum Regi acceptus, a professione atq; amore Catholicæ fidei cum nullis minis de-
 turbari posset, diu subtilibus cæsus, ad infamem seruitutem damnatus est, nec ideo,
 vt apparet, interfectus, ne superata sæuitia impii Regis, etiam illa ætas gloriaretur.
 Idem. Horum etiam mentionem facit S. Isidorus. Chronica Regis Alfonso passio-
 nem eorum anno 446. adſcribunt. Verum quum Prosper eo tempore vixerit, au-
 torem ipsum sequi malui.
- Aduersum Gothos in Gallia prospere pugnatum. Prosper. Littorius Comes
 30 qui secunda ab Actio Patritio potestate Hunnis contra Gothos auxiliantibus præ-
 erat, dum Actii gloriam superare contendit, dumq; aruspicum responſis & dæ-
 monum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fe-
 citq; intelligi, quantum illa eorum quæ perit manus, prodesse potuerit, si potiori-
 bus consiliis quam sua temeritate vti maluisset, quando tantam ipse hostibus cla-
 dem intulit, vt nisi inconsideranter præliatus captiuitatem incidisset, dubitandum
 foret, vtri potius parti victoria adſcriberetur. Ex Prospero Aquitanico, apud quæ
 perperam hoc loco, secundæ ab Actio patritio potestati, legitur, pro, secunda po-
 testate, quemadmodum ego ex Alcobacienſi codice restitui. Pax inter Roma-
 nos & Gothos facta, cum eam post ancipitis pugnæ lachrymabile experimentum,
 40 humiliter quam vnquam ante poposcissent. Idem. Actio componendis rebus in
 Gallia occupato, Gifericus nihil tale metuentib. Romanis, violata sacramenti re-
 ligione, 14. Cal. Nouemb. Carthaginē dolo pacis inuadit ac deprædatur, omnesq;
 opes eius, ex cruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit, sa-
 cerdotes ecclesiis pellit, martyres multos facit, templa prophanat, eaq; nō iam di-
 uini cultus loca, sed suorum iussit esse habitacula, in vniuersum captiui populi or-
 dinem sæuus, sed præcipue nobilitati & religioni infensus, vt non discerneretur,
 hominibus magis an Deo bellum intulisset. Ex eodem & S. Isidoro. Rex Alfonso
 Sigebertum sequutus, anno 436. factum hoc ponit.
- Gifericus Siciliam grauius affligens, accepto nuncio de Sebastiano ab Hispa-
 50 nia ad Africā transeunte, celeriter Carthaginem rediit, rarus periculosum sibi ac
 suis fore, si vir bellandi peritus, recipiendæ Carthagini incubuisset. Verū ille ami-
 cum se magis quam hostē videri volens, diuersa omnia apud barbaros, quam præ-
 sumperat, reperit, eaq; spes causa illi maxima & calamitatis & infelicis mortis fu-
 it. Prosper Aquitanicus. Hoc anno Chronica Regis Alfonso, Sigeberto autore,
 dicunt pacem inter Romanos & Vandalos per Tricarium Comitem factā, quam
 nos anno 438. posuimus.

- An. dom.* Cum Giferico ab Augusto Valentiniano pax confirmata, & certis spatiis Africa
445 cainter vtrunq; diuisa est. Prosper. In Gifericum apud suos de successu rerum
superbientem quidam optimates ipsius conspirauerunt, sed molitione detecta,
multi ab eo supplicii excruciatiq; extincti sunt. Cunctiq; idem audendum etiam
aliis videretur, multis Regis suspicio fuit exitio, vt hac sui cura plus virium perde-
rer, quam si bello superaretur. Idem. Sigebertus Abbas ait, hoc anno Theodori-
cum Hispanias inuasisse. Rechila Sueuorum Rex, pace regnum suum confirma-
re studens, Carpetaniam prouinciã Romanis reddidit. Chronica Regis Alfonsi.
- 447 Rechila Emeritæ sub cultu (vt fertur) gentilitatis vitam finit. Sanctus Isidorus.
- 448 Reccarius Rechilani filius, iam factus Catholicus, Sueuorum Rex constitui- 10
tur, & regnat annis nouem. Vxorem duxit Theodoredi Gothorum Regis filiam,
quo coniugio tam amplo ingentis spiritus & spes magnas animo concepit. Ex S.
Isidoro & Luca Tudenti.
- 449 Reccarius Vasconum regionem depopulatur, deinde ad focerum profectus,
Cæsaraugustam in reditu Gothorum auxilio vastat: Tarraconensem prouinciam
Romanis subiectam inuadit: Carthaginensem regionem quam pater ipsius pacis
ergo Romanis reddiderat, in prædam mittit, atq; hoc rerum successu lætus ac tri-
umphabundus ad suos reuertitur. Ex S. Isidoro.
- 450 Circa hunc annum Leo Papa scripsit epistolam ad S. Turibium (ita enim in cõ- 20
ciliis legendum, vt ex principio primi concilii Bracarenfis constat) qua illum hor-
tatur ad conuocandum concilium generale Galleciæ, ad extirpandos errores Pri-
scillianistarum, atq; ostendit hanc hæresin ex omnibus aliarum hæreseon fecibus
& sentina conflata. Præterea statuit, vt inter Catholicos non censeatur, quisquis
vritur scripturis ab ecclesia Catholica damnatis. Cuius Leonis præcepto Tarrac-
conenses, Carthaginenses, Lusitani, & Bæitici episcopi, facto inter se concilio, re-
gulam fidei contra Priscilliani hæresin conscriptam, ad Balconium Bracarenfis
Ecclesiæ Præfulem direxerunt. Ex priore tomo Conciliorum. Fuit hic S. Turibius
Hispanus, ex prouincia Galleciæ, Asturicensis episcopus, cuius eximia sanctitas
multis miraculis confirmata est. Eodem tempore floruit Iulianus cognomen-
to Pomerius, natione Maurus, qui octo libros de anima per modum dialogi con- 30
scripsit, in quorum octauo Tertulliani consentiens erroribus, dicit animam esse
corpoream. Scripsit & alios libros. S. Isidorus. Ioannes Tritemius dicit hunc fuisse
Toletanum Archiepiscopum. Cæterum nescio, an deceptus sit eo, quod alium
celebret Ecclesia Toletana Iulianum Præfulem, scientia & vitæ meritis clarum.
Potius crediderim hunc esse Pomerium, quem in fine scriptorum ecclesiastico-
rum describit Gennadius.
- 451 In Africa exarsit persecutio Vandalorum in Christianos, adeo vt diuinos li-
bros exurerent, & de sacris palliis ac vestibus vestimenta sibi facerent. Valerianus
episcopus sanctus octogenarius, nolens diuina sacramenta prophanis tradere, a
Rege Giferico omni vrbe ac domo exclusus, reliquum vitæ vsq; ad mortem sub 40
dio nudus transegit. Ex Sigeberto.
- 452 Attila Hunnorum Rex, Walameris Ostrogothorum Regis, & Ardarici Gepi-
darum Regis, & multarum septentrionalium gentium fretus auxilio, a Pannoniis
egressus, occidentale inuasit imperium cum quingentis atmiatorum millibus. Et
primo per Gallias tanto furore grassatus est, vt nulla ciuitas eorum subterfugerit
rabiem. Ex Sigeberto & Paulo Emilio. Huius Attilæ mentem ad vastationem
orbis paratam, multis muneribus Gifericus Vandalorum Rex ad Vefegothorum
bella præcipitavit, metuens ne Theodoricus (hic est quem nos Theodoredum
diximus) Rex filia vlcisceretur iniuriam. Quæ Hunericho Giferici filio iuncta,
prius quidem tanto coniugio lætabatur, sed postea, vt erat ille etiam in sua pigno- 50
ra truculentus, ob suspicionem tantummodo veneni ab ea parati, eam putatis
naribus, spolians decore naturali, patri suo ad Gallias remisit, vt turpe funus mi-
seranda semper offerret, & crudelitas qua etiam mouentur externi, vindictam
patris efficacius impetraret. Iornandes. Attilæ aduentum vbi præfensit Aeti-
us, vnicum rerum Romanarum columen, misit Auitum ad Gothos suatum, vt
Hunnis

- Hunnis resistant, hoc enim Attilæ esse consilium, vt in primis Romanorum vires
excindantur: sed non quieturum, nisi paulo post & Gothos ipsos penitus obte-
rat. de monarchia namque cogitare Attilam. Gothus his auditis, auxilium su-
um Aetio pollicetur. Beatus Rhenanus ex Sidonio Apollinari in Paneg. Auiti
foceri. Theodoredus igitur Gothorum Rex, quatuor filiis domi relictis, nempe
Frederico, Turico, Rotemero & Himmerit, secum tantum Thorismundum &
Theodoricum maiores natu participes laboris assumit, & in auxilium Romanorū
contra Hunnos Aurelianensem urbem iam obsidenteis, & Gallias fœde vastateis
proficiscitur. Ex Iornande & Beato Rhenano.
- 10 Factum est illud memorabile prælium in campis Catalaunicis, prope Tolosam, 453
in quo Francorum Annales cum Sigeberto Abbate & Iacobo Meyero tradunt
cecidisse centum octoginta millia hominum. Iornandes ait cæsa vtriusque partis
162. millia, exceptis nonaginta millibus Gepidarum & Francorum, qui ante con-
gressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidere vulneribus. D. Isi-
dorus, & ante illum Idacius, atque vtrunq; sequuti scriptores Hispani prodūt,
supra trecenta hominum millia cæsa. Huic prælio quinque Reges interfuere, Attila
Hunnorum, caput belli: Valamirus, siue (vt alii appellat) Walamer Ostrogotho-
rum: Theodoredus Vefegothorum: Ardaricus Gepidarum: Marouæus Franco-
rum. Theodoredus in hoc conflictu, incertum a quo, peremptus est. Idacius & S.
20 Isidorus hanc pugnam præcedenti anno ponunt. Hermannus Contractus & Mat-
thæus Palmerius anno 450. Ego multorum autoritate fretus, & præcipue Seueri
Sulpitii atque Cassiodori, hoc anno ponere malui. Occiso Theodoredo, Thuris-
mundus filius eius regnū suscipit, & patri iusta debito honore persoluit. Hic Hun-
nos prælio fusos ad internecionem delere constituit. Cuius consilii cum Aetium
Romanum ducem certiore fecisset, ille veritus ne gens per se terox & irrequie-
ta, tot victoriis elata, in Romanos tandem impetū faceret, subdole suavit illi, vt do-
mum profectus rationibus suis consuleret, antequam fratres regnum absentis in-
uaderent. Quod cõsilium ne ipsi quidem Aetio lærum fuit, vt qui paulo post a Va-
lentiniano Imp. occisus fuit, quod effugii locū Attilæ quem debellare potuit, præ-
30 buisset. S. Isidorus & alii.
- Attila Vefegothos bello aggressus, victus a Thurismundo rediit in gloriam. Sig- 455
bertus. Alii dicunt, & inter eos Archiepiscopus Toletanus, quod Thurismundus
Alanis ab Attila bello oppressis supplicias profectus, Attilam fudit fugantque, &
trans Danubium pristinas petere se des coegit.
- Thurismundus anno regni sui tertio ægrotas, dum sanguinem tollit de vena, ab 456
Ascalcruo cliente inimicos nunciante, armis subtractis peremptus est, vna tamen
manu quam liberam habebat, scalpellum tenens (ita enim in Iornande legendum,
non scabellum) sanguinis sui extitit vltor, aliquā multos sibi insidiantes extinguēs.
Iornandes. D. Isidorus autor est, Thurismundum primo regni anno a fratribus
40 Theodorico & Frigelarico (forte Frederico) letho datū. Annotationes margina-
les libri Alcobacienfis sex annos regnasse testatur: Iornandes & Sigebertus, cum
Chronicis Regis Alfonsi, tres annos imperasse scribūt, quibus ego magis accedo.
Quin & Seuerus Sulpitius quarto Martiani anno occisum scribit, tamen hoc lo-
co valde deprauatus. Theodoricus mortuo fratri succedit, & regnat tredecim
annos.
- Valentinianus Imp. ab amicis Aetii patricii in cæpo Martio occiditur. Maximus 457
tyrannus imperium inuadit, & Eudoxiam Valentiniani vxorem inuitam sibi toro
iunxit, vt eius maiestate prouincias exercitusque sibi conciliaret. sed illa tantæ in-
iuriæ impatiens, Gifericum Vandalorum Regem ad vindicandam coniugis sui
mortem & tantam ignominiam inuitat. qui Afrorum, Numidarum, Maurorum
50 populariumque delectu habito, ad trecenta mortalium millia in Italiam transmi-
sit, urbem Romam metu trepidam ingressus, Maximū occidit, tertio a nece Va-
lentiniani mense, Romam per quatuordecim dies dispoliat, Valentiniani vidtam
ac filias cum multis Romanorum millibus captiuas abducit. Demum per legatos
postulata ab Imperatore pace, Eudoxiam cum filiabus Constantinopolin remittit.

- An. dom.* tit, vnam tamē ex iis, quæ nuberet filio suo, retinet. Ex Procopio, S. Isidoro, & Paulo Emilio. Hoc alii alio anno ponunt, ego Cassiodorum sequutus sum & Severū, qui Maximum septuagesimo imperii die, terrore Vandalorum tumultu vulgi occisum dicit, ante ingressum Giserici Theodoricus Gothorum Rex, pro datis aduersus Gallos subsidiis, permisso Imperatoris Hispaniam ingressus, primus in ea obtinuit imperium. Cui dum Rechiarius Sueuorum Rex cum magnis copiis obuiam proficiscitur, ad Vrbicum fluuium, duodecimo ab Asturica milliari, collatis signis dimicant. quo prælio fufus fugatusque Rechiarius, fuga sibi salutem quaesiuit, arreptaque nauis in Africam cursum instituit, in fidem ac tutelam Vandalorum se traditurus: sed aduersa procella Tyrreni ostii reperiens, & in Portugallensium ciuitatis portum eiectus, captus ad Theodoricum perducitur atque occiditur. Ex Iornande & Diuo Isidoro, qui maritimæ fugæ non meminit, sed tantum in Portugallensem ciuitatem telo istum cõfugisse scribit. Lucas Tudensis autor est, Theodoricum ex eo loco Bracaram profectum, cuius ciuitatis direptionem, si non cruentam, lamentabilem tamen fuisse, & Romanam magnam captiuitatem, eo quod incaute se Gothis tradidissent. Theodoricus rerum aduersus Sueuos potitus, rerum Sueuicarum summam commendat Acliulfo Auerno, qui illos Theodorici auspiciis regeret. Sed vix discesserat Gothus, quum ille & fidei & officii sui oblitus, Regem se saluari iubet, & regnū sibi vendicat, neque Regem tam bene de se meritum agnoscit. Quo scelere exasperatus Theodoricus, confestim contra illū mouet, atque in primo cõflictu regno pariter & vita exiit, atque ita sensit iratum quæ propitiū seruare non potuit. Ex Iornande. Sueui rebellionis suæ poenitentia moti, non solum veniam quam supplices per sacerdotes suos postulabant, consequuti sunt a Theodorico: sed etiam, vt ex gente sua Regem pro suo arbitratu crearent. Ex eodem. Igitur quæ supererant gentis reliquæ, in extrema parte Galliciæ, Masdræ Massilæ filium Regem creant. Ex S. Isidoro. Theodoricus his rebus gestis, traducto in Lusitaniam exercitu, Emeritam deprædari constituit, sed S. Martyris Eulaliæ perterritis ostentis, impiis cœptis destitit, atque exercitum tripartito diuisum, partim Cherula duce in Bæticam misit, quo mense Iulio (vt inquit Idacius) peruenerunt, partim Sigerico & Nepotiano ducibus in Galleciam, a quibus Sueui apud Lucum sæua deprædatione vastati sunt. Cum reliquo exercitu ipse in Galliam Gothicam reuersus est. Ex B. Isidoro. Eodem anno Sabinus episcopus Hispalensis, post viginti annos quam certauerat, expulsus ex Galliis ad propriam rediit sedem. Idacius.
- 458 Agrippinus Comes Narbonem Theodorico Regi proditione tradidit. Diuus Isidorus. Sueui in duas factiones diuisi, alii Masdræ (vt diximus) Massilæ filium: alii Frautam Regem saluant. Sed Frauta mox defuncto, Sueui qui pro illo stabant, Recchimundum illi subrogant. Qui cum Masdra (quem D. Isidorus nunc Masdræ, nunc Masdræ appellat, nisi mendosus est liber) in pace, pariter Lusitaniam deprædatur. Ex eodem. Chronica Regis Alfonsi Frautam octo annis regnasse testantur, sed Frautam & Frumarium pro eodem accipiunt, quum sint diuersi, vt ex D. Isidoro & Luca Tudensi patet.
- 460 Masdræ a suis interfecto, postquam tres regnasset annos, inter Frumarium & Recchimundum oritur de regno Sueuorum cõtentio. Frumarium cum Sueuis suæ factionis, Flauenfis vrbs conuentum graui euertit excidio: Recchimundus vicina sibi pariter Aurienfis & Lucensis conuentus maritima depopulatur. Ex D. Isidoro. Maiorianus Imperator Occidentis in Hispaniam venit Cæsaraugustam, vt inde parata classe Vandalos bello adoriretur: sed proditione suorum consilio Vandalis detecto, irritus voti in Italiam reuersus, a Recimere patritio occisus est. Ex annotationibus libri Alcobaciensis & Roderico Archiepiscopo Toletano. Seuerus Sulpitius dicit, nauis eius quibus in Africam traicere volebat, captas a Vandalis in Hispania circa Carthaginem Spartariam.
- 462 Idacius scribit hoc anno in conuentu Bracarenfi visum portentum duorum natorum, sed quæ subiungit, assequi non potui, ita mendosus erat liber.
- 464 Frumarium Sueuorum Rege mortuo, Remismundus Masdræ filius (hunc S. Isidorus alio

- alio loco Arismundum appellat) omnibus Sueuis in ditionē suam redactis, regnat, & pacem cum Gallecis firmat. Ex S. Isidoro. Huius regis tempore Ajax natione Gallus, factus apostata Arianus, inter Sueuos Regis auxilio, hostis Catholicæ fidei ac diuinæ Trinitatis emergit, & Arianæ virus hæreseos ex Gallica Gothorum gente delatum, in Sueuos sparfit. Quo contagio gens illa cum multis regibus mansit infecta, vsque dum regnante Theodomiro, Arianæ impietatis errore destructo, Sueui fauente Rege, & annitente S. Martino Dumienfis monasterii episcopo, Catholicam fidem amplexi sunt. Ex S. Isidoro. Lucas Tudensis nonaginta annos in eo errore perseverasse Sueuos affirmat. Quorum Regum Arianorum memoria simul cum rebus eorum gestis a scriptoribus silētio est oblitterata. Leonis Imperatoris anno quinto, Eredicus frater Theodorici Regis, pugnans cum Francis, occiditur, iuxta Ligerim Galliciæ fluiuium. Seuerus.
- Gefericus Vandalorum Regem iterum in Italiam cum exercitu nauigantem, Aflicus patricius nauali prælio superauit, & redire Carthaginem compulit. Mathæus Palmerius, vbi discipiat prudens Lector, an forte legendum sit Basiliscus.
- Circa hunc annum cum Papa Hilarius Romæ celebraret concilium, Afcanius Tarraconensis metropolitanus episcopus, & alii episcopi eiusdem prouinciæ scripserunt ad eum, Nundinarium episcopum Barcinonensem, & Siluarium episcopum Calaguritanum designasse sibi episcopos successores. Quorum factum ab Hilario Papa & vniuersa Synodo vehementer est improbatum, & episcopi subrogati cedere iussi, vt ex ipsius Papæ decretali epistola patet, in qua Ciuitatensium mentio fit. quod propter eos adiungo, qui Ciuitatensem urbem parum antiquam putant.
- Remismundus Sueuorum Rex legatos ad Theodoricum Gothorum Regem fœderis causa mittit, a quo per eosdem legatos & Sallanum Gothum ex palatino officio, & arma & filiam coniugem accepit. Quo honore sublatus in Lusitaniam profectus, Conimbricam (Colibriam vocat D. Isidorus) specie pacis deceptam diripit, & Olisponem tradente Lusidio qui ciuitati præerat, occupat. Eodem anno, nimirum Leonis Imperatoris decimo, Theodoricus Rex ab Eurico fratre Tolosæ fuit occisus. Seuerus dicit, quod anno Leonis octauo, hoc est, anno domini quadringentesimo sexagesimo septimo. Occiso Theodorico, Euricus frater ipsius (Eoricum alii vocant) ex fratricida factus est Rex Gothorum, & regnavit secundum sanctum Isidorum annis septendecim, secundum Sigebertū nouendecim. D. Gregorius Turonensis viginti septem annos regnasse scribit lib. 2. cap. 10. sed suspicor esse mendum, quemadmodum & illud, quod hic Rex eidem autori ibidem cap. 25. Euarix dicitur.
- Euricus principio regni continuo Lusitaniam deprædatur, ac missis exercitibus, Pompelone, Cæsaraugustam, Tarraconensem prouinciam, atque etiam Hispaniam superiorem in potestatem suam redigit. S. Isidorus. Idacius decimo sexto Leonis anno factum dicit, vt suo loco dicemus. Et quum Romani imperii vacillationem cerneret, Arelatum & Massiliam bello captas regno suo adiecit. Idem, & Iornandes. Nam Gisericus Vandalorum Rex curauit, vt Orientale imperium Ostrogothi, Hesperium siue Occidentale Vesogothi vastarent, vt in vtraque Republic. hostibus decernerentibus, ipse in Africa quietus regnaret. Idē Iornandes. Scribit Sigebertus Euricum, dum Gallias occupare nititur, Riethimū Britonum Regem, ad defensionem Galliarum Romanis auxilio venientem, bello contriuisse. Eodem anno moritur Gisericus Vandalorum Rex, anno regni sui quadragesimo. Hic testamento cauit, successione regnandi inter filios suos ordinata, vt fratri morienti frater succederet, sine vlla controuersa filiorum, & post filios suos, quicumque ex genere virilis proles proximo sanguinis gradu illum attingeret, atque ex his, qui ætate præcederet. Procopius & Sigebertus. Huius Regis mortem Chronica Regis Alfonsi, Sigebertum sequuta, ponunt anno 477. Ego S. Isidorum sequi malui. Mortuo Giserico successit Honorichus filius. D. Isidorus Vgnericum appellat, qui multo crudelius patre persequutus est Christianos. Hic Valentini Imperatoris & Eudoxiæ Augustæ filiam vxorem habuit.

- An. dom.* 472 Honorichus secundo regni sui anno, in Christianos sæuiens, circiter quatuor millia in duriora exilia relegauit, martyres multos fecit, confessoribus linguas abscidit, qui linguis ademptis perfectius loquuti sunt. S. Isidorus. Sigebertus quater mille nongentos septuaginta sex in exilium missos ait. Beda addit, quod in exilium missis ac fugatis plusquam trecentis triginta quatuor episcopis Catholicis, eorum ecclesias clausit, plebem variis affecerit suppliciis, & innumeris quidem manus abscindens, linguas quoque præciderit, nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuerit. Huius rei meminit & Iustinianus Imperator C. de off. præf. præf. & oculata fide sibi constare testatur. Hoc tempore Eugenius Carthaginensis episcopus & omnis clerus eius contra Arianam hæresin Vandalorum fortiter pro Christi fide certant. Sigebertus. Sed ego in anni numero S. Isidori supputationem sequor, ne quis errore factum existimet.
- 473 Carthagine Liberatus abbas cum sex fratribus a Rege Honoricho carcere, catenis, igni, & vectibus ad martyrium vsque cruciatur. Idem Sigebertus. Fratrum vero nomina hæc sunt, auctore Victore episcopo, qui hanc persecutionem cui ipse interfuit, descripsit: Bonifacius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus, & Maximus monachus.
- 475 Gauderit Comes Gothorum, Hispanias per Pompelonem, Cæsaraugustam, & vicinas vrbes obtinuit. Heldefredus quoque cum Vincentio Hispaniarum Duce obfessa Tarracone, maritimis vrribus potitus est. Idacius & Seuerus.
- 476 Honorichus solito crudelius in Christianos exarsit, omnes Africæ episcopos per speciem synodi euocatos, vsque ad quadringētos quadraginta quatuor in exilium relegauit, & eorū ecclesias vel clausit, vel Arianis dedit, plebemq; variis suppliciis afflixit. Letum Neptensem episcopum igni traditum martyrio coronauit. Eugenium Carthaginensem episcopum cum clericis suis plusquam quingentis, variis tormentis excruciatos exilio condemnauit. Partim ex sancto Isidoro, partim ex Sigeberto.
- 477 Hoc anno secundum S. Isidorum, secundum Lucam Tudensem sequenti, Honorichus octauo regni sui anno, post innumerabiles in Christianos crudelitates, iudicio dei percussus, vt Arius pater eius, interioribus cunctis effusus, miserabiliter vitam finit. S. Isidorus. Sigebertus Abbas scribit vermibus scatenem expirasse. Idem dicit & Victor episcopus. Regnavit annos septem, mēseis quinque, vt ait Lucas Tudēsis. Victor episcopus dicit, quod mensibus decem supra septē annos regnauerit. Mortuo Honoricho subrogatus est Guntamūdu, qui regnavit annis duodecim, & restituta pace ecclesiæ, catholicos ab exilio reuocauit. S. Isidorus. Procopius lib. 3. de bel. Vandalico, istum Gundabundum appellat, & dicit Genzonis fuisse filium, qui Genzon Giferici Regis filius fuit natu maior, & addit hunc Gundabundum Christianos imitatione suorum, grauioribus etiam suppliciis afflixisse. Sigebertus dicit nouem tantum regnasse annos. Sed S. Isidoro subscribit Procopius.
- 482 Cum Rex Gothorum Euricus, Arelate suos euocasset ad colloquium, atque ii de more gentis tela manibus tenerent, vidit Rex colorem ferri repente mutari. alia enim tela colore viridi, alia roseo, alia nigro, alia croceo naturalem ferri colorem mutarunt, vt annotarunt post S. Isidorum Lucas Tudenensis & Rodericus Archiepiscopus Toletanus.
- 483 Euricus Rex Arelati fatalis vadimonii diem obiit, cū regnasset secundum communem omnium opinionem, annos 17. secundum alios, 16. Neque enim audientes arbitror, qui 19. annos regno functum produnt. Hic primus Gothi leges scripto dedit, neque immerito a S. Isidoro inter alios legislatores censetur, vt annotauit Alfonsus episcopus Burgensis. De Eurico siue Eorico Rege scribit S. Gregorius Turonensis episcopus libri secundi capite 25. quod ex Hispania in Galias egressus, persecutionem in Catholicos mouit, & sacrorum templorum aditus spinis iussit obserari, scilicet vt raritas ingrediendi, obliuionem faceret fidei. Huius rei, quanquam subobscuræ, meminit Sidonius Apollinaris, in epistola ad Basilium libro septimo, vbi mendose legi puto, Et Varix, pro Euarix, vel potius, Euricus.

- An. dom.* Euricus. Eodem anno post mortem patris sui creatus est Rex Gothorum apud Tolosam Alaricus, anno Zenonis Imperatoris septimo, vt ait Seuerus: vt vero S. Isidorus & annotationes marginales libri Alcobacienfis, anno decimo. Quæ diuersitas ex eo nascitur, quod alii Zenonem anno domini quadringentesimo septuagesimo quarto Imperium iniisse scribunt, inter quos est Hermannus Contractus: alii biennio post, vt Mathæus Palmerius. Hic Alaricus Teudetufam filiam Vittigis Ostrogothorum Regis vxorem habuit, vt ait Procopius libro primo de bello Goth. Paulus Æmilius dicit, hunc fuisse nonum a magno illo Alarico qui Romam cepit, & vxorem habuisse Theodorici Ostrogothorum & Italiæ Regis filiam, idque verisimilius est. Quod vero ea vocata sit Amalafuenta, præter Archiepiscopum Rodericum Toletanum, & qui eum sequuti sunt, nemo affirmat. Imò vero Cassiodorus autor est cum aliis aliquot, Amalafuintham Theodorici huius filiam Eucharico nupsisse, ex quo cōiugio natus est Athalaricus, qui post aui mortem regnavit in Italia, præmatura morte extinctus. Regnavit hic Alaricus viginti tres annos, auctore S. Isidoro.
- 489 Guntamundo Vandalorum regi defuncto successit Trafamundus frater eius, & regnavit annis viginti septem menses quatuor, vt ait S. Isidorus. Fuit hic vir indole sapientiæ maxima, tum animi magnitudine maiores omneis antecedens, Christianos non pœnis corporis aut supplicii, vt alii, sed præmiis & honoribus omnibus ad deserendam fidem inuitabat, non auscultanteis minime plectebat, fuit Anastasio principi charissimus. Procopius libro tertio de bello Vand. Sed D. Isidorus dicit in historia Vandalorum, quod Ariana percitus infania, persecutionem in Christianos instaurauit, & centum viginti episcopos in Sardiniam relegauit. Idem dicit & Beda, sed ait ducentos viginti episcopos clausis eorum ecclesiis, in exilium missos. Verum Isidorus etiam in Chronico tantum centum viginti ponit.
- 490 In Minio Hispaniæ fluuio pisces capti sunt, in quorum squamis videbatur inscripta Æra præsentis anni, vt ait Sigebertus. Annotationes marginales libri Alcobacienfis testantur, hoc anno, id est, Anastasii Imperatoris septimo, Sacos in Hispaniam irrupisse, Asterio & Præsidio Coss. de qua renihil vsquam alibi legi, nisi quod Plinius Sacas in Scythia ponit, lib. 6. cap. 17.
- 496 Hoc tempore floruit, & ab Arianis pro asserenda fide Catholica multa passus est sanctus Fulgentius Ruspenfis episcopus, eruditione, sacundia & sanctitate illustis. Quem Chronica Regis Alfonsi postea martyrio coronatum testantur. Raphael Volaterranus Toletanum fuisse scribit, professione monachum, ab Arianis in exilium relegatum, postea reuocatum anno vno ante obitum, præsulatu abdicato, antiquum repetisse cœnobium. Floruit sub Anastasio primo Imperatore & Gelasio Papa. Huius beati Fulgentii vidi librum de fide incarnationis filii Dei ad Scarilam, & alium de interrogatis quæstionibus ad Ferrandum ecclesiæ Carthaginensis diaconum, & alium de regula veræ fidei ad Petrum. Reliqua illius opera recenset S. Isidorus.
- 497 Burdunellus in Hispania tyrannidem assumit. Annot. marg. libri Alcobacienfis. Intelligo hūc vsurpasse imperium eius Hispaniæ partis quæ Romanis parebat.
- 498 Hoc anno, nempe Anastasii Imperatoris sexto, Consule Anastasio Augusto, Gothi in Hispaniis sedes acceperunt, & Burdunellus a suis traditus, & Tolosæ tauro æneo impositus crematus est. Annot. marg. lib. Alcobacienfis. Trafamundus in Christianos sæuit. Ibidem.
- 499 Anno septimo Anastasii, Olympius quidam episcopus Arianus, dum in balneis apud regiam vrberem blasphematur in sanctissimam Trinitatem, tribus iaculis igneis, angelo ministrante, in piscina aquæ frigidæ percussus, vitam impie simul & prodigiose finiuit. Victor episcopus Africanus. Aliqui hoc anno 497. factum arbitrantur, nempe ii qui Anastasium iniisse imperium anno 490. putant. Sunt qui hoc Carthagine factum dicant, nimirum quia dicitur apud regiam vrberem contigisse, sed non animaduertunt, quod vrbs regia temporis illius scriptoribus dicitur in Orientali imperio Constantinopolis, in Africa Carthago, in Hispania Toletum. Ex Nicephoro enim constat, quod hoc miraculum factum sit Constantinopoli.

501

Anno Anastasii nono, Patrio & Hypatio Coss. Deuterius Arianus episcopus dum quendam nomine Barbarum baptizaret, & male distinguens Trinitatem, diceret, Ego te baptizo in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto: aqua repente disparuit, & vas contractum est. Ex Nicephoro & Siegberto, qui hoc ait contigisse Constantinopoli. Victor episcopus Tununensis & S. Isidorus paulo aliter referunt, dicentes Barbam appellatum episcopum, qui baptizauit ad eum modum. sed ego mendum esse suspicor. Illud constat ex omnibus, quod qui baptizandus erat, viso miraculo conuersus sit ad veram fidem. Hoc anno Annales Francorum ponunt initium belli inter Clodoueam Francorum Regem, qui & Ludouicus dictus est, & Alaricum Gothorum, ex quo acerrimæ inter vtrunque Principem & populum exarserunt inimicitia. Causa belli fuit præter religionis disparitatem (nam Franci noua religione pii, Gothos Ariana impietate pollutos oderant) quod Alaricus, cuius pater auusque amantissimi Francorum Regum fuissent, exules hostesque eorum recipiebat colebatque: & cum de colloquio ageretur, insidias vitæ suæ Francus Rex paratas ab eo se comperisse dicebat. Quæ contentio animorum eo usque exarsit, vt sub motis cæteris ad ostentationem virtutis Reges inter se singulari certamine conflicturi fuerint, nisi Theodorico Ostrogothorum & Italiæ Rege sollicitante, bellum illud in Burgundionum Regem ad tempus translatum fuisset. Paulus Æmilius.

506 Fœdus ictum inter Clodoueam Francorum, & Alaricum Gothorum Reges. 20
Siegbertus. Hoc anno, hoc est, 14. Anastasii, Messala Consule, Gothi Detorsam ingressi, & Petrus tyrannus interfectus, caputque eius Cæsaraugustam deportatum est. Annot. marg. libri Alcobaciensis.

508 Alaricus Clodoueo Regi molitus insidias, fœdus violat. Siegbertus.

509 Prælium commissum inter Alaricum & Clodoueam in Pictonibus, decimo ab vrbe lapide, in campis Vogladensibus, in quo Alaricus a Clodoueo deiectus equo dicitur. Tunc duo Gothorum equites, Regis sui casu magis irritati quam terri, antequam Rex Regem conficere, & opima spolia capere posset, diuersi hastas equorumque cursu in vtrunque eius latus dirigunt, qui beneficio lorice & auxilio Clodouici iuuenum fortissimi, æquato Marte, incruentus periculum euitauit. Stratum Alaricum pedes Francus attollere se conantem confodit. Gothi fugæ se mandarunt. In Burdegalensium finibus Gothi qui prælio abfuerant, ausi fortunam prælii tentare, tanta cæde victi sunt, vt is locus Campus Arianus etiam nunc vocitetur. Hoc bello vouit Rex Clodoueus Lutetiæ templum sanctis Apostolis Petro ac Paulo sacrum, in suburbio, quod nunc est S. Genouefæ, in cuius diuæ tutela ea vrbs est. Paulus Æmilius. Eadem ferme S. Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 37. D. Isidorus, & illum sequuti scriptores Hispani, hunc Regem Francorum Fluduinum appellant, & ponunt mortem Alarici anno quingentesimo sexto, quum tamen anno decimo septimo Anastasii Imperatoris occisum dicant. Cuius diuersitatis causam superius anno quadringentesimo nonagesimo nono posuimus. Seuerus Sulpitius mortem Alarici anno decimo quinto Anastasii ponit. Illud quoque admonere non ab resuerit, quod in Roderico Archiepiscopo Tolitano impresso perperam hoc loco pro Pictauinum, Patauinum legitur. Hoc successu ferox Clodoueus, omnem fere Aquitaniam Gothis ademptam regno suo adiecit, etiam Tolosam regni sedem. Præterea Germanorum adiutus, auxilio, Carcassonem urbem obsedit, in qua vrbe erat Solomonis preciosissima & spectatu dignissima supellex, quam ingentis precii gemmis ornatam, ex Hierosolymis Romani quondam auexerant: Alaricus senior, quum Romam cepit, in prædam suam conuertit. Non tamen potiti sunt ea vrbe Franci, sed aduentante Theodorico Ostrogothorum & Italiæ Rege, soluerunt obsidionem. Procopius lib. 1. de bello Goth. Occiso a Francis Alarico, Gesalaricus frater eius, Eurici Regis ex concubina filius, Narbone creatus est Rex. Nam Amalaricus, Alarici ex filia Theodorici Gothorum in Italia Regis filius, vix dum quinquennis, nondum erat maturus imperio. Hic secūdum S. Isidorum, regnauit annis quatuor, tamen si alii plures, alii pauciores annos illi attribuant. Hunc alii Gesalaricum, alii Gesaleycum, alii Ge-

An. dom.

alii Gesaleicum, Procopius Gesaleicum appellat. Hic vt ignobili matre editus, ita animo degener extitit, & dum Narbonem a Gundebadis Burgundionum Regis impetu defendere non posset, cum maxima suorum clade, Barcinonem ignominiosa fuga se contulit, ibique turpiter delituit, donec a Theodorico regno fascibus exutus est. Partim ex Seuero, partim ex S. Isidoro.

Theodoricus Ostrogothorum & Italiæ Rex contra Francos, ad vlciscendam generi sui necem, octoginta armatorum millia misit duce Ilba (Helbanem alii vocant) Gepidarum Comite, qui Gothis coniuncti, victoria potiti sunt: Francorum viginti millia & eo amplius desiderata. Prouincia ad Ostrogothos, Vasconia ad Vesegothos rediit. Ex annalibus Francorum. Eodem anno Gesalaricus Goericum Barcinone in palatio interficit, & paulo post ab Ilba duce Theodorici ab Hispania fugatus, Africam petit. Annot. marg. libri Alcobaciensis.

Gesalaricus post frustra petitem in Africa Vandalorum auxilium & varios errores, tandem apud Druentium Gallia fluium interiit, & prius regnum, mox vitam perdidit. S. Isidorus. Eodem anno Theodoricus Iunior, Ostrogothorum & Italiæ Rex, cum iam octodecim annos non sine gloria regnasset in Italia, venit in Hispaniam, atque ibi per quindecim annos Amalarici nepotis sui paruuli tutelam gessit, & Gothorum regnum administrauit. S. Isidorus. Alii ingressum eius in Hispaniam anno 513, ponunt. In hoc tamen omnes cōsentiunt, quod 21. anno Anastasii.

20 Mortuo Clodoueo Francorum Rege, regnum in quatuor fratres diuiditur: 515
Childeberto Parrisi, Clotario Sueffiones, Clodamiro Aurelianum, Theodorico Mediomatrics imperia fuerunt, omnesque Reges consalutati, ac primum omnium pacem cum Amalarico Alarici filio firmauerunt, data illi in matrimonium sorore Clotilde, Tolosatiumque præfectura restituta. Paulus Æmilius. Pacem hanc cum Amalarico firmatam intellige, quia Theodoricus non suo, sed nepotis sui nomine res in Hispania gessit: & sororem pactam, non datam Amalarico, qui id temporis nondum ex ephelis excesserat. Illud quoque animaduertendum, neque Gallicarum rerum scriptores, neque vllos alios præter Hispanos, memoriam proditum reliquisse, Theodoricum hunc, de quo loquimur, in Hispania res gessisse. Ego tamen vt Hispani scriptoribus magis accedam, & autoritate D. Isidori, & libro Conciliorum moueor, in quo, vt continuo videbimus, sub hoc Theodorico, quamuis Ariano, concilia celebrata describuntur, quæ nisi de annis quibus in Hispania ille regnauit, intelligi non possunt.

Hoc anno, Sanctus Isidorus autor est, mortuo Trasamundo, Ilderichum Honorichi ex Valentini Imperatoris filia natum, Vandalis imperare cœpisse, sed a Trasamundo ante mortem sacramento obstrictum, ne, quandiu regnaret, ecclesiam Catholicis aperiret, aut priuilegia redderet. Quia matre fide recta imbutus, ne iurifurandi religionem violaret, antequam iniret imperium, Christianos ab exilio reuocat, ecclesias sacerdotibus restituit, atque ita demum regno inaugurat. Sanctus Isidorus. Hoc factum post annum septuagesimum quartum hæreticæ profanationis, inquit Beda. Procopius testatur, hunc æque in Christianos atque in suos mitem, armis tamen minime fuisse idoneum, quibus Amerem propinquum præfecisse, qui ob fortitudinem alter Achilles est appellatus. Regnauit annos septem, menses quatuor. Eodem anno, nimirum Theodorici Iunioris sexto, consularu Petri, celebratum est Tarracone concilium decem episcoporum, octauo Idus Nouembris. In quo concilio, præsidente Ioanne eius ciuitatis episcopo metropolitano, inter alia multa statutum est, vt obseruatio diei Dominici incipiatur a sabbato. Atque hinc fortassis emanauit consuetudo in totam fere Hispaniam, cessandi die sabbato ab omni opere sub horam vespertinam. Ex priori 50 tomo Conciliorum. Hoc concilium alii alio anno ponunt. Ego diuum Isidorum sequor, cui calculus Cassiodori ad amussim quadrat.

Hormisda ad summum Pontificatum euectus est, qui vices suas Salustio Hispanensi episcopo metropolitano commisit, per prouincias Bæticam & Lusitaniam: per reliquã vero Hispaniam, Ioanni, opinor, Tarraconensi episcopo. Huius extant aliquot ad Episcopos Hispaniæ epistolæ decretales, in priore tomo Conciliorum.

An. dom. Mense Iunio eiusdem anni celebratum est concilium Gerundense a septem episcopis, Agapito Consule, anno Theodorici septimo, sub præfule ciuitatis illius Fortuniano. Ex priore tomo Conciliorum. Eodem anno celebratum aut concilium Cæsaraugustanum, a duodecim episcopis, sub Lucio episcopo Cæsaraugustano, quarto nonas Octobris, in quo præter alia decretum est, ne quis vsurperet nomen doctoris, nisi cui iure conceditur. Ibidem. Petrus Antonius Beuter sequenti anno ponit.

523 Gilimer Ilderichum per tyrannidem regno Vandalorum deturbat, & cum filiis carcerum custodia mancipat, regnum ipse inuadit, & multos Africæ nobiles partim opibus, partim vita spoliatur. S. Isidorus. Beda Gilimerum appellat. Hic Gilimer fuit, ut ait Procopius, Genzonis, de quo superius loquuti sumus, filius, & malis artibus ac falsis apud Vandalos calumniis Ilderichum regno priuauit, & cum Amere atque eius fratre Euagene carceri tradidit, atque Amerem postea excæcauit, neque vllis Iustiniani Imperatoris monitis a male ceptis abduci potuit. Quare Imperator solute bello Persico, bellum illi facere statuit, quod Procopius duobus libris prolixè describit, ut cui ipse interfuit. Sigebertus hunc Gilimerem ponit anno 528. & addit ita fuisse crudelè, ut ne parentibus quidè carceret.

525 Hoc anno, id est Theodorici Iunioris decimo quinto, celebratum est octauo Idus Augusti concilium Ilerdense, ab octo episcopis, sub Sergio illius ciuitatis id temporis episcopo. Ex priori tomo Conciliorum. Eodem anno mense Decembri, celebratum est concilium Valentinum sex episcoporum, sub Celsino illius ciuitatis episcopo, in quo statutum est præter alia, ut euangelium legatur ante offerentiū, ut catechumeni & pœnitentes qui non offererent, audiant euangelium, antequam exeant ecclesia, quod etiam annotauit Pet. Ant. Beuter. Ibid. Ex his conciliis colligi posse videtur, eam Tarraconensis Hispaniæ partem quæ Romanis parebat, totam fuisse Catholicam, ut in qua tot concilia tam libere celebrata sint. Quod ex eo clarius est, quod affirmat S. Isidorus, Ioannem postea Gerundensem episcopum, ab Ariano Gothorum Rege Leouigildo Barcinonem exilii causa relegatum. Eodem quoque anno, Theodoricus Ostrogothorum Rex quum Hispaniam per quindecim annos rexisset, non sine gloria, nisi quod alienus a fide Catholica & acerrimus Arianiæ sectator perfidiæ, regnum Vefegothorum Amalarico nepoti iam adulto tradidit, atque in Italiam est reuersus, ubi ob instauratam Romam, & redintegratos illius muros, auream statuam a Senatu meruit. S. Isidorus. Lucas Tudensis addit hunc in Hispania uxorem duxisse ex prima Hispanorum origine, cuius precibus Hispanos omnes libertate donasse: ex ea filium sustulisse Seuerianum, sanctorum Leandri & Isidori atque aliorum patrem.

526 Amalaricus, Theodorico tutelam ipsius iam regno maturi abdicante, Gothi in Gallia Aquitanica & Hispania imperare incipit, quanquam Gallicarum rerum scriptores, ut admonuimus, omnes Theodorici annos Amalarico tribuant, qui hoc anno mortem ipsius ponunt, de qua re suo loco dicemus. Regnavit annis quinque, ut ait S. Isidorus. Iustinianus Imperator admonitus per somnum a Leto martyre, exercitum in Africam Belesario duce contra Gilimerem mittit: qui Belesarius Gontimerum & Gebamundum fratres Regis primo prælio fudit, Gilimerem in fugam conuertit, Africam recepit nonagesimo septimo, quæ Vandalorum regionem illam occupauerunt, anno. Gilimer vero in primo Belesarii occursum, ante conflictum, Ilderichum Regem & quosdam eius affines obruncavit. Demum captus cum omnibus suis opibus Iustiniano Constantinopolin adducitur. Sic Vandalorum regnum cum omni populo ac stirpe deletur, quod permansit annis centum tredecim, a Gunderico Rege vsque ad Gilimeris interitum. S. Isidorus. Cuius supputatio iis astipulatur qui anno Domini quadringentesimo decimo tertio, Vandalos in Hispaniam irruisse scribunt. Ex quorum albo est Sigebertus, qui excidium regni Vandalici ponit anno quingentesimo trigesimo tertio, sicut & Matthæus Palmerius. Sed Iustinianus C. de off. præf. præ. lib. 1. §. 1. dicit Africam per annos centum & quinque a Vandalis fuisse captiuam, si locus non est mendosus.

Anno

Anno quinto Amalarici Regis celebratum secundum concilium Toletanum octo episcoporum, sub Montano præfule Toletano. Ex priore tomo Conciliorum. 530 Scribit S. Isidorus in hist. Goth. & illum sequutus Rodericus Toletanus, concilium hoc peractum anno secundo Theudii Regis, qui quamuis esset hæreticus, pacem tamen indulgit ecclesiæ, adeo ut catholicis episcopis potestatem concederet in urbem regiam conueniendi, & quæcunque ad disciplinam ecclesiasticam pertinerent, libere instituendi. Ceterum ex ipsius concilii ultimo capite liquido constat, sub Amalarico Rege, non Theudio celebratum. Fortassis aliud Concilium eo regnante Toleti celebratum est, quod in aliorum conciliorum numerum non sit relatum, de quo D. Isidorus loquitur. Montanus vero quem huic Synodo præfuisse diximus, fuit post Celsum Toletanæ sedis metropolitanus episcopus, vita & eruditione clarus. Qui antiquissima fidelique relatione narratur, ad propulsandam coniugalis conuersationis infamiam, candenteis prunas tãdiu tenuisse veste, dum sacrum perageret, eoque peracto nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amississe decorem. Scripsit ad Palentinos epistolam, in qua presbyteros chrisma conficere, & episcopos alienæ diocesis ecclesias consecrare, magna dicitur autoritate prohibere. Claruit sub Amalarico Rege, & nouem annis pontificatus tenuit dignitatem. Ex S. Alfonso. Eodem anno Stephanus quidam Hispaniarum præfectus efficitur, atque idem anno tertio præfecturæ suæ, in Gerundensi ciuitate, in concilio discinctus est. Annot. marg. Alcobac. Memoriae prodit Sigebertus, hoc anno episcopos quosdam in Africa orthodoxos linguis radicibus excisis a Vandalis, posterius clare loquendo multis miraculo fuisse. Quod miraculum vnus eorum auxit, qui in superbiam elatus, cõfestim diuino priuatus munere obmutuit. Sed hoc sub Gilimere tyranno factum est. Clotildis Francorum Regum soror, a Gothis Arianiis, in quos enuperat ipsa pia, ignominiose duriterque tractabatur: via euntem ceno lapidibusque incessabant. Saucia imburum cruore sudarium ad fratres Reges misit, quo velut literis sanguine exaratis ira perciti Franci, in Gothos ducunt. Amalaricus apud Narbonem prælio victus, dum Barcinonem fugere parat, ab exercitu contemptus occiditur. Clotildis dum a fratre Childeberto reducitur, in itinere fato concessit, Parisiis iuxta patrem sepulta. Ex annalibus Francorum & S. Isidoro. Sed ut dixi, historiæ Gallorum anno 525. factum hoc asserunt. Robertus Gaguinus addit, Toletum a Francis expugnatum ac dispoliatum, & multa inde vasa sacra templis Franciæ distributa. Totam hanc rem fusius atque explicatius prosequitur S. Gregorius Turonensis libro 3. capite 9. cuius verba non pigebit adscribere. Ea habent ad hunc modum: Clotildis multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerumque procedente illa ad sanctam ecclesiam, stercore & diuersos fetores proici super eam imperabat. Ad extremum autem tanta eam crudelitate dicitur cecidisse, ut infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret. Vnde ille maxime commotus, Hispanias appetiuit. Amalaricus vero hæc audiens, nauis ad fugiendum parat. Porro imminente Childeberto, cum Amalaricus nauem deberet ascendere, in mentem ei venit, multitudinem se preciosorum lapidum in thesauro suo reliquisse. Cumque ad eosdem perendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu in porta exclusus est. Videns autem se non posse euadere, ad ecclesias Christianorum confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, vnus emissa manu læcea, eum mortali ictu fauciauit, ibique decedens reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum abducere cupiebat, sed, nescio quo casu, in via mortua est, & postea Parisios allata, iuxta patrem suum Clodouzum sepulta est. Childebertus vero inter reliquos thesauros, ministeria ecclesiarum preciosissima detulit. Nam 60. calices, 15. patinas, 20. Euangeliorum capfas detulit, omnia ex auro purissimo, & gemmis preciosis ornata. Sed non est passus ea confringi. cuncta enim ecclesiis & basilicis sanctorum dispensauit ac tradidit. Hactenus ille.

- An. dom.* Post Amalaricum Theudius regnat, quem alii Theodatum, alii Ethiudi appellat. Regnavit annis 17. mensis quinque, ut ait S. Isidorus. Hunc Procopius lib. 1. de bel. Gothorum, alibi Theodim, alibi Theudam appellat, dicitque eum a Theodorico exercitui Vefegothorum præfectum, ducta ex Hispaniis nobilissima coniuge imperium usurpasse, idque viuo adhuc Theodorico & Amalarico. Iornâdes nominat eum Thiodim, & ait fuisse armigerum Theodorici Ostrogothorū Regis, ac tutorem Amalarico in Hispaniæ regno datum. Quæ hoc loco ponit Rodericus Archiepiscopus Toletanus ex Procopio male intellecta, de Theudio ex Italia accito, & eius male grata impietate in Amalafuentam tam bene de se meritam, ad Ostrogothorum in Italia pertinent historiam. Alius enim fuit Theodatus ille siue Theodahatus, ut Conradus Peutinger ex veteri numismate argenteo appellatum asserit, qui pietatis oblitus, Amalafuentam cui debebat regnū, in balneo strangulari fecit: alius Theudius Gothorū in Aquitania & Hispania Rex. Toletani errorem sequutus est in Chronicis suis Rex Alfonso. Anno Theudii primo, Franci magnis copiis Hispanias ingressi, Tarraconensem provinciam depopulabantur. Quos Gothi duce Theodifclo adeo in arctum coegerunt, interclusis Hispaniæ obicibus, ut necesse fuerit hostibus, vnius diei noctisque spacium precibus & multo auto fugæ suæ redimere. Quæ vero misera turba huic spacio superfuit, funesta cæde consumpta est. Cuius victoriæ gloriam postea Gothorū apud Septam calamitas obscuravit. Ex S. Isidoro.
- 532 Aprugius Pacensis ecclesiæ episcopus floret, qui sacras literas ita exposuit ingeniose, ut veteres præ illo non videantur exposuisse. scripsit in Apocalypsin. Ex eodem de viris illustribus.
- 536 Bracaræ celebratum est primum concilium ab octo episcopis, præfidente Lucretio Bracarense episcopo metropolitano, Calendis Maii, ut habent Chronica Regis Alfonso. nam numerus *Ærē* in Codice Conciliorum vitiosus est. Huic concilio Beatus Martinus adhuc Dumienfis episcopus interfuit.
- 540 Iustinianus episcopus Valentinus hoc tempore vita & scriptis claruit, ut autor est S. Isidorus. Hic tres habuit fratres episcopos eadem matre natos, Iustū Vrgellitanæ sedis episcopum, Nebridium Agragensis, atque Elpidium. Ioan. Trittem. & Petrus Messias. Nebridius & Iustus interfuerunt secundo concilio Toletano. Iustus Vrgellitanus episcopus, frater Iustiniani, scripsit in Cantica canticorum. S. Isidorus.
- 542 Childebertus eiusque frater Clotarius, Cæsaraugustā descere ab hæresi Ariana cogunt, plurimasque in Hispania vrbes expugnant. Tunica Vincentii martyris pro spoliis opimis & amplis exuviis asportata, eique diuo ædes suburbana extructa, quæ nunc D. Germani est. Annales Francorum. Sed Robertus Gaguinus lib. 1. ait Cæsaraugustanos, dum obsidione premerentur, desperatis omnibus rebus ad diuinam opem facta supplicatione cōfugisse. Cuius rei factum certiore Regem Francorum a rustico quodam, quum Christianos esse cognouisset, euocato ad se episcopo, pacta Diui Vincentii veste, obsidionem soluisse atque abiisse. Quæ consentanea sunt cum iis quæ Sigebertus de eadem re in Chronicis suis scribit. De qua res sic in annotationibus marginalibus libri Alcobaciensis scriptum repertum: Anno 17. Iustiniani (id est, secundum aliquos 542. secundum alios vero 544) quinque Reges Francorum per Pampelonem Hispanias ingressi, Cæsaraugustam venerunt, quam per octodecim dies obsessam, & omnem fere Tarraconensem provinciam depopulatione attriuerunt. Eodem tempore inguinalis plaga totam fere contriuit Hispaniam. Ex eodem Alcobaciensi libro.
- 544 Hoc tempore, qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, memoriæ mandant, Beatorum Laureanum Hispalensem Archiepiscopum, natione Pannonium, missis a Totila Ariano tunc in Italia Ostrogothis imperante, qui ipsum occiderent, angelicam admonitu in vltro-neum exiisse exilium, ac septem post annis eiusdem Totilæ imperio in Francia capite truncatum: caput Hispalim delatum ciuitatem multis calamitatibus quibus toto hoc septennio laborauerat, asseruisse: corpus a B. Eusebio Arelatenfi episcopo in Biturenfi ciuitate pie sepultum.

Gothi

- Gothi traiecto freto Herculeo, Romanos qui Septam inuaserat, magna vi oppugnant. Sed dum die Dominico religionis ergo bello abstinentes, incautius se gerunt, repentina hostium oppressione ita sunt ad vnum omnes intereccione ceciderunt, ut ne nuncius quidem tantæ cladis relictus sit.
- Tam triste nuncium non diu motata Regis Theudii mors fuit. nam vulneratus est a quodam qui iam dudum demens speciem, ut Regem deciperet, simulauerat. Finxit enim arte infaniam, perfoditque Regem. Quo ille vulnere prostratus occubuit. Fertur vero inter effusionem sanguinis coniurasse præsentibus, ne quis interficeret percussorem, affirmans se congruam meriti vicissitudinem recepisse, quod & ipse priuatus ducem suum sollicitatus occidisset. Ex S. Isidoro.
- Theudifclus siue Theodifclus Theudii dux, regno Gothorum præficitur. Qui dum multorum magnatum cōnubia nefaria libidine publice pollueret, atque ob id mortem plerisque moliretur, præuentus coniuratorum manu, Hispali inter epulas iugulatur. Ex eodem. Lucas Tudenfis ait, huc fuisse nepotem ex forore Totilæ Regis. Iornâdes eum Thiodigiflossam appellat. S. Isidorus tribuit illi annum vnum, annotationes Alcobacienses addunt septem menses.
- Hoc anno secundum B. Isidorum, secundum alios sequenti, Aguila Gothorum Rex constituitur, & regnat annis quinque. Hic dum facto Cordubensibus bello, in contemptum Christianæ religionis sepulcrum beatissimorum martyrum Acicliacæ Victoris pollueret & prophanare præsumeret, dignas impietatis temerariæ pœnas luit. Nam & filium in eo conflictu & thesauros omnes amisit, & ipse victus turpi fuga Emeritam se contulit. S. Isidorus. Rex iste Iornaudi Hactenus agilit dicitur. Annotationes Alcobacienses dicunt regnasse annis quinque, mensibus sex: Sigebertus annos nouem, sed fallitur.
- Ostrogothorum nomen & imperium in Italia Iustiniani Imperatoris auspiciis deletum, testantur Chronica Regis Alfonso. Matthæus Palmerius biennio post factum scribit. Athanagildus regno Gothorum per tyrannidem inhians, dum Hispali exercitum Aguilæ, vel (ut D. Isidorus declinat) Aguilanis, contra se missum fudisset, Gothi veriti ne Romani huius occasione seditionis Hispaniam inuaderent, Aguilam Emeritæ interficiunt, & Athanagildum Regem creant. Ex S. Isidoro.
- Athanagildus, ut autor est S. Isidorus, regnum quod inuaserat, voluntate Gothorum est consecutus, sed quæ ad deturbandum regno Aguilanem poposcerat a Iustiniano Imperatore, Romanorum & Græcorum auxilia, submouere Hispania non potuit, aduersus quos variis postea casibus sæpe confligit. Regnavit annos 14. & secundum alios, 15. Autor est Lucas Tudenfis, hunc Regem fidem Catholicam occulte coluisse, & Christianos omni fauore amplexum.
- Huius tempore Regis, celebris fuit in Hispania S. Amiliani confessoris sanctitas, qui natus in regione Castellæ veteris finitima Cantabriæ, quæ vulgo dicitur Rioia, a sancto viro Felice Christianæ fidei formulam edoctus, ex opillione factus est eremi cultor, vbi deditus contemplationi atque orationi, vitam ad centesimum vsque annum cum incredibili sanctitate produxit, & post mortem innumeris claruit miraculis. Ex iis qui scribunt de sanctis Hispaniæ.
- In Gallia Gothica mons quidam Rhodano imminens, editis per multos dies mugitibus tauri instar, tandem ab alio monte contiguo diuulsus, cum domibus, ecclesiis, hominibus ac iumentis, præceps in Rhodanum corruit. Sigebertus.
- Theodomirus in Gallecia factus est Rex Sueuorum, per quem annitente S. Martino Dumienfi episcopo, postea Bracarenfi Archiepiscopo, Sueui descuerunt ab Ariana perfidia. Cuius studio & industria pax ecclesiæ amplificata est, & multa in ecclesiasticis disciplinis in Galleciæ provincia sunt instituta. S. Isidorus.
- Anno Theodomiri secundo (quamuis in conciliis legatur, Ariamiri) decimo octavo Calendas Ianuarias, celebratum est Bracaræ secundum concilium, a duodecim episcopis, præfidente S. Martino, iatū Bracaræ ecclesiæ episcopo metropolitano, qui (ut ait S. Isidorus) ex Orientalibus regionibus in Galleciā venit, & eā gētē

An. dom. ab Ariana impietate ad veræ fidei cultum reduxit. Scripsit de differentiis quatuor virtutum, quem librum se legisse Beatus Isidorus profetur. Scripsit & epistolas varias omnium virtutum exhortatorias. Idem. Ioannes Tritemius autor est, eum ad Mironem Regem scripsisse de quatuor virtutibus cardinalibus formulam vitæ honestæ. In Lectionario ecclesiæ Bracarenfis scriptum reperitur, eundem tractatum composuisse de castigatione rusticorum qui iam in fide manentes honorè idolis exhibebant. In concilio Toletano decimo, dicitur hic S. Martinus Dumense monasterium construxisse (de quo alibi diximus latius) cuius fuit episcopus, antequam ad Bracarensem esset promotus metropolitana ecclesiâ. Idem S. Martinus in compendium contraxit concilia Orientalia, & Nigefio Lucensi episcopo metropolitano, ac toti concilio Lucensi transmisit. Ex priori tomo concilio-
rum. Hoc concilium Lucense circa hunc annum celebratum est, calendis Ianuariis, sub Theodomiro Rege Sueuorum, sub quo & Bracarense, ad confirmandam fidem Catholicam, & constituendâ ecclesiæ statum. In eo concilio ecclesiæ Bracarenfis metropolitana, & aliis Galleciæ ecclesiis cathedralibus, sui cuique fines assignati sunt, quos ne excederent. Ex archiuis ecclesiæ Bracarenfis, ubi pro Nigefio Lucensi episcopo, legitur Nitigio. Meminit huius rei & Lucas Tudenfis in Rege Bamba, & dicit Adalphum episcopum Legionensem huic interfuisse concilio.

566 Hoc anno, nempe Iustini Imperatoris secundo, Athanagildus Gothorum Rex fato concessit Toleti, cui successit Luiba. Ioannes Abbas, & S. Isidorus, qui addit
mortuo Athanagildo fuisse interregnum quinque mensium. Lucas Tudenfis dicit, quod septem annorum, sed non dubium, quin hoc loco sit deprauatus. Causa interregni ex eo nata est, quod Gothi non conveniebant in electione Regis. Huius Athanagildi filia altera, nomine Brunehildis, nupsit Sigeberto Mediomatrici in Francia Regi; altera, nomine Galfonta, Chilperico Sueffionum Regi, fratri Sigeberti Regis. quæ Galfonta cum Fredegundem pellicem ferre non posset, mortua in mari lecto inuenta est. Ex annalibus Francorum. Robertus Gaguinus addit, Regem Chilpericum blandimentis & illecebris pellicis deprauatum, uxorem per noctis silerium laqueo strangulasse. Plerique scriptores Hispani mortem Athanagildi anno 566. ponunt. Ego Ioannem Abbatem & S. Isidorum eius temporis
scriptores sequor. Hoc anno mortuus est Iulianus episcopus Eboracensis, cuius monumentum ad diui Michaelis de Machede, tribus leucis ab Eborâ, repertum, domi suæ habet Andreas Refendius noster, cum alio Pauli presbyteri, qui requieuit in pace, Æra quingentesima octogesima secunda, hoc est, anno domini quingentesimo quadragésimo quarto. Apud eundem vidi epitaphium cuiusdam Severi Presbyteri Pacensis, qui diem suum obiit. Æra sexcentesima duodecima, hoc est, anno domini quingentesimo septuagesimo quarto. Hæc ad notandam religionis antiquitatem in Trastagana Lusitania adscripsi. Idem Refendius mihi affirmavit, plura monumenta venerandæ antiquitatis in eadem diui Michaelis ecclesiâ etiâ hodie seruari, atque ex ædificiorum vestigiis apparere, nō obscurum illic Eboracensis episcopatus municipium olim extitisse.

567 Anno Iustini Junioris tertio, Leouigildus Luibæ Regis frater germanus, a fratre superstitite in regni societate assumptus, citeriori Hispaniæ præficitur, qui Gosuintham Athanagildi viduam matrimonio sibi iunxisse dicitur, & prouinciam Gothorum quæ multorum rebellionem fuerat imminuta, ad pristinos reuocasse terminos. Ioannes Abbas. Alii dicunt eum uxorem habuisse Theodosiam, filiam Seueriani Ducis Carthaginensis & Theodoræ: ex qua sustulerit Hermenegildum & Recaredum. Vnde verisimile est, eum alteram alteri superduxisse. Nam quod prædicti filii ex Gosuintha non sint, ex eo patet, quod Ioannes Abbas, temporis illius scriptor affirmat, Leouigildum filio maiori Hermenegildo & uxorem & regni partem ad
regnandum dedisse, anno regni sui vndecimo, quo tempore ille, si ex Gosuintha natus esset, vt plurimum decem natus annos, nec matrimonio nec regno maturus esse poterat: atque hoc ita esse postea clarius constabit. Seuerianus ille, Theodorici Ostrogothorum & Italiæ Regis (vt diximus) filius, ex uxore Theodora, in clyto Gothorum Regum sanguine prognata, suscepit hos filios, S. Leandrum & S. Isidorum

S. Isidorum Archiepiscopos Hispalenses, S. Fulgentium episcopum primum Aftigitanum, deinde Carthaginensem: Florentiam sanctarum virginum monasteriis præfectorum. Breuiarium Hispalense addit S. Braulium Cæsaraugustanum episcopum, virum multarum linguarum & sacræ scripturæ peritissimum, & Iustinam quæ quinquaginta sanctarum virginum monasteriis præfuerit: sed Iustinam istam arbitror esse eam quæ aliis Florentia dicitur. Braulii vero, de quo in quinto concilio Toletano dicimus, quum D. Isidorus meminit, nihil tamen addit, vnde fratrem ipsius fuisse colligamus. Sed nec ipse Braulius siue Braulio in iis quæ viris illustribus D. Isidori de ipso D. Isidoro addidit, vllam huius rei mentionem facit, neque
ego arbitror illius fratrem fuisse, sed amicum plusquam fraterna charitate coniunctum. Lucas Tudenfis in literas misit, Luibam, Athanagildo etiam dum superstitite, Narbone a Gothis Regem creatum, septem annis in Gallia Gothica regnasse, & illo mortuo, tres in Hispania, quorum trium secundo anno Leouigildum non solum successorem, sed etiam participem regni constituisse, ac Hispaniæ administrationi præfuisse, ipsum Galliæ regno contentum. Eundem S. Isidorus tres annos regnasse scribit. Ioan. Abbas quinque.

Leouigildus Rex loca Bastetaniæ & Malacitanæ vrbs repulsis militibus vastat, 568 & victor ad suos redit. Ioannes Abbas. In Gallecia Miro post Theodomirum Rex Sueuorum efficitur, & regnat annis tredecim. Idem, & S. Isidorus.

20 Leouigildus A sinodam fortissimam ciuitatem, de qua iam diximus, proditio-
ne cuiusdam Framidanci nocte occupat, & militibus interfectis, ad Gothorum reuocat iura. Ioannes Abbas. Milites vero qui hæc loca occupauerant, Romanos fuisse arbitror. Nam Lucas Tudenfis autor est, Iustiniani milites quos Athanagildus auxilii causa euocauerat, a Leouigildo profligatos, & alioqui Romanos ab illo diuersis præliis superatos, atque amplificatum Hispaniæ imperium, in qua Gothi angustis antea finibus concludebantur. Doratus abbas monasterii Seruitani quod erat Setabi, miraculis adhuc viuus hoc tempore claruit. Ioannes Abbas. Hic Donatus & professione & opere monachus, cuiusdam eremitæ discipulus in Africa fertur extitisse. Qui vim Barbararum gentium imminere prospiciens, atque ouilis sui dispersionem & pericula veritus, cum monachis plus minus septuaginta, & copiosa librorum supellestili in Hispaniam commauit. Vbi religiose atque illustris fœminæ Mincheæ subsidiis & opibus adiutus, Seruitanum monasterium construxit. Hic primus in Hispaniam monasticæ obseruantia vsus & regulam dicitur induxisse, tam viuus adhuc virtutum exemplis nobilis, quam defunctus memoriæ claritate sublimis. Ex Diuo Alfonso. Porro quod vitæ monasticæ regulam & formam in Hispaniam hoc sancto viro autore illatam refert, id ego intelligendum arbitror, post Hispaniam a Barbaris nationibus deformatam. Nam superius ostendimus, anno trecentesimo octogesimo primo, Paulinum monachum, vt religioni monasticæ commodius vacaret, relicta patria in Hispaniam secessisse. quod haud dubie non fecisset, nisi in ea disciplina monastica vigiasset.

Leouigildus Rex Gothorum, Cordubæ ciuitatem diu Gothis rebellem noctu
occupat, & cæsis hostibus propriam facit, multasque vrbes & castella, interfecta rusticorum multitudine, in Gothorum dominium reuocat. Ioannes Abbas. Dominus Helenensis ecclesiæ episcopus, clarus habetur. Idem. Miro Sueuorum Rex bellum contra Aragonos mouet. Idem. Caterum quos hic Aragonos dicit, S. Isidorus Ruccones, Lucas Tudenfis Vascones appellat. ex qua lectionis diuersitate non dubium, quin mendosus sit locus. mihi Tudenfis lectio magis arridet, atque ita de Nauarris intelligitur. fruatur suo quisque iudicio.

50 Luiba Rex moritur. Hispania omnis & Gallia Narbonensis in iura & potestatem
Leouigildi cedit. Ioannes Abbas. tamen S. Isidorus Luibæ siue Luibanis mortem anno quingentesimo sexagesimo nono ponit. Leouigildus Sabariam ingressus, Sapos vastat, & prouinciam totam in suam redigit potestatem, duosque filios suos ex amissa coniuge, Hermenegildum & Recaredum, consortis regni facit. Ioannes Abbas. Quo loco vide, an, Sabaudiam & Sabaudos, legendum sit. Saltem

- An. dom.* ita intellexisse hunc locum videtur Iacobus Valera. Hanc opinionem confirmat episcopus Burgenfis, in quo videtur mendose legi Sabandriam, pro, Sabaudiam. Mausona Emeritenfis ecclesiæ episcopus, in Christianæ fidei dogmate clarus habetur. Ioannes Abbas. Hispani & Franci de Pascha celebrando dissentiunt, Hispanis, 12. Calendas Aprilis: Francis vero, 14. Calendas Maii Pascha celebrantibus: sed Francos recte celebrasse miraculo manifestum fuit. Nam fontes in Hispania qui sabbato sancto Paschæ diuinitus repleti ad baptizandum solebant, non in Hispanorū, sed in Francorum Pascha repleti sunt. Sigebertus Abbas. Idem ponit Robertus Gaguinus, tamen in numero Calendarum non nihil variet. Illud hoc loco non prætermittendum, quod ipse quoque Gregorius Turonensis episcopus qui circa hæc tempora floruit, fontes in Hispania fuisse qui diuinitus repleantur, testatur, quum alias, tum lib. 10. cap. 22.
- 572 Leouigildus Rex Cantabriam ingressus, occupatores illius prouinciæ interfecit, Amajam occupat, opes eorum inuadit, & prouinciam in suam redigit potestatem. Ioannes Abbas.
- 573 Leouigildus Aregenses monteis ingreditur, Aspidium loci seniore cū vxore & filiis captiuos ducit, opesque eius & loca sui iuris facit. Idem.
- 574 Leouigildus Sueuorum in Gallecia fines conturbat, & Regi Mironi, per legatos rogatus, pacem exiguo tempore tribuit. Idem.
- 576 Leouigildus Rex Orospedam montem ingreditur, & ciuitates atque castella eiusdem prouinciæ expugnat, ac suam prouinciam facit, neque multo post ibidem rustici rebellantes a Gothis opprimuntur, & post hæc integra a Gothis possidetur Orospeda. Ioannes Abbas.
- 577 Leouigildus, extinctis vndique tyrannis & occupatoribus Hispaniæ, requie potitus, cum plebe recedit, & ciuitatem in Celtiberia condidit, quam a nomine filii Ricopolin (vulgo Ripol) nuncupauit, eam miro opere mœnibus & suburbanis adornauit, & priuilegia populo nouæ vrbs instituit. Idem. Eodem tempore Ioannes, Emeritenfis ecclesiæ presbyter, clarus habetur. Idem.
- 578 Leouigildus filio suo Hermenegildo Sigeberti Regis Francorum filiam matrimonio, & prouinciæ partem ad regnandum tribuit. Idem. Paulus Æmilius eam Iugundim appellat, & etiam S. Gregorius Turonensis. Leouigildo quietâ pace regnante, aduersarii securitatem domestica rixa conturbat. Nam eodem anno filius eius Hermenegildus, factione Gosuinthæ Reginæ tyrannidem assumens, in Hispali ciuitate rebellionem facta recluditur, & alias ciuitates atque castella in societatem rebellionis suæ pellicit. Quæ res Hispaniæ prouinciæ maioris exitii causa, quam hostium infestatio, fuit. Idem Ioannes Abbas. Nouellus Complutenfis episcopus celebratur. Idem.
- 579 Leouigildus Rex in vrbe Toletana Synodum Episcoporum sectæ Arianae congregat, & antiquam hæresin nouo errore cumulat, ausus inter cætera hæresis suæ contagia, etiam rebaptizare catholicos, neque id ex plebe solum, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, inter quos Vincentium Cæsaraugustanū ex episcopo apostatam factum, & tanquæ a cælo in infernum proiectū. Quæ seductione plurimi in Arianae vesania declinauerūt. Partim ex Ioanne Abba, partim ex S. Isidoro.
- 580 Seuerus Malacitanæ vrbs episcopus scripsit contra Vincentium Cæsaraugustanum episcopum, in prauitatem Arianam lapsū. Qui Vincentius collega fuit Liciniani Carthaginensis episcopi, vt ait Petrus Messias, scripsit etiam de virginitate ad fororem, S. Isidorus & Ioannes Tritemius. Leouigildus partem Vasconia occupat, & ciuitatem nomine Vistoriacum condit. Ioannes Abbas. Eodem anno natus est Mahometes, pessima Christianæ religionis calamitas, patrē Abdalia, matre Emīna, ex genere Agar & Ismahelis. Qui annus in Arabia tanta siccitate & penuria frugum insignis fuit, vt herbis vescerentur campestribus inopia panis. Rodericus Toletanus in historia Arabum. Quod autem dicit natum anno nono Leouigildi, sequitur opinionem eorū qui Leouigildum iniisse regnū anno quingentesimo septuagesimo secundo affirmant, alioqui numerus anni probe per omnia responderet. Porro quod addit Æra sexcentesima, legendū est, sexcentesima decima

- cima octaua. quod eodem libro clarius constat, quæ vt probandū sit. Ait enim morituum Æra sexcentesima sexagesima sexta, quum tantum vixerit 49. annis. *An. dom.*
- Leouigildus exercitum ad opprimendam filii tyrannidem colligit, & ciuitatem Hispalensem obsidet, ac rebellem filium graui obsidione premit. Cui Miro Sueuorum Rex ad expugnandam Hispalim suppetias venit. Leouigildus Hispalim nunc fame, nunc ferro, nunc Bætis deriuatione conturbat. Ioannes Abbas. Miro in ea obsidione diem clausit extremum, cui Eburicus filius siue Eboricus in regnum Galleciæ succedit. Idem, & S. Isidorus.
- Leouigildus muros Italicæ antiquæ ciuitatis restaurat, quæ res maximum impedimentum Hispalensi populo exhibuit. Ioannes Abbas. Vnde colligo, Italicam admodum propinquam fuisse Hispali, atque a Mauris post tempora Gothorum dirutam & subuersam. Andeca in Gallecia Sueuorum regnum cum tyrannide inuadit, & Sisegutia relicta Mironis Regis in coniugem accepta, Eboricum regno priuat, & in monasterium retrudit, ac monachum facit. Idem. Leouigildus Hispalim expugnat, ciuitates & castella a filio vsurpata recipit, nec multo post filium Hermenegildum Cordubæ capit, & regno priuatum Valentiam in exilium mittit. Idem. Cum Leouigildus ad hunc modum filium rebellem persequeretur, & exercitus eius, vt fit, loca sancta hostiliter infestaret: monasterium erat S. Martini inter Saguntum & Carthaginem Spartariam, cuius monachi audito hostium aduentu, derelicto abbate sene, se in fugam dāt, atque in quadam insula maris abscondūt. Profecti ad monasterium Gorhi, dū bona monasterii sine custode deserti diripiunt, abbatem senio incuruatum, sed sanctitate rectū offendunt, eductoq; vnus gladio quasi amputaturus ceruicem eius, resupinus ruit, ac spiritū subito exhalauit. Quo viso reliqui perterriti fugerunt. Huius rei fides quū Regi constaret, quæcunq; monasterio fuerant ablata, iussit restitui. Hoc sibi nō multo post quæ contigerat, nunciatum fuisse affirmat S. Gregorius Turonensis, in libro de gloria confessorum cap. 12. Leouigildus vbi vidit tāta miracula per seruos Dei qui nostræ religionis erant, fieri, vocatum ad se vnum ex episcopis suis, hoc est Arianis, secrete rogauit: Quid ita tandem vos, sicut hi qui se Christianos appellant, nulla figna editis in populum secundū fidē vestram? At ille, Sæpe, inquit, cæcis visum restitui, & surdis auditum. Quin & nunc satisfacere expectationi tuæ queā. Mox hæreticum quendā decem aureis corruptum clam subornauit, vt in itinere quo Regi transeundum erat, clausis oculis residens, episcopi opē imploraret, vt in virtute fidei suæ perditum lumē misero restitueret. Quod quū ille ex composito fecisset, episcopus cum magna arrogantia manus oculis eius imponens ait, Secundum fidē meam fiat tibi. Vix dum hæc dixerat episcopus, quū oculi infelicis hominis ita obferati sunt cum graui dolore, vt non solum visum penitus amiserit, verum etiam dolum quem auaritia impellente confinxerat, euulgauerit. Ex eodem autore & libro cap. 13. Eodem fere tempore in Hispania accidisse affirmat idem vir sanctus, vt Christianus cum hæretico pro fide sua certaret, cumque Arianus ille nullis scripturarum testimoniis posset a pertinacia sua diuelli: Saltem miraculis, inquit qui catholicus erat, virtutem indiuiduæ Trinitatis experire. En anulum aureum digito detractum in ignem proiicio, tu candentem collige. Postquam vidit anulum in igne candentem, conuersus ad hæreticū, Si vera est, inquit, assertio tua, exime anulum hunc ab igne. Deinde illo tergiuersante, ait: Immensa Trinitas Deus, si aliquid indignum te credo, ostende: certe si recta est fides mea, nihil præualeant hæc incendia sæua: & sublarum ab igne anulum diuissime manu sine offensione vlla tenuit, ac pudesfacto hæretico catholicos reliquos in fidei suæ constantia roborauit. Ex eodem, cap. 14. Eutropius Abbas monasterii Seruitani, discipulus sancti Donati floret, de quo paulo post latius loquemur. Ioannes Abbas.
- Leouigildus Galleciam vastat, Andecanem Regem captum regno exiit, Sueuorum gentem, thesauros, patriam, in suam potestatem redigit, ac Gothorum prouinciam facit. Andeca regno priuatus tondetur, & honore presbyterii post regnum honoratur, & quod Eborico Regis filio ac Regi suo fecerat, passus, in vrbem Pacensem exilio relegatur. Idem. Ita tunc Sueuorum regnum deletum

An. dom. in Gothos transfertur, quod centum septuaginta septem annos durasse affirmat sanctus Isidorus in historia Sueuorum. Hermenegildus in vrbe Tarraconenſi a Sisberto interficitur. Ioannes Abbas, & eadem ferme sanctus Gregorius Turonenſis episcopus libro octauo, capite vigesimo octauo. Equidem vehementer admiratores hos, quum id temporis in viuis agerent, hæc de Hermenegildo scribere, quem vt martyrem, pro fide Catholica a patre Ariano occisum, Hispana veneratur ecclesia, cui merito reliqui omnes harum rerum scriptores suffragantur, & ante alios omnes D. Gregorius Papa. Qui in Dialogis scribit libro tertio, capite trigesimo primo, quum Rex Liuigildus (ita enim appellat, nisi mendosus est liber) Hermenegildum filium a sancto Leandro Hispanis episcopo Catholicam fidem edoctum, neque præmiis allicere, neque minis perterritum attrahere ad Arianam posset perfidiam, priuatum regno rebus expoliasse omnibus, deinde in arctam concluso custodiam, collum manusque ferro ligasse, denique ipso Paschalis festiuitatis die, in tempeſtæ noctis silētio Arianum ad illum misisse episcopum, ex cuius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet. Cum vero ille non solum detrectasset, sed etiam grauius episcopi perfidi vesaniam increpuisset, pater in furorem versus, missis apparitoribus filium occidi iussit. Quod illi, securi cerebro S. Martyris impacta, effectū dederunt. Cuius mors multis celebrata fuit miraculis. Nam cœptus est in nocturno silētio psalmodiæ cātus ad Regis & Martyris corpus audiri, & accensæ lampades apparere. Idem dicit & Beda ad hunc modū: Hermenegildus Leuegildi Gothorum Regis filius, ob fidei Catholicæ confessionē in expugnabilem, a patre Ariano regni priuatus infulis, & in carcerē ac vincula proiectus, ad extremum nocte sancta Dominicæ resurrectionis securi in capite percussus, regnū cœleste pro terreno Rex & martyr intrauit. Hacten⁹ ille, qui locus in exemplaribus impressis deprauatus est. Equidē arbitror Gothos, visis tam insignibus miraculis, in Regis sui gratiā confinxisse, D. Hermenegildū a Sisberto occisum. Quo rumore deceptos Ioannē Abbam & S. Gregoriū Turonensem, hæc de illius morte memoriæ prodidisse. Huius Sancti martyris meritis adscribit idem D. Gregorius, quod vniuersa Gothorū gens ad Catholicam fidē per Ricaredum Regem conuerſa sit, videlicet, quod granum in terra mortuum, multum fructum attulerit. Fidem huius sancti martyris Gallicarum rerum scriptores partim S. Leandri doctrix, partim vxoris Francæ sanctitati acceptam ferunt, & addunt illū metu patris ira succensū, cum ducibus Imperatoris Mauricii quibus Hispani limitis custodia credita erat, fœdere icto, vxorem e recenti partu languentem, filiumque infantem apud eos deposuisse: cumq; esset a patre securi percussus, vxorem ab Augusti ducibus in Africam cum filio tranſuectā: Childebertum Francorū Regem, spe recuperandæ cum prole sororis, amicitix Augusti restitūtū, ipsum in Gothos mouisse, ad vlciscendam leuiri sui mortem. Hæc fere Paulus Æmilius. Robertus Gaguius adiūgit, Iugundin, dum ad Imperatorem duceretur, in itinere mœrore periisse. S. Gregorius Turonenſis lib. octauo cap. vigesimo octauo, dicit in Africa mortuam ac sepultam, filium Constantinopolin ductum. Reliqua sese habent, nō vt Paulus Æmilius, vir alioqui doctus ac diligens, scribit, sed vt nos ex autoribus probatis, & qui res gestas sui temporis oculata fide scribebant, retulimus. Gallici prouinciam Narbonensem cum exercitu inuadunt, ad quos missus Ricaredus, victoriam de inimicis reportauit. Ioannes Abbas. S. Gregorius Turonenſis addit Ricaredum Narbonam vsque venisse, & intra terminos Galliarum prædas egisse. Malaricus in Gallecia per tyrānidem regnare cupiens, a Leouigildi ducibus comprehensus, Leouigildo vincus sistitur. Idem. Hoc tempore S. Leandri Hispanensis episcopi nomen celebre fuit. Idem. Fuit hic D. Gregorio familiari coniunctus amicitia, quam contraxerunt Constantinopoli, dū illuc diuū Gregorium sedis Apostolicæ responsa (erat. n. Romani pontificis Apocrisarius ante summū Pontificatum) beatū Leandrum, pro causa fidei, Regis Gothorum legatio pertraxisset. Huic D. Gregorius expositionem moralem in Iob dedicauit, & pallium misit, vt ex epistolis ipsius patet. Huius inter hos sanctos mutux necessitudinis sanctum & venerabile monumentum dicitur & creditur imago sanctissimæ virginis matris, quæ ma-

quæ maximo omnium gentium concursu colitur, ad amnem Lupi, vulgo Guadalupe. Eam S. Gregorius beato Leandro dono misisse affirmatur. Lucas Tudensis addit, Suenos a beato Leandro aqua saluari perſuſos.

Leouigildus decimo octauo regni sui anno moritur Toleti, quem diuus Gregorius autor est post occisum Hermenegildum facti pœnituisse, & Catholicæ fidei veritatem agnouisse, non tamen vsque ad obtinendam salutem pertinuisse, cumque ad extrema peruenisset, filium Ricaredum S. Leandro commendasse, vt in illo idem conaretur, quod in fratre perfecerat. Ex D. Gregorio. De morte Leouigildi Regis paulo aliter scribit S. Gregorius Turonenſis lib. 8. cap. vlt. ad hunc modum: Leouigildus (Lenniildus mendose ibi legitur) Rex Hispanorum egritare cœpit, sed vt quidam asserunt, pœnitentiam pro errore hæretico agens, & obrestans, ne huic hæresi quisquam reperiretur consentaneus, in legem Catholicam transit, & per septem dies in fletu perdurans, pro iis quæ contra Deum inique molitus est, spiritum exhalauit. Hæc ille. Hic Leouigildus multos nobiles ac potentis viros neci dedit, primus solio & purpura regali vsus est, quum ante ipsum Gothorum Reges & concessum & vestitum haberent cum aliis nobilibus communionem, leges ab Eurico latas emendauit, sublatis atque additis iis quæ ex vsu esse Reip. videbantur. Obiit Toleti morte acerrima, ac sub mortem præcepit filio Ricaredo, vt episcopos Catholicos ab exilio reuocaret, & beatum Leandrum coleret, vt patrem. Ex S. Isidoro & Luca Tudensi. Mortuo patri succedit Ricaredus, anno Mauricii Imperatoris quarto. Ioannes Abbas. Hunc Lucas Tudensis autor est a beato Leandro coronatum. regnauit annos quindecim.

Sisbertus interfector Hermenegildi, turpissima morte perimitur. Ioannes Abbas. Ricaredus primo regni sui anno, mēse decimo, Deo adiuuante Catholicus efficitur, & sacerdotes sectæ Arianae sapienti colloquio aggressus, ratione potius quam imperio ad fidem Catholicam facit conuerti, gentemque omnem Gothorum & Sueuorum ad vnitatem & pacem reuocat ecclesiæ Christianæ. Ex eodem. Idem scribit & Beda. Ricaredus Rex aliena a præcessoribus suis direpta, & in fisco relata, placide ac benigne restituit, ecclesiarum & monasteriorum conditor ac ditor efficitur. Idem. Desiderius Francorum dux Gothis infestus superatur, & caesa Francorum multitudine in acie moritur. Idem.

Quidam ex Arianis, nempe Sunna episcopus & Segga, cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes deteguntur. Conuicti, Sunna exilio multatur, Segga manibus amputatis in Galleciam exul relegatur. Ioannes Abbas.

Vldila episcopus cum Gosuintha Regina insidiantes Ricaredo, produntur, & fidei Catholicæ communionem quam sub specie Christiana quasi sumebant, proieciſſe publicantur. Quo malo in cognitionem hominum deducto, Vldila exilio condemnatur: Gosuintha Catholicis semper infesta, tandem fato cōcessit. Idem. Francorum exercitus a Gonteranno Rege missus, duce Basone Galliam Narbonensem inuasit, & iuxta Carcaſſonem castra posuit. Quos Claudius Lusitaniae dux a Ricaredo missus, in fugam cōuertit, & dictu mirum, sexaginta ferme hominum millia, cum trecentis plus minus militibus partim occidit, partim fugauit, dispoliatis ipsorum castris. Hanc tam insignem victoriam non immerito conuersioni ac fidei Ricaredi acceptam ferunt. Idem S. Isidorus affirmat, nullam vnquam in Hispaniis vel maiorem in bello, vel similem extitisse victoriam. Lucas Tudensis autor est, hosteis illos venisse in auxilium Arianorum.

Anno Ricaredi quarto, & Mauricii Imperatoris octauo, celebratum est tertium concilium Toletanum, in quo Rex Ricaredus cum Regina Badda vxore sua & omnibus Gothis abiurauit hæresin Arianam, & in publico Patrum concilio profectus est fidem Catholicam, & æqualitatem personarum in sanctissima Trinitate. Celebratum est autem octauo Idus Maias, ab episcopis Hispaniæ & Galliæ Gothicæ, qui fuerunt numero sexaginta duo, & præter hos, quinque aliorum episcoporum vicarii. Metropolitani episcopi præfuerunt, Mausona Emeritenſis, Leander Hispanensis, quem Lucas Tudensis primatem Hispaniæ fuisse dicit & legatum Ro-

An. dom. manæ ecclesiæ, Euphemius Toletanus, Pantardus Bracarenfis, Nigetius Narbonensis, Stephanus Tarraconenfis. Archiepiscopus Toletanus, & illum sequuti alii nonnulli, aiunt Helladium Toletanum huic interfuisse concilio, sed hic aliquanto postorius Toletanam rexit ecclesiam, vt ex B. Alfonso constat. Petrus Antonius Beuter affirmat S. Idalium Barcinonensem episcopum in hoc fuisse concilio, sed nomen illius in codice Conciliorum non inuenio. Ab his patribus cõdemnatum est, & Hispaniæ finibus exterminatum Arianorum dogma, quo nobilitas Gothica per ducentos tredecim annos infecta fuerat. Ioannes Abbas tradit, summam synodalis negotii fuisse in hoc concilio penes S. Leandrum Hispalensem episcopum, & beatissimum Eutropium, monasterii Seruitani Abbatem. In huius concilii decimo quarto cap. statutum, ne quis Iudæus fungi possit officio publico. Hoc concilium alii alio anno ponunt, ego codicem Conciliorum sequor, in quo etiam in diuersis editionibus constanter legitur, celebratum Æra sexcetesima vigesima septima. Idem habent annotationes marginales libri Alcobaciensis in S. Isidorum. Sigitur anno Christi quingentesimo octogesimo nono addas annos triginta octo, habebis Æram Cæsaris sexcentessimam vigesimam septimam. Ricaredo orthodoxo quæta pace regnanti domesticæ tenduntur insidiæ. Nam quidam ex cubiculo eius, & prouinciæ dux, nomine Argimundus, tyrannidem affectans aduersus Regem conspirat, ita vt eum, si posset, regno priuaret & vita. Sed nefandi eius consilii detecta machinatione comprehensus, & vinculis ferreis constructus, habita quæstione, socii eius impia molimina confessi, digna sunt ultione interfecti. Ipse vero Argimundus qui regno inhiabat, primum verberibus cæsus, deinde turpiter decaluatus, post hæc dextera amputata, exemplum omnibus animo insidens Toleti dedit, ne famuli aduersus dominos insurgant. Ioannes Abbas. Vsq̄ ad hunc annum profectus est Chronicon suum Ioannes Abbas, quod exorsus fuerat ab anno Iustini Imperatoris primo. Fuit hic episcopus Gerundensis, natione Gothus, prouincia Lusitanus, natus (vt inquit D. Isidorus) Scalabi. Qui cum septendecim annos Constantinopoli studuisset, & Græce Latineque doctus, in Hispaniam reuersus, a Leouigildo Rege, quod Arianam nollet hæresin profiteri, decennali multatus exilio, Barcinonem relegatus fuisse: tandem a Ricaredo Rege Christianissimo reuocatus, monasterium Biclariense (vulgo Valclara) condidit, & monachis suis doctrina & exemplo vitæ præluxit, multa que ingenii monumenta reliquit. Ex Sancto Isidoro & Ioanne Trittemio.

590 Cum Ricaredus Rex constitutionē superius dictam in concilio Toletano contra Iudæorum perfidiam edidisset, ii in quos prolata fuerat, reuerentiam mentis regiæ infectere, pecuniarum summam offerendo, moliti sunt. Sed Rex Catholicus Dei iudicio placere studens, innocentiam auro prætulit. Quod factum in epistolis suis lib. 7. Diuus Gregorius meritis laudibus extollit. Eodem fere tempore, Ricaredus post conuersionem suam, munera ad sedem Apostolicam cui tum D. Gregorius præerat, misit per abbates quosdam & Probinum presbyterum. Pro quibus muneribus D. Gregorius accurata epistola gratias egit, & vicissim illi misit clauim ferream ex catena, qua D. Petri Apostoli collum in martyrio ligatū fuerat, & crucem, in qua lignum Dominicæ crucis, & capilli beati Ioannis Baptistæ inerāt, & pallium pro beato Leandro. Ex epistolis D. Gregorii. Eodem anno celebratum est primum concilium Hispalense ab octo episcopis, præsidente beato Leandro, eius ecclesiæ episcopo metropolitano, pridie Nonas Nouembris. Ex Conciliis.

591 Hoc tempore floruerunt in Hispania multi viri, tum vitæ sanctitate, tum eximia eruditione celebres. Mausona Emeritensis, de quo iam diximus. Leander Hispalensis. Eutropius Abbas, deinde episcopus Valentinus. Seuerus episcopus Malacitanus. Licinianus primum Carthaginensis, deinde Malacitanus episcopus, Constantinopoli ab æmulis veneno extinctus, multa scripsit. Ioannes Trittem. & S. Isidorus. S. Fulgentius, episcopus primum Astigitanus, deinde Carthaginensis, S. Leandri frater, Hebræi, Græci, Arabici, Syri, ac Latini sermonis peritissimus, scripsit in Euangelia, Esaiam, duodecim prophetas, Pentateuchum & libros Regum: interfuit

fuit concilio Toletano, in quo damnata est Ariana hæresis & omnis paganorum perfidia: obiit anno ætatis suæ 66. Calendis Ianuarii. Ex Breuiario Hispalensi. Ioannes Abbas, deinde episcopus Gerundensis, de quo iam diximus.

Clotofinda Childeberti Mediomaticum in Fræcia Regis soror, Ricaredo Regi nubit, & pax inter vtrunque populum facta cõedere coit. Ex Paulo Æmilio & Annalibus Francorum.

Hoc tempore Beatus Gregorius Papa, missio in Hispaniam Ioanne defensore, iussit Ianuarium Malacitanæ sedis episcopum, coniuratione quorundam episcopatu suo deiectum restitui, ac tam nefariæ impietatis autores debita penitentia multari. Ex epistolis D. Gregorii.

Ricaredus quum per annos quindecim Gothis tanta benignitate imperasset, vt merito Pater patriæ salutaretur, relicto maximo sui desiderio, rebus humanis sublatus est Toleti. Hic leges Gothicas in compendium cõtraxit, Romanos multis præliis vicit, & eorum multas vrbes ditioni suæ adiecit, Gothorum imperium florentissimum reddidit, atque Hispaniam omni hæreseos labe perpurgauit, vt Alfonso Episcopus Burgenfis affirmet, ab eius tempore nullam postea hæresin aliam in Hispania publice repertam. Idem Rex religiosissimus, coronam suam auream Gerundæ ad altare D. Felicis obrulit, vt autor est Rodericus Archiepiscopus Toletanus lib. 3. cap. 8. Mortuo Ricaredo successit Loiba siue Luiba filius, anno Mauricii 19. De quo S. Isidorus ad hunc ferme modum: Luiba ignobili quidem matre progenitus, sed indole virtutis insignis. Quem in primo flore adolescentiæ Vintericus, sumpta tyrannide, innocuum regno deiecit, præcisaque dextera occidit anno ætatis suæ 16. (quanquam in Alcobaciensi codice erat 20.) regni vero secundo. Ex quibus S. Isidori verbis colligo, hunc Luibam fuisse nothū. Nam constat quidem Ricaredum patrem duas habuisse vxores, sed priorem, nempe Badam, Arturi Britannæ Regis filiam fuisse aiunt, posteriorem regio Fræcorum sanguine manifestum est editam.

Beatus Leander Hispalensis Archiepiscopus tertio Idus Martii ex huius vitæ miseris est in cœlestium contubernium translatus. Relegatus in exilium ab Arianis multa scripsit, atque egregiam eruditionis ac sanctitatis famam reliquit, quam plurima post mortem auxerit miracula. Successit illi S. Isidorus frater ipsius germanus. Eodem anno, nempe Mauricii duodecimo, Vintericus (Vintericum alii vocant) regnum Gothorum occiso Luiba inuadit, vir ille quidem bello strenuus, sed parum felix, qui quū Romanos variis lacefferet præliis, semper decessit inglorius. Hic quum variis probis regni sui decus obscurauit, tum illo præcipue, quod Arianam hæresin reuocare conatus sit, vt autor est Lucas Tudensis. Regnauit annos septem.

Hoc anno Mahometem pseudopphetam Cordubæ hæreseos suæ virus diffundere in Hispanos conatum produunt. Quæ res quum S. Isidoro qui id temporis Roma, quo ad concilium a summo Pontifice vocatus fuerat, redibat, innotuisset, atque ad capiendum illum misisset: ille siue a dæmone, siue ab alio quopiam admonitus, fuga sibi consulens, in Africam rediit. Ex Fortalio fidei, & Breuiario Eborensi.

Theodoricus Mediomaticum Rex, Hermenbergam Vinterici Regis filiam, iustam vxorem suam ad patrem remisit, integrā ab se, aduerso rumore, quod ferretur pellicibus ad insaniam vsque deuinctus, sancti nobilissimi que connubii vsu perfrui, & virginis florem delibare non posse, velut maleficis artibus carminibusque prohibitus. Paulus Æmilius, qui Vintericum Bertricum appellat, sicut Robertus Gaguius Detericum, qui causam huius diuortii Brunehildi adscribit.

His temporibus fuit Aurasius, Toletanæ sedis metropolitane episcopus, virtute, autoritate, atque eruditione clarus, & Catholicæ doctrinæ acerrimus defensor & custos, vixit in sacerdotio temporibus Vinterici, Guadamiri, & exordis Sisebuti, duodecim ferme annis. Ex B. Alfonso. Eodem anno Vintericus inter epulas coniuratione suorum occiditur, & iusto dei iudicio, sicut innocentem Luibam gladio peremerat, ita vicissim gladio periiit. S. Isidorus. Nihil in vita gessit præcla-

An. dom. rum, nisi quod Seguntiam per duces suos Romanis ademit. Corpus eius viliter elatum, vilius est sepultum. Idem.

610 Occiso Viterico Gundemirus, siue (vt alii appellat) Gundamirus, Rex Gothorum creatur, & regnat annos duos, incepit regnare anno Phocæ Imperatoris sexto, qui secundum alios incidit in annum præcedentem. Sed S. Isidorus addit, quod Æra sexcentesima quadragesima octaua, hoc est, anno Domini sexcentesimo decimo, quem ego sequor, non alios qui initia regni eius anno sexcetesimo decimo quarto adscribunt, Gundemirus in principio statim regni sui cauit, ne violaretur qui ad loca sacra confugissent. Alfonso Burgenfis. Idem Vascones vna expeditione vastauit, altera militem Romanum obsedit. S. Isidorus. Hoc tempore Mahometes tres vxores duxit, sed his non contentus, nefaria ac promiscua octodecim vxorum libidine pollutus est, & variis elusionibus ac præstigijs technis, miraculum sui apud imperitam plebem fecit. Ex Roderico Toletano in hist. Arabū. Maximus Cæsaraugustanus episcopus, vir eruditus claret, qui scripsit de rebus gestis Gothorum in Hispaniis. S. Isidorus, & Ioan. Trittemius.

612 Gundemirus propria morte decessit Toleti, cui successit Sisebutus, Rex optimus & religionis Catholicæ cultor acerrimus, qui que ad bellicam gloriã eloquentiã atque eruditionis decus adiecit, vt autor est Rodericus Toletanus. Regnavit annos octo. S. Isidorus. Isidorus Pacensis, Lucas Tudensis, Mathæus Palmerius hoc anno regnum iniisse constanter scribunt. Equidem nescio, qua auctoritate alii contrarium sentiant. Ferdinandus Perez scribit hunc stabiliuissimum in Hispania immunitatem ecclesiarum, & ne qui ad eas confugerent, violaretur: quod alii Gundemiro tribuunt.

613 Hoc anno secundum aliquos, secundum alios vero sequenti, Deus dedit factus est Romanus Pontifex, qui ad Gordianum Hispaniarum ecclesiæ episcopum epistolam dedit contra eos qui sabbato Paschali die proprios filios suos ex sacro lauacro susceperant, quos iubet ab vxoribus suis iam commatibus perpetuo abstinere, vtque vxores dotem recipiant. Fragmentum epistolæ in priori Cõciliorum tomo extat, sed non additur, cuius ecclesiæ Gordianus ille episcopus fuerit.

616 Sisebutus Iudæos coegit Christum agnoscere. Eorum tamẽ aliquot millia in Galliam effugerunt, qui iuncti veteribus sectæ suæ in colis ingentem numerum fecerunt. Turpe videbatur Franco, a Gothis eiectos religionis nostræ hosteis indomitos, finibus suis receptos diutius retinere, ac Gothis religione cedere. Dagobertus igitur Rex diem præstituit, intra quam quicumque mortalium religionem nostram non profiterentur, hosteis iudicarentur, comprehensique capite luarent. Plures tum eorū exilium pietati antetulere: reliqui Christiani effecti, incolumes mansere. Hoc veræ religioni datum, certo documento est Sisebutus Rex, qui hæc palmam Iudæorum vel animo sanandorum, vel procul exigendorum prior ferens, milites Romani imperii qui Hispano limititudo præsidebant, eiecit, quasque in extremis finibus vrbes, oppida, castella, arces, vicos, fines, iuga montium tenebant, regno suo adiunxit. Hęc fere Paulus Æmilii. Addit Iacobus Meyerus, eadẽ tempestate Anglos a Rege Carcomberto sublati idolis vera religione imbutos. Sunt qui dicant, hoc a Sisebuto principio regni sui factum: sed D. Isidorus dicit in Etymologiis lib. 5. cap. vlt. quod anno Heraclii quinto, & Sisebuti quarto. Quo loco in libris impressis perperam legitur, Sepulti Sisebuti. Memoriam proditum est, plusquam triginta Iudæorū millia hac Regis promulgatione ad Christi fidem conuersa. Hoc tẽpore floruit venerabilis Helladius, Toletanę sedis metropolitanus episcopus, quem sanctitatis præconio clarū Toletana veneratur ecclesia, vt ait Rodericus Toletanus lib. 2. cap. 17. Fuit vero Helladius ex aulico monachus, in monasterio Agaliensi, in quo & beatus Alfonso: deinde ex monacho episcopus, sed inuitus, Aurasii successor iam senio confectus, exemplo vitę quam scriptis clarior. Rexit ecclesiam Toletanam octodecim annis, & vltimo vitę suę tempore B. Alfonso Leuitam fecit, atque in principio Sisenandi Regis gloriam cœlestis regni bona plenus senectute consequutus est. Ex S. Alfonso.

617 Mahometes quinto Sisebuti Regis anno, prædiuitis viduæ nuptiis locupletatus, ingenteis

ingenteis animo spiritus concepit, nec contentus opinione prophetæ, ad regnũ animinum adiecit, & Africam atque alias prouincias haud irritò conatu, ad rebellionem contra Romanos incitauit. neque huic rebellionis euentus defuit. Nam Agarenim rerum aduersus Romanos potiti, primum in Africa, deinde Damasci in Syria, Mahometem Regem alacri studio consalutarunt. Ex Roderico Toletano in hist. Arabum. Primus annus regni Arabum. Isidorus Pacensis.

Hoc anno, aut circiter, Agapetus ex milite prophano monachus, deinde episcopus Cordubensis, reuelatione diuina inuenit corpus S. Zoili martyris Cordubensis, quod solẽni p̄p̄a, comitatẽ clero ac populo, transtulit in Ecclesiã S. Felicis. D. Laurẽtius Padilia & alii multi. Verũ hic nõ Agapetus, sed Agapius appelladus est, vt ex secundo Hispanensi concilio colligitur, vbi D. Isidorus dicit, illum fuisse ecclesiasticę disciplinę ignarum, vt facile colligi possit, ex milite factum episcopum.

Anno Sisebuti septimo, mense Decembri, celebratum est Hispani secundũ conciliũ ab octo episcopis, præsidente S. Isidoro, cõtra Acephalos hæreticos qui duarum in Christo naturarum proprietatem negabant, ita dictos, quod nullus inueniatur autor, a quo sint orti. Interfuit huic Synodo episcopus quidam Syrus, acerrimus prædictæ hæreseos propugnator, qui post lōgam disputationis pertinaciam, argumentis S. Isidori & aliorum sanctorum patrum cõuictus, ad rectam & orthodoxam fidem conuersus est, vt ex duodecimo capite ipsius concilii constat.

20 Mahometes in Arabia cum Sergio monacho sectam Sarracenoꝝ inchoat perniciosissimam, magnum æterni Dei prophetam se dicens. Quæ tam dira lucis quũ paruo negotio extingui initio potuisset, desidia & ignauia Romanorũ Principũ eo creuit, vt Asiam totam atque Africam, & bonam tandem Europæ partem contaminauerit. Quos vero populos tã tetris opinionibus inuabit, Sarracenos ex Dei præcepto vocari dicebat, a Sarra legitima vxore Abraham, quasi legitimos diuinæ promissionis successores. Ex Iacobo Meyero ac Mathæo Palmerio. In schedis quibusdam Nicolai Clenardi, viri vndecũque doctissimi, legi, quas ille in Africa Fesæ conscripsit, dum illic Arabicarum literarum peritiã, ad bellum Antimahometicum quod parabat, si longiorem lucis vsuram dominus Deus concedere voluisset viro longissima vita dignissimo, indefatigabili studio cõsectabatur: legi, inquam, in schedis illis, totum Mahometismum decẽ Iudæorũ commẽtũ fuisse: hoc Iudæos excogitasse, vt Christianis insignem aliquem excitarent hostem, ac de ea re librum extare apud Iudæos. Idem mihi olim Hispani retulit Germanus quidam, vir probus & eruditus, qui multos annos in Africa suorum negocia gesserat, & dũ reditum pararet in Hispaniã, sinistris auspiciis captus, duram apud Mauros seruitutem seruiuerat. Is mihi affirmavit, audisse se a viris grauibus in Africa, Iudæum quendam astutum, angelum se mentitum, Mahometi nocturnis illusionibus persuasisse, vt ridicula multa & a natura rerum abhorrentia Alcorano suo inferciret, vt Iudæos tam stultæ legis ludibrio a secta Mahometica auerteret.

40 Sisebutus anno regni sui octauo, mense sexto, rebus excessit humanis, quem alii proprio morbo, alii immoderato medicamento hauflu, alii veneno scribunt interfectum, vt autor est S. Isidorus. Sisebuti Regis duas leges reperi, alteram, qua omnes successores suos sub perpetua maledictionis censura obstringit, quicumque Regum mancipium Christianum Iudæo seruire vel famulari permiserit: alterã, vbi omnis aut in expeditionem exercitus non progrediens, aut de exercitu fugiens, restimonia dignitatis suę irruocabiliter careret. Quam posteriorem, vt duram & Reip. damnosam, temperamento suo mitigauit Flauius Eringius. Ex 12. concilio Toletano. Hic Astures rebelles, misso in eos exercitu, imperata facere coegit, bis de Romanis triumphauit, in prælio scilicet, post victoriam adeo clemens, vt hosteis captos perfoluto, pro iis precio remitteret immunes, atque omnem thesaurum in captiuorum redemptionem benigne profunderet. Idem Toleti ecclesiam S. Leocadiæ miro opere fundauit. Ex S. Isidoro & Luca Tudensi. Post mortem patris regnat filius eius Recaredus adhuc paruulus, sed tum propter ætatem adhuc tenellam, tum propter regni breuitatem, nihil relatũ dignũ gessit. ideo a D. Isidoro & Luca Tudensi in catalogo Regum non ponitur. Hunc Isidorus Pacensis ait tres

An. dom. tantum mensis regnasse: Rodericus Toletanus septem, quem sequitur Alfonso episcopus Burgenfis. Eodem anno, nempe Heraclii Imperatoris decimo, creatus est Rex Gothorum Suinthilla, Recaredi primi filius, ut ait Michael Ritus, cui subscribit Lucas Tudensis, qui addit eum sub Sisebuto Rege duxisse exercitum, & Theodoram dicti Regis filiam duxisse uxorem, ex qua Sisenadum & Cindasinthum filios sustulisse: quod tamen falsum est, ut ex sequentibus patebit. Hic primus omnium Gothici nominis Regum, expulsis profligatisque Romanis, Hispanie monarchiam consequutus est, ut ait S. Isidorus. Ex hoc loco, sicut ex aliis nonnullis, constare videtur, apud Gothos non fuisse morem, ut filii necessario patribus in regno succederent, sed eos regnasse quia magnatibus & populo digni regno iudicati 10 eligerentur. Imo vero si quis alia ratione Regie maiestatis ambiret fastigium, Catholicorum consortio priuandus, & diuino anathemate condemnandus censetur, ut patet ex quinto concilio Toletano.

622 Vascones Tarraconensem prouinciam infestabant, quos Suinthilla Rex, ducto in eos exercitu, in ordinem redegit, atque ad expiendam rebellionis culpam, ciuitatem Oligitim propriis ipsorum stipendiis edificare compulit. S. Isidorus. Hanc ciuitatem alii in Nauarra dicunt esse eam quae vulgo dicitur Olit, alii in Castellae veteri, quae vernaculo nomine Valladolid nuncupatur: sed adhuc sub iudicis est.

623 Ioannes ex monacho episcopus Caesaraugustanus, Maximi, de quo iam diximus, successor, vir scriptis & eruditione clarus, sed clarior sanctitate & exemplo vitae, praefuit ecclesiae suae duodecim annis, & scripsit nonnulla de ecclesiasticis officiis & inquirenda solennitate Paschali, temporibus Sisebuti & Suinthillanis Regum. Ex Beato Alfonso.

626 Vtique ad hunc annum, nempe quintum Suinthillanis (sic enim declinat S. Isidorus & B. Alfonso) Gothorum historiam prosequutus S. Isidorus, & numerat ab exordio Athanarici Regis vsque ad hunc annum, ducetos quinquaginta sex annos. Posuit vero principium Athanarici Aera quadringentesima septima, hoc est, anno Domini trecentesimo sexagesimo nono, cui summæ si addas ducentos quinquaginta sex, prope ad amissum respondet calculus. Fiunt enim anni sexcenti viginti quinque. Porro vnus anni in tanto temporum interuallo modica est differentia. Hoc additum volui, ne quis arbitretur, me temere ac sine delectu potius sequenti D. Isidorum in ratione temporis subducenda, quam alios. Equidem frequenter admiror, quo autore Rodericus Toletanus ab eo tam constanter dissentiat, quum tamen Lucas Tudensis cum illo per omnia conueniat, tamen numero annorum ad prodigium vsque mendoso. Nam in Chronicis Regis Alfonsi minus mirandum, si errores sequuta Toletani ad eundem impegerint lapidem.

628 Mortuus est anno Heraclii decimo septimo Mahometes, & sepultus in inferno. Qui cum praedixisset se decimo regni sui anno moriturum, sed tertio post mortem die resuscitatum iri, discipulus quidam ipse nomine Albimar, experiri volens, num vera praedicaret, venenum obtulit. quo ille hausto, ut sensit imminere mortem, dixit astantibus, quod per aquam essent accepturi remissionem peccatorum, & continuo expirauit. Discipuli vero custodiebant corpus expectantes rei euentum, sed tandem foetoris impatientes reliquerunt, quod vndecimo post die quum reuissent, inuenerunt a canibus laceratum. Hæc fere Lucas Tudensis. Eodem anno tremuit terra, & gladii figura per dies fere triginta in caelo apparuit. Chronica Regis Alfonsi. Mortuo Mahometi successit in regno Arabum Abubacar, de genere Mahometis, & regnauit tribus annis. Lucas Tudensis.

629 Suinthilla Rex Rechimirum filium in regni societatem cooptauit, simulque cum eo paribus auspiciis regnum administravit. Qui Rechimirus quia eodem fere cum patre mortuus est tempore, ideo in ordinem Regum non venit, sed cum patre confunditur, uti post Rodericum Toletanum annotauit Michael Ritus.

631 Hoc anno Suinthillanem Regem fatali morbo peremptum & honorifice elatum scribunt Hispani scriptores, qui Regem istum variis laudibus optimo Rege dignis cumulant, pauperum patrem appellantes. Et fieri quidem potest, imo non dubito, quin

quin principio regni talis fuerit, alioquin nunquam S. Isidorus Regem illaudabilem falsis ornasset praeconiis. Sed quod mutauit ingenium, neque regale diadema ad finem vsque vitae tueri potuerit, ex Paulo Emilio constat, qui scribit ad hunc modum: Mortuo Sisebuto Regi clarissimo, haudquaquam pari gloria successerat Sentilla (ita enim appellat) cuius cum Vefegothos ferocem gentem pueret poeniteretque, Sisenandus amulus regni, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, auxilium impetrauit. Abundantius & Venerandus duces, nobilitatem Burgundionum Caesaraugustam duxere: continuoque Vefegothia Sentilla ad eum quem Dagobertus Regem dabat, defecere. Is decem pondo auri Francis appendit, quae ad D. Dionysii absoluendae attributa sunt. Hæc ille. Neque vero solum fascibus regni sui exutus, verum etiam communi patrum decreto excommunicatus est, in quarto concilio Toletano, ut ex ipsius concilii actis constat lib. vlt. vbi ad hunc legimus modum: De Suinthillane vero (Simithilanem codices impressi vocant, sed mendose) qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exiit, id cum gentis consilio decernimus, ut neque eum, vel uxorem eius, propter mala quae commiserunt, neque filios eius vnitati nostrae vnquam consociemus, nec eos ad honores a quibus ob iniquitatem deieci sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam, sicut in fastigio regni habentur extranei, ita a possessione rerum quas de miserorum sumptibus auxerunt, maneat alieni, praeter id quod pietate piissimi Principis nostri fuerint consequuti. Non aliter & Geillanem memorati Suinthillanis & sanguine & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem glorioso domino nostro pollicitam conseruauit. Hinc ergo cum coniuge sua, sicut & ante factum est, a societate gentis atque consortio nostro placuit separari: nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creuerant, reductes fieri, praeter id quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis. Hæc ibi. vbi illud quoque obiter annotandum, quanta fuerit id temporis episcoporum auctoritas tam apud Reges, quam in populo, ut etiam in ipsos Reges censuram suam exercerent. Suinthillane ad hunc modum regni fascibus deturbato, Sisenandus Rex creatus, quem Lucas Tudensis ac Michael Ritus Suinthillanis filium fuisse affirmant, sed falso, ut ex actis quarti concilii Toletani modo relatis constat. Regnauit annos quinque, mensis vndecim. Isidorus Pacensis ait, Sisenadum per tyrannidem regnum inuasisse. Eodem anno Abubacar defuncto, Emer Arabum succedit imperio, & regnat annis decem. Ex Isidoro Pacensi & Roderico Toletano. Alii Homer appellant, sed Isidorus Pacensis Emer constanter nuncupat.

Anno Sisenandi Regis tertio celebratum est quartum Concilium Toletanum, 633 mense Decembri, in templo S. Leocadiae. Interfuerunt huic concilio episcopi metropolitani, S. Isidorus Hispalensis, Iustus Toletanus, Iulianus Bracarësis, Stephanus Emeritensis, Audax Tarraconensis, Silua Narbonensis, cum aliis sexaginta episcopis, inter quos fuit Sisifelus Eborensis episcopus. praeter hos fuerunt & octo aliorum episcoporum vicarii. Rodericus Archiepiscopus Toletanus dicit, huic interfuisse concilio sexaginta episcopos connumeratis eorum vicariis qui iustis de causis impediti venire non potuerunt, inter quos Mironem vicarium Emeritensis episcopi metropolitani. Isidorus Pacensis dicit 66. fuisse episcopos. Neque defunt qui septuaginta in hoc concilio episcopos fuisse dicant. In hac Synodo excussum est ac disputatum, an qui a Sisebuto Rege vi adacti fuissent ad accipiendum baptismum, obligarentur ad seruandam Christianae fidei professionem: decretumque a patribus, ut qui iam sacro lauacro tincti essent, cogerentur ad seruandam fidem quam acceperant: sed ne posterius Iudaei compellerentur ad baptismum. Ex ipsis Conciliis. In hoc concilio inter alia multa praecleara duo praecipue instituta sunt, alterum iussu Regis Sisenandi, ut omnes ingenui clerici pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, ut liberi Deo seruiant, nullaque praepediti necessitate, ab ecclesiasticis officiis retrahantur, idque capite 46. alterum, ne Iudaei, aut qui ex Iudaeis sunt, officia publica appetant, quod sub hac occasione iniuriam Christianis facerent. Praeterea in eiusdem concilii capite octauo, causa benedictionis cerei in vigilia Dominicae Resurre-

An. dom. ctionis exponitur, ideo scilicet benedici, vt sacre Resurrectionis Christi mysteriū quod tempore huius noctis votiue aduenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. In nono quoque capite salutari constitutione præcipitur, vt oratio Dominica quotidie dicatur, quotidianā enim orationē esse, & quotidiana ac minima peccata delere. Deniq; toto capite Dominicæ orationis virtus & efficacia docetur.

643 Nontinus siue Nonnicus, Ioannis in Gerundensi episcopatu successor, professione monachus, simplicitate conspicuus, actibus sanctus, non hominum diuina deliberatione, vt inquit B. Alfonso, sed Dei per homines celeri definitione in pontificatum fuit adscitus. Assiduus hic fuit ad sepulchrū S. Felicis martyris, rexit ecclesiam magis meritorum exemplis, quam verborum edictis. Hic & viuus & defunctus multis dicitur claruisse miraculis. Vixit temporibus Suinthilanis & Sisenandi Regum. Ex B. Alfonso.

646 Iustus præsul Toletanus, Helladii in disciplina monastica discipulus, & in episcopali dignitate successor, sed præmatura morte sublatus, acri vir ingenio, qui quæ ecclesiæ videbatur profuturus, si vita respondisset ingenio. Verum quia diaconus adhuc, Helladio præceptori & præfili suo fastu superbiæ insultauerat, ipse tertio pontificatus sui anno in reprobum versus sensum, ob intemperantiam morum, a ministris altaris sui, dormiens laqueo strangulatus expirauit. Scripsit ad Richilanē Agalienis monasterii patrem epistolam, in qua astruit susceptum gregem nullo modo relinquendum. Ex eodem. Huic Iusto cum Gerontius quidam presbyter, Principis sui gratia & fauore fretus, per contemptum aduersaretur, tam repentino motu vim perdidit intellectus, vt omnia medicorum experimenta non medellam conferrent, sed morbum grauarent. Eo denique creuit commotio mentis, vt ante mortem & colloquium ipsius & aspectus horrore esset omnibus. Ex eodem. Hoc anno, nempe sexto Sisenandi Regis, Iudæi Toletani qui a Rege Sisebuto ad fidem compulsi fuerant, vltro ceremonias & ritus Iudaicos abiurauerunt, professi, si quem ad eos deficere deprehenderent, eum se lapidibus obruturos, aut si Rex vitam illi concedere vellet, bona eius cederent fisco, & perpetuam seruiret seruitutem. Ex Fortalio fidei, vbi nomina Regum deprauata leguntur. Eodem anno, decimo nono die post Iustum episcopum, obiit Sisenandus Rex Gothorum. Ex B. Alfonso. Mortuus est autem Toleti, vt ait Tudenis. Defuncto Sisenando successit Cinthilla, quem nonnulli, & inter eos Michael Ritus & Petrus Antonius Beuter, affirmat fuisse filiū Suinthilanis Regis, sicut & Sisenandū: sed neurrū mihi fit verisimile ex iis quæ ex quarto Concilio Toletano annotauit. Regnavit annis sex.

647 Primo anno Cinthillæ Regis celebratum est Toleti quintum Concilium, in templo S. Leocadiæ, a 24. episcopis, præsidete Eugenio præfule Toletano. In quo Concilio Braulii (quem Braulionem alii appellant) Cæsaraugustani episcopi magna laus extitit, qui Ioanni episcopo cuius superius mentionem fecimus, successit, ac præter alia opuscula scripsit vitam S. Amiliani monachi. Præfuit ecclesiæ Cæsaraugustanæ ferme 20. annis, obiit tempore Cindasinthi Regis. B. Alfonso. In hoc concilio dicitur S. Isidorus mortem suam prædixisse. Eugenius iste Toletanus episcopus qui huic concilio præfuit, vel saltem interfuit, Helladii in monastica disciplina discipulus extitit, cum Iusto præfessore suo lectoris functus officio, vir cum aliarum disciplinarum, tum vero Astronomiæ ad miraculum vsque peritus. Hunc Helladius ad pontificatum tractus, e monasterio secum duxit, atque ad ecclesiasticos ordines promovit. Gubernauit ecclesiam Toletanam vndecim annis, regnantibus Cinthilla, Tulgane, & Cindasintho. Ex B. Alfonso. Ab hoc Eugenio cum Lusidius diaconus amicitia seculari astrictus, violenter honorem presbyterii & prædia quædam extorsisset, in reprobum versus sensum, tali vexatus est morbo, vt vitæ tædio mortem optaret, tanto miserior, quanto desiderata mors diutius differebatur. Ex eodem. Eodem anno S. Isidorus Hispanensis ecclesiæ metropolitanus episcopus & Hispaniæ primas, celebrato sacro, ouibus suis cælesti pabulo pastis, quū mortē suā prædixisset, & sublatis in cælū manibus, data benedictione supremū vale populo dixisset, sanctissimā animā auctori suo reddidit pridie Nonas Aprilis. Hunc B. Alfonso ait, quadraginta ferme annis Hispaniæ rexisset

rexisset ecclesiam; ac tanta in dicendo gratia polluisse, vt auditores sæpe in stuporem verteret. Aiunt examen apum ipsi infanti visum in os ingredi & egredi, & in cælum vsq; euolare: quod de B. Ambrosio legitur. Idem iam factus episcopus collegium construxit Hispani, vbi bona ingenia erudirentur, in quo multi floruerunt, inter quos beatus Alfonso post Toletanus episcopus, & Braulio Cæsaraugustanus. Ex Breuiario Eborenfi. Lucas Tudenis & alii mortem eius aliquot annis posteriorem faciunt, sed cum exactis Conciliorum manifestum sit, ipsum inter quintum ac sextum Concilium Toletanum hanc vitam caducam & temporariam æterna beatitudine commutasse, veritatem ipsam quam aliorum iudicium sequi malui. Quam vtilem sanctus iste nauauerit operam ecclesiæ catholicæ, cum ex aliis multis, tum vero ex decretis constat, quorum non minima pars ex huius Diuiculationibus decerpta est. S. Isidorus inter polygraphos merito numeratur, atq; hæc reliquit ingenii sui & omnimodæ eruditionis monumenta:

<i>De ortu & obitu Sanctorum patrum.</i>	<i>librum unum.</i>
<i>De differentiis rerum, libros duos ad Fulgentium episcopum fratrem suum.</i>	<i>De hæresibus, librum unum.</i>
<i>Librum proemiorum Sacre Scripturæ.</i>	<i>De perfectione virginis ad Florentiam sororem, libros duos.</i>
<i>Synonymorum, siue de consolatione animarum, libros duos.</i>	<i>De viris illustribus.</i>
<i>De natura rerum, ad Regem Sisebutum.</i>	<i>De regula monastica, librum unum.</i>
<i>De genere officiorum, libros duos.</i>	<i>Historia Regum Gothorum, Vandalorum & Sueuorum.</i>
<i>Sententiarum libros tres ex moralibus D. Gregorii.</i>	<i>Questionū in Pentateuchū, libros duos.</i>
<i>De Arithmetica.</i>	<i>Etymologiarum libros viginti, ad Braulium siue Braulionem Cæsaraugustanum episcopum.</i>
<i>De nominibus Legis & Evangeliorum,</i>	

Anno Cinthillæ secundo, sexto Idus Ianuarii, celebratum est Toleti sextum Concilium in ecclesia S. Leocadiæ, sub episcopis metropolitanis Eugenio Toletano, Honorato Hispanensi, Iuliano Bracarenfi, Protasio Tarracoenfi, Silua siue Selua Narbonensi, & quadraginta quatuor aliis episcopis, & sex eorum vicariis qui iustis de causis impediti non poterant interesse. Huic concilio quoq; interfuit Sifisclus Eborenfi episcopus. Ex concilio. In huius concilii Canone tertio, a Patribus cum consensu Regis & optimatum atq; illustrium virorum statutum & sanctum est, vt quisquis succedentium temporum regni sortiretur apicem, non antequam confunderet regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta polliceretur, nullum se non catholicum permitturū in suo regno degere. Si vero, postquam ad regni gubernacula accessisset, huius ipse temerator existeret promissi, esset anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni. Similiter & omnes qui cum eo consentirent. Quam sanctorum Patrum sententiam pie sequutus Ferdinandus Rex cognomēto Catholicus, dum regnorum suorum finibus expulit atq; exterminauit Iudæos & Sarracenos, vt etiam annotauit R. pater F. Bartholomæus Carranza Mirandensis, vir pius & eruditus, qui Concilia omnia pio atq; vtili studio in epitomen redegit.

Hoc tempore celebris fuit Tonantius (Conantium in libris antiquis lego) post Maurilanem Palentinæ sedis episcopus, vir & animo & corpore reuerendus, & ordinandis ecclesiasticis officiis præcipue intentus. In cantu ecclesiastico multa edidit. Orationes etiam conscripsit de omnium proprietate psalmodiarum. Vixit in pontificatu plus triginta annis, nimirum ab vltimo tempore Victorici Regis, vsq; ad tempora Cinthillæ. Ex B. Alfonso.

Mortuo Cinthilla, regnat Tulcas annis duobus, iuuenis indole regia præditus, & omnibus virtutibus optimo Principe dignis ornatus, quiq; de regno Gothorum & Hispania tota bene meriturus videbatur, si vita longior contigisset. Mortuus est Toleti, magno sui desiderio relicto: Tulganem alii appellant. Sigebertus Abbas ait, propter pueritiæ leuitatem regno priuatum, atq; ad ecclesiasticos ordi-

An. dom. nes relegatum. Cæterum nisi Sigebertus fidelior est in historia, quam supputatione temporum, de iis loquor quæ ad Reges Gothorum pertinent, non magnam illi fidem habeo. Mortuo Omar Rege Arabum, imperat Mauris Autumar, vel secundum alios Azamam, duodecim annis. quo regnante multum decreuit imperio Romanorum, magnaq; regno Maurorum accessio facta est. Hic Attuman Isidoro Pacensi dicitur, & Attoman.

642 Mortuo Tulca anno regni sui secundo, Cindasiunthus vacuam Gothorum regiam occupat, & regnat solus sex annos, & cum filio Flauio Reccefiuntho quatuor, ac septem menses, vt ex Isidoro Pacensi, Luca Tudenfi, Chronicis Alfonso decimi, & annotationibus Alcobaciensibus colligo, quanquam inter eos deprauatione librorum magna sit differentia. Hic a summo Pontifice priuilegium obtinuit, vt primatus Hispaniæ pro arbitrio episcoporum esset, vel Toleti, vel Hispali. Huius tempore tota Hispania summa tranquillitate conqueuit. Lucas Tudenfi.

643 Theodiscus Græcus Honorato in Hispalensi præfultu successerat, vir multarum linguarum peritus, qui quamuis esset speciosus pelle decora, introrsum tamen turpis, astuta vulpem, imo vero lupum rapacem sub specie ouis occultabat: quod re ipsa comprobauit. Siquidem D. Isidori libros de naturis rerum & medicina, atq; arte notoria, nondum editos corruptit, in odium fidei, & adulterauit, optima quæq; resecans ac falsa supponens, atq; ita in linguam Arabicam opera cuiusdam Arabis transtulit. Propter quod & alia multa quibus perfidia ipsius innotuit, synodali sententia ab Archiepiscopali dignitate depositus, ad Arabes se contulit, & sectæ Mahometicæ adhæsit, atq; ob hanc causam primatus Hispaniæ ab ecclesia Hispalensi in Toletanam translatus est. Ex Luca Tudenfi.

646 Anno Flauii Cindasiunthi quinto celebratum est Toleti septimum conciliū, decimo quinto Calendas Nouembris, præfidente Oronio Emeritensi metropolitano episcopo. Præter hunc interfuerunt alii tres metropolitani, Eugenius Toletanus, Antonius Hispalensis, Protasius Tarraconensis, & alii episcopi, numero omnes quadraginta, tametsi in Conciliis vulgo impressis tantum numerentur triginta octo. forte duo fuere aliorum episcoporum vicarii. Isidorus Pacensis & illū sequutus Rodericus Archiepiscopus Toletanus, dicunt in hoc concilio triginta tantum fuisse episcopos cum omni clero, & vicariis eorum qui vel morbo impediti, vel inopia, venire non poterant, & palatino collegio. Fuisse vero inter episcopos & vicarios eorum quadraginta. In hoc concilio Taio (Talonem alii appellant) Cęsaraugustanus episcopus, ab Rege & vniuerso concilio Romam missus est ad querenda moralia Beati Gregorii, quæ in Hispaniis quorundam negligentia perierant. Cumq; a summo Pontifice (opinor Theodoro, vel Martino primo) de die in diem reciceretur, quasi in tam numerosa bibliotheca non possent reperiri: pius episcopus in basilica Apostolorū Petri & Pauli, noctem vnā in orationibus & lachrymis traduxit infomnem, ac circa medium noctis beatorum Apostolorum atq; ipsius S. Gregorii ac S. Augustini monitis & indicio voti compos effectus, magna cū gloria reuertit ad suos. Ex iisdem autoribus.

647 Hoc anno, secundum Isidorum Pacensem, secundum Lucam Tudensem, sequenti, Flauius Reccefiunthus a patre Cindasiuntho coopatus regnavit, vt diximus, cum patre annos quatuor, menses septem, solus vero octodecim annos, menses vndecim. Fuit hic deuotus Catholicæ fidei cultor, & sacrarum literarum perquam studiosus, templa & sacra altaria variis ornamentis exornauit. Partim ex Isidoro Pacensi & Luca Tudenfi, partim ex Archiepiscopo Toletano.

651 Eodem anno mortuo Eugenio Toletano præfule, subrogatus est alter Eugenius, qui postea fuit in diuorū numerum relatus, is videlicet qui B. Alfonso in illius ecclesiæ regimine præcessit. Hic cū esset Ecclesiæ Toletanæ clericus, vita delectatus monachorū, Cęsaraugustam profectus, monastico sese mancipauit instituto, & martyriū sepulchris assidue deuotus inhæsit. Vnde principis imperio reuocatus, & præter voluntatē suā ad episcopatū Toletanū promotus, eruditione, scriptis, & sanctitate vitæ nomē sibi fecit celeberrimū. Scripsit librū de S. Trinitate, atq; alia nonnulla tam carmine quam prosa, & Dracontii Hexameron iam vetustate vitiatum, suo ni-

suo nitore restituit, & de septimo die, quæ in Dracontio desiderabantur, suppleuit. Tenuit episcopalem dignitatem duodecim ferme annis, temporibus Cindasiunthi & Reccefiunthi Regum, sepultus tandem in basilica S. Leocadię. Ex B. Alfonso. Dracontius iste fuisse videtur Hispanus, quantum ex S. Isidoro colligi potest, floruit temporibus Iustiniani Imp. & Athanagildi Regis Gothorum, composuit Hexameron creationis mundi.

Mortuus est Toleti morte naturali Cindasiunthus Rex, quem tamen aliqui veneno produnt periisse. Ex Chronicis Alfonso decimi. Hoc quoq; anno, nempe quinto Reccefiunthi Regis, celebratum est Toleti octauum conciliū, in basilica prætorienfi Apostolorum Petri & Pauli, sexto Calendas Ianuarii, præfente Rege. Cui concilio interfuerunt quatuor metropolitani episcopi, Oronius Emeritensis, Eugenius Toletanus, Antonius Hispalensis, Potamius Bracarenfis, & alii episcopi quadraginta octo, ac decem aliorum episcoporum vicarii, Abbates cum Archipresbytero & primicerio Toletano duodecim, Comites vero & viri illustres quindecim. Interfuit huic concilio Abientius episcopus Eborensis. Videtur & B. Alfonso huic interfuisse concilio. Nam inter abbates refertur Ildephonus Abbas. Certum est enim S. Alfonso qui & Ildephonus dicitur, id temporis abbatem fuisse monasterii Agaliensis, quæ nunc est ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani in suburbio Toletano. Ex actis huius concilii colligi posse videtur, maioris ea tempestate dignitatis fuisse Comites quā Duces. Ita enim scribitur: Ella Comes & Dux. Fandila Comes & Dux. In hoc concilio inter alia multa singularem pietatem spirantia, hoc quoq; memorabili exemplo statutum est, vt solus ille accederet ad sacra Dei mytheria tractanda, quem morum innocentia & literarum splendor reddunt illustrem. Illud præterea cautum est, quod hodie pro dolor nimis multi pessimo exemplo negligunt, vt si quis sine inuitabili necessitate atq; fragilitate, aut euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadagesimæ carnis velsi præsumeret, non solum reus esset resurrectionis Dominicę, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione, præterea toto illo anno ab omni carnis esu abstineret. Quos vero vel ætas, vel languor, vel necessitas excusaret, non ante prohibita violare præsumerent, quam a sacerdote permissum accepissent. Hæc ibi Canone 8. & 9. Ex posteriori tomo Conciliorum.

S. Irene ad Nabanim Lusitanæ fluuium, in oppido Tomar, pro pudicitia & amore Christi passa est ab iis quorum libidini castitatem suā virgo Deo dicata profuturæ noluit, proiecta ab occisoribus in Nabanim, per Tagum delata est Scalabim, vbi sepulta nomen vrbis dedit. Huius gloriose virginis martyrium L. Andreas Refendius latius explicauit in Breuiario Eborensi. Eodem anno Autumar siue Azaman Arabum Rege a suis interfecto, Moabias regnavit annis viginti quinq; Rodericus Toletanus. Isidorus Pacensis ponit anno superiore.

654 Anno septimo Reccefiunthi Regis, mense Nouembri, celebratum est Toleti conciliū nonum a sedecim episcopis, in basilica beatæ Mariæ semper virginis, sub Eugenio præfule Toletano. Ex Conciliis. In huius concilii decimo canone decretum fuit, vt filii clericorum cuiuscunq; ordinis, ab episcopo ad subdiaconum, non solum hæreditatem paternam nunquam acciperent, sed etiam in seruitutem illius ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati essent, iure perenni traderentur.

655 Anno octauo eiusdem Regis celebratum est Toleti in ecclesia Apostolorū Petri & Pauli decimum conciliū Toletanum, sub beato Eugenio Archiepiscopo Toletano, & Fugitio Hispalensi, & Potamio Bracarenfi, & viginti duob. aliis episcopis, in quo institutum est festum beatæ Mariæ semper virginis, quod etiā nunc tota Hispania celebratur, octauo die ante natiuitatem Christi seruatoris nostri. Quo die celebratur idem officium quod celebrari consuevit in festo Annunciationis eiusdem sacratissimæ virginis. Institutum vero est hoc festum, quia dies solennis annunciationis, frequenter cadit in diem ita propinquum passioni aut resurrectioni Dominicæ, vt ab ecclesia & populo Christiano proprio die de more celebrari non possit. Ex Conciliis. In eodem concilio venerabilis Potamius Bra-

An. dom. carensis ecclesie metropolitanus episcopus, non sine multis aliorum sanctorum Patrum lachrymis ac suspiriis, propria atq; vltione confessione se administratione episcopatus sui abdicari postulauit, quod tactu scemineo forduisset. Subrogatus est illi S. Fructuosus ecclesie Dumienfis episcopus, ita tamen, vt Potamius nomen retineret episcopi, quod ipse sibi propria sui criminis confessione abstulerat. Ex conciliis. Vtinam omnes hoc tempore vitam ecclesiasticam professi, hoc peccatum perinde exhorterent, aut humana fragilitate commissum pari poenitentia contenderent expiare. Ioannes Tritemius memorie prodit, festum diue virginis, de quo diximus, a diuo Alfonso institutum, & esse illud quod nunc communi consuetudine & consensu celebratur sexto Idus Decembris. Sed errat tota via. 10
 Quamquam non negauerim festum hoc celebrius factum Hispanis, propterea quod beatissima virgo Maria eo die S. Alfonso apparuit, vt suo loco dicemus. Tritemii errorem sequutus est Gregorius Gyraldus, dicens festum Conceptionis diue virginis a beato Alfonso institutum. S. vero Fructuosus qui in hoc Toletano concilio electus est Archiepiscopus Bracarenfis, regio stemmate clarus, & Ducis exercitus Hispanie filius, Conantii episcopi cuius superius meminimus, discipulus, multorum monasteriorum in Hispania, atq; inter ea Complutenfis cœnobii (quod aiunt hodie appellari Sant Iusto daltar) in Gallecia conditor extitit, demum Bracarenfis ecclesie p̄sul, & viuus adhuc, & p̄senti vita defunctus, multis effulsit miraculis. Huius opus est monasterium prope Bracaram, in modico colle situm, 20
 quod nunc quoq; S. Fructuosi dicitur, atq; a deuotis ac religiosi fratibus ordinis D. Francisci, sed rigidioris obseruantie habitat. In quo facile antiquam structuram & in structuræ ratione venerandam conditoris sanctitatem agnoscas. Ibi adhuc sepulchrum sanctissimi viri visitur, sed corpore Compostellam translato vacuum, nisi quod simbria vestis sacerdotalis cum qua de more sepultus fuit, & os vnum ex reliquiis ipsius, paucis ab hinc annis in eo fuit inuentum, dum in eo monasterio Guardianum, vt ipsorum more loquar, ageret vir probus ac pius F. Christophorus a Vimarans, qui mihi hæc rerulit. Eodem anno Solis eclipsis, & stellæ in meridie visæ, Hispaniam omnem territauerunt. Isidorus Pacensis.

662 Mortuo Beato Eugenio Toletanæ sedis episcopo metropolitano, subrogatur S. Alfonso (quem alii Illesonsum, alii Ildefonsum, atq; etiam Hildephonsum appellat) claro natus loco, & S. Isidori discipulus, cuius tempore duo hæretici ex Gallia Gothica in Hispaniam venerunt, & inuolatâ beatissimæ semper virginis Mariæ virginitatem sacrilego ore polluerent conati sunt, insanum ac blasphemum Heluidii dogma restaurare volentes. Horum alteri Teudio nomen, alteri Pelagio fuit. Quos beatus Pontifex Alfonso & facundie gratia & scripturarum testimonio ita refutauit, vt confusionis & verecundie plenos Hispania cedere coegerit. Quod obsequium tam gratum sacratissimæ virgini matri extitit, vt sanctorum agminibus stipata ipsi apparuerit, cum B. Alfonso ad matutinas horas de nocte se conferret clero comitatus & populo, librum quem de perpetua ipsius virginitate scripserat, manu gestans, idq; 15. Calendas Ianuarias, quo die (vt diximus) ex decimo concilii Toletani decreto commemoratio Annunciationis gloriosissimæ virginis tota Hispania celebratur, neq; solum apparuerit, sed vestem etiam sacram quam in faciendâ re diuina vteretur, dederit, tanquam diuinæ gratiæ & fauoris sui pignus & obsidem. Quæ vestis etiam hodie, summa cum religione, in adytis ecclesie Toletanæ seruatur, quamquam non desunt qui in Ouetensi ecclesia esse dicant. Neq; post beatum Alfonso quiscquam p̄sul Toletanus ausus est ea veste vti, præter Sisiberrum Archiepiscopum, qui temeritate sua de dignitate & sede episcopali deturbatus, in exilio vitam miseram ac tristem exegit. Hæc fere ex Roderico Archiepiscopo Toletano, qui tamen in hoc lapsus est, quod alterum horum hæreticorum Heluidium appellauerit, quum impium Heluidii dogma multis ante annis a D. Hieronymo non minus erudite quam pie fuerit extinctum. Ex hoc tempore festum illud sacratissimæ virginis, quod festum Expectationis diue virginis hodie pleriq; appellant, crediderim celebrius factum Hispanis, quum tamen decem ante annis plus minus institutum sit, quamuis multi libri Hispano sermone conscripti contrarium

trarium dicant. Ordinatus est episcopus S. Alfonso in ecclesia S. Leocadiæ, cui *An. dom.* ius sanctissimæ virginis corpus, postquam per multa secula latuerat ignoratum, ipsa se illi reuelante, primus patefecit. Ex breuiario Eborensi. Liber vero ipsius quæ de perpetua diuinæ matris virginitate scripsit, contra Iouiniani, Heluidii, & Pelagii hæresin, quemq; sanctissima virgo Maria tanto munere & elogio commendauit, etiam hodie in plerisq; Hispaniæ ecclesiis extat manu scriptus, præsertim in Eborensi. Ex eo sunt lectiones eius festi, de quo iam diximus. Equidem miror nondum typis excusum, præsertim quum stylo sit pro illo seculo satis eleganti, & pietatem spiret sanctissimo p̄sule dignam.

10 B. Alfonso quum ecclesiam Toletanam rexisset annos nouem, menses duos, 671
 p̄senti vitæ miserandos labores æterna gloria & perpetua quiete commutauit, sepultus in ecclesia sanctæ Leocadiæ, ad pedes B. Eugenii p̄cessoris & atinuculi sui. Qui propter eloquentiæ suauitatem, os aureum, hoc est, Chryostomus dictus est, & propter soliditatem doctrinæ, Ancora fidei. Res gestas Gothorum ab anno quinto Suintillæ Regis, vbi finem scribendi fecit S. Isidorus, vsq; ad hunc annum, nempe decimum octauum Flauii Reccesunthi prosequutus est. Ex Iuliano Archiepiscopo Toletano. De vita S. Alfonso vide Breuiarium Eborensi, qui illic S. Ildephonus dicitur.

Flauius Reccesunthus quum regnasset annos octodecim, menses vndecim, 672
 20 fatali morte deceffit Toleti, Calendis Septembris, vt inquit Rodericus Toletanus, relicto filio Theodofredo patre Roderici vltimi Gothorū Regis, vt autor est Lucas Tudensis: sepultus est in oppidulo quodâ suo quod tunc Gerticos, nunc Bambadicitur, in territorio Palentino. Lucas Tudensis dicit obiisse Calendis Aprilis, sed arbitror librum mendosum. Eodem die quo Reccesunthus fato concessit, inter ipsos ploratus ac lamenta, regnum Bambæ (alii Wambanem appellant) ab omnibus delatum est, qui superstiti adhuc Reccesuntho, multorū tacitis p̄iudiciis Rex Gothorum destinatus fuerat. Sed nullis precibus aut lachrymis adduci potuit, vt regnum suscipere, vsq; dum quidam e ducibus ense stricto extrema illi minatus est, nisi in preces Gothorum concederet. Cessit tandem minis magis 30
 quam precibus, atq; vnde vigesimo post die Toleti vnctus est in Regem. Ceterum dum Toleti in primatia ecclesia beatæ Mariæ semper virginis vngeretur a Quirico primate, in omnium conspectu vapor quidam fumo similis e capite illius visus est ascendisse, in modum columnæ, & a p̄s e vertice in altum subuolare. Professus est de more fidem Catholicam cum sacramento iurifurandi, & leges priorū Regum cōfirmavit, atq; ita omnes in verba illius solenni carmine iurauerunt. Ex Iuliano Archiepiscopo Toletano, Luca Tudensi, & Roderico Toletano. Petrus Antonius Beuter ait Bambam filium fuisse Reccesunthi, sed nescio quo autore. Aliqui memoriæ proditum reliquerunt, Bambam agricolam fuisse, atq; diuino indicio ab aratro ad regni sceptrum pertractum verius quam ductum. Sed ego fabulam 40
 speciose confictam arbitror, præsertim cum in veterum monumentis nulla huius rei mentio fiat.

Initia regni Bambæ nouarum rerum studio turbatiora fuere. siquidem Hilde- 673
 ricus Nemaufensis vrbis Comes, auxilio Gumildj Magalonenfis episcopi, & Ramiri Abbatis, contra Gothorum statuta, Iudæos in patriam reuocauit, & totâ Galliam Gothicam a fide Regis perfida rebellione abduxit. Cuius impio conatui quia venerabilis Aregius Nemaufensis episcopus assentiri noluit, sanctum virum sede sua deturbauit, & tyrannica temeritate Ramirum Nemaufensem episcopum creatum, contra sacrorum Canonum statuta, a duobus episcopis coniurationis suæ sociis fecit consecrari. Huius rei Bambæ certior factus, Paulum ducem cum iusto exercitu contra illos misit, hominem Græca origine & fide, qui fidei oblitus, ac suæ gentis ingenium referens, copiis Regis contra ipsum Regem est abusus, & perfidia cum hostibus communicata, Rex ab iis salutatus, omnia hostilia contra Bambam cui sacramenti fidei suam obstrinxerat, molitus est: & vt conatui vires suppetere, ecclesias omni attrō atq; argento dispoliauit, ac Francorū ac Vasconū auxilia ingenti pecunia redemit. Sed vt nunquam bene succedunt facta im-

An. dom. proba, Bamba coniurata rebellionis conscius, præmissis copiis ac diuiso exercitu, ipse subsequutus, rebelles ciuitates & inter eas Gerundam ac Barcinonem partim deditione, partim vi, breui recepit, ac proditorum potitus est tam gloriosa victoria, vt angelorum dicatur præsidis tam arduum bellum tam paruo tempore, nempe sex mensium spatio, tam feliciter confecisse, præsertim quum tam procul abesset. Consequutus vero est hanc victoriam, quo die primum regni sui annum compleuit, hoc est, Calendis Septembribus, vt iam diximus. Post victoriam & coniuratos in potestatem suam redactos, Bamba Nemausi ruinas restituit, quæ cunq; Pauli auaritia sacris ædib. fuerant ablata, summa diligentia reddi iubet, Argebadi Narbonensis Archiepiscopi precibus qui ad hoc sacris indutus vestibus venerat, proditoribus vitam condonat, supplicium sibi reseruat. Lupum Francorū ducem qui dicebatur hostilia moliri in Biterrensi regione, sola aduentus sui fama in fugam conuertit. His ex animi sententia peractis, Toletum gloriæ plenus reuertitur, sexto post mense quam illinc decesserat, vbi solenni gratulatione, faustis acclamationibus & maximo omnium applausu receptus est. Hostes suos in triumpho duxit, raso capite & barba, nudis pedibus, saccis indutos & camelis impositos. Sed Paulus omnium coryphæus, qui Regis titulum vsurpauerat, corona picea insignis, longa suorum comitante caterua, ludibrium factus omnium, tandem cum suis omnibus perpetuo carceri mancipatur, scilicet, vt qui se supra meritum extulerant, pro merito viuere ac morerentur inglorii. Hanc historiam copiosius explicantur Hispanicarum rerum scriptores tam Latini quam Vernaculi, præcipue vero Iulianus Tolétanus præful, qui de hac coniuratione commentariū conscripsit: nobis summam rei paucis perstrinxisse sufficiat. Bamba compositis rebus, Toletum muro, turribus, & ædificiis elegantibus exornauit, atq; in turri quadam hos versus marmoris insculpendos curauit:

EREXIT FAVTORE DEO REX INCLYTVS VRBEM
BAMBA, SVÆ CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.

Consimiliter & hos versus in porta proxima ponti qui dicitur Dalcantara:
VOS DOMINI SANCTI, QVORVM HIC PRÆSENTIA FVLGET,
HANC VRBEM ET PLEBEM SOLITO SERVATE FAVORE.

675 Bamba anno regni sui quarto, pacato regno res quoq; ecclesiasticas vt componeret, concilium Toleti indixit, & celebrari fecit a Quirico vrbis Regiæ primate, & sedecim episcopis; ac nonnullis aliorum episcoporum qui iustis de causis venire non poterant, vicariis. Qua Synodo vehementer recreati sunt patres. nam decimus octauus annus erat, ex quo non fuerat facta copia concilii. Celebratum vero septimo Idus Nouembris. In hoc concilio Bamba suos cuiq; metropolitano suffraganeos episcopos assignauit, & episcopatus omnes Hispaniæ & Galliæ Gothicæ suis terminis de Patrum consensu distinxit, sequutus in ea re priorum Regum exempla, quorum ante se historias & res gestas hac de causa legi publice iussit. Lucensem ac Legionensem ciuitatem nulli metropolitano subiectam esse voluit, sed immunem vtramq; manere, sicut ad ea vsq; tempora fuerant. Præterea statutum hac Synodo, vt clerici omnes seruaent regulam S. Isidori. Item si quis Regi aliquid daret pro beneficio ecclesiastico, anathemate perpetuo feriretur. Hæc omnia Lucas Tudenfis. Quæ si vera sunt, mirum sane videri debet, tantum Carthaginensis prouinciæ conuocatos fuisse episcopos, quum omnium res ageretur. Illud vero de beneficiis vel ordinibus per munera consequendis, non in hoc, sed sexto & octauo concilio vetitum reperio. Quod vero concilium hoc non generale totius Hispaniæ & Galliæ Gothicæ, sed prouinciale Carthaginensis prouinciæ fuerit, ex ipso concilii principio constat. Vbi sic legitur, In nomine sanctæ Trinitatis, collectis in vnum Carthaginensium prouinciæ Sacerdotibus, &c. Proinde suspicor, quæ de episcopatuum distinctis terminis referuntur, in alio concilio statuta esse, præsertim quum ex fine huius concilii constet, Wambanū (ita enim ibi appellatur) tunc instituisse, vt singulis annis conciliū celebraretur. Eodem anno celebratū est Bracaræ tertium conciliū nouem Episcoporū, præsidente Leodigio Archiepiscopo Bracarensi, cui concilio interfuit Iulianus Hispanensis episcopus metropolitano. In alio Conciliorum codice inuenio decem huic concilio interfuisse episcopos.

Ducentæ

Ducentæ septuaginta naues Arabum quæ ad Hispaniæ litora appulerant, & An. dom. 676
maritima omnia cædibus ac rapinis fœde vastauerant, misso Bambæ exercitu igni
conflagrarunt, & Arabes omnes partim gladio cæsi, partim in captiuitatem abdu-
cti. Lucas Tudenfis & alii.

Moabius Arabum Rex moritur, succedit Hizit filius, & regnat annos tres. To- 678
leranus. Isidorus Pacensis dicit fuisse Maulæ filium.

Bamba vitam monasticam professo succedit Eringius (quem alii Ervingium ap- 681
pellant) per tyrannidem ad hunc modum. Regnante Cindasuntho, vir quidam
nobilis nomine Ardaustus ab Imperatore suo pulsus, e Græcia venit in Hispani-
am, atque in fidem Regis se commisit, quem Cindasunthus non solum benigne
accepit, sed etiam consobrina sua nuptum illi data, affinem sibi fecit. Ex eo coniu-
gio Eringius natus, qui nutritus & educatus in domo regia, non contentus inter
Comites referri, ad regnum etiam aspirauit, ad quod viam quacunque ratione af-
fectans, tandem Bambæ Regi letiferam miscuisse potionem dicitur, cuius haustu
mox Regis memoria turbata est, ac mox ipse Rex paulatim alienari mente cœpit.
Quod cum animaduertisset Quiricus, vrbis Regiæ metropolitano episcopus, &
proceres peiora veriti, Sacramentis ecclesiæ communiendum Regem in omnem
euentum decreuerunt, quæ Sacramenta religiosus ac pius Rex deuote suscepit, ac
demum sibi redditus, regno nuncium remisit, vitam monasticam professus in op-
pidulo quodam quod vulgari sermone Pampliga dicitur, prope Burgensem ciui-
tatem. Regnum Eringius inuasit, excluso Theodofredo Reccesunthi Regis filio,
iusto ac legitimo regni hærede. Ita vno ore produnt omnes Hispanicarum rerum
scriptores, quos ego quidem videre potui, a quibus tamē multum discrepant a
concilio Toletani duodecimi, in cuius concilii capite primo confirmatur electio
Eringii Regis, & vniuersa Synodus testatur sibi & scripsit & testimoniis constare,
Eringium a Wambane (ita enim appellat) electum Regem, antequam se monasti-
cæ vitæ consecraret, & consecrationem ipsius ab eodem Rege Iuliano præfuli stu-
diose commendatam. Regnauit Bamba annos nouem, mensem vnū, vixit in mo-
nasterio septem annos. Archiepiscopus Toletanus. Eringius initio regni leges
30 Gothicas recognouit, & a S. Isidoro institutas nomine suo fecit euulgari. ne eccle-
siæ nomine forum iudiciale agi videretur, Romanæ sedis assensu cauit, vt nullus
Archiepiscopus subditus esset primati. Præterea Cixilonem filiam suam Egicæ, pri-
mario inter Gothos viro, Bambæ Regis consobrina vxorem dedit, metu (vt aiunt)
Theofredi, ne principia regni eius turbaret. Lucas Tudenfis & alii. Vxor huius in
concilio decimo tertio Liubigotto appellatur. Eodem anno, hoc est, Flauii Erin-
gii primo, celebratum est Toleti duodecimum concilium mense Ianuario, cuius
modo mentionem feci, in basilica Apostolorum Petri & Pauli. Cui concilio Isido-
rus Pacensis dicit triginta quinque episcopos interfuisse, sed ego vnum & quadra-
ginta reperio, præter Annibodium Subdemi Complutensis episcopi vicariū. in-
40 terfuerunt præterea quinque abbates, & tredecim viri illustres. Præfuit Iulianus
Hispalensis Archiepiscopus, cui adfuerunt Iulianus Toletanus, pro quo in Con-
cilio mendose legitur Iulius, Luiba Bracarensis, Stephanus Emeritensis, Cypria-
nus Tarraconensis. Interfuit huic concilio Tructimundus Eborensis episcopus.
Ex huius concilii capite sexto constat iam tum electionem episcoporum fuisse Re-
gum Hispaniæ, sed quæ electio debebat ab episcopis, & præcipue Toletano, cui
erat a summo Pontifice generalis faciendi concilii potestas, probari. Idem etiam
constat ex epistola Braulionis Cæsaraugustani episcopi ad S. Isidorum, quæ præ-
fixa est operi etymologiarum S. Isidori, in qua scribit ad hunc modum: Speciali
quoque gratia fretus, speciali Domino, in quo vires sanctæ ecclesiæ consistunt,
50 suggero: vt quia Eusebius noster metropolitano discessit, habeas misericordiæ
cūram, & hoc filio tuo nostro Domino suggeras, vt illum illi loco præficiat, cuius
doctrinæ sanctitas ceteris sit vitæ forma. Atq; sic respondet S. Isidorus: De constitu-
endo episcopo Tarraconensi, nō eam quā petisti, sensi sententiā Regis, licet tamē &
ipse adhuc vbi certius cōuertat animū, illi manet incertū. Hæc ibi. In eodē concilio
fit mentio S. Pinæ uii confessoris, cuius corpus in monasterio quodam oppiduli

An. dom. cuiusdam Emeritenſis diceceſis debito quieteſcebat honore. In hoc concilio abrogati ſunt epiſcopatus quidam, a Wambane Rege in oppidulis quibuſdã obſcuris non ſatis conſulto inſtituti. Hęc omnia ex actis ipſius concilii, tomo poſteriore. Hizit Arabum Rege mortuo, ſucceſſit Maula filius, qui tertiam partem tributi omnibus condonauit, hac liberalitate gratus omnibus, ſed ſexto regni ſui menſe rebus humanis ſublatus eſt. Inde regnũ Arabum in Maroan & Abdaliam diuiſum, & incertum etiam vulgus ſtudia in contraria ſciſſum eſt, atque ex hac diſſenſione regnum per quatuor fere annos infinitis cędibus & bellis inſtinitis male affectum eſt. Maroan vt vires ſibi contra riualem compararet, pollicitus eſt Conſtantino Pogonato Imperatori tributum annuum auri pondo tria millia, ſeruorum hono-
10 ſtorum & equorum totidem, ea lege vt ipſi contra æmulum faueret. Quod tributum per nouem annos ſolutum ait Iſidorus Pacenſis. Quare offeſſi Arabes, repudiato Maroan, omnes ad Abdaliam deſciuerunt. Ex Archiepiſcopo Toletano & Baptiſta Egnatio, qui ait hoc tributum a Mauia Sarracenorũ duce promiſſum. Annotauit hoc etiam Petrus Antonius Beuter.

684 Anno Eringii Regis quarto celebratum eſt Toleti decimum tertium concilium Toletanum, pridie nonas Nouembris, in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, a quadraginta octo epiſcopis, Archiepiſcopis tribus, Toletano, Bracarenſi, Emeritenſi, iſdem qui duodecimo interſuerant, ſed Tarraconenſis & Narbonenſis miſerunt ſuos vicarios. Ex Archiepiſcopo Toletano. Hoc conciliũ alii qui anno 683, celebratum aiunt, nempe Æra ſeptingentefima vigefima prima, & a quinquaginta octo epiſcopis. In cuius quinto capite graui comminatione prohibetur, ne quis vel Rex, vel cuiuſcuſque conditionis alius, deſuncti Regis vxorem ſuperſtitem connubio ſibi copulare, aut adulterina pollutione contaminare audeat. Qui contra fecerit, ab omni Chriſtianorum communione ſecludatur, & ſulphureis cum diabolo contradatur ignibus exurendus.

685 Celebratum eſt Toleti decimum quartum concilium Toletanum, quod inter concilia vulgo impreſſa non extabat, donec Reuerendus Pater F. Bartholomæus Carranza, inſtituti D. Dominici, hæc quoque quatuor concilia quę ignorabantur, ex antiquis bibliothecis, & præcipue monaſterii S. Facundi, in lucem eruit. Inter-
30 fuere ſedecim epiſcopi & vicarii abſentium, metropolitani ſuos miſere vicarios: Luiba Bracarenſis Reſeſundum, Floriſindus Hiſpalenſis Gaudentium, Stephanus Emeritenſis Maximum abbatem, Sumifredus Narbonenſis Pacarum abbatem, vel (vt ait Toletanus) Ioannem, Cyprianus Tarraconenſis Vitellianum: celebratum vero 12. Calendas Decembris, die dominico. Hoc concilium non fuit generale totius Hiſpaniæ & Gallię Gothicę, ſed prouinciale tantum, a ſeptemdecim epiſcopis Carthaginenſis prouincię celebratum, 18. Calendas Decembr. aſſiſtentibus tamen vicariis primarum ſedium iam nominatis, vt eadem in aliis quoque Hiſpanię prouinciis conuocato in omnibus concilio, tractata & confirmata inſtar eſſent generalis concilii. Quod eo tempore fieri non potuit, tũ propter hyberni tem-
40 poris iniurias, tum quod pontifices non ita pridem a generali concilio domum reuerſi, commode congregari tam cito non poterant. Cauſa vero huius concilii hæc fuit, quod Romanus Pontifex ad Flauium Eringium Regem & epiſcopos Hiſpaniæ miſerat acta concilii ſexti Conſtantinopolitani, quod aliquot ante annis ſub Conſtantino quarto conuocatum a Dono Rom. Pont. ſub Agathone cęptũ, ſub Leone 1. abſolutum fuerat, ad condemnandum errorem illorum qui Apollinaris errorem atque hæreſin renouantes, duas in Chriſto naturas negabant. Ea voluit Romanus Pontifex Leo ab omnibus Hiſpaniæ epiſcopis Synodali autoritate confir-
50 mata, per totam Hiſpaniam & Galliam Gothicam diuulgari, quemadmodum factum eſt. Fuit id temporis Archiepiſcopus Toletanus Iulianus Pomerius, ſtirpe quidem Iudaica, ſed parentibus Chriſtianis natus, & Toleti cuius vrbis ciuis erat, facto baptiſmatis lauacro lotus, Catholicę fidei cultor acerrimus, vir eruditus, & multis ingenii ſui monumentis clarus, quibus Hiſpaniam omnem illuſtrauit, tanta vite ſanctitate, vt Toletanę eccleſię inter diuos referatur, S. Eugeniĩ diſcipulus. Hęc fere ex Archiepiſcopo Toletano & Hagiographis Hiſpanię Archiepiſcopo Tolc-

Toletanus hoc loco ſignificare videtur, hunc Iulianum Pomerium alium eſſe ab eo qui interfuit duodecimo concilio Toletano. In quo vehementer hallucinatur. ſiquidẽ Iulianus iſte Quirico ſucceſſit, vt ipſemet alio in loco affirmat, & rexit eccleſiam Toletanam annis decem, menſe vno, & ſeptem diebus, nempe vſque ad tertium annum Egicę ſive Egicanis Regis, quo anno ex hoc ſæculo migravit aſſi Dominum, pridie nonas Martias, vt ait iſ qui vitam illius beato Alſonſo ſubiunxit, qui neque Pomerii cognomentum illi tribuit, neque Iudaicę originis mentionem vllam facit. Vnde ſuſpicor eos qui hæc de illo prodiderunt, eo fuiſſe deceptos, quod alius fuit Iulianus Pomerius, de quo ſcribit S. Iſidorus, de quo & nos ſuperius ſuo loco ſcripſimus. Fuit vero huic ſancto viro Iuliano indiuidua ſocietas, & pluſquam fra-
10 terna amicitia cum Guidila Leuita viro ſancto, cũ quo pietatis ſtudiis innutritus, vitæ ſe monaſticę mancipare decreuerat: ſed Deo aliud diſponẽte, Guidila diem ſuum obiit anno Bambe Principis octauo, ſexto Idus Septembris, ſepultus in monaſterio S. Felicis, in Canenſi oppido: Iulianus vero poſt mortem Quirici ad eccleſiæ Toletanę promotus eſt primatum. Ex eodem vitæ eius ſcriptore. Eodem anno Abdalia Sarracenorũ Rex moritur, aut ſaltem regno expellitur, regnat Abdemelic annis 21. vt ait Archiepiſcopus Toletanus, tamenſi Chronica Regis Alſonſi tantum dicant regnaſſe octo decim annos. Iſidorus Pacenſis dat illi annos 20. & dicit regnarẽ cępiſſe Æra ſeptingentefima vigefima prima, hoc eſt, anno Domini ſexcentefimo octogefimo tertio. Iſidorus Pacenſis memoriæ tradidit, tempore Eringii maximam fuiſſe famem tota Hiſpania.

Eringius Toleti propria morte deſunctus, poſtquam ſeptem regnaſſet annos, 688 regnum Egicę ſive Egicani genero ſuo reliquit. Qui vt primum fuit inauguratus regno, vxorem ſuam Eringii filiam repudiavit, propter nefarium ſcelus quod Eringius in Bamam Regem autunculum ipſius Egicę commiſerat, filium tamen Vitizam ex ea ſuſceptum regni hæredem deſtinavit, quem voluit in Tudenſi Gallicię oppido reſidere, proinde quaſi filius Rex eſſet Sueuorum, pater Gothorum, Lucas Tudenſis.

Egica primo anno regni ſui concilium decimum quintũ indixit Toleti, in quo
30 abſolui poſtulauit quum ab aliis rebus, tum vero a iureiurando quod Eringio contra ius & æquum præſtiterat. Celebratum vero concilium hoc quinto Idus Maii, in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub Iuliano Primæ præſule Toletano, Maximo Emeritenſi, Fauſtino Bracarenſi, Floreſindo Hiſpalenſi, Sunfredo ſive Sunifredo Narbonenſi, Siſuldo vicario Cypriani Tarraconenſis. Fuerunt in hoc concilio præter quinque vicarios abſentium, vnus & ſexaginta epiſcopi. Quo tempore quia in Narbonenſi prouincia inguinali peſte laboratum eſt, epiſcopi qui ad eam prouinciã pertinebant, ab hoc concilio excuſati ſunt, ſed ea lege, vt acta huius Concilii in ſingulis eccleſiis Cathedralibus publice recitarentur atque admit-
40 terentur, contrarium facienti anathema & quintę facultatum portionis multa, pœna eſſet. Ex Archiepiſcopo Toletano & aliis. Biennio ante Iulianus Toletanus Præſul librum reſponſionis fidei ſuę, vel ſuo, vel omnium Hiſpanię Præſulum nomine, ad Benedictum ſecundum tunc Romanum Pontificem miſerat, in quo affirmabat tres in Chriſto ſubſtantias, verbum, corpus, & animam, præterea alia quædam axiomata Theologica. Quæ omnia Benedictus incautus, vt eſt in ipſo concilio, lecta improbauit, & Iulianum ad retractanda quæ dixerat, aut ſaltem teſtimoniis atque ſcripturarum & doctõrum autoritate munienda, non ſcripto, ſed
50 nuncio adhortatus eſt. In hoc igitur Concilio Iulianus omnia illa cum ſexaginta epiſcopis diligenter excuſſa, rationibus, ſacrę ſcripturę testimoniis, & eccleſiaſticorum ſcriptorum autoribus, pie ac catholice dicta confirmat, atque aſſertionem tot epiſcoporum ſubſcriptionibus munitam, Romam ad ſedem Apoſtolicam miſit, cum verſibus aliquot in laudem Imperatoris (opinor Iuſtiniani 1.1.) Quæ Romæ benigne accepta, & ab omnibus recepta atque approbata ſunt, ipſo etiam Imperatore ſubſcribente, atque, *Laus tua Deus in fines terræ*, ſæpius acclamante. Legati ad eam rem miſſi, cum honore & gratiarum actionibus reuerſi ſunt. Partim ex actis ipſius Concilii, partim ex Roderico Toletano libri 3. capite decimo tertio.

An. dom. In Summa conciliorum dicitur Idibus Maii celebratum, & interfuisse etiam Gal-
liæ pontifices, & decima facultatum pars statuta huius Concilii violanti multa
constituitur.

690 Mortuo Iuliano Archiepiscopo Toletano pridie Nonas Martias, vt diximus,
succesit illi Sifibertus, is cuius mentionem superius anno 662. fecimus.

693 Anno sexto Egicæ siue Egicanis Regis, Nonis Maii celebratum est Toleti de-
cimū sextum Concilium, in quo Sifibertus Toletanus Archiepiscopus merito
culpæ suæ de sede ac dignitate sua depositus est ab vniuersa Synodo. Deceuerunt
vero Patres de nulla re agendum in Concilio, priusquam pastor ac præsul daretur
ecclesiæ Toletanæ. Igitur Felix Hispalensis Archiepiscopus translatus est ad eccle-
siam Toletanam, Faustinus Bracarenfis ad Hispalensem, Felix Portugalensis
episcopus ad Bracarensem. Emeritensis, ac Narbonensis, iidem quos superiore
Concilio posuimus, Vera Tarraconensis. Ex Archiepiscopo Toletano. Causa
depositionis Sifiberti siue Sisberti in ipsius Concilii nono capite declaratur, qui
scilicet ad depositionem Regis Egicæ attentauit, in cuius facinoris poenam, loco &
honore, in exilium perpetuum relegatus, priuatus est, bonis omnibus confiscatis,
& a Concilio excommunicatus, ita vt nisi in mortis articulo, ad communionem
nō posset admitti, secundum antiquorum Canonum sanctionem. Statutum quo-
que, vt quicumque religiosi, cuiuscunque religionis, aut ordinis, aut honoris, talia
in Principem suum attentarent, simili poena multarentur.

694 Quinto Idus Nouembris celebrata est Toleti decima septima Synodus, in eccle-
sia S. Leocadiæ, in qua corpus eius tum requiescebat, ab iisdem episcopis qui
Concilio superiori interfuerunt. In qua Synodo Egica Rex humi prostratus, Pa-
trum orationibus deuote se commendauit, & ad multa, de quibus ad ipsos refere-
bat, responderi sibi postulauit. Ex Toletano & aliis. Hic obiter notandum quod
in margine Roderici Toletani manu scripti, cuius mihi copiam fecit Serenissimus
ac Reuerendissimus Dominus meus D. Henricus Cardinalis & Infans Portugal-
liæ, adscriptum reperi, Felicem istum Bracarensem Archiepiscopum in hoc Con-
cilio, se Bracarensem ac Dumiensem episcopum scribere in libro Canonum. Quæ
res eorum opinionem adiuuat, qui Dumiensem ecclesiam arbitrantur, non Min-
doniensis, vt quidam volunt, sed eam quæ prope Bracaram etiam hodie S. Mar-
tini Dumienfis dicitur. Hoc tempore Iudæi perfidi non solum tunicam sacri ba-
ptismatis Christiani quam susceperant, macularunt, sed etiam contra Regem re-
gnumq; conspirare ausi sunt. in quos hæc poena statuta, vt omnibus suis rebus nu-
dati, tam ipsi perfidi, quam vxores eorum & filii, ac reliqua posteritas per cunctas
Hispaniarum prouincias, seruituti subiacerent perpetuæ, manerentq; vsquequaq;
disperæ. Præterea quicumq; eosdem Iudæos in seruitutem recipere, in nullo eos
permitterent rituum suorum ceremonias celebrare aut colere. Filii vero eorum a
septimo ætatis anno nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem ha-
bere permitterentur, sed fidelissimis Christianis nutriendi traderentur, & filii eo-
rum ac filii Christianis in matrimonium daretur, ne infidelium patrum suorum se-
mitas quibuslibet occasionibus iterare possent. Ex eiusdem Concilii cap. octauo.

698 Egica tribus annis ante mortem iam senio grauis, filium suū ex Cixilone vxore
Vitizæ regni hæredem fecit & consortem, ac Tudæ in Gallecia, cui regno ipsum
peculiariter præfecit, sedem habere voluit. Vbi etiam Fasila dux Cantabriæ, filius
Cindasunthi Regis agebat, in exilium ab Egica nouarum rerum metu relegatus.
Eum Vitiza instigante vxore Fasilæ, cum qua Vitiza clam consueuerat, claua in
capite ita percussit, vt ex eo vulnere paucis post diebus obierit prope Urbicum
fluum, in oppido quod tunc Duodecim manus, nunt Palatium dicitur. Fuit
hic Fasila, pater Regis Pelagii, instauratoris Hispaniæ. Ex Luca Tuden. & Ar-
chiep. Toletano.

701 Egica Toleti propria morte decessit, & honorifice sepultus est: quem Lucas
Tudensis sapientis ac patientis elogio decorat, ac ter cum Francis dubia victoria
pugnasse scribit, quod tamen apud alios non inueni. Mortuo patri succesit Vi-
tiza, Rex flagitiosus, & omni scelerum ac libidinum genere inquinatissimus. qui
quanquam

quanquam principio regni clementiam ac liberalitatem simulata pietate menti-
retur, tamen mox ad proprium ingenium rediit. Primo anno regni concilium in
ecclesia S. Petri, in suburbio Toletano, super administratione regni cum episco-
pis & primatibus celebravit. Theodofredum Cordubæ exulantem erutis oculis
excæcauit, ne, quia gratiofus erat populo & Rege Reccesuntho natus, aliquan-
do ad regnum aspiraret. Idem moliebatur & Pelagio, Fasilæ ducis filio, sed ille in
Cantabriam profectus, fuga sibi salutem quæsiuit. Ex Luca Tudenfi & Rode-
rico Toletano.

Mortuo Felice præfule Toletano, succesit Gundericus, vir eruditione, sancti-
tate, & miraculis clarus. Ex iisdem & Isidoro Pacensi. Vitiza hætenus occulte
malus & impudicus, deposito omni pudore, publice cœpit habenas laxare libidi-
ni, & vxores multas, plures cōcubinas domi habuit, ac proceres regni, exemplum
suum vt sequerentur, hortatus est, nec nō & plebi idem impune licere voluit. Ve-
rum pontifices ac sacerdotes veritus, ne tam effreni proteruitati obuiam irent, &
populū ab obsequio tā perditū Regis censuris ecclesiasticis detererent, eos quoq;
eadem voluptatis illecebra sibi deuinciendos duxit. Edixit igitur sacerdotibus, vt
quot quisq; vellet aut posset, vxores vel concubinas domi alerent, neue constitu-
tionibus Pontificiis cōtrarium iubentibus obtemperarent. Ex iisdem autoribus.

Defuncto Gunderico Archiepiscopo Toletano suffectus est Sinderedus, quo
præfule Toletum venit in potestatem Maurorum. Archiep. Toletan.

Vitiza per speciem pacis ciuitates omnes Hispaniæ, præter Toletum, Legio-
nem, & Asturicam, muris nudauit, videlicet metum alicuius rebellionis consci-
entia sibi suggerente. Ex Luca Tudenfi. Archiepiscopus Toletanus addit, eum o-
mnem armorum vsum sustulisse, ne haberent quo ipsi resisterent. sed hoc Lucas
Tudensis a Roderico Rege factum scribit, idque subdolo consilio Iuliani Com-
itis, quippe qui mentitus amicū, autor illi fuerit, vt quoniam tranquillam pacem frue-
retur, neque vllus esset alicunde belli metus, iuberet arma omnia in Galliam Go-
thicam asportari & Africam, aduersus nec opinatos Francorum & Maurorum
insultus. Eodem anno mortuo Abdemelic, imperat Mauris Vlt annis vnde-
cim. Hic Hispaniam Gothis ademptam imperio suo adiecit. Archiepiscopus
Toletanus.

Vitiza ne pensū aliquid habere videretur, Sinderedum Archiepiscopum sede
Toletana quo iure quaque iniuria deturbat, & Oppam fratrem suum (aliqui fili-
um arbitrantur) ingerit, & ne quicquam sibi ad extremam impietatem reliqui fa-
ceret, ecclesiarum priuilegia & prærogatiuas violat, Iudæos velut postliminio in
Hispaniam reuocat, & eos maioribus immunitatibus, quam quibus ecclesia gau-
dere solet, donat. Ex eodem.

Theodofredus dux, quem diximus a Vitiza oculis captum, Cordubæ, vbi tan-
quam in exilio procul aula regia vinebat, vxorem duxit Recilonem, regio Gotho-
rum sanguine natam. Ex ea filium sustulit Rodericū, cui Roderico nonnulli scri-
ptores Costam fratrem addunt. Huic Roderico Vitiza eandem irrogare cæcita-
tem, quam patri suo, meditabatur. Sed cautus ille ac prudens ad Romanos, opem
contra tam crudelem tyrannum imploraturus, cōfugit. Quorum auxilio propter
Reccesunthi auigratiam benigne adiutus, prospere contra Vitizam pugnavit, &
prælio captum ac regno deturbatū eodem supplicio merito affecit, quo ille Theo-
dofredum præter omne ius & fas multauerat, sibiq; regnum Gothorum suffragiis
& Senatus Romani fauore vendicauit. Vitiza suo pressus exemplo, regno & o-
culis orbatus, Cordubæ vitam miseram & ingloriam in exilio traxit. Ex eodē & aliis.
Hanc de Vitiza vindictam nonnulli rerum Hispanicarū scriptores Costæ Roderici
fratri adscribunt, quem annos quinque regnasse affirmant: sed neq; hoc temporum
ratio patitur, neq; Isidorus Pacensis, Lucas Tudenfis, Rodericus Toletanus, Rex
Alfonfus decimus, præcipui Hispaniæ historiæ scriptores, Costam in catalogo Re-
gum Gothorum ponunt, imo ne nomen quidem Costæ monumentis suis prodi-
tum reliquerunt. Quos ego autores sequutus, illum quoq; missum feci.

Rodericus inauspicato sortitus Gothorum imperium, non dissimilis fuit Vi- 711

An. dom. tizæ, siue morum crudelitatem spectes, siue libidinis intemperantiam. nam & filios Vitizæ Sisibertum & Ebam, non contentus regno spoliasse paterno, multis probis atque iniuriis affectos exules fecit, & Iuliani Comitis filizæ Cabæ, quæ in domo regia inter alias illustrium matronarum filias de more educabatur, dum pater regio nomine legationem in Africa obibat, vitium obulit, in municipio quod vulgo dicitur Pancoruo. Quæ fuit prima mali labes Hispaniæ, & sequentium calamitatum seminarium.

712 Iulianus Comes ira stupratæ ab Rege filizæ siue (vt quidam volunt) vxoris percitus, priuatam iniuriam publico malo vlcisci desiderans, in Africam ad Muzam illius prouinciæ præfectum se contulit, atque ei se totius Hispaniæ imperium traditurum promittit, si iustum exercitum & auxilia necessaria dare non recuset. Muzam rem omnem ad Vlit Arabum Imperatorem (Miramolinum ipsi vocant) defert. Qui fraudem veritus, non fidendum Iuliani pollicitis censet, fidem illius in paucis militibus explorandam, si promissis respõdeat, tum demum ampliores illi copias credi posse. Igitur ex præcepto Vlit dantur Iuliano centum equites, quadringenti pedites. Quos ille per angustias freti Herculei traductos, gẽtilicio suo exercitui iunxit. Quibus copiis Bæticæ ac Lusitaniz oram fœde depopulatus, milites Africanos, præda & bellicis spoliis onustos, ad Muzam reduxit. Ex Roderico Toletano & aliis. Sindericus Toletanus præsul tam periculofo Reip. statu conterritus, relictis ouibus in Italiam decessit, tanquam mercenarius, nõ pastor. Qui ætate atque autoritate præstabant, Vrbani, virum sanctitate insignem, episcopum elegerunt. Nam Olpas quem Vitiza fratrem suum, expulsio Sinderedo, per vim ac nefas in Toletanam sedem intruserat, iam regnante Roderico, nullõ numero apud Toletanos erat. Ex eodem & Isidoro Pacensi. Hic Sinderedus Romæ interfuit & subscripsit concilio quod Gregorius tertius celebravit, anno Leonis Augusti sexti. Ex posteriore Conciliorum tomo.

713 Muzam iam expertus fidem Iuliani, duodecim millia militum illi dat duce Tarif Strabo, quos Iulianus clam mercatorum nauibus impositos, in montem Calpen traducit, qui mons & locus a Duce Sarracenorum nomẽ mutuatus ac dictus Gebel Tarif, hoc est mons Tarif, hodie corrupto vocabulo Gibraltar dicitur. Idem & Tarifæ vrbi a se captæ nomen dedit, quam alii Carteiam, alii Mellariam prius dictam cõtendunt. Hic exercitus Hispalim muris nudatam & alias vrbes diripit, totam Bæticam & bonam Lusitaniz partem prædis ac rapinis infestam reddit. Quæ res vbi ad aures Roderici Regis peruenisset, Eneconem siue Inachum (quem alii Sanctium appellant) cõsobrinum suum cum exercitu per tumultum collecto Mauris obuiam misit. Sed Gothi armorum longa pace insolentes, facile ab hostibus bello exercitatissimis victi sunt. Ea victoria maiores Iuliano & Africanis spiritus subdidit. Ex Luca Tudensi & Roderico Toletano.

714 Rodericus vbi animaduertit hostium audaciam & numerum crescere (infinita enim Barbarorum multitudo, Hispanicarum opum cupiditate ac spe illecta, sese ex Africa in Hispaniam effuderat) & rem ad exitium regni vergere: conscripto exercitu & conuocata omni nobilitate regni, sed nondum congregatis omnibus, contra hosteis mouit, repertisque hostibus ad amnem qui Guadalete vulgo dicitur, rebusque omnibus ad conflictum comparatis, propè Assidonam urbem quæ Xeritium appellari dicunt, die Dominico, pridie nonas Septembr. classici cani iussit. Pugnatum est vtrinque per octo dies dubio fere Marte, quamuis Gothi & longa pace & duorum annorum fame fracti, multum de pristino robore amiserant. Adfuit iis præliis spectator, & suæ cuiusque virtutis testis Rex Rodericus, corona aurea, regali trabea, calceis gemmis auroque distinctis, cõtru eburneo insignis. Ita enim solenne erat Gothis, Reges adesse conflictibus, vt milites tanquam pro capite regio defendendo fortius pugnarent. Sed octauo die qui erat Dominicus, Gothi iam longo labore labascentibus, Rex Rodericus, vt semel aleam rerum experiretur, equo suo Orelia vectus, ac suos ad conseruandam ac tuendam gloriam tot annis partam cohortatus, magnam in Sarracenos stragem edidit. Sed in tanta hostium multitudine, dum semper integri fessis succedunt, Gothi impetum illorum diutius

diutius sustinere non potuerunt, præsertim filiis Vitizæ Regis, quibus cornua exercitus Rodericus commiserat, victoriam hosti spe regni sibi facta prodentibus. Ita vertentes terga occidione cęsi sunt, & imperium Hispaniæ quod per annos tam multos tenuerant, amiserunt. Ex Roderico & aliis. Antonius a Gueuara in epistola ad Alfonso Burg. Episc. scribit, hoc prælium infestum, die Dominico, tertio nonas Iulias commissum, sub auroram, ad fluuium Bedalac. In hoc prælio omnis Gothorum nobilitas cecidit, tota Hispania in ditionem Sarracenorum venit, præter Astures & Cantabros, qui mortalium vltimi in Romanorum potestatem venerant, & nouissimi ab eis defecerant, & cum Gothi Hispanis iura darent, nunquam imperata fecere, suis semper legibus vsi. Paulus Æmilius. De Roderico Rege quid actum sit, ignoratur: alii in acie occisum affirmant, alii negant. Sunt qui equum ipsius & insignia regalia in volutabro quodam inuenta produnt, corpus vero nusquam apparuisse. Apud Viseum ciuitatem Portugalliæ monumentum extat, cum huiusmodi epitaphio:

HIC IACET RODERICVS, VLTIMVS REX GOTHORVM. MALEDICTVS FVROR IMPIVS IVLIANI, QVIA PERTINAX, ET INDIGNATIO, QVIA DVRA VESANVS FVRIA, ANIMOSVS FVRORE, OBLITVS FIDELITATIS, IMMÉMOR RELIGIONIS, CONTEMPTOR DIVINITATIS, CRVDELIS IN SE, HOMICIDA IN DOMINVM, HOSTIS IN DOMESTICOS, VASTATOR IN PATRIAM, REVS IN OMNES, MEMORIA EIVS IN OMNI ORE AMARESCET, ET NOMEN EIVS IN ÆTERNVM PV-TRESCET.

Neque vero impius Iulianus tam nefarium scelus impune tulit. Siquidem Ferdinandus Nunius Pincianus, vir multifariæ lectionis, ex antiquis historiis memoriz prodidit, vxorem Iuliani a Barbaris proditionem laudantibus, sed non proditorem, lapidibus obrutam, filium e turri Septensi præcipitem actum, ipsum vero Iulianum omnibus possessionibus exutum, miseram mortem obiisse in vinculis, in Aragonia, in arce quadam territorii Oscensis: quanquam de Iuliano alii diuersum sentiant, vt suo loco dicemus. Duravit regnum Gothorum a primo anno Athanarici Regis, secundum supputationem diui Isidori, trecentos quadraginta quatuor annos. Mauri hoc rerum successu elati, quanquam sedecim millia hominum eo bello amississent, totam ferme Hispaniam partim vi, partim ditione ac metu, partim promissis in potestatem redigunt, octo mensium spatio, vt ait Antonius a Gueuara, vt alii, quatuordecim, secundum alios biennio. Quanquam non desunt qui annos quinque in ea re consumptos asseuerent, hac opinor ratione moti, quod quinto demum post anno, Pelagius restaurandæ Hispaniæ natus, apud Astures declaratus sit Rex. Interea Mauri Hispaniam omnibus opibus misere disposiarunt, inter alia mensam smaragdinam sustulerunt immensæ magnitudinis atque inæstimabilis precii. Ea prædæ illecebra vsque adeo efferauit Maurorum duces in mutuam perniciem, vt Michael Ritus autor sit, intra viginti annos, quindecim in Hispania Maurorum Reges fuisse. In Alcobacienfi codice annotatum reperi, quod Sarraceni Gothos de regno suo expulerunt Æra septingentesima quadragesima nona, hoc est, anno Domini septingentesimo vndecimo, & potiti sunt Hispania anno sequenti, hoc est, septingentesimo duodecimo, postquam Gothi dominati essent Hispaniæ trecentos octoginta tres annos. Egressos autem Gothos de terra sua Æra trecentesima quadragesima nona, anno scilicet Domini trecentesimo vndecimo, venisse vero in Hispaniam Æra trecentesima sexagesima sexta, nempe anno salutis humanæ trecentesimo vigesimo octauo, nimirum decimo octauo anno, postquam egressi sunt patriam suam. Isidorus Pa-

An. dom. censis hanc Hispaniæ calamitatem Æra septingentesima quinquagesima, hoc est, anno Domini septingentesimo duodecimo ponit, alii alio. nos vulgatiorem opinionem sequuti sumus. In alio codice peruetusto manu scripto inueni hæc verba: In Æra quadringentesima cœperunt Gothi regnare, vsque in Æram septingentesimam quadragesimam septimam. Qui per trecentos quinquaginta duos annos, & menses quatuor, & dies quinque Hispaniam obtinuerunt, donec ingressus fuit transmarinus dux Sarracenorum nomine Taric. Qui Roderico vltimo Rege Gothorum, die quinta feria, hora sexta, Æra septingentesima quadragesima octaua interfecto, totam ferme Hispaniam armis cepit, & tunc Sarraceni in Asturiis annos quinque regnauerunt. Hæc ibi. Atque ita Hispaniæ excidium cadit in annum Domini septingentesimum decimum quartum, quo anno nos ponimus. Sed numerus Æræ ab Alcobaciensi codice variat: quod eo fit, quia alii alio anno Gothos regnare cœpisse testantur.

715 Dominica Palmarum Toletum fraude Iudæorum proditum fuit Ismahelitis siue Mauris, dum Christiani nihil minus suspicantes, extra urbem ad diuæ Leocadiæ de more vacarent audiendo verbo diuino. Ex Fortalio fidei. Eodem anno Muza Africæ præfectus, auditis rebus quas Tarif in Hispania præclare ac feliciter gesserat, motus inuidiæ atq; auaritiæ stimulis agitur, venit & ipse in Hispaniam cum magnis Barbarorum copiis, & iunctus Tarif, ab eo prædam omnem quam habebat maximam, abstulit, deinde simul, quamuis mutuo inuicem odio flagrant, Cæsaraugustam & alias Hispaniæ ciuitates ac municipia expugnant.

716 Dum Hispania tam miseris laceratur modis, pietissimus Deus non oblitus misericordiæ suæ, Pelagio Fasile Cantabriæ Ducis, vt diximus, filio, misit in mentem, vt e Cantabria vbi latebat, in Asturias veniret, atque animum ad opem patriæ ferendam adiceret. Erat ei forte soror facie venusta ac liberali, cuius amore perditus Numatus siue Munuza (nam vtroque modo appellatur) Christianus quidem ille, sed Sarracenis fœderatus, & ab illis Gigionensi territorio præfectus, quum nullam inueniret aliam rationem potiundæ illius, Pelagium per speciem legationis ad Muzam ablegauit, atque interim sororem eius interposita matrimonii fide violauit. Quam iniuriam Pelagius reuersus, vt par erat, indignè ferens, tamen pro tempore dissimulauit, atque accepta sorore in interiora Asturiarum se contulit, in omnem vindicandæ iniuriæ occasionem intentus. Munuza vicissim ablatam sibi vxorem, seque contemptum dolens, Pelagium apud Sarracenorum præfectos detulit, tanquam qui nouis rebus studeret. Illi vero istiusmodi conatibus tempestiue obuiam eundem rati, confestim Munuzæ magnas copias ad opprimendum Pelagium mittunt. Cumq; parum abesset, quin illum nec opinantem opprimerent, Pelagius certior factus, transitio Pionia fluuio, in vallem Canicen peruenit, vbi multos Christianos metu hostium latitantes inuenit, quos facta spe auxilii diuini, ad audendum aliquid pro salute patriæ adhortatus, alacres admodum ad quoduis pro vindicanda patria & religione Christiana subeundum periculum reddidit, adeoque sibi obnoxios fecit, vt omnes eum communi suffragio ducem elegerint, Regemque salutauerint. ad quem quotidie plures, tanquam ad asylum quoddam diuinitus datum confugiebant. Exercitus Arabum infecta re voti irritus, Cordubam est reuersus. Regnavit Pelagius annis 19. Sicut in Asturiarum montibus Pelagium, sic quæ ex Cæsaraugusta & aliis Aragoniæ ac Nauarre oppidis in montibus Pyrenæos se receperant Christianorum reliquiæ, Garfiam Ximenium, inclyto Gothorum sanguine natum, Regem consalutarunt. Hic multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, cum sexcentis equitibus (non enim maiorem habebat exercitum) ditionis suæ pomœria non mediocriter ampliauit. Regnavit annis quadraginta duobus, sepultus ad Diui Ioannis a Pegna. ita enim ecclesia illa a rupe vasta cognominatur, quam a Ioanne Anachoreta viro sancto extractam, & a duobus fratribus Cæsaraugustanis religiose habitatam, Rex hic Garfias Ximenius ædificiis & censu nobilitauit, celebre postea multorum Regum monumentum.

717 Interim multi Christiani dulcedine patriæ pellecti, in variis Hispaniæ ciuitatibus mansere, qui tributarii & vectigales permisi sunt in instituto & lege Christiana viuere,

An. dom. viuere, atque omnibus vti ritibus ecclesiasticis. Inter quos præcipue floruerunt viri sanctitate, eruditione, atque etiam miraculis clari, Urbanus Toletanus, qui reliquias omnes Toletanæ ecclesiæ in Asturias transtulit, Frodoarius Accitatus episcopus, Euantius archidiaconus Toletanus, quorum doctrina & exemplis Christiani in tuenda fide Catholica, & ferendis patienter aduersitatibus, non mediocriter confirmati sunt. Claruit hoc tempore, præter alios episcopos viros religiosos, Hispani Ioannes episcopus, sanctitate vite, sacrarum literarum peritia, miraculis celebratus, qui ad doctrinam postetorum, sacram scripturam in linguam Arabicam transtulit. Hi omnes quamdiu vixerunt, Pontificalibus officiis functi sunt, & Christianis verbum salutis annunciare non cessauerunt. Durauit vero hæc libertas Christianis vsque ad Almohadum in Hispaniam aduentum, qui nullos omnino Christianos inter suos viuere passi sunt, sed quotquot capere poterant, aut fidem Christi abnegare cœgerunt, aut crudeli martyrio peremerunt. Erant & Almohades Arabum genus, qui in Hispania Barbatis impetate cœperunt tempore Alfonsi septimi, de quibus suo loco dicemus. Christiani vero qui inter Arabes, quo diximus modo, viuebant, Mozarabes dicebantur, hoc est misti Arabibus. Vnde & officium ecclesiasticum quo illi a S. Leandro & S. Isidoro instituto tunc vtebantur, & omnis Hispania vsa est vsque ad tempora Alfonsi sexti, quo tempore auctoritate Gregorii Papæ septimi mutatum est, etiam hodie Mozarabe nuncupatur. Hoc officium hodie quoque seruatur Toleti in sex parochiis, & in ecclesia cathedrali, in sacello F. Francisci Ximenii Cardinalis, & Archiepiscopi Toletani, Salmaticæ quoque statis diebus in sacello Doctoris Talabricensis, quod est in peristyllo templi summi.

Cuius officii modum & ordinem non abs futurum arbitror, si summam perscrutemur, paucis enim cognitum existimo, quum alioqui multum habeat pietatis. Eisdem celebrant vestibus factis, quibus hodie vulgo vruntur sacerdotibus, & ad singulas vestes singulis vruntur precatioibus. Deinde sacerdos facta ex homologuei ad altare, capite demisso, dicit ad hunc modum: Per gloriam nominis tui Christe fili Dei viui, & per intercessionem sanctæ Mariæ virginis, & beati Iacobi, & omnium sanctorum tuorum, auxilia & miserere indignis seruis tuis, & esto in medio nostri Deus noster, qui vitis & regnas in sæcula sæculorum. Respōdetur, Amen. Mox conuertit se ad librum in dextro altaris cornu positum, ac dicit antiphonam in modum introitus, cum duobus versibus, & Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto in sæcula sæculorum, Amen. Sicut etiam in concilio Toletano quarto cautum est, vt ad eum modum dicatur. Ad quemlibet versum repetunt partem antiphonæ, more responsoriorum nostrorum, vt vulgato motelouar. Gloria in excelsis, dicitur integre more Romano. Sacerdos cantando dicit, Per omnia semper sæcula sæculorum. Neque ante orationem dicitur, Oremus, neque in fine, Per dominum, sed tantum responderet, Amen. Deinde dicit sacerdos, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & vitis & regnas in sæcula sæculorum. Respondetur, Amen. Postea, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Lectio libri Elaiæ Prophetæ. Respondetur, Deo gratias. mox legitur prophetia. Qua lecta, rursum sacerdos, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Inde dicitur tractus duorum vel trium versuum. Quo finito sacerdos inquit: Silentium facite. Sequentia epistolæ Pauli Apostoli &c. Respondetur, Deo gratias. Mox canitur siue recitatur epistola. Postquam libro in alterum altaris cornu translato, continuo dicitur Euangelium ad hunc modum: Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Lectio sancti Euangelii, &c. Respondetur, Gloria tibi domine. Finito Euangelio, respondetur, Amen. mox sacerdos, Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu tuo. Postea dicitur Alleluia cum versu, sicut nunc ante Euangelium. quod dum cantatur, sacerdos offert hostiam cum calice, vtens orationibus aliquot deuotis, quas hic referre longum esset: mox thura adolet, non secus atque hodie fit. Quibus peractis, sacerdos ante medium altaris dicit alta voce, Adiuuate me fratres in orationibus vestris, & orate pro me ad Deum. Respondet chorus,

An. dom. Adiuuete Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Deinde cantatur sacrificiū, nempe antiphona cum duobus vel tribus versibus. quod dum fit, sacerdos lauat manus dicens, Lauabo inter, &c. ac benedicit oblationem tribus digitis: postea inclinatus ante altare, summissa voce dicit, Accedat ad te in humilitate spiritus, &c. nam oratio longiuscula est, sed valde deuota, quam claudit elatiore voce dicens, Per te Deus meus, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen. Incipitur nunc missa. Sacerdos: Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum, &c. Oratio de tempore vel sancto, sine Oremus: in cuius fine respondetur, Amen. Deinde sacerdos: Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus & viuis, & omnia regis in sæcula sæculorum. Respondetur, Amen. Si est festum aliquius sancti, prius legitur aliquid de vita sancti, deinde fit oratio faciēs mentionem etiam de miraculis vel doctrina sancti. Mox sacerdos eleuatis manibus dicit, Oremus. Respondet chorus: Hagios, Hagios, Hagios, Domine Deus Rex æternæ gloriæ, tibi laus & gratia. Deinde fiunt orationes pro ecclesia catholica, pro captiuis, infirmis, & tribulatis, cum commemoratione Apostolorum, Martyrum, quorum multa nomina recitantur, & Paupantium. quo nomine illic intelligi putandos Dei confessores, qui in Domino & sancta pace quiescunt. nam multa nomina recitantur, & inter ea Ambrosii, Augustini, Fulgentii, Leandri, Isidori, &c. & omnium paupantium. Deinde dicit sacerdos aliam orationem festo ac die congruam, qua finita respondetur, Amen. Sacerdos: Quia tu es vita viuorum, sanitas infirmorum, ac requies omnium fidelium defunctorum in sæcula sæculorum. Chorus: Amen. Mox fit oratio ad pacem, qua finita dicit sacerdos, quia tu es vera pax nostra, &c. mox sublatis in celum manibus dicit: Gratia Dei patris omnipotentis, & dilectio domini nostri Iesu Christi, & communicatio Spiritus Sancti, sit semper cum omnibus nobis. Respondet Chorus, Et cum hominibus bonæ voluntatis. Rursus presbyter: Quomodo astatis, pacem facite. tunc Chorus cantat responsum, Pacem meam do vobis, &c. Interea sacerdos accipit pacem de patena, dicens: Habete osculum dilectionis & pacis, vt apti sitis sacrosanctis mysteriis Dei. mox dat pacem diacono vel puero, puer populo. Sacerdos iunctis manibus inclinatus dicit, Introibo ad altare Dei. Respon. Ad Deum, &c. Postea manibus super calicem positis, inquit, Aures ad dominum. Respon. Habemus ad dominum. Sacerdos: Sursum corda. Respon. Leuemus ad dominum. Sacerdos inclinatus iunctis manibus, Deo ac domino nostro Iesu Christo Filio Dei, qui est in cælis, dignas laudes, dignasq; gratias referamus, & dicens hæc postrema verba, attollit manus in altum. Respondet Chorus: Dignum & iustum est. Sacerdos: Dignum & iustum est, &c. sequitur enim longa ac deuota illatio, post quam dicitur, Sanctus, fere more nunc vsitato. Deinde post duas orationes breues, fit cōsecratio iisdem omnino verbis, quibus hodie vtitur ecclesia: mox eleuatur sacrosancta Eucharistia. Postea dictis duabus orationibus succinctis, sacerdos accipit corpus Domini de patena, & ponit super calicem apertū, vt hodie quoq; fit, ac dicit alta voce, Dominus sit semper vobiscum. Respon. Et cum spiritu tuo. Sacerdos: Fidem, quā corde credimus, ore autem dicamus: & eleuat secundo corpus Christi, vt videatur a populo. Mox cantatur Symbolum fidei, ita vt est in concilio Niceno. Quod dū fit, Sacerdos frangit Eucharistiam per medium, & ponit dimidiatam partem in patena, & ex altera parte facit quinque particulas, ex altera vero quatuor, deinde ponit omnes simul in patena in modum crucis, habetque suam quæque particula nomen: Quinque priores dicuntur Corporatio, Natiuitas, Circuncisio, Apparitio, Passio: quatuor reliquæ, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum. Postea digitis super calicem accurate purgatis, & cooperto calice, facit Memento pro viuis, vt ipsorum more loquar. Mox dicitur oratio dominica ad hunc modum: Verbum patris quod caro factum est, vt habitates in nobis, præsta nobis, vt qui reuenerit iam credimus, ab omni peccatorum eruamur contagione, cum præceptionis tuæ oraculis proclamauerimus in terris: Pater noster, qui es in cælis. Respondetur, Amen. & eodem modo respondetur ad singulas petitiones, præterquam ad illam, Panem nostrum, &c. ad quam respondetur, Quia tu es Deus. Deinde

Deinde dicit orationem deuotissimam, quæ incipit, Liberati a malis, &c. & tunc dicitur pectus dicit, Pone domine finem peccatis. Qua finita, acceptam particulam, quæ dicitur Regnum, præmissa oratione ponit super calicem: mox addita alia immitit in illum. Post hæc dicit: Humiliate vos benedictioni, & certis quibusdam formulis benedicit populo. Mox fit secundum Memento, vt sic loquar, pro defunctis. Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini cum quibusdam deuotis precationibus, atque interim cantatur a choro, Gustate & videte, quam suauis est Dominus, &c. Absoluta communionem cantatur antiphona, Refecti Christi corpore, &c. & libro in sinistrum cornu altaris translato, dicit sacerdos orationem, in cuius fine respondetur, Amen. Deinde sacerdos, Per misericordiam tuam Deus noster, qui es benedictus, & viuis, & omnia regis in sæcula seculorum. Respondetur, Amen. Dominus sit semper vobiscum. Respondetur, Et cum spiritu. Postea presbyter vel diaconus: Solennia cōpleta sunt in nomine domini nostri Iesu Christi, votum nostrum sit acceptum cum pace. Respondetur, Deo gratias. Quamdiu sacris operatur sacerdos, nunquam se conuertit ad populum. Atq; hic erat modus celebrandi apud Hispanos tempore Gothorum, quo etiam postea vsi sunt, vsq; ad tempora Alfonsi sexti, sicut diximus. Quomodo vero sublatus sit, suo loco dicemus. F. Ioannes Laziardus Cœlestinus in epitome vniuersalis historiæ mentionem facit huius sacrificandi ritus, sed paucis, vbi illud addit, quod quando leuatur Eucharistia, diaconus cantat alta voce: Videte, in quem creditis. Sed hoc in Hispania non seruat.

Eodem anno, nempe 717. Muza & Tarif Barbarorum duces vocati sunt ab Vlit Miramolino ad reddendam rationem rerum gestarum. Quidam se itinere accingerent, Muza filium suum Abdulaziz Hispaniæ præfecit. Qui cum sedem Hispali fixisset, Egilonem Roderici Gothorum Regis vxorem duxisse fertur, de qua re paulo post dicemus. Tarif certior factus, quod Pelagius collectis ad se Christianorum reliquiis, Rex ab eis saluatus esset, ægré ferens rem iudicio suo tam indignam, Alchaman virum rei bellicæ peritum, contra eum cum magnis copiis misit, cui addidit Oppam Hispalensem quondam Archiepiscopū, si forte vel verborum lenocinio, vel promissis, vel etiam minis ipsum ab instituto posset auertere. De quorum aduentu, quum nunciatum Pelagio esset, cum suis omnibus in Auseuam montem progressus, mille secum selectiores in specum quandam prægrandem duxit, reliquos qui bello videbantur minus idonei, iussit in præcipitiis montis euentum rei expectare. Mox Oppas (Olpam alii appellant) ad Pelagiū missus, dolere se ex animo vicem illius dicebat, qui tā exiguis atq; imbellibus fretus copiis, resistere se posse tanto exercitui vana spe crederet. Gothorum potentiam & bellicam gloriam Arabum virtute fractam, atque ad nihilum redactam: quid se futurum speraret, cuius nullæ essent vires. Proinde ne se ac miseram gentem in vnus horæ discrimen daret, sed rebus suis consulere, dum aliqua misericordiæ spes in victoris clementia esset. Quod ni mature faciat, eam subeundam fore fortunam, quam hostis iratus dederit. Ad quæ Pelagius animo intrepidus fere in hunc respondit modum: Satis illum iam verborum Christiano nomini dedisse, desineret tandem falsis persuasionibus miserorum animos ludificari, atque a tuenda religione Christiana auertere. Senon suis copiis confisum, quas sciebat quam haberet exiguas, tam numeroso hostium agmini resistere ausum esse, sed diuini spe auxilii fretum, contra cuius numen nulla quicquam valeat humana potentia: hac spe fultum, non illius technas, non hostium minas, non Barbarorum tela timere, sed quicumque futurus sit rei exitus, forti animo ad ferendam omnem pro Christi fide afferenda fortunam paratum esse, neque dubitare se, quin tandem futurum sit, vt clementissimus Deus suorum misereatur. Postquam animaduertit Oppas constantiam Pelagii, regressus ad Barbarorum duces, ait verba nihil prodesse, nullam nisi in armis spem esse. Continuo cœperunt Barbari specum, in qua cum suis latitabat Pelagius diuinam opem ex intimis animi penetralibus implorans, omni tormentorum ac telorum genere oppugnare: sed Dei singulari beneficio factum est, vt tela retro in suorum perniciem verterentur, sine vllo Christiano-

An. dom. rum incommodo. Dicuntur propriis telis circiter viginti Barbarorum millia perisse. Quæ res tam ingentis spiritus Christianis subdidit, ut specu egressi, magnam in reliquos stragem ediderint, Alchaman ducem hostium occiderint, Oppam ceperint, de quo quid actum sit, memoriæ proditum non reperitur. Quicumque Barbarorum hanc stragem effugere potuerunt, in abrupta montium fugientes, partim Christianorum armis perierunt, partim montis ruina oppressi sunt. Hanc tam insignem victoriam diuino munere consequuti sunt Christiani anno Domini septingentesimo decimo octauo.

718 Eodem anno Tarif & Muza ad Vlit Miramolinum profecti sunt: sed anteuer-
tens Tarif, ita Muzam apud Miramolinum detulit, ut non solum non fuerit benig-
ne susceptus, sed etiam grandi pecuniâ multatus. Ex qua re paulo post dolore co-
tabuit. Hanc horum ducum vocationem Rases dicit fuisse quarto anno post cla-
dem Hispaniæ: Isidorus Pacensis decimo quinto mense. Paucis post diebus mor-
tuo Vlit, Zuleima frater ipsius Arabum successit imperio, regnavitque annis tri-
bus. Alahor siue Alhor (hunc Zuleima in locum Muzæ præfecerat, quamuis
alii Vlit adhuc superstite missum dicant) vbi audiuit stragem suorum Pelagii au-
spiciis factam, suspicatus insidias a Iuliano & filiis Vitizæ, bonis omnibus illos & vi-
ta multauit. Quod quidam Muzæ quoque adscribunt.

719 Abdulaziz, qui, ut diximus, ducta Roderici Regis vxore, Hispali sedem regni
fixerat, cum vxoris suasu contra Maurorum consuetudinem, titulum ac diadema
regium vsurparet, coniuratione suorum, dum orationi vacaret, tertio regni sui
anno obruncatur. Existimabant enim illum ad Christianorum sectam desciuisse.
Post quem regnavit Aiub mensis quinque, dies viginti, qui sedem regni Cordu-
bam transtulit, ut ait Rases. Post Aiub regnat in Hispania Alahor Abderamenis
filius, annos duos, menses novem. Hic Arabes qui in prima Hispaniæ expugnatio-
ne fuerant, crudeliter habuisse dicitur, ut thesauros quibus eos potitos existima-
bat, extorqueret. Rases Alahor post Abdulaziz, quem ipse vocat Abelaziz, &
Aiub ponit, sed meo iudicio illi in numerum præfectorum siue Regum Hispaniæ
non recte veniunt, quippe qui legitimo imperio functi non sunt. Quin & hos alii
aliis annis ponunt: ego eum numerum sequor, qui mihi visus est vero propior.
Eodem anno, nempe Æra septingentesima quinquagesima septima (ut ait Isido-
rus Pacensis) eclipsis solis fuit per totam Hispaniam, ab hora secundum alios sexta,
secundum alios septima, vsque ad horam nonam tanta, ut stellæ tanquam de no-
cte lucerent. Zuleima Homar & Izit filios fratris sui, successores imperii Ara-
bici designat.

720 Mortuo Zuleima, Homar & Izit imperium Arabum assumunt, sed mox Ho-
mar rebus humanis sublato, solus Izit regnat annis quatuor. Hic misit Adham fi-
lium Melic in Hispaniam, qui aliis dicitur Abraham. is Hispaniam rexit annis duo-
bus cum dimidio, quem Rodericus Toletanus nunc Adham, nunc Azam appel-
lat, atque eius iussu pontem Cordubensem constructum ait. Addit Rases hunc a
Mauris quintam partem bonorum omnium petiisse, per speciem dandi pauperi-
bus, sed re vera, ut eos ita opprimeret, ne in illum possent aliquando resurgere. To-
letanus ait illum oppidis & castellis in Hispania per vim captis quintam partem, de-
didit: vero decimam fortunarum omnium tributi nomine imposuisse. Mortuus
est Dertosa, ut inquit Rases, dum a vastatione Turiaffonenfis ciuitatis rediret, ut
inquit Toletanus. Eodem tempore Arabes Pyrenæos montes transgressi, Gal-
liam Gothicam misere vexant, & capta Narbone, Tolosam obsident, duce Zama,
ut inquit Toletanus, cui a Gallis occiso Abderamenem sufficit, donec alius a Mi-
ramolino dux mitteretur. Chronica Regis Alfonso hunc Zamam eundem faciunt
cum Azam siue Adham. Denique tanta est nominum confusio, ut non facile ex-
plorati aliquid scribi possit. Quam ex eo natam arbitror, quod per varios Hispania
regeretur, quibus tamen omnibus vnus præerat, qui Cordubæ Rex dicebatur,
quantum ex veterum monumentis conicere datur.

722 Pelagius Rex, confluentibus vndiquaque ad ipsum nuncio recentis victoriæ
Christianis, fortior factus, Legionem ciuitatem Mauris eripit, & fortiter contra
Sarra-

Sarracenos audendo, quasi signum aliquod ad bene de Rep. Christiana sperandū
attollit. Idem dimissis Gothorum Regum insignibus, insignia cepit leonem ru-
brum in campo candido, quibus hodie quoque Reges Legionenses vtuntur.

Mortuo Isid Miramolino succedit Iscan frater ipsius, qui regnavit annis 21. Hic
in Oriente per duces & legatos suos multa præclara gessit, in Occidente vero ni-
hil memoratu dignum, adeo deditus accumulandæ pecuniæ, ut omnes præcesso-
res suos opulentiâ vicerit.

Anno Arabum 107. Ishaeca præficitur Hispaniæ, ut inquit Isidorus Pacensis.
Huius mentio fit in Chronicis Regis Alfonso, vbi dicitur hic regnasse in Hispania
annis duobus cum dimidio.

Eudo Dux Aquitaniæ victus fugatusque a Carolo Martello Rege Francorum,
Sarracenos ex Hispania contra illum in auxilium suum euocat. Qui numero ad
quadringenta hominum millia, cum vxoribus, liberis, ac seruis, duce Abderame-
ne (Abdiramam Galli scriptores appellant) tanquam in certas sedes ex Hispania
in Vafconia venere, quacumque iter facerent, tum sacra, tum prophana nullo discrimi-
mine hostiliter depopulantes. Ex annalibus Francorum & Iacobo Meyero.

Carolus Martellus adiuuante Eudone, qui Barbarorum aduentu pressus, facili-
e ad pacem inclinauerat, ante urbem Turonensem grauissimo prælio cum Sarracenis
confluxit, & incredibilem in eos stragem edidit. Nam cecidere ad trecenta
septuaginta quinque Barbarorum millia, in quibus Abderamen cum omni prope
nobilitate sua: ex Christianis tantum mille quingenti desiderati, sicut ex ipsius
Caroli Martelli literis, ad Stephanum secundum Romanum Pontificem, consta-
re affirmat Iacobus Meyerus.

Mortuo Ishaeca, mittitur in Hispaniam Adaisa Alcazain, vir leuis ingenii, & ob
id paucis post diebus regno pulsus, cui subrogatus est Hiemen, qui & ipse quinto
regni mense defunctus, successorē reliquit Autuman. Quin & huic ipsi post qua-
tuor mensis defuncto, successit in regnum Cordubæ atque administrationem to-
tius Hispaniæ Alhatam, qui ob crudelitatem suis inuisus, decimo post mense, iussu
Iscanis Miramolini, regno pariter & vita priuatus est.

Eudo Aquitaniæ dux fato concessit, Hunoldus & Vaisarus filii ut Aquitaniam
recipiant, Sarracenos in auxilium accersunt, qui incendiis ac direptionibus vsque
ad Burgundiam pene omniam vastarunt. Quibus Carolus Martellus cum copiis oc-
currit, & cedere coegit. Ex Annalibus Francorum. vbi nescio qua autoritate le-
gitur, Vesogothos & Arianos in auxilium vocatos, cum Ariana hæresis in Hispania
fere centum quinquaginta annis ante fuerit extincta, & etiam Gothorum siue
Vesogothorum nomen iam tum deletum extiterit, & quæ supererant illorum re-
liquiæ, tuendis suis finibus tantum haberent negocii, ut alienos infestare non libe-
ret. Proinde non Vesogothos illic, neque Arianos, sed Sarracenos legendū iudico.

Pelagius multis rebus aduersus Barbaros præclare gestis, multisque receptis op-
pidis moritur, sepultus apud Canicas. Non ighoro alios mortem ipsius ponere
732. sed & ego antiquos autores habeo, & certis de causis hunc annorū numerū
sequor. Successit illi Fasla filius, qui regnavit annos duos, menses sex. Eodem
anno Sarraceni maioribus quam antea copiis ex Hispaniis Gallias repetunt, & A-
uenionem proditione occupant, atque etiam Narbonem. Ex Annalibus Fran-
corum.

Carolus Martellus multorum validis adiutus auxiliis, obuam Sarracenis pro-
fectus, Auenionem expugnat, Athinus Barbarorum Rex Narbonem fugit, Amo-
reus & ipse Rex Sarracenorū Narbonensibus obsessis opem dum ferret, cum to-
to suo exercitu ad interuentionem cæsus prope Illiberim. Athinus Rex relicta Nar-
bone fugit, Martellus reliquias belli persequitur non sine multarū urbium incen-
diis. Ex Annalibus Francorum & Iacobo Meyero. Rodericus Toletanus aliter
hæc refert, sed abluere mihi multum a veritate videtur historia.

Fasla dum inconsultius venationi operam daret, ab vrsolaniatus est. Succedit
illi Alfonso cognomento Catholicus, filius Petri Ducis Cantabriæ, ex genere Ri-
caredi Catholici Gothorum Regis, gener Regis Pelagii. Nam filiam eius Ormi-

An. dom. sendam uxorem duxit, ex qua filios tres sustulit, Froilam & Vimarum & Aurelium, ac filiam vnā nomine Odifindam, præter quos habuit & Mauregatum ex concubina. regnauit annis nouēdecim, mense vno, die vno. Hic religionis Christianæ non solum obseruator studiosissimus extitit, sed etiam amplificator felicissimus. Nam Lucensem ciuitatem, Tudem, Asturicam, bonam Castellæ partem, Abulam vsq; Christianis restituit, in Portugallia quoq; Bracaram anno regni sui secundo, atq; in multis ciuitatibus episcopos instituit, ecclesiis ornamentis necessariis, vt in tali tempore, magnifice ornauit, sacros libros summo studio perquisitos in locis sacris reposuit, deniq; talem se præstitit, vt tam Deo quam hominibus fuerit amabilis.

741 Frodoarius, Vrbanus, Euantius, & alii viri sancti, de quibus superius sumus loquuti, hoc anno, nempe Æra septingentesima septuagesima nona, in sancta pace quicuerunt, vt ait Isidorus Pacensis.

744 Circa hunc annū, hoc est, Æra septingentesima octogesima secunda, doctrina & sanctitate floruit Cixlia, ab incunabulis educatus in obsequio Dei, præsul Toletanus, qui nouem annis episcopatu inter Christianos qui misti Arabibus Tolcti viuebant, functus est. Ex eodem.

747 Hoc anno, vel secundū alios, præcedenti, Nonis Aprilis, die Dominico, Cordubæ, hora prima, secunda, & tertia, cunctis videntibus, tres soles in cælo miro modo lucentes, & quasi pallentes, falce ignea vel smaragdinea præcedere visi sunt. 20 Ex eodem. Toletanus addit intolerabilem famem secutam esse. Eodem fere tempore Petrus Toletanæ sedis episcopus, cognomento Pulcher, claruit, & ad Christianos Hispani habitanteis de pascha erranter celebrato libellum elegantem conscripsit.

748 Huius tempore Regis Iscan Miramolinus moritur, suscipit imperiū Vlid, cōtra quem Hispania rebellionē insurrexit. Ad quos motus sedandos Abubacar in Hispaniam cum imperio missus, paucis post diebus occisus est. Huic successerat Abdemelic. Abdemelic vero regnauit anno vno & successit Oca, siue Ocha, qui illum regno expulerat, atq; interim regnauerat annis quinq;. Nā ante Ocham Abdemelic annis quatuor, ante Abdemelic Abderamen tribus fere annis, ante Mahometes duobus mensibus, ante hunc Manes exiguo tempore, ante Manem Alhatam, de quo superius diximus. Hæc fere ex Roderico Toletano. Nam Rases multum diuersa prodidit. Vlid imperauit annis duobus. In Hispania occiso Abubacar regnat Redoam. hunc Toban appellat Toletanus, nisi mendosus est liber. Regnauit hic admodum exiguo tempore.

750 Mortuo Vlid, imperium adepti sunt Arabum Abraham frater Vlid & Maroan: sed Maroan anno secundo occidit Abraham, & solus regnauit annis sex. Ex qua cæde magnæ seditiones inter Arabes exortæ sunt.

752 Thoaba regno præficitur Hispaniæ, vir bellicosus ac nobilis, sed post annum vnum regno pariter & vita cessit.

753 Iuzef siue Iuzaf regnatus mittitur in Hispaniam, qui fuit admodum iniquus Christianis. Huius tempore dicit Rodericus Toletanus visos Cordubæ tres illos soles, de quibus diximus. Addit Rases toto biennio non pluuisse in Hispania, atq; inde totam Hispaniam maxima rei frumentariæ & aliarum rerum inopia laborasse. Videtur hic regnasse nouem annos. Iuzaf siue Iuzef Arabibus dicitur, quem nos Iosephum appellamus.

756 Hoc anno secundum antiquissimos quosdam commentarios quos sequutus sum, mortuus est Alfonso Catholicus, in cuius transfu pfallentium voces auditæ dicuntur in aere: Ecce quomodo tollitur iustus, & nemo considerat, ablatus est a facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Sepultus est cū vxore Ormisenda in ecclesia diuæ virginis, in territorio Canicēsi. Patri defuncto successit filius Froila, & regnauit annos vndecim, menses quinq;, dies viginti, sicut in Alcobaciensi codice, & alio Chronico perantiquo, atq; etiam historia Compostellana reperi. a qua opinione non multum discrepant Chronica Regis Alfonsi, quæ duodecim illi tribuunt. Toletanus & qui illum sequuntur, tredecim annos regnasse affirmant.

Hic

Hic quanquam alioqui malus & crudelis, tamen diuino fauore vsus est, quia licentiam coniugalem qua sacerdotes Hispaniæ a tempore Vitizæ fuerant vsi, penitus sustulit, eosq; castitatem & continentiam quam sacri canones præscribunt, seruare coegit.

Froila cum duce Cordubensium Omar, vel (vt alii volunt) Iuzef, qui Galliciæ fines infestabat, collatis signis, insigni victoria potitus, cæcidit hostium quinquaginta quatuor millia, ducem cum paucis qui cædi supererant, in turpem fugam conuertit. Ingens gloria, nisi tantum decus obscurasset scelus admissum in fratrem Vimarum, quem, quod omnibus ob formam & egregiam indolem charus esset, veritus ne fauore populari fretus ad regnum aspiraret, impia morte peremir, cuius tamen sceleris pœnitentia ductus, filium eius Veremundum in regni successione adoptauit. Hic Ouetensem ciuitatem condidisse & cathedræ illi sede fertur ornasse. Huius tempore Regis venit in Hispaniam Abderamen, eamq; occupauit, primum fugato, deinde occiso Iuzef, seq; Miramolinum Hispaniæ & Regem Cordubæ appellari iussit, regnauit annis 33. Atq; hoc primum tempore Hispania Miramolino Babylonici subiecta & vestigialis esse desit. Hoc factum, secundum Toletanum, anno Arabum centesimo quadagesimo secundo, qui cadit in annū Domini septingentesimum sexagesimum. At secundum Rases, anno illorum centesimo trigésimo octauo, hoc est, quatuor annis prius. Addit Rases, hunc fuisse

20 se Moabiæ ex agricola Regis filium. Idem ait, quum Abderamen exercitum moueret ad expugnandam Valentiam, Christianos metu illius perterritos, corpus diui Vincentii quem tanquam Deum adorabant, & miraculorum fama celebrabatur (loquitur enim vt Sarracenus) secum fugientes asportasse: quos homines Allibohaces eques Fecensis postea venatum profectus, ad oram maris in Algarbio, in fine montis qui mare illud ingreditur, reperit, & homines quidem occidit, pueros captiuos abduxit, corpus vero Sancti illuc reliquit. Locus ille prisca dictus est Promontorium sacrum, forte præfatio rei futuræ: Nunc appellatur promontorium diui Vincentii. Hæc omnia Andreas Refendius in scholiis in Vincentium suum martyrem & leuitam copiosius ad verbum ex ipso quoq; Rase expressa prosecutus est, ex quo, & ipso quoq; Rase, cuius ille mihi copiam pro sua humanitate fecit, ego pauca hæc delibauit. Quæ hoc loco in Chronicis vulgaribus leguntur de Caroli Magni cum patre Pipino discordia, & aduentu in Hispaniam ad Galatium Regem Toletanum, deq; Galiana Galatium Regis filia ab eo mutuo amata, atq; in Galliam abducta, & postquam esset salutaris aqua lauacri tincta, in coniugem accepta, quia apud alios autores non inuenio, consulto missa facio. Toletanus quidem leuiter huius rei meminit, sed nihil affirmat. Sebastianus tamen Munsterus in Cosmographiæ suæ lib. 3. Galianam Carolomanno Caroli Magni fratri primam uxorem tribuit.

30 Mortuus est Garfias Ximentius, primus, vt diximus, Suprarbrorum in Nauarra Rex, cui successit Garfias Ennitus, & regnauit annos 44. Hic Pompelonem primariam Nauaræ ciuitatem, & multas circumquaq; arces ac municipia, a dira Barbarorum tyrannide liberauit, atq; Christi Opt. Max. cultum reduxit. Sepultus & hic ad diui Ioannis, apud patrem.

40 Verus Archiepiscopus Hispalensis, eruditione, scriptis, & vita clarus, floruit sub Pipino, vt inquit Ioannes Trittemius.

50 Froila in vindictam fratris occisi, a fratre vicissim Autelio occisus est, vt aiunt Tudensis & Burgensis: vt alii, a suis, relicto filio Alfonso Casto, & filia Ximena, matre Bernardi Carpiensis, ex vxore Monina siue Menina, quam ex nobilitate gentis Nauaræ ad conciliandos eos duxerat. Post eum regnauit Aurelius frater ipsius, parricidio regnum adeptus, regnauit autem annis sex, & totidem mensibus. Quo regnante, bellum seruile in Hispania exarsit, seruis contra dominos arma sumentibus, quod tamen Regis prudentia mox sopitum est, & serui in pristinam seruitutem redacti. Nulla illius contra Sarracenos prælia leguntur. Tandem rebus humanis sublatus, apud Canicas sepultus est.

An. dom. Mortuus est Asnar primus Aragoniæ Comes, qui Iaccam ciuitatem & multas
771 arces atq; oppida de Barbarorum fœda seruitute ad Christianæ religionis cultum
reduxit. Successit illi filius Galindus.

774 Silo, nomine vxoris, regnum Legionis & Asturiarum consequutus est. Duxe-
rat enim Odifindam Alfonso Catholici filiam. Hic principio regni pacē cum Sar-
racenis pepigit, ad opprimendos qui rebus nouis studebant, & imperium eius de-
tractabant. Sed cum neq; filios haberet, neq; spem suscipiendæ prolis, animum a
negociis regni ad ocium & quietem auertit, administratio & summa rerum penes
Alfonsum Castum erat, Odifinda regina amita ipsius hoc proeuitante. Regnauit
annis nouem, mense vno, die vno. Ita in Alcobaciensi codice & alio Chronico
perantiquo, atq; etiam in historia Compostellana reperi. Tamen Toleranus, & il-
lum sequuti, tantum octo annis regnasse aiunt. Idnabala Sarracenis, Cæsarau-
gustæ regulus, ab Abutauro & Deuisfezo aliisq; Sarraceniū Regibus dome-
stica seditione regno pulsus, a Carolo Magno cuius opem implorauerat, Cæsar-
augusta obsessa, & certis conditionibus dedita, restitutus est, & finitimi reges ve-
ctigales facti. In conditionibus hoc erat, vt Christi famulos concionanteis audi-
rent. Ex Annalibus Francorum & Iacobo Meyero. Quæ hic de offensione Caro-
li Magni in reditu addunt, posterius contigerunt, vt non solum ex Chronicis Hi-
spanorum, sed etiam Sigeberto constat. Illud quoq; adiiciunt, Pompelonem eo-
dem tempore a Carolo Magno captam, quod Aragonensium rerū scriptores ne-
gant, & Garsia Ennico tribuunt, vt diximus.

783 Mortuo Silone, atq; Oueti ad diui Iohannis Euangelistæ, quam ecclesiam ipse
& edificauerat, sepulto, regnum Legionis & Asturiarum communi omnium
agnatum suffragio delatum est Alfonso Casto. Quod quum iniisset Alfonso, Mau-
regatus patruus ipsius, & Alfonso Catholici ex pellice filius, comparatis Sarrace-
norum auxiliis ipsum regno deturbauit, atq; in eam Cantabriæ partem quæ Ala-
ba dicitur, recipere se ad suos compulit. Auxilia vero Barbarorum turpissimo pre-
cio præter omne fas ac decorum redemit, nimirum annuo tributo quinquaginta
nobilium virginum, & totidem plebeiarum. tot enim singulis annis illorum hæ-
fandæ libidini, ex pacto, Rex ipse impurissimus exposuit. Quapropter merito pro-
pter hoc & alia vitia, tum deo, tum hominibus exosus fuit. Regnauit annis quinque,
mensibus sex, quibus exactis, apud Prauiam urbem Rex prauus sepultus est. Tu-
densis in numero annorum iam mihi suffragatur. Ait enim ipsum regnum inua-
sisse Æra octingentesima vigesima prima, sicut codex Alcobaciensis, & Chroni-
con perantiquum, cuius mihi copiam fecit Resendius. Quod ideo adiunxi, ne
quis arbitretur, me temere a Toletano & aliis dissentire. Sed Silonem ad D. Sal-
uatoris sepultum esse, non ad D. Iohannis, ex monumenti inscriptione patet, quod
paulo post referemus.

787 Hoc anno, nempe Arabum centesimo sexagesimo nono, Abderamenis iussu
& expensis cœpta est edificari Mesquita Cordubensis (Mesquitas Arabes templa
sua appellant) opere adeo superbo, vt omnes Sarracenorum Mesquitas facile su-
peraret. Quod opus hodie quoq; visitur Cordubæ, consecratum in ecclesiam ca-
thedralem, & amplitudine & columnarum multitudine admirandum. Eodem
anno mortuus est Abderamen Hispaniæ Miramolinus. Reliquit vndecim filios
& nouem filias, sepultus est in arce Cordubensi. Successit illi filius suus, qui Toleta-
no dicitur Hissem, Alfonso Regi Ixeca, Rasi Ismien. quem Zuleima frater regni
conatus exturbare, non solum spe sua decidit, sed etiam tota Hispania cedere ius-
sus est. Regnauit annis septem, mensibus ac diebus totidem.

789 Matregato defuncto successit Veremundus Vimarathi filius, regnauit annos
duos, vel secundum alios, tres. Nam retiocans in memoriam, quod esset olim ad
sacrum diaconatus ordinem promotus, regnum Alfonso Casto cessit, & vxore
Imilone, ex qua filios duos Ranimirum & Garsiam sustulerat, posterius abstinuit.
Vixit postea cum Alfonso Casto annos quatuor, menses sex, sepultus cum vxo-
re Oueti.

791 Alfonso Castus tandem regno suo restitutus est, maximo omnium applausu,
qui a

qui a perpetua vitæ castitate cognomentum hoc meruit, vir omnibus virtutibus
optimo principe dignis præditus. Regnauit annis vno & quadraginta: sed anni
Mauregati & Veremundi huic adscribuntur.

Iacobus Meyerus in Chronico rerum Flandricarum ait, hoc tempore Olifi-
ponem ab Alfonso Rege, ope Caroli Magni, a Barbaris receptam, & Barcinonem
ciuitatem recuperatam. Idem affirmat Platina in vita Leonis tertii. Et Barcinonē
quidem per hæc tempora a Carolo Mauris ademptam reperio, sed Olisiponis re-
ceptæ in Annalibus Hispanorum, quos ego quidem videre potui, mentio nulla
extat. Inuenio quidem Olisiponem bis a Sarracenorum tyrannide liberatam, se-
mel ab Alfonso sexto, eo qui Toletum Christianæ religioni restituit, idq; Æra mil-
lesima centesima trigesima prima, hoc est, anno Domini millesimo nonagesimo
tertio, vt ex codice Alcobaciensi & alio Chronico perantiquo notauit, quum tamē
Toletanus eius rei non meminert: posterius ab Alfonso Henrico, primo Portu-
galliæ Rege, anno domini millesimo centesimo quadragesimo septimo. Porro
quod ab Alfonso Casto recuperata fuerit (nam alius Alfonso Rex Caroli Magni
tempore non extitit) hæcenus nusquam alibi legi. Eodem fere tempore Rex Al-
fonso ecclesiam S. Saluatoris Ouetensis ciuitatis extruendam curauit, & in eam
transtulit reliquias quæ Toletum & ex reliqua Hispania in Asturias delatæ fuerant:
simul & arcam reliquiarum, quæ ex Hierosolymis tempore Mahometis Hispanim
naui aduecta, inde Toletum delata, demum post annos sexaginta quinque in Astu-
rias asportata fuerat. In eadem crucem auream gemmis preciosis distinctam re-
posuit, quam angeli duo, peregrino habitu aurifices se esse testati, miro opere fa-
bre fecerant, nimirum Deo Opt. Max. sanctitatem optimi Regis tam insigni mira-
culo illustrante. Ita ferme qui de rebus Hispaniæ scripserunt. Sed Silonem esse tem-
pli illius autorem, constat ex monumento quod est Oueti in ingressu basilicæ San-
cti Saluatoris: vbi legitur ducenties septuagies,

SILO PRINCEPS FECIT.

TICEFSPECNCEPSFECIT
ICEFSPECNINCEPSFECI
CEFSPECNIRINCEPSFEC
EFSPECNIRPRINCEPSFE
FSPECNIRPOPRINCEPSF
SPECNIRPOLOPRINCEPS
PECNIRPOLILOPRINCEP
ECNIRPOLISILOPRINCE
PECNIRPOLILOPRINCEP
SPECNIRPOLOPRINCEPS
FSPECNIRPOPRINCEPSF
EFSPECNIRPRINCEPSFE
CEFSPECNIRINCEPSFEC
ICEFSPECNINCEPSFECI
TICEFSPECNCEPSFECIT

In Mausoleo.

H.S.E.S.S.S.T.L.

Hic situs est Silo. Sit sibi terra leuis.

An. dom. Anno Alfonsi Casti tertio Dux quidam Sarracenorum cum magnis copiis ad
 793 Asturias depopulandas venit, sed Alfonsus hosteis magno animo depulit, occisis
 septuaginta millibus cum duce ipforum.

794 Ixeca Miramolinus Hispaniæ, Cordubæ Rex defunctus, successorem reliquit
 Halihatam filium, qui regnavit annos viginti sex, menses decem, dies quindecim.
 Hic equitum quinque millia ad corporis sui custodiam delegit, partim Christianos
 qui a fide defecerant, partim eunuchos.

798 Hoc anno ad summum Pontificatum B. Leo tertius euectus est, cuius auctori-
 tate Compostella sedem & dignitatem episcopale sortita est, rogatu (vt aiunt) Car-
 10 roli Magni. Cū enim venerabile corpus Apostoli id temporis vsq; latuisset, Theo-
 domiro episcopo Iriensi diuinitus reuelatum est. Cuius rei fama excitus Carolus
 Magnus, eo peregrinationis causa, vt erat vir religiosissimus, profectus, deinde
 Leonem Papam rogauit, vt locum adeo sanctum & venerandum episcopali digni-
 tate nobilitaret. Facile concessit in tam piam petitionem piensissimus Pontifex, &
 Iriensem sedem Compostellam transtulit, ita tamen, vt episcopi Iriensis titulu re-
 tineret. Quod ita obseruatum est vsq; ad annum circiter octingentesimū septua-
 gesimum septimum: quo tempore Ioannes octauus Pontifex Romanus ecclesiā
 ab Archiepiscopatu Bracarensi exemit, & metropolitanam fecit. Placuit hoc Al-
 fonso Casto, & ciuitatem Compostellanam ecclesiæ illi cum aliis prouentibus ac
 muneribus dono dedit, vt annotauit Alfonsus Venerus ex Chronico quodā quod
 ad D. Dominici Legionē seruari ait. Postremus episcopus Iriæ, & primus Com-
 postellæ fuit Theodomirus vir sanctus. Hæc sicut ab aliis prodita sunt, referre hoc
 loco libuit propter eos quibus hæc quoq; placent. Cæterum quæ fuerint ecclesiæ
 Compostellanæ primordia & incrementa, superius in capite de recentioribus Hi-
 spaniarum episcopatibus, ex Compostellana historia & Apostolicis diuersorum
 Pontificum literis explicauimus. Nunc operæ precium facturus mihi videor, si quæ de
 ratione occultati atq; ignorati sanctissimi sepulchri, ac de reuelatione eiusdem in
 historia Compostellana reperi, hoc loco subiungam. Ea vero habent ad hunc mo-
 dum. Floruerat autem antiquitas in illo loco (de Compostella loquitur) inter
 Catholicæ fidei cultores Christiana religio. Sed tempore persecutionis ingruen-
 te, & superba paganorum tyrannide Christiani nominis dignitatem conculcante,
 totus fere Christianæ religionis cultus longo iam tempore euauerat. In toto igitur
 tempore Sarracenorum, & longo etiam tempore post restitutionem fidelium,
 veneranda Beati Apostoli tumba, nullius Christiani accessu frequentata, fruticum
 sylvarumq; spissitudine mansit diuissime cooperta, nulliq; vsq; ad tempus Theo-
 domiri Iriensis episcopi fuit reuelata aut cognita. Sed quando omnipotenti Deo
 placuit ecclesiam suam laborantem visitare, & eius aduersitatem in prosperitatis
 tranquillitatem conuertere, statim tempus suo potenti imperio mutauit, Regnum
 Hispaniæ transtulit, & gentili superstitione per regionem Hispaniam conculca-
 tam & prorsus annullatam Christi sui fidem inibi fuscitauit. Ante autem illius pe-
 40 stis expulsionem, Mirus bonæ memoriæ Rex, diuina dispensatione regni scepra
 suscipiens, primus Pontificales sedes per Hispaniæ prouincias, iuxta Romanæ ec-
 clesiæ normam, diuina gratia inspirante constituit, & Andream in episcopum eli-
 gens, Iriensis cathedræ primitus sublimauit. Hinc equidem hos infra scriptos or-
 dine successisse legimus, quorum nullam profecto præter nomina noticiam habemus.
 2 Dominicum, 3 Samuelē, 4 Gotomarum, 5 Vincibilem, 6 Felicem,
 7 Hildiulfum, 8 Seluam, 9 Leosindum siue Theosindum, 10 Enulam alias Benu-
 lam, 11 Romanum, 12 Augustinum, 13 Honoratum, 14 Hindiulphum. Præno-
 tatis autem episcopis fertur successisse Theodomirus, eadem cathedra diuina di-
 50 spensante gratia sublimatus. In cuius tempore diuinæ maiestatis omnipotentia
 Occidentalem ecclesiam, sepulchro tanti Apostoli reuelato, visitare & illumina-
 re dignata est. Qualiter autem reuelatum fuerit, sequens pagina patefacit. Qui-
 dam namq; perionati & magnæ autoritatis viri, præfato episcopo retulerunt, lu-
 minaria in nemore quod super beati Iacobi tumbam diuturna vetustate excreue-
 rat, nocturno tempore ardentia multoties vidisse, ibiq; angelos sibi frequentius
 apparuisse.

An. dom. apparuisse. Quo audito ipsemet ad eum locum, vbi illi se talia vidisse assererent, ac-
 cessit, & luminaria in prædicto loco ardentia propriis oculis procul dubio aspexit.
 Diuina igitur inspiratus gratia, præfatum nemusculum festinanter adiit, & dilige-
 tius circumspectans, quandam domunculam marmoream tumbam intra se conti-
 nentem inter sylvas & frutices inuenit. Qua inuenta, Deo gratias referens, Casti
 Regis Ildesoni qui tunc in Hispania regnabat, præsentiam incunctanter adiuit, eiq;
 rem vt audierat, & propriis oculis viderat, veraciter notificauit. Ipse vero tantæ au-
 dientiæ gaudio diffusus, citato calle has partes intrauit, & ad honorem tanti Apo-
 stoli ecclesiam restaurans, episcopium Iriensis sedis in huc locum qui Compostel-
 10 la dicitur, multorum episcoporum ac Dei seruorum, nobiliumq; virorum auto-
 ritate, atque priuilegio regali commutauit. Hoc autem sub tempore Caroli Ma-
 gni factum esse, multis referentibus audiuius. Theodomirus vero episcopus tan-
 to fidentius oculos mentis ad cælestis patriæ considerationē erigebat, quanto fre-
 quentius beatum Iacobum, post basilicam sibi factam, miraculis & virtutibus co-
 ruscare conspiciebat. Spe ergo cælestium præditus, aliquanto interiecto tem-
 pore, vitam securus effudit finali sorte interueniente. Hæc ad verbum ex Historia
 Compostellana, cuius mihi copiam Salmanticæ fecerunt integerrimi atque or-
 natissimi Collegæ Collegii S. Saluatoris, cui ego Collegio propter antiquam erga
 me beneuolentiam plurimum debeo.

20 Zuleima & Abdalia patru Halihatam, quos diximus ab Ixeca pulsos Hispania, 799
 audita morte fratris, cum exercitu hostili ex Africa in Hispaniam transferunt ad
 inuadendum imperium noui Regis. Quo non segniter obuiam eunte, alter illorū
 occisus est cum bona parte exercitus, alter in fugam versus: paulo post vltro se in
 fidem nepotis dedit, & magnis illius beneficiis vltus est.

Mortuo Garfia Ennico, secundo Suprarbrorum in Nauarra Rege, successit For- 802
 tunius Garfias, qui regnavit annis tredecim, & ducta vxore Galindi Aragoniæ
 Comitissæ filia, Aragoniæ Comitatus titulum accepit, vt iam dictum est. Regnavit
 annis tredecim.

Hoc anno aiunt Carolum accepisse cladem illam insignem apud Roncis val- 809
 30 lem, in qua multa Galliæ nobilitas occidit: sed ea clades ita varie ab autoribus refer-
 tur, dum alii dicunt in accessu factam, quando Hispanos qui Alfonso Regi regnū
 ipsi deferenti refragabantur, oppugnatum venit: alii gestis in Hispania rebus, in
 reditu offendisse. Vt vt est, illud inter omnes scriptores tam Hispanos, quā Gallos,
 constat, Carolum Magnū in saltibus Pyrenæis insigni clade affectum, cæsis aliquot
 ducibus ipsius, in quibus Rolando Caroli ex sorore nepote, & aliquot ex iis quos
 Franciæ Pares appellant, vt ait Robertus Gaguinus, atq; amissis omnibus impedi-
 mentis bellicis. Præcipua opera in eo conflictu fuisse dicitur Massilli Regis Cæsar-
 augustæ, cuius etiam Paulus Æmilii mentionem facit, & Bernardi Carpiensis. Hic
 nepos erat Alfonsi Regis ex Ximena sorore, quem illa ex furtiuo cōcubitu Sanctii
 40 Comitissæ, interposita tamen coniugii fide, suscepit. Quod quum Alfonso Regi in-
 notuisset, rem indignam grauissime ferens, sororem in Parthenonem abdidit,
 Sanctium in arcem Lunæ vincitum conclusit, vinculorum & vitæ terminum e-
 undem constituens. Bernardum apud se pro filio eduxit, cuius admirabilis in re
 bellica virtus, multis magnisque præliis frequenter enituit. Eodem anno, vel
 potius superiore, Sarraceni qui Toleti habitabant, immodica sceleritate inso-
 lentes, & dulci (vt inquit ille) fortuna ebrii, aduersus Halihatam Miramolinum
 suum insurrexerunt, iussa illius detrectantes. Quod quamuis ægre esset Regi
 Barbaro, tamen aduersus populum, præpotentem astu potius agendum ratus,
 quam vi, misit eo Oscensis ciuitatis præfectum, hominem apud illos gratio-
 50 sum, a quo regerentur, omnem rebellionis causam ab illis in præfectos suos trans-
 ferens, tanquam qui a religione officii sui declinarent. Per quem præfectum
 non admodum absumili techna rebellionis autores puniuit, & reliquos metu
 imperata facere coegit, atque olim Tarquinius Superbus Gabinos per Se-
 xtum Tarquinium filium subegit. Misit enim illic filium Abderamenem cum ex-
 ercitu, qui cum se ad bellum Christianis inferendum venisse simularet, in arcem
 Dd

An. dom. intromissus quam præfectus ille in medio vrbs per fraudem cōstruxerat, quo loco postea D. Christophoro ædes ædificata est, primores per speciem conuiuii ad se vocatos, dispositis ad eam rem apparitoribus, trucidari fecit ad quinque millia. Quorum infortunio reliqui p̄territi, veniam supplices poposcerunt, ac deinceps in fide & officio permãserunt. Rem totam fufius Alfonso decimus. Nobis summam rei velut adumbrasse sufficiat. Eodem anno duo Arabum duces diuisis exercitibus in Galleciam populabundi venerunt, sed Alfonso Rege non segniter agente, occisi, non solum repulsi sunt.

815 Fortunius Garfias, tertius Suprarbrorum in Nauarra Rex, fato concessit, post quem regnavit Sanctius Garfias annis 20. Hic se appellavit Regem & Comitem, multaque aduersus Sarracenos præclara gessit, & bonam Nauarræ partem a Barbarorum tyrannide sibi vendicavit: demum ab eis in prælio, dum incautius in hosteis irruit, occisus sine hærede decessit. Bernardus Carpiensis dum multis magnisque obsequiis Regem sibi deuinxisset, & illum in variis dubiis præliis tantum non ab hostibus oppressum liberasset, obnixè orauit eum, vt patrem ipsius vinculis solueret. Quod cum constanter sibi negaretur, se a fide Regis alienauit, & cum aliquot viris primariis sanguine sibi iunctis, in Saldaniam ditionem suam secessit, vnde crebris excursionibus ditiones Regis non leuibus incommodis affecit.

816 Mahometes quidam Emeritenfis, Abderamenem Halihatæ filium fugiens, in fidem Regis Alfonso receptus est, & terras, vbi habitaret, accepit: sed post biennium reuersus ad ingenium, violauit fidem, neque ita multo post perfidia: poenas capite luit, cæsis quinquaginta millibus Sarracenorum. tantum enim exercitum collegerat.

817 Mauri suburbii Cordubensis opibus suis freti, nouis rebus studere cœperunt, sed mature ab Halihata oppressi respuerunt.

819 Sarracenis mutuo bello implicitis, Christiani Barcinonem occupant. Ad quam recuperandam dum Halihatas, pace cum patris suis composita, se compararet, morbo correptus interiit. Reliquit filios nouendecim, filias vero viginti nouem. Post eum regnavit Abderamen filius eius, qui instituit, vt apud Mauros filii patrum hæredes essent. Nam ad eum vsque diem, fere defunctorum bona ad fratres, & aliquando etiam ad alienos redibant, omiffis filiis.

820 Barcino iterum a Sarracenis recepta.

824 Alfonso Castus iam animam agens, coram se Regem declarari ac salutari fecit Ranimirum, Veremundi Regis diaconi filium, quum alioqui regni successio ad Bernardum Carpiensem nepotem suum ex sorore Ximena lege rediret. Mox ipso defuncto, atque Oueta diuæ Virginis, quam ecclesiam ipse construxerat, sepulto, regnavit Ranimirus annis sex, mensibus nouem. Qui quum principio regni in Castella veteri quæ Bardulia olim nominata est, matrimonii causa abesset, Nepotianus Comes Palatii regnum collectio exercitu inuasit. Cuius rei factus certior Ranimirus, haud segniter se ad opprimendum hostem comparauit, quem prælio victum & captum erutis oculis in monasterium detrusit. Ranimiro regnante, fato concessit Theodomirus primus Cōpostellæ episcopus, cui sepulchrum B. Iacobi reuelatum diximus. Successit ei Athaulfus vir sanctus, qui populū sibi commissum diuini verbi pabulo quanta potuit vigilatia paut. Ex historia Compostellana.

825 Anno regni secundo Sarraceni a Ranimiro per legatos petierunt, vt tributum Christianarum virginum, quod Mauregatus annum promiserat, ex pacto solueret, si pacem cum eis ratã esse vellet. Ranimirus re eum primoribus regni communicata respondit, se tã indignis pactis stare nolle, atq; adeo ne pacẽ quidem illorum velle. Quod vt re ipsa comprobaret, conscripto iusto exercitu, agros illorū vastare cœpit Anagarum vsq;. Sed & hostes cum numerosissimis copiis obuiam profecti, anticipi prælio cum Ranimiro cōflicere, tantisper dum nox pugnam diremit. Christiani beneficio noctis periculo erepti, in locum editiorem (Clauigiũ dicebatur) se receperunt, vbi de rei euentu solliciti, noctem totam lachrymis & precationibus transegerunt, opem diuinam toto pectore implorantes. Mox Regem somno oppressum

pressum D. Iacobus Apostolus in somni iubet de exitu pugnae securum esse, victoriam Christianorum haud dubie fore, se Apostolum Iacobum esse, cui tutela Hispaniæ commissa sit, cuius propitiū numen postero die in prælio experturi sint: tantum animis ab omni vitiorum inquinamento, saluari confessione expiatis, & sacrosancto corporis Dominici sacramento communitis, ad conflictum postridie spe pleni procederent. Rex in somnium episcopis & magnatibus commemorat, qui tã faustum omen læti accipiunt, atq; Apostoli iussa diligenter faciunt. Mox se ad prælium alacribus animis comparat, tam certo pignore freti, Dei ac sancti Iacobi numen inuocantes, tantamq; in Sarracenos stragem edidere, vt supra sexaginta milia Barbarorum in acie cæsa sint. D. Iacobus in eo conflictu equo candido, vexillo niteo, & in eo cruce rubea conspicuus apparuit. Rex Calagurrim & nonnulla alia municipia atq; arces finitimas recepit. Ab eo tempore receptum est Hispanis, in præliis omnibus, præcipue si cum infidelibus ac paganis res est, Dei ac diui Iacobi numen implorare, quod ipsis pro militari tessera est. Ranimirus ne ingratus esset Apostolo pro tam insigni beneficio, de communi præsulum ac nobilium consilio statuit, vt pro singulis boum iugis, certa tritici mensura, qua in soluendis primitiis vtuntur, & de singulis vini modis altera vini singulis annis Diuo Iacobo solueretur. Quod hodie quoq; nonnullis in locis soluitur, & vorum appellatur, idq; vere: nam communi Regis, præsidum, magnatum, ac plebis consensu perpetuo vorum est, cum durissimis execrationibus, si quis in posterum violaret. Præterea vt in spoliis ac manubiis diuidendis ecclesia D. Iacobi in fortẽ veniret, atq; vni equitis numero esset. Extant de ea re literæ ipsius Regis Ranimiri, datæ Calagurri mense Maio, vel secundum alios, Iunio, quo mense victoriam hanc consequutus videtur, in quibus hæc omnia, quo diximus modo, referuntur, & voti institutio atq; cōfirmatio declaratur. Quæ literæ singulis annis in ecclesiis metropoli Cōpostellana subiectis vulgo recitantur. Quin & Paschalis Rom. Pontificis literas Apostolicas vidi, anno Pontificatus sui quarto datas, quibus ea vota confirmat. Eodem tempore Dieghus Valera ordinem militiæ diui Iacobi institutum ait, quamuis F. Alfonso Veneris principium illius circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum ponat, in qua opinione est & Raphael Volaterranus, & post illum Antonius Nebriffensis. Sed ego illis nequaquam accedo, ac Valerianam opinionem magis probo, tū quod eo tempore iusta instituendi causa fuerit, tum quod diploma Regis Fernandi primi vidi, & exemplar eius penes me habeo, de institutione monasterii S. Spiritus Salmanticae, in quo & huius ordinis, & magistri illius, & commendatiorum multa mentio fit, quemadmodum suo loco patebit. Porro Ferdinandus hic cœpit regnare anno Domini 1020. vel secundum alios, 1017.

Magna Normannorum classis in Galleciam appulit. quæ cum hostiliter omnia vastaret, Ranimirus obuiam profectus, magna illos clade affecit, & septuaginta nauis incendit. Reliqui Hispalim profecti, depopulati omnia, magnam inde prædam egerunt. In quodam libro vetusto reperi, tempore Ordonii centum naues Normannorum in Galleciam venisse, & post triennium ad suos rediisse.

Domitis hostibus, domestica seditione Ranimirus agitato est. Siquidem Alderedus & Piniolus (alii Primalum, alii Priamum appellant) Comites ac proceres palatii cum septem filiis, Regem nefaria cōiuratione regno deturbare conati sunt, sed non respondente euentu, oculi Alderedo effossi, alter cum filiis morte multatus est.

Ranimirus fato concessit, sepultus Oueta, filios reliquit Ordonium & Garfiam ex Vrraca vxore religiosissima femina, quæ Ecclesiam D. Iacobi & Sancti Saluatoris multis magnisque muneribus profecta est. Inter multa & præclara Ranimiri decora, hoc non in vltimis laudum ponendum est, quod fratrem Garfiam tã pietate & benevolentia semper cõplexus est, vt eodem cum ipso numero & autoritate esset. Regnat post eum filius eius Ordonius annis decem, & ex vxore Momadona quinque filios sustulit, Alfonso regni hæredem, Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam. Hic principio regni Vascones rebelles ad obsequium suum subactos redegit, & Mauros ditione ipsius infestantes magna vi depulit, ac ciuitates Tudẽ, Asturicam, Legionẽ, Amaiam, Patritiã, habitatoribus frequenteis reddidit. Apud hunc

An. dom. Regem Athaulphus tertius Compostellæ episcopus, vir sanctus & pius, a quatuor ecclesiæ suæ seruis de crimine pessimo delatus est. Qua re audita Rex magno furore percitus, ac tam nefandum crimen in episcopo detestatus, Athaulphum ad se vocari iussit. Qui die sancto cenæ Domini quum in curiâ venisset, recta in templum operaturus sacris profectus est. Cumq; a suis admoneretur, vt prius Regem adiret, respōdit in templo maiorem esse Regem qui prius salutandus esset. Demū peracta re diuina, vt erat sacris indutus vestibus, recta ad ædem regiam profectus est. Rex vero taurum indomitum a canibus venaticis irritatum, in sanctum præfulem immitti iussit, vt qui tanti criminis reus deferebatur, impetu ferocissimi tauri dilaniaretur. Sed taurus, facto ab Athaulpho signaculo sanctæ crucis, mansuetissimus ad eum accessit, & cornua in manibus eius, tanquam si exemplilia habuisset, dimisit, atque in syluam, vnde adductus erat, rediit, itaq; sanctus Dei illæsus euasit. Rex vero & qui cum eo erant primariæ nobilitatis viri, conspecto tam insigni miraculo, ad pedes ipsius prociderunt, & sceleris sui veniam supplices poposcerunt. Ipse autem iuxta Apostoli doctrinam pro malis bona reddens, benigne condonauit, atque eadem hora pontificatui suo nuncium remittens, in Asturiarum solitudines repudiato mundo soli Deo vacaturus secessit, vbi exemplum sanctæ cōuersationis aliis relinquens, aliquam multis post annis naturæ debita persoluit. Ex historia Compostellana. Rodericus Toletanus hoc pluraquam centum annis posterius ponit, & attribuit Veremundo secundo, quæ ait eo plus fidei habuisse delatoribus Athaulphi, quod filius esset Comitis Gundisalui, a quo Sæctius Rex veneno sublatus fuit. Præterea subiūgit Athaulphum, Rege in salutatum, postquam delatores diis execrationibus deuouisset, discessisse atque in itinere tertio post die defunctū. Sed res ita se habet, vt nos ex historia Compostellana & alio libro peruetusto retulimus, in quo tamen libro reperio, quod Regi maledixerit. Toletani errorem sequutus est Rex Alfonso & alij post eum.

832 Muza Abenhezim origine quidem Gothus, sed professione Sarracenus, contra Abderamenem Hispaniæ Miramolinū & Cordubæ Regem insurrexit, & Cæsaraugustam, Oscam, Tudellam, Toletum occupauit. quibus ciuitatibus non contentus, in Cataloniam populabundus expeditiones egit, quin & in Galliam vsque hostili agmine processit. Quo rerum successu elatus, Hispaniæ Regem saluari se iussit. Mox Albaidam urbem Ordonii Regis expugnat, & muris ac propugnaculis egregie munit. Quod vbi cognouit Ordonius, nihil cunctatus, ad recipiendā urbem & exturbandos Barbaros profectus, urbem obsidione cinxit: cumq; opem obsessis laturus aduētare Muza, Ordonius copiis suis bipartito diuisis, partem ad continuandam obsidionem reliquit, partem contra Muzam duxit. cū quo signis collatis cruentum in Sarracenos certamē edidit, ex quibus cæsa equitum duodecim millia, & in iis Garfias Muzæ gener, peditum infinita prope multitudo. Muza tribus vulneribus grauius saucius, fuga mortem euasit. Lecta spolia auri, argenti, & omne genus alterius supellestilis ditissima. Lupus Muzæ filius, Toletanæ urbis præfectus, se in fidem & clientelam Ordonii dedit, multis & amplis illius ornatus beneficiis, operam vicissim Regi fidelem & strenuam in variis contra Barbaros præliis præstitit.

835 Ordonius Cauriam & Salmanticam expugnauit, occisis eorum regulis, & infinita Sarracenorum multitudine, partim cæsa, partim in captiuitatem abducta. Eodem anno, Fortunio Garfia Supratbrorum in Nauarra Rege a Sarracenis, vt diximus, occiso, interregnum fuit quatuor annorum, de quo vide quæ notauimus in catalogo Regum Nauarræ. Eodem ferè tempore Abderamen plateas ac vias Cordubenses lapideo pauimento strauit, & per tubulos plumbeos ex montibus aquam in ciuitatem duxit, eam quæ hodie scaturit prope templum summum, quæ illorum Mesquita, vt diximus, erat.

839 Ennicus Arista populari suffragio electus Rex, vnctus & coronatus, primusque Rex Nauarræ, sed certis conditionibus, appellatus, nimirū vt in eos æquis legibus vteretur, atque vt iudex esset medius inter Regem & populum, si quid cōtrouersæ oriretur, isque Aragoniæ Iustitia appellaretur. Arista cognominatus est ab ardore

An. dom. dore bellandi, regnauit annos 31. Mortuus est Abderamen, & reliquit quadraginta quinque filios, & quadraginta duas filias. Suscepit imperium paternum Mahometes filius, & regnauit triginta quinque annis, vt ait Toletanus, vt vero Rases, annis 34. & mensibus sex: nec audiendos puto, qui triginta nouē annos illi tribuūt. Cuius initio regni, Toletani contra ipsum rebellarunt, implorato auxilio Ordonii Regis, qui filium illuc cum non pœnitendo exercitu misit. At vero Mahometes contra illos mouens, insidiis opportuno loco dispositis, ipse cum paucis in conspectum venit. Quod conspicati Toletani, contempta paucitate portis se effundunt, atque in hostē ruunt. Qui simulata fuga, vbi clausum & circumfusum insidiis hostem habuit, versis signis, omnibus inuadendi signū dedit. Tunc Toletani grauis leuitatis suæ pœnas dedere, cæsa Toletanorū tredecim, Christianorū octo millia.

Ordonius Oueti podagra periit, sepultus ad diuæ Virginis, relicto magno sui desiderio. Regnauit post illum Alfonso tertius cognomento Magnus, annis quadraginta sex. Quatuordecim erat annorū, quum regno inauguratus est. Cuius initia regni Froila quidā Veremundus turbauit regno inhians. qui dum Rex in Alabam Cantabriæ prouinciam se recepit, comparaturus exercitum, a senatu Ouetensi ob tyrannidem occisus est. Oppresso aduersario, Alfonso Rex ad suos reuersus, magno cum honore receptus est, mox Sublantiam ac Ceiam muris ac turribus communiuit, atque habitatoribus frequentauit. Deinde Comes quidam nomine Eilo ad inuadendum regnum animum adiecit, & Alabenses ad rebellandū incitauit, sed aduentu Regis territi Alabenses meliora polliciti, veniam consequuti sunt, Comes in catenis Ouetum ductus est.

Duces Sarracenorum duo Imundar & Alcaman Legionem oppugnatam uenerunt, sed magna virtute repulsi sunt. Alfonso Magnus vt vacuus aliis curis Sarracenos commodius debellare posset, cum Nauarris & Gallis fœdus coiit, atque ex nobilitate Gallica uxorem duxit Amelinam, quæ posterius Ximena dicta est, ex qua suscepit quatuor filios, Garfiam, Ordonium, Froilam, Gundisaluum, qui fuit Archidiaconus Ouetensis. Quæ hic ponuntur in Chronicis Regis Alfonsi, de Pompelone a Mahomete Miramolino obfessa, & Fortunio Rege capto, & post viginti annos soluto, deque Fortunii viuacitate, quippe qui centum viginti quinque annos vixerit, quia Chronicis Nauarræ & Aragoniæ ex diametro repugnant, neque temporum ratio respondet, consulto prætermitto, quum tamen Rodericus Archiepiscopus Toletanus quem Nauarrum fuisse affirmant, in historia Arabum hoc ipsum memoria proditum reliquerit.

Alfonso Magnus præterquam quod pietatis studio thesauros paternos in ecclesiis & pauperes erogauit, etiam ecclesiam diui Jacobi quæ terrea prius erat, lapide quadrato construi iussit, & columnis marmoreis exornauit.

Toletani fines Christianorum hostiliter depopulantes, profligati sunt. Bernardus Carpiensis qui omnibus his præliis interfuit, quum frustra saepe rogasset Regem, vt patrem ipsius solueret, grauius commotus, in territorio Salmanticensi, in colle quodam arcem communiuit, quod Carpium appellatum est, a quo & ipse Carpiensis dictus est. Ex quo regio fines frequentibus excursionibus infestis reddidit, eoque angustiæ Regem adduxit, vt ad pacis conditiones descendere coactus sit, patremque ipsius se redditurum promiserit, si ipse Carpium Regi dederet. Accepit conditionem Bernardus, sed Comites missi ad soluendum atque adducendum patrem, iam fato functum inuenerunt. Rex tamen etiam mortuum adduci iubet, atque ita compositum, vt viuus videretur, ipse quoque in occursum eius cum Bernardo prodiit. Qui quum patrem defunctum reperisset, fortunam suam detestari ac deplorare cœpit, qui & patre orbatus esset, & arce sua Carpiensi. Rex ait, non esse locum lachrymis, alia consilia quæreret, & regnis ipsius quam primum cederet. Ita ad Gallos profectus dicitur, atque ab illis magnifice susceptus Bernardus Carpiensis, vir maximis viris comparandus, si fortuna virtuti respondisset.

Alfonso Rex Conimbricam a Sarracenis obfessam liberauit.

Ennico Arista defuncto, Nauarræ regnū inijt Garfias Enic^o filius ipsius, vir nō

An. dom. minus integritate vitæ, quam armis præstans, qui uxorem duxit Vrracam, fœminam primariam, cum qua iam grauida ac partui vicina, dum incautius per montes iter faceret, nec opinato hostium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans interit. Regina quoque lætali vulnere in vtero confossa periit, illeſo tamen infanthulo. Accidit vero, vt iam digressis Barbaris nobilis quidam cui Gueuaræ nomen fuisse affirmant, ad eum locum forte accederet, & infantem per vulnus manum extendentem & velut cluctantem conspicaretur. Miseratus vtriusque vicem, cæso matris vtero eduxit infantem, ac domi suæ diligenter eduxit, quod non sine testibus factum est, vt quando res ipsa posceret, facta fides cõstaret. Regnavit hic Garfias annis 30. iis tamen alii nouem detrahunt, quibus ego magis accedo.

864 Alfonso Toletanos crebris excursionibus eo redegit, vt trium annorum inducias magno redimere coacti sint. Eodem fere tempore ecclesiam sanctorum martyrum Facundi & Primitiui magnifice construxit, quam posterius Sarraceni diruerunt.

866 Hoc anno, nempe æra nongentesima quarta, decessit ex hac vita sanctissimus Compostellæ præsul Athaulphus, cuius vitæ integritas & innocentia eo miraculo diuinitus probata est, quod superius anno octingentesimo trigesimo primo retulimus. Insula vero cum qua sacrũ illo die celebrauit, tantæ virtutis extitit, vt si quis alicui iusiurandum daturus, illam indueret, & forte periurus esset, ea exui nequaquam valeret. Sifnandus huic quartus illius ecclesiæ successit episcopus, adeo labori sanctæ prædicationis intentus, vt despectis secularium rerum negociis, contemplationi totus inhæreret. Is vitam ac sanctitatem decessoris sui mente repetens, ardenti pietatis studio in Asturias se contulit, & sancti viri corpus Compostellam translatum, cum summa reuerentia sepeliuit. De quo Sifnando suo loco plura dicemus.

874 Hoc anno excessit e rebus humanis Mahometes Miramolinus Hispaniæ, fœcundum numerum Alfonso decimi. Toletanus & Rases aliquot annis posteriorem ponunt. Reliquit 34. filios, & 20. filias. Hic quum forte die quodam in horto regio deambularet, & quidam de astutiis diceret, Quam amœnum viridarium, quam pulchra dies, quam iucundum seculum, nisi mors omnia disturbaret: Erras, inquit Rex. nam nisi mors esset, ego nequaquam regnarem. Ex Archiepiscopo Toletano. Successit filius eius Almundir, qui regnavit annis duobus secundum Toletanum, secundum Rases vero anno vno, sex mensis, dies quindecim. Reliquit sex filios, filias septem.

876 Post mortem Almundir, Abdalia in fratris locum receptus, regnavit annis viginti quinque.

877 Rex Alfonso ecclesiam Sancti Iacobi, quam nouam, vt diximus, cõstruxerat, redditibus annuis, auro, argẽto, gemmis preciosis, vestibus sacris locupletauit, eandem Ioannis octaui autoritate consecrari fecit. Cuius consecrationi ac dedicationi interfuerunt episcopi sequentes: Vincentius Legionensis, Gometius Asturicensis, Hermenegildus Ouetensis, Didacus Tudensis, Egila Auriensis, Sifnandus Iriensis, Recaredus Lucensis, Theodesindus Britoniensis, quorum ciuitates iam a Christianis possidebantur. Præterea Ioannes Aucensis, Dulcidius Salmanticensis, Iacobus Cauriënsis, Faustus Conimbricensis, Ardimirus Lamecensis, Theodemirus Visensis, Guimagus Portugallensis, Argimirus Bracarensis, Heleca Cæsaraugustanus, quorum ciuitates partim a Sarracenis occupatæ, partim desertæ erant. Episcopi vero partitis sibi territoriis, in diocesi Ouetensi, vitam vt poterat, exigebat: vnde olim Ouetum ciuitas episcoporum dicta est, vt annotauit Archiepiscopus Toletanus, apud quem lib. 5. cap. 17. extat exemplar literarum Apostolicarum Ioannis octaui, de consecratione ecclesiæ S. Iacobi. Huius rei mentio fit etiam in historia Compostellana. Sed in alio libro peruetusto inueni, quod consecrata fuit æra nongentesima vigesima septima, quinto Nonas Maii, hoc est, anno Domini octingentesimo octogesimo nono. Sed eo iam tempore Alfonso Magnus ad superos migrauerat ex hac vita. Proinde suspicor numerum æræ vitiosum, & legendum æra nongentesima decima septima, hoc est, anno domini octingentesimo septuagesimo

ptuagesimo nono. Eodem fere tempore ecclesia Ouetensis, auctoritate eiusdem Ioannis Octaui, rogatu Alfonso Regis, metropolitana facta est, quod nullus esset in Hispania metropolitanus episcopus. Nam reliquæ ciuitates quæ metropolitana quondam fuerunt, Barbarorum graue iugum trahebant. Bracara etsi multo ante Sarracenis erepta, tamen in cõgeriem versa lapidum, vt ex archiuis eiusdem ecclesiæ constat, ne episcopum quidem, nisi titulo tenus, habebat. Quæcunque vero ecclesiæ Bracarensis erant vsque ad muros ipsius ciuitatis, Rex Ordonius, superiorme, an aliquis ex posterioribus, ecclesiæ Diui Iacobi donauit. Paulo post sub eodem Põrifice Compostellanam ecclesiam metropolitanam factam aiunt,

10 rogatu Caroli tertii Regis Francorum, qui Caluus cognominatus est. Ita fere qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, cuius rei miror nullam extare mentionem, neque apud Tudensem, neque apud Archiepiscopum Toletanum, neque in Chronicis regis Alfonso. Gerundensis episcopus autor est, Emeritenſis ecclesiæ metropolitanam dignitatem primum in Ouetensem, deinde in Compostellanam fuisse translata, immunitate tamen Ecclesiæ Ouetensi concessa. Laurentius a Padilia qui inter ceteros superioris opinionis autor est, addit circa annum Domini ceterimum vigesimum supra millesimum, a Calixto Papa eius nominis secundo, quæcunque Emeritenſis ecclesiæ iurisdictioni subesse solent, in Ecclesiam Compostellanam translata fuisse. Sed de hac re vide, quæ superius in capite de recentioribus episcopopatibus scripsimus.

Alfonſus Rex Zamoram profectus, filium Garfiam in vincula coniecit, quod 884 matris instinctu, & fœceri Munionis auxilio, contra ipsum hostilia moliretur, ac regno inhiaret. Quæ res ceteros filios, vinculis fraternis grauitè exacerbatos, in ipsum vehemèter excitauit. Zamoram siue Zemoram hic Rex Alfonso instaurasse atque a Mauris obfessam liberasse, & hoc nomen ex euentu militis vaccam nigram vocantis (eas enim armentarii vulgariter moras appellant) imposuisse dicitur, & in ea templum S. Saluatoris condidisse. Sed Florianus aliam huius nominis rationem ponit. Affirmat enim Zamoram quæ olim Sentica dicta sit, post Arabum vastationem Medinam Zamorrathi ab eis appellatam, atque ea voce ciuitatem Turquesarum significari. Nam Medina accentu in vltima ciuitatem sonat Arabibus: Zamorrathi lapis Cyaneus est, quæ Turquesam vulgo dicimus. Ideo autem sic ab illis appellatam arbitratur, quod scateat rupes omnes in toto tractu Zamorensi vena lapidis Cyanei. Idem affirmat hanc ciuitatem a Ferdinando Rege, Sancti & Alfonso patre, instauratam, postquam fuit ab Almanzore & incendiis consumpta & funditus diruta. Alii etiam huius nominis etymologiam dare volunt, & adhuc sub iudice lis est.

Alfonſus filiorum persecutionibus grauitè pressus, eaque molestia defungi cupiens, regnum Garfiæ filio cessit, ipse Compostellam orationis causa ad visitandas beati Iacobi limina profectus est, postea semel atque iterum expeditiones secundas in Sarracenos fecit.

40 Alfonso Rex vita bene peracta, & regno laudabiliter administrato decessit ex hac vita Zamora, inde Asturicam delatus, non multo post tempore translatus Ouetam, ad diuæ Virginis conditus est eodem monumento cū vxore Ximena, quæ tamen viuum maritum debita pietate prosequuta nõ est. Successit patri Garfias primogenitus, regnavit tribus annis, qui initio regni contra Arabes in expeditionem profectus, graui illos damno affecit, capto illorum regulo Ayola, qui tamen custodum incuria effugit. Demum nulla alia re insigni gesta Zamoræ fato cõcessit, nullo relicto hærede, inde delatus Ouetum, ibique sepultus est.

Post eum regnavit frater ipsius Ordonius secundus, annis octo, mensibus sex. 890 Hic patri similis multa præclara gessit, & eo adhuc superstitè, hostili agmine in Beticam vsque profectus, male Barbaros multauit: deinde initio regni Talabricam obfedit, & occisis qui obfessis suppetias venerat, hostibus pariter & vrbe potitus est. Postea cum duce Cordubensi & Rege Tingitanæ ad diui Stephani in ripa Durii collatis signis, gloriosa victoria triumphabundus ad suos rediit. Non multo post, contra Emeritam ducto exercitu, Lusitaniam ad eum ferro atque igni vastauit, vt Lu-

An. dom. sitani desperatis rebus, inducias magno redimere coacti sint. A qua expeditione Legionem magno cum honore reuersus, ecclesiam cathedralem quæ prius extra ciuitatem erat, in palatium ipsius ciuitatis propter Sarracenorum insultus, de consilio Frumini episcopi & aliorum præfulum transtulit, atque in honorem diuæ virginis dedicauit. In qua ipse a duodecim episcopis regio diademate fuit insignitus.

891 Garzia Enieco Rege Nauarræ occiso in conflictu, vt supra diximus, octodecim annorum interregnum fuisse aiunt, tantisper dum Sanctius Garcesius Auarca educaretur, qui tamen anni Sanctio Garcesio adsignati sunt, alioqui male responderet annorum calculus. Cum igitur Nauarri & Aragones indictis comitiis Iaccam ad creandum Regem conuenissent, nutritius Garcesii adolescentem peronatum, & rusticis indutum vestibus, magnatibus exhibuit, Garziæ Enieci filium & legitimum regni successorem affirmans. Cuius rei fides cum prolatis monumētis constaret, omnes inopinato atque incredibili gaudio perfusi, magnis gratulationibus, faustisque acclamationibus Regem consalutarunt, qui a peronibus quibus vti consueuerat, quas Auarcas Hispani appellant, Auarca cognominatus est. Vxorem habuit Todam siue Theodam, ex qua Garziæ Sanctii, Vrracæ, Sanctiæ, Mariæ, Velasquitæ, quam alii Blancam appellant, pater fuit, regnauit annis triginta sex, deinde multis rebus aduersus Sarracenos præclare gestis, ex hac vita decessit, sepultus ad Diui Ioannis a Pegna.

895 Rex Cordubensis tot Ordonii Regis in suos expeditiones indigne ferens, cum maximis copiis in Galleciam vsque venit, cum quo accipiti prælio confixit Ordonius, sed tandem multis vtrinque cæsis, æ quo Marte discessum est. Idem non multo post, conuocata in finita Sarracenorum etiam ex ipsa vsque Africa multitudine, Nauarræ fines hostili agmine ingressus, omnia ferro ac flammis miscere cœpit, cui cum imparē se Nauarræ Rex videret, auxilia Regis Ordonii poposcit. Nec ea cunctanter præstitit Ordonius, sed ad vallem Iuncariam hosti obuiam factus, prælium impigre commisit, in quo Deo ita volente, Sarraceni superiores fuere. De qua re, quæ Resendius noster ex libris, opinor, ecclesiæ Compostellanæ olim descripsit, hic adscribere visum est. Ea habent ad hunc modum. Ordonius Rex in valle Iuncaria victus ab Abderamine Miramolino Hispaniæ & Rege Cordubæ, multis vtrinque cæsis, & duobus episcopis captis, Dulcidio Salmaticensi & Hermoigio Tudenfi, & Cordubam in diros carceres abductis, quorum Hermoigius impatiens ingrauescente ætate ac pertæsus, Pelagium sobrinum suum pro se oblidem dedit, tantisper dū reuersus ad suos, captiuus missus illum redimeret. Cuius pulchritudine captus Abderamen, per iocum illum tangens, & lasciuus blandimentis sanctum & pudicum iuuenem vel in sectam suam nefariam, vel nefandos amores pellicere dum tentaret, Tolle canis, inquit Pelagius, & scissa veste ostendit se malte pro Christo mori, quam vitiis inquinatum viuere. Cumque tyrāni lenocinia nihil aduersus illius constantiam proficeret, amore in furorem verso, imperat ministris, vt forcipibus ferreis strictum membratim scindant, atque in flumen proiciant. Quod illi mādaturum non pigre facientes, ab hora diei tertia vsque ad vesperam, non dicendis crudelitibus in eum debacchati sunt. Tandem amputatis tibiis, brachio, manibus, ceruice, in fluuium præcipitarūt, ex quo Christianorum diligentia extractus, sepulturæ datus est. Caput in cœmiterio S. Cypriani, reliquam corpus ad S. Genesii sepultum est. Passus est die Dominico, hora decima, septimo Calendas Iulii, Iesum Christum semper inuocās, natus annos XIII. mensis sex. Hactenus ex commentario Resendii. Passionem huius sanctissimi martyris heroico carmine descripsit Rhosuita, virgo nobilis de gente Saxonica, quæ per ea tempora floruit, sed rem paulo aliter refert, nimirum quod Abderamen collecto exercitu in Galleciam profectus, & victoria potitus, 12. Comites cum Principe cepit, & aliis pacto precio dimissis, Principi tantam imperauerit pecuniæ summam, vt soluendo non esset. Quare ipsum duris constrictum vinculis, Cordubam secum abducere parauit, sed filius Pelagius senectutis & conditionis paternæ miseratus, persuaso patre, vicaria seruitute ipsum redemit, & captiuus Cordubam ductus est.

An. dom. ctus est. De cuius pulchritudine cum nunciatum esset Abderamini, impurus homo nefando illius amore exardescens, adductum ad se adolescentem blandimentis in amorem sui pellicere conatus, cum adeo nihil proficeret, vt osculum porrigenti pugnum Pelagius impingeret, iussit furiosus tyrannus, vt funda machinali trans Bætim fluuiū eiacularus (copulosis rupibus illideretur. Ex quo periculo Dei gratia cum euassisset, Regis iussu gladio percussus, martyrii coronā accēpit. Corpus in aquam proiectum a piscatoribus inuentum, ac Christianis magno venditū, & religiose sepultum, plurimis claruit miraculis. Sic illa martyriū huius sancti refert: sed neque Princeps captus est, neque Pelagius principis filius fuit. Verum nō mirandum, si tam procul distanti, res aliquanto aliter quam gesta est, relata fuerit, quum alioqui summa rei eodem redeat.

Ordonius hac offensione magis irritatus quam territus, instaurato exercitu regiones Barbarorum ingressus, magnam in illos cædem fecit, plurimæque illorum oppida sibi subiecit. Vnde præda onustus Zamoram reuersus, quantum voluptatis ex tam felici conceperat expeditione, tãto mœrore affectus est ex morte vxoris, quam defunctam reperit. Sed tot belli decora, fraus illa obscurauit, qua Ordonius Comites Castellæ Nunium Ferdinandum, & Almondarem Album cum filio huius Didaco ac Ferdinãdo Ansurī, publica fide per speciem colloqui euocatos, primum in vincula coniecit, deinde neci dedit. Habuit hic tres vxores, Geloiram siue Eluiram, Araguntium ex Gallecia, quam repudiavit, Santinam siue Sãctiam, Garziæ Enieci Nauarræ Regis filiam. tandem Zamoræ rebus humanis sublatas, sepultus est Legione in ecclesia cathedrali.

Ordonii regnum Froila frater inuasit, eoque annum & menses duos potitus est. 898 Hic ex vxore sua Muninadonia liberos sustulit Alfonso, Ordonium, Ranimirū, & alium ex concubina, cuius nomen silētio oblitteratum est. Nihil hic laude dignū gessit. Filios Olmudi viri nobilis innocentes morte affecit, & fratrem eorum Fro-nimum, Legionensem episcopum, exilio infontem multauit. Tandem lepra percussus vitam ingloriam finiuit, sepultus Legione, cuius morte Legionēsis episcopus suæ sedi restitutus est. Hoc tempore Castellæ prouincia propter scelus Ordonii Regis in Comites suos admissum, a fide Regum Legionensium defecit, atque ex nobilitate sua duos iudices communi consensu creauit, quorum alter de rebus ciuilibus, alter de bellicis cognosceret. Si fuere Nunius Rasura, auus Ferdinandi Gundisalui, primi Castellæ Comitis, & Flauius Caluus, abauus Roderici Diaz a Biuar qui Cidus cognominatus est. Nunius Rasura Castellæ veteris fines Pisorgã siue Pisoricam fluuium posuit, qui eam a regno Legionensi disterneret. In codice quodam admodum vetusto reperi, hunc Ordonium Regem duos episcopatus, Mindoniensem & Legionensem instituisse. Quod de Mindoniensi facile crediderim: sed Legionensem restituit, non instituit. Nam Legionensis episcopatus in antiquis conciliis plurima fit mentio.

40 Froila defuncto, quia filii Froilæ nondum per ætatem regno maturi erāt, regnū a proceribus atque Alfonso quarto, Ordonii Regis filio, delatum est. Quod quum per annos quinque & menses septem administrasset, leuitate magis quam pietate ductus vitam monasticam ad diui Facundi professus, regnum fratri Ranimiro cecidit, postquam ex vxore Ximena, filia Sanctii Regis Nauarræ, Ordonium Malum sustulisset. Verum post pœnitentia ductus, quum ad regnum amissum aspiraret, a Ranimiro perpetuo carceri mancipatus est. Alii tamen, inter quos Lucas Tudenfis, Alfonso hunc & Ranimirum Froilæ filios fuisse affirmāt. Quibus ego magis accederem, nisi iidem dicerent filios Froilæ, quia Alfonso fauebant, pariter cum illo ex cæcatis.

50 Ranimirus frater, Alfonso oculis orbato atque in carcerē recluso, regnauit annos vndeuginti, menses duos. Hic pœnitentia ductus eorum quæ in fratrem & nepotes admiserat, monasterium Diuo Iuliano sacrum non procul Legione condidit, in quo illis, quamdiu vixerunt, omnia necessaria benigne ac pie suppeditauit, vbi & sepulti sunt, simul cum Regina Ximena, Alfonso quarti vxore. Principio regni, fines Toletanorum in festo agmine ingressus, Madritiū cepit & muris nuda-

An. dom. uit, ac spoliis onustus cum magno captiuorum grege ad suos reuersus est. Qua re offensus Sarraceni, magnis copiis Castellam inuadunt. Quod quum Ferdinandus Gundisaluus, magnus ille Castellæ Comes, qui tum forte Castellæ dominio cum titulo Comitis inauguratus fuerat, Ranimiro Regi nunciasset, ille nihil cunctatus Comiti se iunxit, ac iunctis exercitibus copias Arabum apud Oxomam ciuitatem fundunt fugantque, multis tamen illorum occisis. Hinc factum dicit Tudenfis, vt Castellani iterum se in fidem Regum Legionensium dederint. Postea contra Cæsaragustam dicti principes coniunctis copiis profecti, Regulum Abenaiam imperata facere coegerunt, & se suaque omnia in fidem & clietelam Ranimiri dedere. Sed ille præsentis metu ac periculo liberatus, fidem violauit, & Abderamini Miramolino cui iam ante sacramento militari obstructus erat, iunctus, cum illo ad vastandam Castellam venit. Sed ad Septimancas fusi, die festo sanctorum martyrum Iusti & Pastoris, qui est octauo Idus Augusti, cecidere Barbarorum, secundum Tudensem & Toletanum, octoginta: secundum Pet. Anton. Beuterum, triginta milia. In Toletano manu scripto ponuntur septuaginta milia. Abenaiam captus, Abderamen cum viginti tantum equitibus fuga sibi cõsuluit. Reliqui capti apud Alfordigam oppidum, quo se receperant. Hoc tempore fuit eclipsis solis per horam integram.

915 Sarraceni hortatu & fauore duorum magnatum Legionensium, Ferdinandi Gundisalui & Didaci Munionis, per ripam Thormis agrum Salmanticensem ingressi, omnia longe lateque depopulati sunt. Quod Ranimirus indignissime tulit, non tam ob Barbarorum insultum, quam quod suorum clientum instinctu factum esset. Proinde Barbaros male multatos in fugam conuertit, nobiles vero carceri mancipauit, quos tamen paulo post metu seditionis soluit, sed prius iuratos, se cõstanter ac fideliter in amicitia & obsequio eius permanuros.

918 Hoc anno Abderaminem Miramolinum Hispaniæ, & Cordubæ Regem regnũ iniisse aiunt, nimirum anno Arabum trecentesimo: verum hoc ratio historiarum non patitur. Nam iam aliquot ante annis res gessisse, præter alios omnes, etiam ipse Archiepiscopus Toletanus, ex quo hæc annotauimus, testatur: nisi velimus dicere, ipsam patris auspiciis ea gessisse. sed ne hoc quidem verisimile videtur, neque vllũ eius rei testimonium in autoribus apparet. Regnauit quinquaginta annis.

920 Hoc anno, secundum historiam Compostellanam, fato concessit Sifnandus quartus Cõpostellanus episcopus, cuius tanta fuit fama sanctitatis, vt Ioannes Papa, opinor, decimus (nam audiendi non sunt, qui decimum tertium fuisse dicunt) per literas & tabellarium proprium se precibus ipsius commendauerit. Mortuus est autem senio confectus. In cuius obitu, voces audite sunt angelorum canentiũ, Veni electe Dei, & intra in gaudium Domini tui. Hic ecclesiam S. Iacobi amplificauit, & duo monasteria Compostellæ condidit, quorum alterum etiam hodie D. Martini dicitur, eo cõsilio, vt si quis ecclesiæ seniorum sub regula ac disciplina D. Benedicti, criminum sordes pœnitentiæ lachrymis expiare vellet, opportunitate loci non destitueretur. Extruxit & ptochodochium, vel potius gerontocomium, quod Louium S. Felicis appellatum est, quia in illo S. Felicis reliquiæ reconditæ erant: vt quicumque ex familia ecclesiæ Compostellanæ senio grauarentur, illuc se ad quietem tanquam emeriti conferrent, & ecclesiæ facultatibus alerentur. Præterea quotquot reperire potuit ex genere eorum qui sanctum episcopum & auunculum ipsius tam nefanda prodicione apud Regem detulerant, regio decreto & autoritate ecclesiæ Compostellanæ, ad obeunda seruilia ministeria in perpetuam seruitutem tradidit. Successit illi Gundesindus quintus Compostellanus præsul, & Comitis cuiusdam filius: sed hic dum mundo quam Deo magis deditus esset, vitam non satis pio sine clausisse dicitur. De qua re mater eius matrona pia, graui confecta dolore, & de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Iacobi Apostoli diuinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, & fletibus, precationibus, ieiuniis, elemosynis sibi demereri, interposito diui Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiusdem Apostoli, vocem hanc audiuit: Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse. Ex historia Com-

An. dom. ria Compostellana. Gundesindo subrogatus est Hermigildus sextus Compostellanus episcopus, de quo quæ in historia Compostellana legi, quia mihi non solum notatu digna, sed etiam ad exemplum pertinere visa sunt, ad verbum hic transcribenda duxi. Ea sunt huiusmodi. Hermigildus in episcopum electus, post electionem prauis desiderijs huius præsentis exilii deditus, dũ vixit, iniquitatis dominio mentis colla submisit. Cum autem paulo ante diem sui exitus vehemēti ira commoueretur, cuidam viduę vnā vaccam cuius lacte se filioque suos pascebat, auferri præcepit. Altera ergo die ei cū militibus suis inter epulas sedenti, dapifer suus vnus ex iustinijs illius vaccæ, quod Galleo vocabulo Duplicia nuncupatur, in scutella argentea inter alia fercula apposuit. Ipse vero dapũ diuersitate iã distentus, atque nectaris liquore ingurgitatus, cum priori morsu appositæ dupliciæ quam comedere voluit, medio ventris, eis qui intererant videntibus, crepuit. Postquam autem sepultus fuit, monumentum eius combustum fuisse, a quamplurimis audiuimus, & etiam ipsius combustionis signa proprijs oculis ipsi conspeximus. Hæc ibi. In alio libro antiquo legi, quod œconomus huius episcopi, vaccam illam accepit a vidua octo filios habente. Quæ cum ad pedes Pontificis cū lachrymis proiecisset, nullam consequi misericordiam potuerit. Reliqua respondent, sed aliud adiicitur, quod Hermigildus iste præsul lumbos præcinctos non habuerit.

Ranimirus vltimo regni sui anno Talabricam in regno Toletano obsedit, cui dũ Sarraceni resistere conantur, ad duodecim fere millia cæsi, septē millia capti sunt. Confectis his bellis totus ad pietatis studia conuersus, monasteria aliquot condidit: primum Legionem iuxta Palatum regium, in quo Geloiram siue Eluiram filiam suam, ex regina Tarasia, Garzia Tremuli Navarra Regis sorore, Deo dicauit: alterum Diuo Andrea Apostolo, & Diuo Christophoro sacrum, ad fluuium Ceam: tertium in honorem sanctissimæ Virginis, in ripa Durii: quartum in valle Orna, quæ nunc dicitur Destriana, inquit Toletanus, Diuo Michaeli dicauit. Filiũ Ordonium Vrracæ, Ferdinandi Gundisalui Castellæ Comitis filiam, matrimonio iunxit.

Ranimirus Quetum orationis causa profectus, in morbum fatalem incidit. vnde de Legionem delatus, & sacramētis ecclesiasticis pie cõmunitus, abdicato quod a fratre susceperat regno, atque in hæc verba protumpens cum lachrymis: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo: mox animã auctori suo reddidit. Sepultus Legionem ad Diui Saluatoris, quod monasterium filia suæ, vt diximus, construxerat. Patris defuncti regnum excepit Ordonius tertius, quem Sanctius frater auxilio Regis Navarra auunculi & Ferdinandi Gundisalui Castellæ Comitis fretus, regno deturbare conatus est. Sed consilijs non succedentibus, Ordonius rem tam indignam iniquo animo ferens, Vrracam vxorem Comitis filiam repudiavit, eiq; Eluiram superduxit, ex qua suscepit Veremundum Podagricum, regnauit annos quinque, menses sex. Mortuus est Zamoræ, sepultus Legionem ad Diui Saluatoris. Huius tempore Regis, Almanzor Sarracenorū Dux bellicosus, & primarię post Abderamenem autoritatis, cum exercitu numerofo contra Castellam venit, cui Ferdinandus Gundisaluus Comes, nihil animo fractus, obuiam ire constituit, & animatis suis qui numero tantum trecenti erant, dum cæteri ad expeditionem se comparant, ipse venatum profectus, atque aprum ardētius sequutus, ad monasterium Diui Petri, quod in ripa Aslantiz fluminis vepribus ac dumetis obstitū latebat, forte delatus est. Quo cum peruenisset, religione motus loci, preces deuotas Deo cum lachrymis obtulit, patriam & se suosque omnes illi ex animo cõmendans. Mox a Pelagio monacho sancto ad pauperem cenam inuitatus, totam noctem in precationibus & lachrymis traduxit. Postridie vero ab eodem Pelagio de felici euentu prælii certus, alacrisque ad suos reuersus, magno animo in hostes ruens, tantam in illos cum tam exiguis copiis stragem dedit, vt vix Almanzor ipse cū paucis effugerit. Quo tam felici successu lætus, & spoliis diues reuertus ad suos, Pelagium monachum cum sodalitate suo multis magnisque beneficijs cumulauit. Hoc fere tempore Burgensem ciuitatem a Comite Didaco, cognomento Porcel-

An. dom. lo, conditam aiunt: sed F. Alfonsus Venerus conditionem siue instaurationem illius multo antiquiorem facit, nempe anno octingentesimo septuagesimo quarto. Ordonius Comiti Castellæ reconciliatus, auxilia illi mittit, quibus Sarracenos in ripa Durii ad Diui Stephani oppidum fudit.

927 Sanctius Auarca Rex Nauarræ fatali morte peremptus, siue (vt aliqui produnt) a Comite Castellæ in acie occisus, in quo conflictu & ipse Comes letali vulnere affectus fuerat, obiit multis reb⁹ præclare gestis. Cui successit filius eius Garfias qui Tremulus cognominatus est, quod in primo congressu præliorum contremiscente, & toto corpore perhorrescere sit solitus, quum alioqui in ipso conflictu fortissimus esset, & omnium maxime intrepidus. Michael Ritius temulētum cognominat, nescio an ipse satis sobrius. Forte tremulenti vocabulum quod apud scriptores alios inuenit, quo & Raphael Volaterranus vitur, vitiatū putauit. Hic omnibus virtutib⁹ egregio Principe dignis cumularus, maximas sepe de Barbaris victorias cōsequutus est, & regnavit annis triginta quinque, tamen Marinæ Siculus tantum viginti octo ponat. Vxorem duxit Constantiam, sceminam primariæ nobilitatis ex Asturiis, ex qua Sanctium Maiorem sustulit, qui dictus est Imperator Hispaniæ, sepultus ad diui Ioannis a Pegna.

929 Ordonio tertio successit Ordonius quartus, filius Alfonsi quarti, cui Ordonio malitia sua & cognomentum Mali indidit, & regnum pariter cum vita ademit. Si quidem a Sanctio Crasso prope Cordubam occisus dicitur. Huic nulli adscribitur anni, quia neque legitimus regni successor, & alioqui tam malus, indignus iudicatus est qui in Regum catalogo poneretur. Sanctius qui a mole saginæ qua prægrauabatur, Crassus cognominatus est, filius Ranimiti, & frater Ordonii tertii, regnavit annis 12. Qui tantæ pinguedinis impatiens, quum ad eam leuandam nihil intētatum reliquisset, ex consilio Garfiæ Regis Nauarræ, ad Aberamenem Miramolinum & Cordubæ Regem facta cum eo pace profectus, atque honorifice susceptus, inter experimenta medicorum quorum erat apud Aberamenem magna turba, virtute cuiusdam herbæ curatus, atque ad maciē deductus est. Postea reuersus, magna ab eodem auxilia accepit ad recuperandum regnum quod Ordonius Malus auxilio Comitis Castellæ inuaserat. Sed Ordonius audito aduentu Sanctii, vt erat animo degener, desperatis rebus ad Comitem focerū suum fugit. Nam Comes Castellæ, filiam suam Vrracam ab Ordonio tertio repudiatam, nuptum illi dederat: sed perspecta eius ignauia, simul & filiā ademit, & illum finibus suis exclusit.

931 Almanzor memor acceptæ cladis, & maculam tantam abolere cupiens, nō solum collecta in Hispania, sed ex ipsa vsque Africa euocata, tanquam pro communi asserenda religione, infinita Barbarorum multitudine, vastandam Castellam venit. At Ferdinandus Gundifalvus Comes cum quadringentis quinquaginta equitibus & quindecim millibus peditum obuiam profectus, maiori eos quā prius clade affecit. Continuatū est per tres dies prælium, nisi quantum nox interualli reficiendis corporibus dedit. Postremo die Diuus Iacobus in acie visus Christianis laborantibus opē ferre. Quod Pelagius monachus iam fato functus, in somnis Comiti futurum prædixerat. Nam Comes priusquam tam accipiti prælio se committeret, ad monasterium Diui Petri, de quo iam diximus, Pelagii precibus se cōmendaturus accesserat. Quem vt cognouit mortem obiisse, ægre animo affectus, ab eodem in somnis confirmatus est.

932 Tarasia Regina Legionensis, Sanctii Auarcæ Regis Nauarræ filia, capitali odio in Comitem Castellæ incensa, quod patrem ipsius occidisset, cupida vindictæ, per speciem benevolentiaē persuasit illi, vt Sanctiam Garfiæ Tremuli filiam, neptem ipsius ex fratre, vxorem duceret. Quod coniugium cum Comiti haud aspemandum videretur, illa fratrem Garfiam Nauarræ Regem clam per literas hortata est, ne occasione vlciscendæ mortis paternæ deesset, Comitem illum ad petendam Sanctiam filiam eius ex pacto iturū, ne inimicum elabi e manibus inultum permitteret. Paruit consiliis sororis Garfias, & cōtra fidem datam Comitem in vinculis duxerit habuit. Quod quum Sanctia Comiti sua causa contigisse cognouit, oblita sui sexus,

sexus, oblita dignitatis, animo sumpto plusquam virili, acceptaque coniugii fide, Comitem carcere eductum in Castellā magno suo periculo sequuta, & matrimonio iuncta, memorabile in omne æuum amoris ac fidei cōiugalis exemplum fuit.

Garfias Nauarræ Rex, tanquam ablata filia vindicaturus iniuriā, infesto agmine in Castellam venit, sed commisso prælio captus, quod Comiti fecerat, vicissim passus est. Verum paucis post mensibus, vinculis filiaē precibus solutus, in regnum suum reuersus est. Cæterum de his rebus in historia Nauarræ nulla fit mentio.

Comes Castellæ a Legionensi Rege vocatus ad comitia, tamen fraudem prælagiter, tamen potiore fidei quam salutis suæ rationem ducens, septem duntaxat comitatus equitibus, eo profectus est. Quo quū peruenisset, nihil fecellit euentus expectationē suam. Mox enim in vincula duci iussus est, atq; in catenis adseruari, inuidia stimulante. Quæ res cum male Castellanos haberet, Sanctia Comitis vxor per omnia sui similis, imo vero hac in re se ipsa superior, maritū quoquo pacto liberandum duxit, & peregrinātis induta personam, Compostellā proficisci religionis ergo finxit, factosq; per Legionem itinere, primum copiam vidēdi mariti sibi fieri postulauit, deinde petiit, vt ea saltem nocte sine catenis esset. Rex per omnia satisfaciendum voluntati tantæ matronæ duxit. At illa postridie antelucano, mutatis cū marito vestib⁹, vicaria captiuitate illum liberauit. Cumq; Comitem iā esse in tuto arbitraretur, Regi nunciat se in carcere teneri, rogare, vt solueret, neq; durius quicquam in sceminam regiam & cognatam suam cōsuleret. Rex vbi dolū sensit, primo stomachari, mox admirari constantiam ac virtutem Sanctiæ, postremo laudata illius in maritum pietate, cū honorifico comitatu iussit ad Comitem deduci. Ita bis maritum singulari pietate maximis periculis liberauit Sanctia, digna cuius laudes omnes libri personarent.

Hoc ferme tempore Sanctius Rex Castellam quam Ferdinandus Gūdifalvus in feudum tenebat, ex fœdere liberam esse iussit, propter æs alienum cui ipse soluendo non erat. Per eosdem fere dies Rex Sanctius, renouato cū Aberamene fœdere, misit ad illum Velasum episcopū Legionensem cum aliis legatis qui peterēt ab illo corpus Pelagii martyris, de cuius glorioso martyrio superius diximus.

30 Quod post mortem illius Legionem allatum, a filio Ranimiro maxima cum veneratione depositum est in theca argentea, in monasterio quodam quod Rex ea gratia construxerat.

F. Alfonsus Venerus memoriæ prodidit, hoc anno ignem e mari ortum, in diuersas Hispaniæ partes Zamoram vsque diffusum, multa Hispaniæ oppida incendio consumpsisse. Huius tempore Regis, Sarraceni Legionem obsedisse dicuntur, sed magna virtute repulsi, re infecta in gloriā decessisse.

Sanctius Gallecos rebelles domuit ad Durium vsque, cumq; Comitem quendam Gundifaluum bello petiturus videretur, ille rebus suis timēs, supplex ad Regem venit, seq; & sua omnia illius fidei dedens, ad omnia imperata semper præsto se fore pollicitus. Sed aliud ore ac fronte præ se ferebat, aliud pectore celabat homo impurus. Nam postquā illi iam fides apud Regem erat synceræ veræq; amicitia, omnis diuini atq; humani iuris oblitus, venenū domino ac Regi suo in pomo miscuit. Quod vbi Sanctius hausisset, mortem imminere sentiens, Legionem properauit, sed tertio post die in itinere obiit, sepultus Legionem iuxta patrem, ad Diui Saluatoris. In libro quodam vetusto reperi, Sanctium Regem cum Portugallensis regionis Comitibus sub iurifurandi vinculo, firmæ pacis fœdus cōstituisse. In quo libro Gundifalvus qui venenū Regi suo miscuit, nō Comes, sed Consul appellatur. Vbi quæ de Regis morte legi, tacēda nō putauit. Fides penes auctore libri sit. Dicitur vero ibi Regina (Gudo appellatur, nisi mēdosus est liber) maritū in itinere dum Legionem tenderet, defunctum in ripa Minii honorifice sepelisse, in monasterio de Castrelo (ita enim ibi legitur, sed mendum suspicor) vbi cū ipsa Dei obsequio se cum aliis deuouisset, & sabbatis omnib⁹ Deū pro Regis anima deprecaretur, Sanctium, maritum quondam suum, ante altare prostratæ apparuisse, duabus catenis vincētum, totidem diabolis hinc inde tenētibus, atq; hortatū vt perseueraret orare pro eo: recte enim facere. Post quadraginta deinde dies quos ipsa in

An. dom. ieiunio & fletu & eleemosynis transegerat, rursus sabbato die orāti ante altare visum, albis ornatum vestibus, & pelle quam ipsa cuidam sacerdoti in eleemosynā pro anima Regis dederat, ac testatum iam se a demonum potestate liberum, & nō nulla de paradiso atq; inferno loquutum disparuisse. Quē cū ipsa veller amplecti, nec posset, partem pellis tulit, quē ad diui Stephani in ripa Sili delata, atque in pelle sacerdotis deesse inuēta, miraculo fidem fecit abbati & cunctis monasterii monachis, qui rem oculata fide sunt experti. Huius tempore Regis, Abderamenem Miramolinum & Cordubæ Regem mortuum tradunt. Cuius mortem Toletan^o in historia Arabū aliquot annis posteriorem facit, nempe anno Arabū 350. hoc est, anno Domini 968. nam superius primum annum illorum, anno Domini sexcētesimo decimo octauo posuimus. Sed suspicor Toletanum esse deprauatū. Regnavit post eum Halihatā filius 16. annis, mensibus duobus.

941 Defuncto patri successit in regno Legionis & Asturiarum Ranimirus tertius, quo potitus est annis 25. Huius primo anno Normanni duce Gūderico Rege suo, classe centum nauium in Gallectiam ingressi, totam regionem, præcipue circa Cōpostellam, misere depopulati sunt, omnia igni ac ferro deuastantes, etiam Sifnandū archiepiscopum Cōpostellanum occiderūt. Cumque iam præda & captiuis onusti, ad naues in patriam redituri properarēt, a Comite Gundisaluo Sanctio præter opinionē oppressi, vna omnes cum Rege suo occisione cēsi, penas impietatis in Deum atque Apostolum eius diuum Iacobum dederunt: classis quoque eorum tota igni immisso conflagrauit. Sifnandus iste quia Normannis occisus est, Hermigildi successor fuit, & septimus Cōpostellæ præsul, qui propter crebras Normānorum & aliarum gentium incursionēs, Cōpostellam incensibus ac turribus cinxit, & vallo ac fossis communiuit. Sed cum nobilitate sua fretus (erat enim Menendi Comitis filius & Gundesundi episcopi nepos) tyrannum verius quā episcopū ageret, & facultates ecclesiasticas parētib; & quibus libebat, immoderate largiretur: a Rege Sanctio in carcerē tenebrosū datus est, & Rodosindus Cellæ nouæ monachus illi suffectus, octauus Cōpostellanus episcopus. Sed mortuo Sanctio, Sifnandus vinculis solutus, armatus Cōpostellam festo natalis Domini est ingressus, atque in dormitorium vbi sanctus episcopus cum aliis senioribus & ecclesiasticis viris de more quiescebat, stricto in Rodosindū gladio caput illi dormiēti præcidere voluit. Rodosindus ad tumultū expergefactus, nihil animo turbatus, hæc illi verba dixit: Qui mihi mortifero gladio Sifnande minaris, mortifero gladio violenter cōfodiaris. Mox episcopatu cedens, ad monasterium, tanquā ad portum tranquillitatis se recepit, vbi post aliquot annos vita sancte exacta, obdormiuit in Domino. Anno sequenti, Normannorum aduētū Dominica quadragesimę nunciato, Sifnandus eos Fornellos vsque sequutus, & prælio adortus, sanctissimi Rodosindi maledictionis sagitta percussus, occisus est. Ex historia Cōpostellana, vbi dicitur hoc cōtigisse ęra mille sima decima sexta, hoc est, anno Domini 988. Sed numerus ęre procul dubio vitatus est. Eodem anno hominem exiit Ferdinandus Gundisalvus, primus Comes Castellæ, atque eidem perpetuo honore celebrāndus, sepultus ad diui Petri, quod monasterium ab Aslantia flumine cognominatum, ipse ædificiis & possessionibus amplificauit. Successit patri Garfias Ferdinandus, & ipse acerrimus religionis Christianæ & Castellæ vindex. Præfuit Castellæ annis plus minus vno & quinquaginta. Primum illius prælium fuit cum Barbaris, ad Gormatium oppidum. In quo prælio res notatu digna contigit. Nam Comes Garfias die quodam cum Sarracenis acie conflicturus, ad rem diuinam audiendam cum templum adiret, forte aderat Ferdinandus Antolinus, vir præter antiquam nobilitatem, veræ virtutis obseruantissimus, cui pro more erat nunquam egredi templo, donec finis officii diuinis imponeretur. Comes peracto sacro, cum suis ad incundum prælium proficiscitur. Ferdinandus Antolinus orationi corpore pariter ac mente inherens, nihil eorum quæ gerebantur, animaduertit, cum interim famuli qui cum equo & armis pro foribus astabant, vt est querulum famulorum genus, domini moram incusarent, ignauitæ non religioni adscribentes. Sed Deus Opt. Max. qui suos nunquam negligit, serui sui pietatem & innocentiam

centiam memorabili miraculo cōfirmavit. Nam dum ille precationi totus vacat, alius, nempe genius eius bonus, effigiem ipsius indutus, tam strenue res in eo conflictu gessit, vt omnes Ferdinando Antolino illius diei victoriam acceptam ferrēt. Cumque finito prælio quæ situs non inueniretur (nam ille & re cognita, metu infamix se absconderat) apparuerunt in equo & armis illius omnia vulnerum vestigia, quæ ille ipsius personam indutus, in acie visus est accepisse. Quæ res & miraculum fecit insignius, & ipsius innocentiam ac pietatem magis illustrauit, nec vano documento demonstrauit, quanto plus aduersus hostium imperus sincera precatio & pura animi pietas, quam bellica virtus aut armorum strepitus possit. Quæ de vxore Garfias Argentina, alterius nuptias incesto adulterio sequuta, ad quam ipse vindicandam iniuriā peregrini habitu in Galliam profectus sit, quæque de Sanctia illius Argentina priuigna, cuius ope vxorem perfidam cum adultero occiderit, & eandem Sanctiam vxorem in Castellam duxerit, in historia quam vocāt generalem, referuntur: fabulosa esse arbitror, vel ex eo, quod Frater Alfonsus Venerus, citans partem testamenti ipsius ex archiuis ciuitatis Burgenfis, vxorem eius Oniam appellat. Præterea addunt, dum abesset hic Comes ad vindicandam eam iniuriam, Sarracenos cum numerofo exercitu Castellam ingressos, territorium Burgense longe lateque depopulatos esse, & monasterium Diui Petri a Cardenia solo æquasse, occisis in eo ducentis monachis, simul cum Donno Sanctio abbate ex ordine atque instituto Diui Benedicti, quos Deo hostiam sanctā & acceptabile obtulerunt. Horum tamen martyrium Frater Alfonsus Venerus anno octingentesimo trigesimo quarto fuisse affirmat. Vt vt est, illud cōstat, monasterium ab hoc Comite instauratum, quod præterea trium insignium virorum sepultura nobilitatum est, Flauii Calui Iudicis Castellæ, Garfias Ferdinandi Comitis, de quo nunc agimus, & Cidi Roderici Dias. Huius tempore Comitis nobilitas Castellæ aucta est. Nam quum tempore patris ipsius trecenti, vt plurimum, equites nobiles fuissent, regnante Garfia quingenti atque etiam sexcenti fuerunt.

Hoc anno Abderamen Halihatā Rex Cordubæ mouit duodecimam persecutionem in Christianos dictos Mozarabes, de cuius vocabuli ratione iam dictum est. Hæc persecutio tantum in Hispania facta est. Edixit vero Abderamen, vt quicumque Christiani viuerent in ditione Maurorum, vel abnegarent fidem Christi, vel morte penas luerent. Quo tempore pro fide Christi Cordubæ passi sunt Aurelius, Georgius, Felix, cum vxoribus Natalia, Crescentia, & Liliofa, mensē Augusto. In oppido Bosca prope Nageram pro asserenda fide Christi gladio percussæ sunt, mensē Octobri, sorores germanæ Nunilio & Alodia, quarum corpora dicuntur in Italiam delata, ad seruari Bononię. Breuiarium Hispalense dicit sequenti anno passas. Eodem tempore passus est consimile martyrium Beatus Victor, natus in oppido Cereso Burgenfis dioceseos, qui precibus suis patriam a decēnali Barbarorum obsidione liberauit, sacris suis concionibus multos apostatas & Sarracenos ad Christi fidem cōuertit. Corpus eius in municipio Villorado cum maxima veneratione colitur. In eadem persecutione martyrii coronam adeptus est S. Eufrosia virgo, cuius corpus colitur in Iacca, Aragonię ciuitate primaria. Sunt qui eodem tempore fuisse dicant martyrium ducetorum monachorum ordinis D. Benedicti, cum Abbate Sanctio, in monasterio Diui Petri a Cardenia, cuius martyrii paulo ante meminimus. Hanc persecutionem aliqui ponunt anno octingentesimo quinquagesimo primo, sed non recte, vt mihi quidem videtur.

Hoc anno, aut circiter, quantum ex ordine historia colligere possum, mortuo Halihatam Miramolino Rege Cordubæ, successit filius eius Hilsen, & regnavit annis triginta tribus, mensibus quatuor.

50 Anno regni decimo quarto Ranimirus vxorem duxit Vrracam, & per ætatem 955 (nam quinquennis erat, quum regno inauguratus est) insolentior factus, matris amittæque consiliis obfurdescens, Comites Gallectiæ cōtra se exacerbauit. Qui impatientes iniuriæ, Veremundum Ordonii filium, Cōpostellæ, vbi educatus fuerat, Regem creauerunt. Itaque regnum in duos diuisum, bellis ciuilibus atq; intestinis maximo malo publico exardere cœpit, quæ per biennium durauerūt. Semel

An. dom. collatis signis dimicatum, sed æquo Marte, neutro victoria inclinante, discesum est. Veremundus iram fratris fugiens, ad Almanzorem se contulit. Lucas Tudensis autor est, multos ex vtraque parte desideratos.

962 Mortuo Garzia Tremulo successit Sanctius Maior, qui posterus dictus est Imperator Hispaniæ, de quo suo loco plura dicemus, regnavit annis 54. Eius exordium regni hoc anno posui, quamvis alii posterus ponant: quia privilegium citat Galbertus monachus hoc anno factum, in quo se Regem appellat.

963 Circa hæc tempora Pelagius, Comitis Roderici Velasquii filius, ex Lucensi factus est nonus Compostellanus episcopus, qui cum seculari potentia & natalium splendore fretus, multa gereret officio suo indigna, & maiores ac seniores honoribus moueret ac deprimeret, iuniores atque indignos sublimaret: a Veremundo quem Galleciæ proceres Ordonio infensi, Regem sibi constituerant, episcopatū pulsus est, atque in illius locum subrogatus Petrus de Monforio, abbas monasterii quod ante altaria vocabatur, a Beato Sifnando constitutum. Hic episcopus tanta vitæ sanctitate, tam religiosi moribus omnibus præluxit, ut Veremundus eius virtutibus commotus, Compostellanæ ecclesiæ, quicquid aliorum episcoporum temporibus amiserat, præceperit restitui. Interea Rodericus Velasquus & pater Pelagii episcopi cum cæteris Consulibus huius provinciæ, Sarracenos cum duce eorum Almazore in Galleciam euocauerunt. Qui Compostellam profecti, maiorem partem parietis ecclesiæ S. Jacobi diruerunt, intacto tamen sacratissimo ipsius altari. Cæterum Apostolus, ne se tantum scelus inultum abstulisse gloriarentur, tanto eos dysenteria morbo percussit, ut plurimis morbo consumptis, pauci in patriam reduces fuerint. Almanzor ubi tantam suorum cladem vidit, suos dicitur cõsuluisse, quisnam ille esset tantæ internecionis autor. Qui responderit, vnum ex discipulis filii Mariæ virginis ibi sepultum. Quo ille audito, pœnitentia rerum gestarum ductus, fugam quam maxime potuit, acceleravit. Sed in itinere repentino correptus morbo, apud Medinam Celi, ubi sepultus est, animam in sinu Mahometis infeliciter tradidit. Rex continuo pietate motus Compostellam venit, & ecclesiam Apostoli dirutam, Petro episcopo adiuuante, instauravit. Qua post instauracionem consecrata, Petrus episcopus obdormiuit in Domino. Successit illi Pelagius Didaci, qui propter superbiam, interueniente Dei iudicio, a principibus terræ ignominiose eiectus est. Huic Vimara frater successor fuit. Sed & hic dum prætextu religionis non Deo, sed cõmodis suis seruiret, siue casu, siue prodicione, in Minio demersus est. Post quæ rexit Compostellanam ecclesiam alius quidam ex familia Vimaræ, cuius nomen literis proditum non inueni. Hic a Veremundo Rege propter scelera sua vinculis traditus est. Hæc omnia ex historia Compostellana.

965 Ranimirus morbo correptus obiit Legionem, conditusque est in monasterio Destrianæ, cuius iam mētio facta est: decessit vero sine liberis. Proinde regni successio ad Veremundum Ordonii tertii filium lege rediit, qui regnavit annis septendecim. Interea Alcoraxis Rex Hispalensis Portugalliam totam infesto agmine depopulatus est, atque in Galleciam transgressus, Compostellam usque peruenit, ac ciuitatem diruit. Propter quod piaculum simul omnes tam atroci infirmitate cœlitus percussi sunt, ut nulli aut perpauca superstites in patriam reuersi fuerint. Veremundus Rex multas virtutes quibus præditus erat, hoc vitio deformavit, quod delatoribus plus nimio attentas aures accommodaret. Idem Veremundus duabus fororibus incesto concubitu se miscuit, ex quarum altera sustulit Ordonium, ex altera Eluiram. Postea duxit uxorem Velasquitam, ex qua Christianæ pater fuit, quæ nupta Ordonio Cæco, Ranimiri Regis filio, peperit Alfonso, Ordonium, Pelagium, Alfonso. Alfonso vero ex Pelagio diacono Froilæ filio enixa est Comitem Petrum Ordonium, Pelagium, Munionem, matrem Comitis Sueri ac fratris eius, & Tarasiam Comitem, qui Infantes Carrionis appellati sunt (Infantes appellat Hispani Regum filios & nepotes) quia mater eorū Carrionis domina erat, in qua verbè templū D. Pelagio ædificauit. Post repudiata Velasquita, Eluiram adulterino connubio sibi sociavit, ex qua Alfonso ac Tarasiam suscepit. His principis peccatis tam nefariis deus infensus, acerrimum Christianis hostem excitavit, qui proprio

An. dom. prio nomine Mahometes Ibne Abenhamur dictus est. Sed quia Hissen Miramolino adhuc puero adiutor datus est, Alhagib appellatus fuit, quod perinde sonat, ac si proregem dicas. Penes hunc summa rerū erat: Hissen vero etiā ad ultus nomine ac titulo tenuis imperabat. Hic cum bellicosus esset, Almanzorē, hoc est defensorē, se iussit appellari. Viginti sex annis imperium exercuit. Quo annorum spacio bis & quinquages Christianorum fines ingressus, & magna eos clade affectit, Legionem, Castellam, ac Nauarræ formidabilis. Huius metu Christiani corpora sanctorum Pelagii, & Froilani episcopi, & Regum defunctorum, Legionem atque Asturicam in Asturias transtulerunt, præfagientes id quod accidit, Almanzorem sequenti anno ad expugnandam Legionem venturum. Quam obsedit, & captam portis ac turribus nudavit. Quo tempore Gulielmi Gundisalui Comitis Galleciæ præstans animi virtus apparuit. cui cum grauitate ægrotanti periculum vrbs nunciata esset, lectica se ad eam partem, ubi maxime laborabatur, armatum defertur, atque ex ea urbem per triduum fortissime defendit, neque minus fortiter pro patria mortem oppetiit.

Rodericus Velasquez, vir apertissime nobilis genere, sed animo degener, instinctu Lambrae vxoris, in odium Gundisalui Gustii leuiri sui & septem filiorum qui Infantes Larae siue de Salas dicti sunt, inflammatus, patrem cum filiis Sarracenis prodidit. Pater nihil suspicans mali, per speciem legationis cum epistola proditrice, Bellerophonis instar, ad Almanzorem missus, quum iussus esset occidi, Almanzore tantam perfidiam deestante, in carcere seruatus Cordubæ, atque ibi liberaliter habitus est. Filii cum nutritio Nunio Salido simulata expeditione, in Barbarorum insidias deducti, atque a Roderico auiculo, cuius hortatu eo profecti erant, destituti, quum viuos se dedere Sarracenis nollent, magna in illos edita strage fortiter omnes occubuerunt. Capta Cordubam delata, & patri in carcere ostēsa, calamitatem eius geminarunt. Sed Almanzor misertus vicem Gundisalui Gustii, eum muneribus ornatum liberum ad suos remisit. Verum non inultum tam nefarium scelus fuit. Si quidem pater ex Maura quadam eius obsequio destinata, quæ credita est Almanzor's foror, filium sustulit cui Mudarræ Gundisaluo nomen fuit. Hic adultus euasit in virum strenuum, & patris iniuriam ac fratrum necem fortiter vlitus est, occiso Roderico Velasquez: postea Lambram post mortem Garziæ Comitis Castellæ, cui illa sanguine iuncta erat, viuum combussit.

Almanzor, vastata Lusitania, populabundus in Galleciam transiit Compostellam usque, quam ciuitatem miserando deformavit incendio, ipsum quoque sanctissimi Apostoli venerabile sepulchrum violaturus, nisi fulmine repente deteritus fuisset. Campanas minores in symbolum victoriæ abstulit, quæ in Mezquita Cordubensī pro lampadibus essent. Sed non inultum tam impium sacrilegium extitit. si quidem totus fere exercitus dysenteria extinctus est, cui malo qui superfucere, peste perierunt. Almanzor victoriam ingloriam & calamitosam domum retulit. De hac re & obitu Almanzoris paulo ante diximus.

Almanzor collectis maioribus copiis, rursus ad vastandam Castellam venit, cui Reges Legionis & Nauarræ coniunctis viribus obuiam iuerunt, & commisso acri prælio quod noctis interuentu diremptum fuit, ad eas angustias Almanzorem redegerunt, ut turpi fuga sibi suisque consulere coactus sit. Quæ res tam ægre illum habuit, ut paucis post diebus, tantæ ignominia impatiens, in media vitam finierit. Successit illi in administratione rerum (nam Hissen Miramolinus adhuc in viuis agebat) Abdemelic filius, qui superuixit patri annis sex, mēsis octo. Superius ex historia Compostellana diximus, Almanzorem, dum a templi Compostellani vastatione, suis fere omnibus dysenteria morbo amissis, fugeret, apud Medinam Celi vita defunctum. Alii hæc quæ modo diximus, referunt de morte ipsius. Sequatur prudens lector, quod magis arripserit. Illud tamen non tacebo, historiam Compostellanam multo antiquiorem Tudensī & Roderico Toletano, & apud me maioris esse autoritatis. Quin & Lucas Tudensis autor est, Almanzorem dysenteria peritisse, decimo tertio quam Christianos affligerat anno, & addit illum ter & quinquages contra Christianos mouisse. Postea sibi non constans, hæc repetit quæ modo

- An. dom.* diximus, & dicit apud Medinā Celi mortuum. Fieri potest vt & alii eo tēpore duces Arabum Almāzores sint appellati, præsertim quum virtutis ac dignitatis cog-nomentum fuerit. Abdemelic rursus cum exercitu Legionem venit, ad diruen-da illa quæ pater intacta reliquerat: sed a Garfia Comite Castellæ magna virtute repulsus, nunquam postea Christianos bello laceßere ausus fuit.
- 982 Hispania maxima siccitate & rei frumentariæ angustia laborauit. Eius rei causa fuit, quod Rex falsis delationibus captus, Gudestem siue Gudestinum Oueten-sem episcopum, sede sua exturbatum, in vinculis haberet. Quem vt solum sedi suæ restituit, mox terra pluuiis irrigata, & magna omnium rerum vilitas sequuta est. Eodem anno Veremundus qui a podagra qua grauius torquebatur, Podag-ricus appellatus est, extremum vitæ diem clausit, peccatis poenitentia expiatis, in oppido Berizo, vbi sepultus, paulo post a filio Legionem translatus, & communi cum vxore Eluira monumento conditus est.
- 983 Post patris obitum regno inauguratus est Alfonso quintus, eoque functus an-nis 27. & iam aduultus vxorem duxit Geloiram siue Eluiram, filiam Menēdi Gun-disalui Comitis Galleciæ & vxoris eius Maioris, a quibus educatus fuerat: ex qua Veremundum regni hæredem, & Sanctiam Ferdinandi Magni vxorem, filios ha-buit, per quam morte fratris regnum Legionense regno Castellæ vnitum est. Hic Alfonso sororem Tarasiam renitentem atque inuitam, Abdaliæ Sarracenorum apud Toletum Regi nuptum dedit, pactus ab eo auxilia contra Regem Cordubæ. 20 Verum cum Abdalia virginis florem delibare vellet, neque monētem, ne virginē Christo desponsatam vitaret, alioqui non inultum fore, audiret: repente grauissi-mo correptus morbo, quum de vita se periclitari sentiret, illā multis muneribus cumulatam, Legionem ad fratrem remisit. Quæ in parthenonem D. Pelagii se cō-ferens, & inter monachas nomen professa, reliquum vitæ sanctissime traduxit.
- 987 In Chronico quodam perantiquo hæc verba reperi: Era 1025. Almanzor Iben Amer cepit Conimbricam tertio Calendas Iulii, & sicut a multis senibus audiui-mus, deserta fuit annis septem, postea reædificauerunt eam Ismahelita, & tene-runt eam annis septuaginta. Hæc ibi. In Alcobaciēsi quoque codice hæc verba re-peri: Almanzor cepit Colimbriam æra 1025. quarto Calendas Iulii. Quod quan- 30 quam non conueniat cum numero annorum quem sequuti sumus, tamen an-no-tandum duxi. Diximus enim sequuti historias vulgatas, Lusitaniam ab eo vastatā anno 985, quin & alii triennio ante factum aiunt. Imo vero Rodericus Toletanus Archiepiscopus sibi ipsi non constat. Nam in historia Gothica ponit mortem Al-māzoris, quo tempore nos posuimus: in Arabum historia, anno Arabum 367. qui cadit in annum Domini nongentesimum octogesimum quintum. Abdemelic rebus humanis sublato, successit in principatum Abderamen frater eius, qui ob malitiam & vitia quibus inquinatus erat, nondum exacto quinto mense, a suis oc-cisus est. Hic autem erat trigessimus tertius annus imperii Hissen, quo anno multis ad imperium Arabum aspirantibus, ipse deturbatus est: Zulema vero auxilio San-ctii Comitis Castellæ, tandem regno potitus est, cum magna strage Barbarorum. 40 Sed & ipse paucis interiectis mensibus, ab Abmohadi regno exutus est.
- 988 Diffidium inter Garfiam Castellæ Comitem & Sāctium filium exortum, ma-gnam Barbaris faciendi in Christianos fenestram aperuit. Quam occasionem tā opportunam non negligentes, Abulam, Cluniam, ac Diui Stephani municipium occuparunt. Cuius rei indignitatem non ferens Garfias Comes, cum iis quos secū paucos habebat (nā Castellani in diuersa studia scissi erant) in hosteis ruit, quum-que propter paucitatem suorum vincere non posset, fortiter pro patria pugnans cap-tus est, & plurimis iisque letalibus affectus vulneribus, ex quibus paucis post die-bus expirauit. F. Alfonso Venerus ponit mortē eius anno 995. Successit in eius 50 locum Sanctius filius, omnibus egregii principis dotibus ornatus, qui patris mor-tem grauius ferens, nihil sibi duxit antiquius, quam vt eam primo quoque tēpore vlcisceretur. Proinde conuocatis auxiliis Legionensium & Nauarrorum, graueis expeditiones in Toletanos & Cordubenses ac maiores prædas egit, quæque de-prædari non poterat, ferro ac flammis depopulatus est. Corpus patris a Sarrace-nis re-

- nis redemptum, ad D. Petri Cardeniensis honorifice sepeliuit. Huic mater amore *An. dom.* cuiusdam Principis Sarraceni flagrans, eiusque nuptias ambiens, venenatum po-culum parauit, ne quid obstaculi esset tam scelerato coniugio. Quod quum ipse a-nimaduertisset, matrem adegit, vt poculū quod filio miscuerat, ipsa hauriret. Sic ipsa suo nocens exemplo periit. Cuius rei poenitētia ductus, Oniense monasteriū condidit, atque ab Onia matre sic cognominauit, eique monasterio filiam suam Tigridiam præfecit. In quo & ipse vita defunctus sepeliri voluit. Hoc monaste-rium ex parthenone, paulo post, monachorum diui Benedicti regulam profi-tentium habitaculum factum est.
- 10 Apud Arabes multis imperium sibi vendicantibus, & aliis alio inclinantibus, in- 1002 testina seditione grauius per hos annos laboratum est.
- Alfonso Rex Legionensem ciuitatem instaurauit, & Regum defunctorū cor- 1003 pora quæ Arabum metu in Asturias asportata fuerant, Legionem referri iussit, at-que ad Diui Ioannis Baptistæ, quam ecclesiam ipse condidit, sub altari Diui Mar-tini reponi. Cordubæ post Hissen regnauit Zulema, post hūc rursus Hissen, quo iterum expulso, Hali, post Hali Cazin, simul cum Abderamene. Sed Abderamen a suis desertus, atque in prælio contra Granatenfes occisus, soli Cazin imperium reliquit. Post hunc Hiaias, post Hiaiam Abderamen mense vno, diebus septende-cim. Deinde Mahometes quidam anno vno, mensibus quatuor. Post hūc Hissen 20 annis duobus, diebus quatuor, postea expulsus. Postremo quidā Humeia magna iuuenem caterua stipatus, regem se saluari iussit. Cumque sui monerent, vt tem-pori cederet, totam ciuitatem intestina seditione misceri, ac proinde vitæ pericu-lum imminere: Hodie, inquit, me Regē agnoscite, & cras, si lubet, interficite. Quo nō homines impellit ambitio! atque hic regni Cordubēsis finis fuit. Ab hoc enim tempore, vt quisque Arabum potestate ac fauore plebis præstabat, ita imperium & regium titulum alibi atque alibi vsurpabat.
- Alfonso Rex dum Visum in Portugallia obsidens, die quodam incautius sine 1010 armis vrbe circunlustrat, sagitta in scapulis letaliter ictus, vitam finiuit: vnde so-luta obsidione Legionem delatus, iuxta patrem ac matrem sepultus est. Vere-mundus tertius patri successit, regnauitque annis decem, cuius præcipuum studiū 30 extirix in oppidis, ecclesiis, ac monasteriis quæ a Sarracenis diruta erant, instaurā-dis. Vxorem habuit Tarasiam, Sanctii Castellæ Comitis filiam, ex qua sustulit filiū Alfonso, qui puerili ætate deceßit.
- Mortuo Sanctio Comite Castellæ, filius Garfias paternum principatum exce- 1011 pit, vix dum natus annos tredecim. Qui dum ad Veremūdum Regem proficisci-tur, ducturus vxorem Sanctiam Veremundi sororem, Legionem secūduum aliquos in porta ecclesiæ S. Saluatoris, a filiis Comitis Velæ siue Vegilæ quem Ferdinan-dus Gundisaluus Comes propter insolentias principatu suo exterminauerat, atq; apud Barbaros exulare compulerat, per prodicionem occiditur. Qui letale vuln⁹ 40 dedit, Roderic⁹ Vela siue Vegila, susceptor Garfias ex sacro baptismi lauacro erat. Fuere vero tres tanti sceleris autores, Rodericus, Didacus, & Eniecus, quos San-ctius Maior Rex Nauarræ, diris exemplis apud Monzonem oppidum trucidauit. Idem Sanctiam Veremundi sororem ac Garfias Comitis sponsam, filio suo Ferdi-nando despondit, per quam regnum Legionis regno Castellæ iunctum est. Mor-tuo Garfia Comite, Sanctius Maior Rex Nauarræ, nomine vxoris suæ Eluiræ, vel secundum alios Maioris, quæ Sanctii Comitis filia erat, dominium Castellæ acce-pit, seque non Castellæ Comitem, sed Regem scripsit. Atque ex eo tempore non Comites, sed Reges Castellæ appellati sunt.
- Sanctius Castella potitus magnas expeditiones in Mauros egit, quos Cordubam 1012 vsque persequutus, magnis cladibus affecit: vnde gloriæ plenus & spoliis onustus domum triumphabundus reuersus est. Sed vt nihil est ab omni parte beatum, tan-ti triumpho lætitiæ domestica funestauit calamitas. Contigit enim vt Sanctius in militiam proficiscēs, equum quem habebat vt præstantissimum, ita charissimum, Regiæ sollicitate commendaret. Nam id temporis propter continuos bellorū mo-tus, & nec opinatos Sarracenorum insultus, tam Reges quam nobiles, equos & Ec iij

An. dom. arma eodem quo thalamum loco habebant, ne mora esset, quin audito classico, continuo in procinctu essent. Absente patre, filius Garfias e tribus natu maximus, pulchritudine illectus equi, copiam illius a Regina matre fieri sibi poposcit. Mater in petitionem filii prona concessit, sed monita mox a præfecto vel domus regie vel equorum, quem Petrum a Sesse nominatum ferunt, molestum id Sanctio fore: quem prius equum filio concesserat, negavit. Quare Garfias graui succensus ira, suspiciones in matrem atrocissimas atque ab omni pietate alienissimas concepit, matrem alterius secretis monitis filii preces posthabuisse, non de nihilo esse, quod præfecto equorū, quam filio suo primogenito gratificari maluerit. Vnde hæc nisi ex clãdestina cū illo cõsuetudine nasci: Deinde quæ tã nefarie suspicabatur, mox ira stimulante, vera sibi esse persuadet, & matrem cuius etiam fontis famam omni studio tueri debuerat, innocentem adulterii ream apud patrem, vbi primum reuertetur, agere constituit. Et vt delationi fides constaret, Ferdinandum fratrem in societatem sceleris pellicere conatur. Sed Ferdinãdus atrocitate rei perculsus, primo scelus adeo nefariũ detestari, deinde fratrem a tã execrandis cõsiliis debortari, quorū ipsa quoque recordatio esset horribilis: postremo cum surdo caneret, monere sua illa vt ita misceret, ne ipsum admisceret. Sed Garfias fratrem virgere nõ destitit, donec iureiurãdo se astrinxit, saltẽ non proditurũ scelus fraternũ. His dolis instructus & furoris stimulis exagitatus, matrẽ nihil minus cogitantẽ, falsissimi criminis apud patrem accusat. Percussit res inopinata Regis animũ, idque eo magis, quod Regina nullam vnquam sinistri rumoris in se fabulam dedisset. Cumq; hinc Regine celebrata pudicitia & integra semper fama crimini fidẽ detraheret, illinc filius nõ de nihilo matris nomen de adulterio delaturus videretur: Rex diu animo suspensus neutro satis inclinauit, donec rogatus ea de re Ferdinandus, magis non affirmavit, quam negavit. Tũ vero Rex grauiori suspitione ac dolore cõmotus, Reginã in vinculis diligenter adseruari iubet, ipse rẽ omnem ad nobiliũ & magnatũ conciliũ defert, & quid ea de re faciendũ ipsis videatur, rogat. Omnium cõmuni sentẽtia statutũ est, vt regina vel armis aut legibus se suamque pudicitiam tueatur, vel ignibus incesta tradatur. Sed quũ nemo inueniretur qui vel armis vel iure contẽdere cũ Regis filiis auderet, Ranimirus Sancti Maioris (vt Aragonensiu rerum scriptores contendunt) ex alia vxore (vt alii affirmant) ex concubina filius, misertus noueræ vicẽ, de cuius innocentia iam propemodum sibi cõstabat, causam illius defensorum se præter omnĩũ opinionem proferret, & fratres ad singulare certamen prouocat. Cæterum dum causæ discutiuntur, dum omnia ad duelum necessaria comparantur, forte monachus quidam, vir p̄fectatq; virtutis, & magnæ apud omnes ob vitæ merita autoritatis, filios Regis clam aggreditur, ac proposito Dei formidãdo iudicio, & atrocitate rei ob oculos posita, declarauit, quam ab omni humanitate sit alienum, matrem falso accusare: quam certa atque seuera Dei vindicta eos maneret, quam cito sint perituri qui matris innocentie atrocissimi criminis labem asperferint, nisi mature resipiscant: hoc dedecus non ad Reginam tãtum pertinere, sed ad ipsum etiam Regem, atque adeo ad Hispaniam totã, cuius statum iam profligatis hostibus quietũ, tam nefando scelere perturbassent. His atque aliis rebus propositis, ita illos commouit, vt peccatum suum multis cum lachrymis ac suspiriis sint confessi. Mox patris genibus aduoluti, veniam supplices deprecati sunt. Rex condonaturum se negavit, tantisper dum veniam a Regina matre, quam adeo crudeliter offenderant, impetrarent. Quin si ius suum ipsa persequi vellet, eodem illos affecturum supplicio, quod illegale statutum erat. Porro Regina tum Regis & multorum nobilium, & præcipue monachi illius precibus mota, tum vero filiorũ suorum lachrymis ac singultibus, & animo materno victa, veniã hac lege dedit, vt Ranimirus Aragoniam cũ titulo Regio virtutis suæ mercedẽ acciperet: Garfias tanti sceleris autor, Castellæ, hoc est, regni materni hæres ne esset. Quod cũ omnibus, etiã filiis placeret, ipsa Ranimirus cui sepe benedixit, filium ac legitimum hæredẽ sibi adoptauit. Atque hoc regni Aragonum initium fuit. Sed sicut virtus Ranimiri præmio donata est, ita non inultũ tantæ impietatis facinus extitit. Nam Garfias posteriũs a fratre Ferdinando in prælio fuit occisus, vt latius

An. dom. vt latius suo loco declarabitur. Sanctius Maior certior factus quod virgines deo dicatæ in monasterio Onieñsi, nõ duceret vitã professione sua dignã, cõsilio suorũ & autoritate summi Pontificis, monachis diui Benedicti regulã seruãtib⁹ dedit, misso prius in Galliã Paterno sacerdote, viro p̄bata vitæ, cũ aliis duodecim viris religiosis, ad monasteriũ Cluniacẽse, qui ritus omnis & disciplinã regulę diui Benedicti diligẽter p̄disceret. Quib⁹ reuersis monasteriũ diui Ioãnis a Pegna dedit. Monasterio vero Onieñsi prius Garfiã quẽdã præfecit Abbatẽ, deinde fama sanctitatis B. Inachi mor⁹, qui in mōtosis Aragoniæ locis vitã degebat ab omni mūdano strepitu p̄cul semotã, quũ p̄ nũcios nihil p̄ficeret, ipse eo p̄fectus inuitũ ac reluctantẽ ad suscipiendũ Onieñsi monasterii regimẽ abduxit. Quã prouinciã vir ille diuinus ea vitã integritate ac sanctimonia exegit, vt inter sanctos merito relatus fuerit. Idem Rex Palentiã instaurauit, atq; ibi ecclesiã cathedralẽ in honorẽ S. Antolini cõdidit, multisq; possessionibus ac priuilegiis donauit, atq; inter cetera, vt episcopus etiam Comes esset. Instauradæ vero ciuitatis & ecclesiæ Palentinæ hæc fuisse occasionẽ ferũt. Cũ Sanctius Rex venationi operã daret, forte aprũ ardẽtius insectatus, ad locũ vsq; p̄secutus est, vbi olim D. Antolini ecclesia fuerat. Sed Rex tot⁹ in aprũ intẽt⁹, ac religionẽ loci nõ animaduertẽs, dũ altari acclinãtem trahere venabulo parat, brachiũ sibi diriguisset subito sensit. Mox cognito errore suo, ante altare prostrat⁹, Dei misericordiã ac S. Antolini opẽ tãtis cũ lachrymis implorauit, vt cõfestim brachii vsũ receperit. Pro quo beneficio, simul & expiãdo delicto suo, ecclesiã Palentinã magnifice p̄ tẽpore extructã, dignitati pristinæ restituit, & Palentiã ipsã ex sylvã ciuitatẽ frequẽtẽ fecit. Habuit hic Rex quatuor filios ex diuersis vxorib⁹, Garfiã, Ferdinãdũ, Sãctiũ, Ranimirũ. Quibus regna sua diuisit, & Garfiæ quidẽ dedit regnũ Nauarræ: Ferdinãdo, Castellæ: Sãctio, quẽ alii Gũdifuũ appellat, Vasconia: siue Suprarborũ: Ranimiro, Aragoniæ, quẽ ad id vsq; tẽpus Comitatus, nõ regni titulo, sicut Castellã, cõsebatur. Hic Sãctius Hispaniẽ Imperator appellatus est, redactis ad eius imperiũ omnib⁹. Hispaniæ ditionib⁹, quæ Christiani nominis erãt. Eũ duas habuisse vxores lego: alterã Vrracã, ex qua forasse Ranimiri pater fuit: alterã Eluirã siue Geloirã, Sãctii Castellæ Comitis filiã, quã alii Maiorẽ appellãt. Ex qua Castellana historĩ scriptores duos filios sustulisse scribũt, Garfiã & Ferdinãdũ: Aragonẽses tertiũ addũt, Sãctiũ. F. Galbertus Fabritius eũ Caiã habuisse testatur vxorem ex nobilitate Aragoniæ, ex qua suscepisse Ranimirum. Sed si hoc verum est, tres habuerit vxores necesse est, quum idem diploma huius Regis ponat, in quo Regina Vrraca subscribit. Sanctii Comitis filiam, cum qua Castellam dotalem accepit, nemo scriptorũ quos ego quidem vidisse meminerim, Vrracam appellat. Sanctii Maioris mortem alii anno 1016. alii 1017. alii 1018. alii 1020. ponũt: nobis in tanta autorum diuersitate nihil pro comperto affirmare licet.

Orta inter Regem Legionensium Veremundum & Ferdinandum Regem Castellæ discordia de finibus regnorum, eo creuit, vt vtrinque ad arma ventum sit: collatisque signis ad Carrionem fluuium, Veremũdus in acie ceciderit, atque eius morte Ferdinandus Rex Castellæ nomine vxoris Sanctiæ, quæ Veremundi vnica soror & hæres erat, Legionis accessione locupletatus sit.

Ioannes Vasæus candido Lectori S.

Nætenuis priorẽ tomũ prosequi visum est, in quo ne te offendat Lector charissime, quod in annorũ subducẽdo calculo a vulgatis autoribus non nihil variatũ sit, negem enim sine vetustissimorũ codicũ autoritate factũ est. Quãquam alioqui differentia hæc, ubi maxima, quãtuor annorum, aliquando triũ, nonnunquã duorũ annorum, aut etiã vnus est. Eã ex eo natã arbitror, quod Pelagi regnũ alii ab anno supra septingentesimum decimo sexto, alii decimo nono auspicantur. Ego numerũ quem primum in Isidoro Pacensi, vetustissimo earũ rerum quæ circa excidium Hispaniæ contigerunt, scriptore, deinde in aliis antiquissimis Chronicis reperi, perpetuo tenore sequutus sum. In rebus Nauarræ & Aragonum quia inexplicabilis annorũ confusio erat, eum numerum seruauit, non qui verissimus esset, sed qui vero proximus videretur. Reliqua fere cum aliis consentiunt, nisi quod quedam quæ fabulæ plus habebant quam historia, consulto resecui. Præterea sicubi a receptis

Chronicus dissentio, gratiū virorū autoritāte, quæ dico, confirmata sunt. Quæ laborē meū qui certe maior fuit quam quisquā facile estimare possit, si gratum tibi fuisse cognouero, sedulo curabo, ut reliquam Chronici partem propediem habeas. Vale candidæ Lector, & fruere.

IDEM EIDEM.

CVM primum hoc opus excudi cœptum est, nō ignarus, quā fallax & labilis sit humana memoria, quam multa soleant etiam intentissimos oculos & maximam hominis diligentiam fugere, præter alios amicos, etiam orauī virum grauisimum atque eruditissimum Bīdaciū Neilam, canonicū Salmanticensem, ut totam hanc lucubrationem accuratius perlustraret, & deposita paulisper amici persona, censoriam virgulam sumeret, ac si quid erratum vel a me vel a Typographis, si quid obscure vel ambigue dictum, si quid denique quod scrupulum lectori quocunque modo facere queat, reperiret, id obelisco vel iugularer, vel saltem notaret. Dedit vir humanissimus hanc operam amico nō solum libenter, sed etiam bona fide atque accurato iudicio, & pauca quædam deprehendit, quæ te, lector amice, si non offendere, certe remorari posse videbantur. Ea in gratiam tuam subiectis annotatiunculis partim explicare, partim elimare volui, ne non tibi per omnia videar satisfecisse. Vale & hanc quoque diligentiam meā boni consule.

Pag. 440. lin. 1. Gallia Togata erat, non Italia.] Non ignoro Pataviū Plinio in decima Italia regione poni, & Italiam eidem a Varo fluvio incipere: sed veterum opinionem sequor, quibus Gallia Cisalpina provincia erat extra Italiam, & Rubicon fluvius Gallia Cisalpinae siue Togatae atque Italiae terminus. Quod ex autoribus antiquis clarus est, quam ut probandum sit, ne ipso quidem Plinio refragante, Rubiconem quondam fuisse Italiae finem. Si cui tamen hoc non placebit, pro Italiae, legat, Latii. *Pag. 461. lin. 3. Calpen & Abylam.]* Pomponius Mela ipsos montes columnas Herculis appellat, idque bis, nempe lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 6. Sed ego Diodorum Siculum sequutus sum, qui libro quinto scribit, Herculem peragrata maiori parte Africae, ad Oceanum qui est ad Gades, peruenisse, ibique positus ab utraque continentis parte columnis, cum exercitu in Hispaniam transisse. In qua opinione est & Pindari interpres Græcus, quāvis post vestigatos ibi Geryonis boues positas dicat, ut etiam annotauit in Chiliadibus Erasmus. Seruius quoque scribens in vndecimum librum Æneidos, columnas Herculis legi dicit in Ponto & in Hispania. Apud Strabonem longa de hac re disputatio est: sed tandem Diodori sententiæ magis accedit. Ptolemæus ambigue loquitur ad hunc modum, Calpe mons & columna. Quod tamen de veris columnis quodā intellexisse, restis est prima Africae tabula, in qua ex utraque freti Herculei parte columnæ appictæ sunt. Plinius ad Pomponii Melæ sententiā magis inclinare videtur.

Pag. 462. lin. 48. Palantia ac Palentia.] Palantiam ad Turia ripam nō procul Valencia, & eius ruinas adhuc extare scribit Petrus Antonius Beuter. Sed & Ptolemæus illic, nempe in Edetanis, Palantiam fluium ponit, sed oppidi non meminit. Alioqui Palantia censetur eruditus, quæ nūc Palentia. *Pag. 493. lin. 5.]* Huic annotationi videtur addendum Antonium Sabellicum locū dedisse illi errori. Nam subinde D. Dominicū Calaguritanum appellat. *Pag. eadem, lin. 52. Dertosanus.]* Dertosam, Ilerdam, Tarraconem in Aragonia posui, non quin fatear esse in Catalonia principatu quem ab Aragonia regno Cinga fluius, Luciano cognominatus rapax, ad Fragæ oppidi pontem determinat: sed cum videam eum etiam principatum ab autoribus neotericis Aragonia vocabulo censerī, sequendos eos duxi, adductus præcipue autoritate Gerundenis Episcopi, scriptoris non omnino pœnitendi, qui ait ad hunc modum: Cathedrales Aragoniae Helena siue Helena, Gerundenis, Segobricensis, Maioricæsis, Dertosensis, Vrgellenis, Ilerdensis, &c. *Pag. 531. lin. 2. 3. Pompelonensis.]* Non diffiteor hanc ciuitatem esse Hispania, non Gallia, quippe quæ metropolis est regni Nauarrae. Sed quia D. Hieronymus aperte Gallia affirmat, neque obscure Pompelone natum declarat, nihil mutare libuit. Nisi forte aliam Pompeius in Gallia urbē condidit, cuius rei nulla extat mētio. *Pag. 542. lin. 10. Tyrrheni.]* Ita Iornandes, qui nō dubium, quin Tyrrhenum ostium, quamquam improprie & nimis large sumpto vocabulo, appellat fretū Herculeum, scilicet ubi Tyrrhenum mare exoneratur in Oceanum. *Pag. 559. lin. 38. Hoc anno Mahometem.]* Ita de Mahomete memoriae prodiderunt Hispanicarum rerum scriptores, inter quos Tudenis, & Rescendius in vita S. Isidori quam in Eborensi breuiario posuit. Ex aliis vero scriptoribus nō modo in Hispaniam, sed ne in Africam quidem venisse videntur, quā aliquanto post ab eius successoribus occupatam aiunt. Caterum quum hi tantum ea de Mahomete scribant, quæ potentiam nactus & opes gessit, fieri potest, ut priuatus adhuc in Hispaniam ad tantandam fortunæ aleam venerit, præsertim quum quos sequutus sum autores, initio prædicationis suæ hoc factum affirmant. Ego iudicium huius rei in medio relinquo. Præterea Sabellicus & alii autores, Caliphā Mahometis successorem appellant. *Pag. 554. lin. 28. Cum patris suis.]* Lege, cum reliquis hostibus. Alioqui si Chronica Regis Alfonsi sequimur, historia sibi ipsi repugnat, ut ex anno septingentesimo nonagesimo nono patet. Atque hæc hæcenus.

FINIS.

CHRONICI IOANNIS VASÆI BRV-
GENSIS ADPROBATIO, SIVE PVLICVM
de eo clarissimorum totius Hispaniæ & Lusitaniæ virorum testimonium
atque iudicium.

Hoc opus prius in Portugallia iussu Reuerendissimi Cardinalis & Serenissimi Principis D. Henrici Infantis Portugallia, & in omnibus regnis ac dittonibus Regis fratris sui, summi de fide Catholica iudicis, fuit examinatum Eborac (ubi & lucubratum) ab admodum Reuerendo D. Emanuele Sancto, episcopo Targensi ac sacre Theologiae Doctore grauisimo, & approbatum. Postea vero etiam Valladoliti madato Serenissimi D. Maximiliani Boemia Regis, a viro vndecunq; doctissimo, Ioanne Genesio Sepulveda, oratore, philosopho, Theologo consummatissimo & Caroli Quinti Imperatoris historiographo: qui non solum probauit, sed etiam multa in eo se reperisse scitu digna, & ad veram Hispania laudem pertinētia, chirographo suo testatus est.

LECTORI S.

Exemplaria quibus vsi sumus, præsertim Granatensia, adeo deprauata erāt, ut plurimis in locis intelligi non potuerint. Nos igitur, quod in hoc genere scriptorum tutius esse duximus, iis quæ typographica videbantur vitis sublatis, in cæteris aut nihil, aut certe perpauca mutauimus: ac ea cuique pro suo iudicio corrigenda reliquimus. Quod quidem facile erit ei cui tepus & libri suppetuerint: nec id sine fructu fiet. Nam qui hosce nostros scriptores vel cum Diodoro, Ptolemæo, Strabone, Mela, Plinio, & cæteris quos citant autoribus, Gerundensem præsertim cum Lioio, Salustio atque Cæsare: vel ipsos inter sese, & præcipue cum Vasæo contulerit, maximam interdu diuersitatem, & errata fortassis nec pauca, nec leuia deprehendet: quæ tamen immutare nolimus, ne temere a nostris autoribus discessisse videremur. Sic, exempli gratia, pag. 13, versu 12, Scalabisus legendum ex Ptolemæo: pag. 25, v. 30, Belonem ex Mela & Plinio: p. 90, v. 2, P. Iunius, & ibid. versu 10, Caius Catinius, ex Lioio: p. 126, v. 48, Villam, & ibid. v. 55, L. Iunium Patiecum, ex Hircio de bello Hispaniensi. Sic collato loco qui est pag. 15, v. 30, cum eo qui habetur pag. 778, v. 37, hunc illo longe emendatiorem comperies. Sic Toleranum p. 178, v. 19, & 39, intelliges ex Vasæo p. 569, v. 10, & 19. Idem in reliquis experiri poteris, ubi libuerit. Rursus, ex ipsa rerum serie numerū annos Domini denotatam sapius emendaueris. Ut pag. 322, v. 35, rectius legeres D CXXXV. Nam ab hoc capite vsque ad trigessimū quintum ubique scribendum D C, & a trigesimo quinto vsque ad primum tertiæ partis, DCC. non DCCC. Sunt etiā aliqua, quæ licet a librariis commissa videantur, malimus tamen cōiecturam nostram de iis tuo iudicio submittere, quam certū quid pronūtiare. Pagina igitur 8, v. 20, Tarraconensi legendum videtur. p. 24, v. 19, in Asturiis. p. 30, v. 39, vocauit, ad. p. 32, v. 54, Rhodiis. p. 33, v. 6, urbis. p. 35, v. 11, XII. p. 239, v. 38, sanit. p. 311, v. 44, diuturnis. p. 338, v. 20, apud Ieremiam. p. 477, v. 32, admoneri. p. 493, v. 16, aliquanto. p. 557, v. 17, confisum. p. 577, v. 32, filiam &c. actam. Lepontia quoque pro passiuo, actiuo pro deponentibus, nominatiui absolute positi pro ablatiuo consequentia, nominum & in primis propriorum exoticorum uerba uariæ scripturæ & inflexiones, adiectiuorum comparationes, phrasæ, aliaque eius generis inusitata, Lector, occurrent: sed quæ tanta non sint, ut rebus ipsis quidpiam detrahant. Quæ vero nostram diligentiam effugerunt, hæc sunt. Pag. 55, v. 19, lege considere. p. 134, v. 3, ere. p. 322, v. 2, II. p. 345, v. 45, Et Palat. p. 362, v. 28, Cap. XXXVI. p. 365, v. 54, inuis. p. 480, v. 50, Agrippa. p. 505, v. 9, concilia. Porro Gotthos & Gotthorum ab initio scripsimus, autoritatem Suidæ secuti: postmodum vero Gothos & Gothorum, inducti maxime Athaulphi regis epitaphio, quod est apud Vasæum pag. 535, v. 34. ubi prima in Gothorum corripitur. Sed parum interest, utro modo scribatur. Tu vale, & nobis bene precare.